D. D. FRANCISCI

A MOSTAZO

TRACTATUS

DE CAUSIS PIIS

In Duos Tomos Divisus.

D. D. FRANCISCI A MOSTAZO

J. U. D. ALVEARENSIS,

ANTEA ILLUSTRIS VILLÆ DE COLMENAR VIEJO,
Nunc verò insigni Oppidi de VALLECAS Rectoris;

TRACTATUS

DE CAUSIS PIIS

IN GENERE, ET IN SPECIE.

OPUS NON SOLUM JUDICIBUS, ET VISITATORIBUS
Ecclesiasticis valdè utile; verùm etiam Secularibus, Ecclesiarum Rectoribus, Confessoribus, & Advocatis summè necessarium.

TOMUS PRIMUS.

CUM TRIPLICI INDICE; PRIMO LIBRORUM, ET CAPITUM;
Altero Rerum notabilium; Tertio Locorum Juris.



VENETIIS, M.DC.XCVIII.
Apud Paulum Balleonium.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

AUTHOR
AD LECTOREM.



Causarum piarum hos octo libros potiùs emendandos, quàm legendos (disertissime Lector) tibi concedo. Mea enim mens est veritatem in his scriptis quærere: si verò aliquando aberraverim, non iniquo animo feram si ab alio emender, dum veritas propaletur. Sed quia pauci de hac materia ex proposito scripsere, animum ad eam scribendam appuli, quia ferè semper procedit ex jure singulari; quare facilè ex aliis regulis, & doctrinis studiosi decipiuntur, nisi præ manibus causarum piarum tractatum habeant.

Scribo enim non pluribus coacervatis Doctoribus, ne indigesta, & dura moles oratio reddatur; sed tantùm adscitis necessariis, & classicis. Tum ut meliùs concipiatur doctrina, non prætermisso Antonio Fabro, qui ad rem sic scripsit: *Nec enim sum ego cumulator Interpretum, qui meo judicio omnium ignobilissimus est labor; sed Interpres etiam ipse, quantum pro ingenioli mei tenuitate licet: parumque obest, ut malim esse malus Interpres, quàm malorum congestor, & approbator.* Cui etiam addere non verebor Senecam: *Nihil ergo magis præstandum, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quà eundum, sed quà itur. Atqui nulla res majoribus malis implicat, quàm quod ad rumorem componitur, optima rati, quæ magno assensu recepta sunt, quorumque exempla multa sunt: nec ad rationem, sed ad imitationem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium.*

Faber decad.48.error.6. Larrea decis. 66. num.10. Senec. de vit. Beat. cap.1.

In referendis aliorum placitis brevis laboro, non tamen prætermissis fundamentis, ut resolutio magis fundata descendat. Interpono sæpiùs meum judicium, non quia de illo confidam; sed quia, ut ajebat Seneca, *est & mihi jus censendi*, prout aliis Scriptoribus, de quibus speramus, non quod alii dixerint, sed quid ipsi senserint. Nec istud ad arrogantiam trahendum, si nostra declaramus; Scriptores enim non debent esse arrogantes, nec etiam ita humiles, ut sua non proferant. Quare ait Ecclesiast. *Noli esse humilis in sapientia tua, ne fortè humiliatus in stultitiam seducaris.* Itaque non ad elationem à me dicta referas, sed ad necessitatem scribendi.

Senec. de vit. Beat. cap.3. Ecclesiastic. c.13. vers.11.

Objicies tamen multitudinem librorum, idque in Jurisperitis Scribanius & alii derident. Sed respondet Augustinus: *Utile est plures libros à pluribus diverso stylo, etiam de eisdem quæstionibus fieri.* Præterquam quod causarum piarum materia ampliùs desiderabat tractari, postquam pauci de ea olim scripserunt, quibus multa addimus, quæ in illis non reperiuntur; cùm ea sit nostra ratio, diversas causas pias in genere, & in specie congerere, & digerere majori claritate, & brevitate qua potuimus. Accipe igitur, Lector, opus istud, & sufficiat mihi cum Ovidio dicere:

Scriban. lib.2. Polit. cap.9. August. de Trinit.

Et veniam pro laude peto: laudatus abundè,
Non fastiditus si tibi Lector ero.

SERIES

SERIES LIBRORUM ET CAPITUM,

Quæ in hoc Primo Tomo de Causis Piis in genere, & in specie continentur.

LIBER PRIMUS.

De Causis Piis in genere, & quibus modis efficiantur. pag. 1

LIBER SECUNDUS.

De Missis, de stipendiis Missarum, ac de earum legatis, & de Anniversariis. pag. 65

LIBER

LIBER TERTIUS.

De Capellaniis, *pag.* 126

LIBER QUARTUS.

De diversis Causis Piis, *pag.* 189

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approvatione del Padre Fr. Antonio Leoni Inquisitore nelli Libri intitolati *D. Francisci A Mostazo I.V. D. Alvearensis, &c. de Causis Piis in genere, & in specie*, non vi essere cos'alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimenti per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo licenza, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle publiche Librarie di Venetia, e di Padova.

Dat. 22. Agosto 1696.

{ Ferigo Marcello Proc. Rifor.

{ Ascanio Giustinian 2. Cav. Rifor.

{ Francesco Cornaro Proc. Rifor.

Agostino Gadaldini Segr.

D. D.



D. D. FRANCISCI A MOSTAZO J. U. D. ALVEARENSIS, DE CAUSIS PIIS

In genere & in specie,

LIBER PRIMUS.

De Causis Piis in genere, & quibus modis efficiantur.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit causa pia, & quæ piæ causæ dicantur.

SVMMARIVM.

Causa pia tripliciter sumitur, largissimè, largè, & strictè, & quomodo intelligitur, n.1.2.& 3.

Causa pia definitur, à num.4. ponitur vera diffinitio, num.6. An sit causa pia quando aliquid relinquitur diviti existimate pauperi? à num.7. dissentiunt Bart. & Baldus, n.8.& intelliguntur, num.9.

In causis piis non fit interpretatio contra mentem relinquentis, num.10. Si legatum relinquitur diviti, non est causa pia, num.11. Sed si relinquatur diviti propter Dei amorem, prima sententia affirmat, n.12. secunda negat, num.13. reselvitur à n.14.

Quid verè si aliter relinquitur diviti, purè, aut sub conditione ut causa piæ restituat, an sit pium necne? negat Castille, n.17. sed explicatur, n.18.

Pium est quod relinquitur pauperibus propter Dei amorem, n.19. An sit pium quod relinquitur pauperi consanguineo? Prima sententia negat, num.20. affirmat secunda, num.21. resolvitur à num.22.

Explicatur textus In cap. Requisisti 15. de testam. à num.25. *Explicatur textus* in leg. Tutor 28. §. Quæ tutoribus, ff. de excusat. tut. *a num.28.*

Pium est quod relinquitur pro salute animæ, & aliis causis, num.30. Sed an pium, quod relinquitur Hospitalibus? Alii affirmant, alii negant, num.31. & 32. reselvitur à n.33.

Pium est quod relinquitur Altaribus, Imaginibus, & Collegiis Sacris, seu pauperum, num.35. Et quid si Confraternitatibus? alii affirmant, alii negant, num.36. Resolvitur, num.37.

Pium est quod relinquitur pro redemptione captivorum, n.40.& pro excarcerandis pauperibus, n.41.

1 UM de causis piis sermonem facimus, antequam diffinitionem apponamus, animadvertendum est, in Jure causas pias tripliciter considerari, largissimè, largè, & strictè, nempe quando causa pia propriè sumitur. Dicitur enim causa pia largissimè, quando adest causa favorabilis pietatem, & humanitatem continens: utporè considerantur ultimæ voluntates, quæ necessario exequendæ sunt; & contra illas venire nefas censetur, *leg. contra voluntatem 7. C. de testam. manumiss.*

Largè enim causa pia existimatur in aliquibus dispositionibus de jure favorabilibus, ad causam publicam concernentibus, ut libet considerare in dotibus, quæ licèt non pauperi puellæ concedantur, plura tamen percipiunt privilegia ob publicam utilitatem, *l.1.ff.solut. Matrim. l.2. ff. de iur. dot.* Quod idem perspiciendum est in alimentis etiam diviti relictis, *l.cum hi 8. §.Si in annos 23.ff.de transact.* 2

Strictè tamen, & propriè causa pia aliter censetur, nempe quando intuitu pietatis, & propter Dei amorem aliquid conceditur, ut quando legatum pauperibus, vel Ecclesiæ relinquitur. Novellus *de dote, part.5.à n.1.* De his igitur causis piis agendum est nobis, non verò de aliis largissimè, aut largè sumptis, cùm nostrum institutum non attingant. 3

Causa enim pia strictè sumpta diversè diffinitur. Tuschus *litt. P, conclus.332.* scripsit: *Pia causa dicitur, quando verè, & simpliciter contemplatione pia causa aliquid relinquitur.* Sed hæc diffinirio non satis explicat naturam diffiniti. Videtur enim nihil aliud dicere, nisi quod pia causa sit relictum ex causa pia: quod nihil aliud est, nisi repetere diffinitum; est enim vera diffinitio, quæ aperit naturam diffiniti, *l.1. §. Dolum, ff. de dol. mal.* ubi Scribentes, *leg. Omnis diffinitio 210. ff.de Reg. Iur.* Moneta *de distribut. quot. 1.p. q.4. n.3.* Quam ob rem hæc diffinitio admittenda non est. 4

Alii verò inquiunt: *Causam piam esse quidquid intuitu Dei relinquitur.* Abbas *in proœmio Decret. verb. Gregorius divi-dit, num.26.* Tiraquellus *de privilegiis caus. pia num.33. in præfat.* Molina *de iust. tract.2. disp.432. in princip.* Ast hæc diffinitio non admittitur. Non enim sola intentio relinquentis causam piam efficit; nam si diviti aliqua eleemosyna relinquatur intuitu Dei, causa non erit pia. Sanchez *de Matr. lib.1. disp.4. n.9.* Ergo non benè diffinitur causa pia ex eo solum, quod intuitu Dei relinquatur. 5

Erit tamen melior diffinitio ista: *Causa pia est, quando aliquid conceditur intuitu Dei ad Cultum Divinum, vel alia opera misericordiæ, ob animæ bonum.* Ita benè Moneta *de Commut. ult. volunt. cap.4. num.18.* In his ergo causis piis tria sunt consideranda, causa, persona, & intentio unde causam ipsam pietatis perpendamus. Benedictus Ægidius *in l.1. Cod. de Sanct. Ecclesiis, 3.part. §.1. num.4.* Paulus Ru- 6

beus *Pract. Resol. cap.1. num.12.* Barbosa *de univ. iur. lib.3. cap.27. num.5.*

7 Istinc Bart. *in l.1. C. de Sacros. Eccles. lect.2. qu.2.* in fine scripsit, quòd si aliquis reliquerit legatum alicui, existimans pauperem reverà divitem, causam esse piam; nam intentio ipsa relinquentis ostendit velle illam efficere, ita ut si legatarius dives fuerit, in aliam causam piam convertatur, *cap. Quiescamus 2. dist.42.* Tiraquellus *in Praefat. n.10.* Menochius *lib.4. praesumpt. 115. n.7.* Moneta *d. cap.4. n.31.*

8 Baldus tamen *in d. l.1. col.10.* licèt Bartoli sententiam admittat, pupugit partem illius doctrinae, dicens legatum in alteram piam causam non esse convertendum, verùm alteri pauperi concedendum; nam licèt quoad illud legatarius scriptus pro non scripto habeatur, *l. eam quam 14. C. de fideicom. l. Pater filium 38. §. Tusulanum, ff. de legat.3.* & impersonale remaneat legatum: attamen impersonale non vitiat causam piam, *l.1. l. Id quod pauperibus 24. C. de Episc. & Cleric.* Mantica *de tacit. lib.8. tit.4. à num.3.* Surdus *de aliment. tit.8. privileg.17. num.5.* Riccius *1. part. collect.226.* Quapropter legatum illud sustinetur, non ut in aliam causam destinetur, sed in similem, scilicet in alium pauperem, prout demonstraverat voluntas relinquentis. Tiraquellus *in praefat. n.10.* Moneta *dict. n.31.* Genuens. *in Praxi, tricen. 15. qu.446. n.8.* Bossius *de testam. piis, tit.12. §.4. n.259.*

9 Sed hae sententiae facillimè conciliantur. Nam licèt Bart. dixerit in aliam piam causam relictum convertendum, non tamen de distincta intelligendum est, verùm de simili, ita ut pauperi concedatur. Idque confirmo ex doctrina ipsius Bartoli *in d. l.1. num.33.* ubi asserit, relictum diviti propter Dei amorem, pauperi esse concedendum, *cap. Non satis 14. dist.86. cap. Quisquis Episcopus 19. 12. qu.2.* Unde facilè perpenditur, intellexisse Bartolum, alteri pauperi concedendum, non verò causae distinctae, quantumvis piae: ergo credendum est existimasse Bartolum, in aliam causam non dissimilem convertendum esse legatum. Caeterùm quando aliquid relinquitur propter Dei amorem, non inspicienda est persona cui relinquitur, si dives, aut profana sit; id enim tacitè intelligitur, ut in alium usum pium voluntati testatoris magis conformem divertatur. Baldus *in d. l. Id quod pauperibus, sub num.34.* Cyriacus *tom.1. controv. 94. num.14.* Ergo quando aliquid relinquitur diviti existimato pauperi, pauperi concedendum est legatum, fuit enim clara intentio legantis, ut egeno daretur. Ergo credendum est voluisse Bartolum, ut in similem causam diverteretur, non in dissimilem: praesumendum est enim Bartolum virum doctissimum in re clara non caecutiisse.

10 Istinc obiter, & breviter observo, in causis piis, quamvis habeant plura privilegia, minimè interpretationem faciendam esse contra voluntatem relinquentis, sed semper secundùm eam, alias injuria illi irrogaretur, ut benè adnotarunt Decius *cons.426. num.2.* Mantica *de coniect. lib.3. tit.19. n.10.* Gratianus *discept. forens. cap.662. num.15.* Cancer. *3. p. cap.20. n.393.*

11 Si vero legatum relinquatur diviti à testatore id sciente, non est causa pia; nam in persona recipiente deficit pietas. Mascardus *de probat. conclus.1177. n.1.* Rubeus *Pract. cap.1. n.11.* Thoro *ad Tiraquellum de caus. piis, in praefat. vers. Ante omnia.* Barbosa *d. lib.3. cap.27. n.6.*

12 Sed est quaestio, an si relinquatur legatum diviti propter Dei amorem, aut propter animam relinquentis, sit pium? Prima sententia affirmat, *ex l. Cum hi 8. §. Nihil 7. ff. de transact.* ubi alimenta relicta diviti eisdem fruuntur privilegiis, ut si pauperi relinquerentur: Ergo eadem causa pietatis versatur, quando legatur diviti, sicut quando legatur pauperi. Verùm textus iste assumptum non probat. Loquitur enim Ulpianus de transactione facta in solutione alimentorum auctoritate judicis, quae quidem nihil interest, an locupleti, vel pauperi facta sit, ut observetur. Tiraquellus *in d. praefat. num.22.* quare ad rem non est. Caeterùm alia ratione probant; nam quoties diviti aliquid relinquitur ob Dei amorem, eo modo relictum videtur, ut oret pro relinquente, quod pium est: Ergo simile legatum erit pium. Genuensis *in Praxi, tricen.15. quaest.446. n.2.* Novarius *in Addit. ad Franchum, decis.565. in fine:* dicit probabile Bossius *d. §.4. n.255.*

13 Contrarium tamen tenent Ancharranus *cons.25. vers. Praetereà.* Lapus *alleg.91. num.4.* Tuschus *litt. P, conclus. 332. num.40.* Mantica *de coniect. lib.6. tit.3. num.23.* Thoro *ad Tiraquell. in praefat. versic. Quod pia relicta.* Diana *7. p. tract.6. resolut.30. vers.4.* Barbosa *d. cap.27. num.6.* Et rationem dant, nam pietas non dicitur, quae simulatur, sed quae consistit in substantia veritatis, *l.1. C. de mendicant. validis, lib.11. l. Cum hi 8. §. Sed in annos, ff. de transact.* Cùm ergo aliquid relinquitur diviti propter amorem Dei, est pietas simulata, cùm re ipsa non indigeat, nec aliqua adsit causa pietatis: Ergo nequit esse causa pia.

In hoc dubio illud in primis dicendum est, quòd si diviti 14
relinquatur legatum propter Dei amorem, aut pro anima; si tamen evidenter constet, velle relinquentem ut sibi habeat, tunc certa est haec secunda sententia; nam deficit ratio personae in qua pietas vigeat, & insimul causa alicujus misericordiae, unde perpendamus causam esse piam. Caeterùm illa praesumptio, ut oret, aut aliqua faciat suffragia, incerta est. Quippe id intelligeretur in quolibet legato, quod absurdum est: Ergo minimè dicendum legatum pium. Franchis *d. decis.565. num.5.* Dilectus *de Art. testandi, tit.2. caut.2. n.5.*

Sed dices cum Genuensi *dict. qu.446. n.7.* si legatum relin- 15
quitur Ecclesiae diviti, pium est: Ergo etiamsi diviti relinquatur, propter Dei amorem, aut pro anima. Ast disparitatis ratio in promptu est; nam quoties Ecclesiae diviti legatur, etiam absolutè pium censemus; id enim fit ad augmentum Divini cultus, cùm bona Ecclesiae ad id tendant, quod praecisè est pium. Verùm quando diviti relinquitur, ut sibi habeat, in ejus utilitatem profanam convertitur, quapropter minimè pium censetur.

Secundò dico, quod si diviti relinquatur legatum ob Dei 16
amorem, aut pro anima, nec constet velle testatorem sibi habere, tunc credo causam esse piam, & cogi posse ad distribuendum inter pauperes, aut alias causas pias, ut est doctrina Bartoli *in dict. l.1. Cod. de Sacros. Ecclesiis, num. 33.* suprà relati; nam non aliter legatum pro anima, aut propter amorem Dei tenebit effectum, nisi hoc modo distribueretur: tunc enim praesumitur in dubio potiùs velle profectum suae animae prospicere, quàm divitis utilitatem, *l. Praeses 6. C. de servit. & aqua*, ubi Scribentes, *l. Sancimus 21. C. de Sacros. Ecclesiis*, Rubeus *Pract. cap. 54. à num.176.* quare dives ipse cogendus est inter pauperes, aut aliàs pias causas distribuere, unde utilitatem percipiat testatoris anima, ut scripserunt Baldus, & Cyriacus relati *num.9.*

Quid verò dicendum, quando principaliter aliquid re- 17
linquitur diviti purè, aut sub conditione, ut causae piae restituat, an haec pia causa sit censenda? Castillo *lib.4. controv. cap.22. num.9.* asseruit piam causam non esse; nam in qualibet dispositione illud inspicitur, quod principaliter agitur, cùm aliud tanquam accessorium ad se trahat: quamobrem cùm principalis causa profana sit, nequit substituta causa pia censeri. Unde si in testamento aliquis haeres instituatur, & causa pia sit substituta duobus testibus, nequit sustineri, quin potiùs de jure necessarii debent accedere ad ejus valorem. Federicus de Senis *cons.217.* Covarr. *in cap. relatum, de testam. num.2.* Peregrinus *de fideicommiss. art.2. n.85.*

Veruntamen haec doctrina indiget explicatione; non 18
enim causa pia existimanda est profana, eo quòd principaliter dives, aut alia persona principaliter instituatur haeres, quin potiùs independenter ab ea per se pia causa consideratur, ut benè Tuschus *dict. conclus.332. num.13.* Quapropter si aliquis instituitur haeres in certum diem, ita ut necessariò haereditas perventura sit ad causam piam substitutam, testamentum duobus testibus sustinebitur; si verò in incertum, aut sub conditione, quae hanc tollat necessitatem, contrarium dicendum est: quo in sensu intelligendi sunt Castellus, & alii suprà relati, prout explicant Tiraquellus *de privilegiis causa pia, privileg.2.* Mantica *de coniect. lib.6. art.3. n.41.* Mesa *lib.3. cap.7. n.6.*

Id verò, quod pauperibus relinquitur, semper est pium, 19
l. Id quod pauperibus 24. l. Si quis 49. Cod. de Episcop. & Cleric. Quam doctrinam non absolutè admittas; nam quando aliquid relinquitur pauperi non intuitu pietatis, sed amicitiae, aut altera humana consideratione, pia causa non est. In dubio verò semper pia existimatur, si inest indigentia personae, unde facilè pietas praesumitur. Tiraquellus *in praefat. num.9.* Menochius *lib.4. praesumpt.115. num.6.* Rubeus *practic. cap.1. num.8.* Velasco *de privilegiis pauperum, 1. part. quaest.52. num.19.* Barbosa *d. cap.27. num.8. & 9.* Sanchez *de matrim. dict. disp.4. num.9.*

Est

20 Est tamen dobium graviter controversum inter DD. an quando legatum relinquitur pauperi consanguineo, pium necne sit existimandum? Prima sententia negat, ex decisione textus *in cap. Requisisti* 15. *de testam.* ubi relictum Episcopo consanguineo testatoris, intelligitur factum ratione sanguinis, non intuitu pietatis: quod idem dicendum est quando relinquitur paoperi consanguineo. Cæterùm adducitur textus *in l. Tutor* 28. §. *qua Tutoribus*, *ff. de excusat. tut.* Ibidem legatum fuit filio cum onere tutelæ alterius fratris, à qua si se filius legatarius excusat, adhuc retinet legatum; nam ratione sanguinis videtur legatum relictum, non verò ratione tutelæ: unde quoties consanguineo pauperi legatum relinquitur, non ratione pietatis censetur, sed consanguinitatis relictum, nec pium dicendum est. Denique, nam quoties concurrit causa naturalis, ut est sanguinis; & accidentalis, ut est paupertas, præsumptio est pro causa naturali, itaque legatum pium non erit. Tiraqoellus *in d. præfat. n.*16. ubi Thoro *vers. Vbi secus*. Surdus *de aliment. tit.*5. *qu.*6. *n.*9. Alciatus *lib.*9. *consil.*213. *n.*13. Moneta *d. cap.*4. *n.*38. Diana 7. *part. tract.*6. *resolut.*30. *vers.*4. Bonacina *de contract. disp.*3. *q.*17. *punct.*8. §.2. *proposit.*1. *n.*2. Sanchez *d. lib.*1. *disp.*4. *n.*9. Marin. *decis.* 357. *n.*5. Castillo *lib.*4. *controv. cap.*22. *n.*6.

21 Secunda sententia pium esse legatum affirmat; nam quando concurrunt duæ causæ, illa prævalet, quæ respicit animæ favorem, ut diximus suprà *n.*16. Cùm ergo adsit causa pietatis in paupere consanguineo, illa debet prævalere, non verò consanguinitatis. Unde legatum illud erit pium. Cæterùm non datur repugnantia, ut pauperi consanguineo eleemosyna concedatur, quin potiùs majori ratione est ei concedenda, *cap. non satis*, 86. *dist.* ubi scribentes. Afflictus *decis.* 290. *n.*10. Ergo si consanguineus pauper est, præsumendum est velle testatorem potiùs ex causa pietatis legatum præstare, quàm consanguinitatis, & consequenter legatum erit piom, ut cum Jasone Genuensis *in praxi*, *tricen.*20. *qu.*523. *n.*3. Boerius *decis.*94. *n.*2. Benedictus Ægidius *in l.*2. *C. de Sacrosanct. Ecclesiis*, 3. *part.* §.1. *n.*6. dicit veriorem Guttier. *cons.*26. *n.*8. Thoro *privileg.* 175. Bossius *d.* §.4. *n.*247.

22 In hac difficultate illud in primis animadvertendum, maxima consideratione prospicienda esse verba relinquentis, potest enim ex his facilè rectus judex mentem illius conjecturare: veluti si relinquat legatum illud pro anima, aut faciat mentionem paupertatis consanguinei, quo casu legatum erit pium; nam testator per hæc verba causam pietatis ostendit. Tiraquellus *in præfat. n.*14. Moneta *d. cap.*4. *n.*37. Vasquez *in opuscul. de testament. cap.*8. §.5. *dub.*1. *n.*97. Sanch. *d. n.*9.

23 Idem dicendum, si legatum relictum fuerit in testamento minus solemni; nam tunc intelligendum est piè voluisse testari, ne aliàs impugnaretur testamentum. Genuensis *dict. qu.*573. *n.*4. Mantica *de coniect. lib.*6. *tit.*3. *n.*21. Ciarlinus *controvers. forens. cap.*33. *n.*101. Gratianus *discept. forens. cap.*605. *n.*29. Barbosa *dict. cap.*27. *num.*10. qui cum Magdaleno animadvertit, hoc intelligendum, quando legatum non est excessivum; si verò grande fuerit, ad ditandum consanguineum magis, quàm ad sublevandum, non erit pium, quia cessat ratio pietatis. Thoro *in præfat. ad Tiraquellum*, *vers. Legatum factum consanguineo*. Cancer. 3. *part. cap.*20. *n.*384.

24 Si tamen nullæ sint conjecturæ, unde capiatur voluntas relinquentis, sed simpliciter legetur Petro, qui paoper & consanguineus est illius, admitto secundam sententiam: ratio est, nam licèt causa naturalis sit magis prospicienda quàm accidentalis, in præsentiarum tamen concurrunt duæ causæ naturales, scilicet bonum animæ legantis, & consanguinitatis. Cùm ergo bonum animæ sit potentius quàm consanguinitatis, Tiraquellus *privil.*66. *vers. Sed tu*, Leoncillus *de privileg. pauperum*, *part.*2. *privileg.*211. *verb. Legatum* 10. *n.*4. præsumendum est causa pietatis legasse, non verò consanguinitatis: quapropter erit legatum pium, ut ratiocinatur Genuensis *ubi suprà n.*4. Cæterùm, ut animadvertit Mantica *d. tit.*3. *n.*19. causa pietatis in hoc casu non excludit causam consanguinitatis, nec econtra. Ergo illam causam, quæ est magis favorabilis, debemus admittere, prout est causa pia, quapropter pium legatum censebitur, ut etiam tenent Gratianus *d. cap.*605. *num.*28. Diana *d. resol.*30. *vers.*4. Martha *vot.*30. *n.*8.

25 Nec jura, quæ pro contrariis expendimus solidum præstant fundameutum: nam Genuens. *num.*5. respondet textum *in dict. cap. Requisisti*, non loqui de legato pio, sed de profano facto Episcopo. Sed negandum non est, gravem ingerere difficultatem adversùs nostram sententiam: erat enim quæstio Pontificis, quando legatum relinquitur Ecclesiæ, an si Episcopo relinquatur, contemplatione illius, an Ecclesiæ factum existimetur? Et distinctione respondet: si ab extraneo fiat, ad Ecclesiam pertinere, utpotè factum illius contemplatione. Mascardus *conclus.* 968. *num.*2. Menochius *lib.*4. *præsumpt.* 112. *à num.*1.

Si verò à consanguineo Episcopi relinquatur, asserit 26
præsumi contemplatione personæ factum, & non ad Ecclesiam, verùm ad Episcopum pertinere: ecce enim ubi concurrit bonum animæ, si legatum relinqueretur Ecclesiæ; & tamen præsumitur relictum personæ ratione sanguinis. Ergo quando concurrunt causa sanguinis, & causa pia, prævalet ratio consanguinitatis, & legatum non est pium, ot benè Socinus *in l.*2. *ff. de rebus dubiis*, *num.*14. Ergo in præsentiarum, quando legatum relinquitur consanguineo pauperi, erit profanum, & non pium.

Ast disparitas inter utrumque casum constituenda est. 27
Certum est enim, qood si legatum relinquatur Episcopo consanguineo, factum censetur ratione personæ, & ad eum pertinebit. Mascardus *dict. conclus.*968. *num.*6. Surdus *de aliment. tit.*5. *quæst.*6. *num.*8. & 9. Mantica *de coniect. lib.*6. *tit.*12. *num.*5. Menochius *d. præsumpt.*112. *num.*3. Marinis *d. decis.*357. *num.*5. Verum in nostro casu contrarium dicimus; nam ut cum Mantica diximus, præsumptio pietatis non excludit consanguinitatem, quin potiùs ambæ concurrunt in eadem persona legatum recipiente; idcircò præsumitur legantem voluisse legare eo modo, quo bonum animæ incrementum perciperet causa pietatis. Altero verò casu, quando legatur simpliciter Episcopo consanguineo, voluntas testatoris excludit Ecclesiam, & omnem pietatis causam; nam ut considerat Menochius nupertimè allegatus, *num.*4. liberum est testatori legare Episcopo consanguineo, aut Ecclesiæ: quamobrem legando Episcopo excludit Ecclesiam, nec concurrunt ambæ causæ, ut in nostro casu.

Ad textum *in d. l. Tutor*, satisfacit Mantica *d. num.*19. 28
dicens ad rem non esse. Nam licèt dicat Consultus, legatum ad filium pertinere, licèt se à tutela excuset, non inde infertur, quod si aliquis legasset pauperi consanguineo, non intelligatur id fecisse intuitu pietatis, quin potiùs contrarium, cùm bonum animæ charius sit consanguineis. Sed negandum non est, textum illum majorem habere difficultatem. Tutela de jure communi erat gratuitum munus, *l. A tutoribus* 33. §. *Principalibus*, *l. Qui negationem* 58. *in fine principii*, *ff. de administrat. tut.* Baeza *de decim. tut. cap.*1. *à num.*1. quin potiùs, si aliquid datur, repetitur per condictionem ob turpem causam, *l. in eos* 9. *ff. de tutel.* Surdus *de aliment. tit.*1. *qu.*47. *n.*7. Guttierez *de tut.* 3. *p. cap.*2. *à n.*1. quamobrem cùm de jure communi gratis munus istud exerceatur circa pupillos, pia est causa. Menochius *dict. præsumpt.*115. *num.*10. Ergo cùm in eadem persona concurrat causa pia, & consanguinitatis, debebat prævalere pietas, non verò causa sanguinis: unde non benè asseruimus, legatum factum consanguineo pauperi, pium debere existimari.

Verùm respondetur, causam pupillorum, licèt valdè 29
favorabilem, non tamen esse piam, nisi quando pupillus pauper esset, ut dicam infrà. In proposita specie non constat minorem pauperem esse, ut dicatur causa pia, quare rectè prævaluit præsumptio sanguinis. Præterea apud Gentiles munus gratuitum tutelæ non est præsumendum causa pia: id enim erat commune etiam divitibus pupillis, & quæ gratis faciebant, magis ad vanum honorem erant, quàm ad animæ bonum comparandum. Idcircò ex dicta lege debile argumentum sumitur.

Præterea est causa pia, quod relinquitur pro salute ani- 30
mæ, remissione peccatorum, & propter Dei amorem. *Auth. Vt cùm de appellat. cognoscet*, §. *si unum de prædictis*. Tiraquellus *in præfat. num.*13. Velasco *consult.*145. *num.*5. Ciarlinius *controv. for. cap.*5. *num.*9. Rubeus *pract. cap.*1. *num.*8. Bonacina *d.* §.2. *prop.*1. *num.*1. Idem dicendum de eo quod confessario relinquitur. Thoro *in præfat. ad Tiraquellum*, *vers. Et quod confessario*. Similiter est pium, quod

quod Ecclesiæ legatur, & pro celebratione Missarum, pro alimentis Clericorum, seu Religiosorum, pro constructione alicujus Ecclesiæ, seu Monasterii: itidem relictum pro Luminariis, Anniversariis, Organis, aut aliis temporalibus ad Divinum Cultum, ut Ornamenta. Moneta *d. cap.4. n.25.* Rubeus *d. cap.1. n.81.* Cyriacus *controv.94. n.20.* Novarius *quæst. for. cent.1. quæst.53.* Barbosa *d. cap.27. à n.11.* Bossius *d. §.4. n.215.*

31 Quid verò dicendum de his, quæ Hospitalibus relinquuntur? Et in hac disquisitione duæ sunt sententiæ. Prima scripsit distinctionem faciendam esse, quando Hospitale auctoritate Episcopi erigitur, aut quando non; si enim erectum est Episcopi auctoritate, legatum erit pium, nam est locus religiosus, *cap. Ad hæc 4. de Relig. Domib.* Si verò absque ea, profanum erit, siquidem temporale relinquitur. Baldus *in Auth. hoc ius porrectum, C. de Sanct. Ecclesiis,* & alii recensiti à Tiraquello *in præfat. n.5.* Gonzalez *in Regula 8. gloss.5 §.4. n.22.* Gratianus *discept. for. cap.34. n.1.* Bobadilla *in Polit. lib.2. cap.18. n.228.*

32 Secunda sententia absolutè tenet, Hospitali quomodolibet constructo, etiam sine auctoritate Episcopi, si legatum ei relinquatur, pium esse; nam licèt locus religiosus non sit, opera pia ibidem exercentur, quod est sufficiens, ut legatum dicatur pium, Tiraquellus *n.6.* ubi Riccius, *vers. Quod legatum.* Rubeus *pract. cap.65. n.88.* Molfesius *in Summa, tit. de ultim. volunt. cap.5. n.165.* Valasco *consult.105. n.38.* Garzia *de Beneficiis, 5. part. cap.1. n.602.* Diana *d. resol.30. vers.2.* Bossius *d. §.4. n.218.*

33 In hoc dubio illud est animadvertendum, aliud esse locum religiosum, & esse pium: locus enim religiosus nequit fieri absque auctoritate Episcopi, *cap. penult. & ultim. de consecrat. Eccles. vel Alt. d. cap. Ad hæc 4.* idque à principio fundationis, aut si posteà ex voluntate fundatoris, Attamen ut locus dicatur pius, Episcopi auctoritas non est necessaria, sed tantùm ut opera pia ibidem exerceantur; nam ait benè Valascus *d. consult.105. num.3.* Hospitale, in quo hæc opera pia exercentur, impropriè religiosum, dici attamen esse pium, Barbosa *de univers. iur. lib.2. cap.11. num.2.* D. Gonzalez *in d. cap. Ad hæc, num.5.* quamobrem quodlibet legatum Hospitalibus relictum, sive auctoritate Episcopi sint erecta, sive non, pium dicetur, dum tamen opera pia ibidem exerceantur, Moneta *dict. cap.4. num.21.*

34 Hoc tamen temperandum est quando Hospitale non est formatum, sed tantùm aliquis privatus peregrinos, aut pauperes hospitatur ea voluntate, ut possit Hospitale ad alios usus divertere, prout sibi placuerit; tunc enim Hospitale est merè profanum, nec ullam habet deputationem perpetuam ad opera pietatis, ut pium dicatur, *l. inter stipulantem 83. §. Sacram, ff. de verb. obligat. l. Si quis sepulchrum 12. §.1. ff. de Relig. & sumpt. fun. Regul. Semel, de reg. iur.* Abbas *in cap. Ecclesia, de immunit. Ecclesiar. n.7.* Valasco *d. consult.105. n.8. & 9.* Etenim legatum pium non erit, nisi præcisè legaretur ad illa opera pia, quæ interim ibidem exercentur, prout alibi dicam,

35 Cæterùm pium est, quod Altaribus relinquitur. Magdalenus *de numero testium in testament. 2. part. cap.2. num.17.* Cui adjungere libet relictum Oratoriis, Imaginibus, sive depictis in Ecclesia Altaribus, aut in alio quolibet loco publico; nam quælibet pictura Christi Domini, Beatæ Virginis, aut cujuslibet Sancti sacra est, & religiosa. Glossa *in l. statua, ff. de usufruct.* Idem dicendum de his, quæ relinquuntur Collegiis Sacris, aut Religiosis, vel pauperum studentium. Moneta *d. cap.4. n.44.* Barbosa *d. lib.3. cap.27. n.12.* Menochius *d. præsumpt.115. num.19.* Thoro *ad Tiraquellum, in præfat. vers. Item relictum.* Bossius *d. §.4. n.217. & n.268.*

36 Si verò Confraternitatibus aliquid legetur, disceptatio est inter DD. an legatum sit pium? Et nonnulli profanum esse asseruere, per textum *in l. illud 19. C. de Sanct. Eccles.* qui assumptum non probat: probant ratione; nam Confraternitates istæ personis sæcularibus constant, unde profanæ remanent, & consequenter quidquid eis legatur, profanum remanebit. Consentiunt multi apud Tiraquellum *in præfat. n.8.* sed alii resistunt ajentes legatum esse pium, ut refert Tiraquellus *n.7.* Gabriel *in tit. de causa pia, conclus.1.* Tuschus *d. conclus.332. n.50.* Molfesius *d. cap.5. num.171.* Bossius *dict. §.4. num.218.*

37 In hac disquisitione observo, quæstionem non esse de aliquibus Confraternitatibus sæcularium, qui se in operibus exercent ad eorum utilitatem, veluti ad convivia, vel ad mercimonia; hæ enim proculdubio profanæ sunt, & quidquid eis legatur. Avendañ. *de exequend. mandat. 2. p. cap.14. n.32.* Balmaseda *de collect. quæst.26. num.1.* Est enim difficultas de Confraternitatibus laicorum, qui non nisi in operibus piis exercentur, & ad cultum Dei pertinentibus: & in his ex decreto Clement. VIII. 24. Decembris 1604. illud est statutum, ut nequeant fieri similes sodalitates absque auctoritate & consensu Episcopi, & insimul statuta illarum ab eo examinentur, & approbentur. Pialecius *in Praxi, 2. part. cap.3. sub num.13.* Cæterùm Sacra Congregatio *in una Elboren. 7. Octobris 1617.* censuit Confraternitates istas minimè erigi posse reluctante, aut inconsulto Episcopo. Barbos. *de Univ. iur. lib.2. cap.11. num.76.* Quamobrem si auctoritas Episcopi intercedat ad earum erectionem, legatum erit pium, cùm religiosæ relinquantur, de quo *lib.4. cap.12.*

38 Restat verò gravior difficultas, quando sine auctoritate Episcopi erectæ fuerint, aut ejus auctoritas peteretur, ut licitæ remanerent. Quo quidem casu aliqui asserunt, legatum esse profanum; nam licèt sodalitates loco congregentur sacro, non tamen ibidem inseruntur, ut possint dici Communitates, seu Collegia; quin potiùs personæ separatæ considerantur, qui cùm laici sint, & profani, legatum eisdem factum profanum remanet, ut plures apud Gutierrez *lib.1. can. quæst. cap.35. n.10.* Rubeus *pract. cap.65. num.100.* Lara *de Capellaneis, lib.2. cap.1. n.5.*

39 Sed contrarium tenendum est. Ratio, nam quando legatum fit sodalitatibus, quæ in operibus piis se exercent, non videtur relictum personis, sed ipsis piis operibus, quibus sodales operam navant. Mena *var. lib.1. q.21. n.190.* Ergo quidquid confraternitatibus relinquitur, erit pium, utpote necessariò in opere pio resolvendum. Cæterùm, licèt personis relinqueretur, ut existimant contrarii, non ut laicis conceditur, sed ut distributoribus, & exequutoribus piorum operum, quæ in fraternitate exercentur. Castrensis *vol.2. cons.5. n.1.* Alex. *vol.7. cons.102. num.2.* Ergo asserendum est legatum esse pium. Et confirmatur; nam quoties commodum ad personam non pertinet, dicitur nudus minister, *l. Si quis Titio 17. in princ. ff. de legat.2. l. Pecuniæ 8. ff. de aliment. legat.* & in præsentiarum satis honoratæ dicuntur, dum meritum à Deo percipiunt exercendo ipsa opera pia: quapropter licèt personis legatum relinqueretur, cùm sint nudi ministri, & revera legatum ad opus pium perveniat, utiq; pium remanet. Gutierrez *ubi supra, n.4.* Cyriacus *controv.94. n.3.* Marta *de iurisdict. 4. part. casu 113. n.18.* Bobadilla *in Polit. lib.2. cap.18. n.228.* Barbosa *d. cap.11. n.78.* Diana *dict. resol.30. vers.3.* Moneta *d. cap.4. n.27.* Riccius *ad Tiraquellum, in præfat. vers. Adde, qua pauperem.* Thoro *ibidem, vers. Item relictum fraternitatibus.* Molina *de iust. tract.3. disp.671. n.1.*

40 Similiter pium est relictum pro redemptione captivorum, *l. si quis pro redemptione 36. C. de donat.* ibi: *Piissimam administrationem. Auth. Ut cùm de appellat. §. Si unum,* ibi: *Ex hac piissima, l.5. tit.10. p.6.* Quod quidem intellige, si captivus pauper sit, nec habet unde à servitute liberetur. Tiraquellus *in præfat. num.19.* Magdalenus *d. 2. part. cap.2. n.47.* Rubeus *dict. cap.1. n.8.* Moneta *cap.4. num.40.* Lara *de Anniversf. lib.1. cap.22. à num.1.* Quod extendendum etiamsi captivus sit propter aliquod crimen, aut captivus detineatur apud Christianos. Gratianus *discept. forens. cap.801. à n.50.* Moneta *d. n.40.* Bossius *dict. §.4. n.236.*

41 Præterea pium est, quod relinquitur pro excarcerandis pauperibus, cùm à tanto malo liberentur. Est enim carcer sepultura vivorum, consummatio bonorum, inimicorum consolatio, & experientia amicorum. Farinacius *in praxi crim. quæst.27. n.2.* Rubeus qui plura congerit practicabilia *in prælud. à num.274.* diciturque mala mansio, *in l. Item apud Labeonem 15. §. Quæstionis, ff. de iniuriis,* & species tormenti: & major pœna est in carcere detineri, quàm in opere publico: & carceratos inter miserabiles personas numerat Velascus *de miserabil. person. privileg.11.* Idcircò piissimum erit opus pauperes excarcerare, Lara *d. cap.22. n.25.* Barbosa *d. cap.27. n.14.* Bostius *d. §.4. n.237.*

C A P U T II.

De aliis, quæ causæ piæ dicuntur.

S V M M A R I V M.

*Pium est dare libertatem servo, & quomodo intelligendum, à num.*1.

*An hoc legatum sit favorabilius, quàm alia causa pia? à n.*3. *Explicatur textus* in l.8. §.9. ff. de inoffic. testam. *n.*5.

*Quod datur puellæ ad matrimonium, pium esse asserunt plures, n.*6. *explicatur, n.*7. *Et quid si puella consanguinea legetur ad matrimonium? alii affirmant, alii negant, n.*8. *resolvitur num.*9.

*Pium est relinquere alimenta, n.*10. *sed an si diviti, affirmant aliqui, n.*11. *negant alteri, n.*12. *resolvitur à n.*13.

*Similiter est causa pia aliquid relinquere ad monachandam pauperculam, n.*16.

*An sit causa pia legare meretrici, res latè discutitur, à n.*17. *Et an sit pium actuali concubinæ legare, ut ad meliorem frugem transeat, n.*19. *Resolvitur affirmative, n.*20.

*An quod ratione studii relinquitur, sit pium? Affirmant aliqui, n.*21. *sed explicatur, à n.*22.

*Seminaria sunt pia, num.*25. *Quod relinquitur pro malè ablatis pium est, ut explicatur n.*26.

*An quod relinquitur ad satisfaciendum creditoribus, sit pium? Affirmant aliqui, n.*27. *ubi explicatur textus* in cap.19. de testam. *Sed contra eos negatur, n.*28.

*Pium est quod relinquitur ad construendum Monasterium pro mortuis sepeliendis, & funeris expensis, n.*29. *pro construendo monumento moderato, à n.*30.

*Pium est quod relinquitur ad reficiendas Ecclesias, & miserabilibus personis pauperibus ibi recensitis, n.*32.

*An quod relinquitur pro custodia Patriæ, in reparationem Pontium, &c. pium sit? Affirmant aliqui, n.*33. *negant alii, n.*34. *distinguitur n.*35.

*Montes pietatis sunt pii, n.*36.

1 EST præterea causa pia, quando servo libertas relinquitur, ut probant aliqua jura expensa à Tiraquello *in præfat. n.*27. qui *n.*29. id explicat, scilicet quando libertas relinquitur ob Dei amorem, non autem contemplatione alicujus causæ temporalis, veluti amicitiæ, aut ob meritum servitii. Menochius *d. præsumpt.*115. *n.*21. Valasco *consult.* 67. *n.*3. Rubeus *pract. cap.*20. *n.*56. Diana *d. tr.*6. *resol.*31. *vers.* 12. Thoro *in præfat. Tiraquelli, vers. Item legatum libertatis.* Bossius *d.* §.4. *à n.*237.

2 Hæc tamen doctrina non ita absolutè sumenda est, sed quando libertas servo benè morigerato conceditur, qui cum libertate ad vitia non perveniet: aliàs si otiosus, aut pravis moribus deturpetur, causa pia non est, cùm melius sit in servitute permanere, quàm libertatem ad vitia perpetranda suscipere. Sanchez *cons. tom.*1. *lib.*1. *cap.*1. *dub.*10. Trullench. *in Decalog. tom.*2. *lib.*5. *cap.*2. *dub.*6. *num.*9. Machado *in Sum. tom.*2. *lib.*6. *part.*7. *tract.*13. *docum.*9. *n.*8.

3 Adest vero dubium, an legatum libertatis favorabilius sit, quàm alterius causæ piæ? Et nonnulli asseruere favorabilius esse; nam quælibet causa pia nequit minuere legitimam filiorum, *cap. ult.* 17. *qu. ult.* Ast legatum libertatis legitimam minuit, *l. Papinianus* 8. §. *Quarta* 9. *ff. de inoffic. testam.* Ergo favorabilius est, quàm aliud legatum pium. Fulgosius, & Castrensis *in d.* §. *Quarta, n.*4. refert Tiraquellus *in præfat. n.*28. Valasco *consult.*67. *n.*4.

4 Contrarium in præsentiarum tenendum est; nam legitima filiorum debitum jus ipsum præscripsit, & respectu illius filius creditor dicitur. Cephalus *cons.*189. *n.*14. quare nequit à qualibet causa pia diminutionem admittere, quantumvis favorabili. Merlinus *de legitim. lib.*2. *tit.*1. *q.*10. *à n.*1. Capon. *tom.*4. *discept.*316. *n.*40. solùm enim minuitur ob æs alienum, & funeris impensas, ut *in d.* §. *Quarta*, communiter DD. Tuschus *d. conclus.*332. *n.*36. Cancerius *variar.* 1. *part. cap.*3. *n.*44. Ergo cum legatum libertatis tantùm à liberalitate procedat, nequit minuere legitimam: quo eliso fundamento, asserendum est, legatum libertatis favorabilius non esse, quam aliam causam piam.

5 Nec obstat textus *in d.* §. *Quarta*; loquitur enim quando legato agnito adsunt bona ad supplendam legitimam: ad praxim autem meliùs dicemus, hodie libertates relictas non minuere legitimam, *Auth. de trient. & semisse*, §. *Prohibemus*, itaque tenenda est ista sententia. Tiraquellus *d. n.*28. Benedictus Ægidius *d.* 3. *part.* §.2. Barbosa *d. cap.*27. *n.*25. Qui asserit in aliquo casu multò inferiorem esse causam libertatis, veluti si concurrat cum redemptione captivorum, qui apud infideles crudeliter tractarentur, aut timor adesset, ne à fide deficerent, & mancipium apud Christianos maneret; nam tunc prius sunt illi redimendi, quàm isti daretur libertas legata.

6 Similiter est pium quando dos datur puellæ ad matrimonium: & ratio est, nam defectu dotis viros non inveniunt, remanentes in magno periculo peccandi, dum homines impudici jam verbis, jam dolo eas ad libidinem pelliciunt, *l. unic. ad fin. C. de rapt. virg. Auth. de lenonibus*, §.1. *coll.*2. Itaq; piissimum opus erit dotem puellis legare, aut alio modo relinquere. Ananias *cons.*17. *per tot.* Decius *cons.*417. Duenas *regul.*119. *limit.*1. Rubeus *pract. cap.*1. *à.*8. Diana *d. tract.*6. *resol.*31. *vers. Decimo.* Lara *de Anniversf. lib.*1. *cap.*21. *n.*12. Bossius *d.* §.4. *n.*233.

7 Erit intelligenda doctrina ista, si puella pauper sit, aliàs pium non erit legatum, cùm deficiat causa pietatis, & misericordiæ. Tiraquellus *in præfat. n.*23. ubi Riccius, *vers. Quod legatum.* Thoro quoque *vers. An legatum*, Menoch. *d. præsumpt.*115. *n.*16. Sarmiento *in l. Si quis Titio*, §. *Si hæres, ff. de legat.*2. *n.*5. Gutierrez *lib.*1. *pract. quæst.*44. *num.*8. Moneta *d. cap.*4. *n.*43.

8 Aliqui indiscriminatim asserunt, dotem legatam, etiam puellæ diviti, causam esse piam, *ex l. Cum is* 32. §. *Mulier si in ea opinione, ff. de condict. indebit.* ubi dotare, pietatem esse asseritur, prout etiam Consultus *in l.*1. §. *Sed si libertas, ff. si quid in fraudem patroni.* Sed hanc assertionem errorem vocat Cavalcanus *cons.*31. *col.*5. *post medium*: cujus sententiam admitto, si causa pia strictè, & propriè sumatur. Jura enim illa non asserunt dotis causam per se esse piam, sed tantùm ex persona promittente, quæ si sit consanguinea, mater, aut soror, pietatem ratione sanguinis involvit: non verò asserunt dotis causam, absque consideratione personæ recipientis, propriè esse piam, ut *in d.* §. *Mulier*, tenet Gothofredus *lit. D*, Tiraquellus *d. n.*23. Novellus *de dot.* 5. *part. n.*3. Castellus *lib.*4. *controv. cap.*22. *n.*5.

9 Quid verò, si a consanguineo pauperi puellæ dos concedatur, sitne causa pia? Negat Decius *cons.*100. *n.*4. affirmat Ananias *d. cons.*17. cum quo transit Tiraquellus *in d. præfat. n.*23. Sed hæc quæstio distinctione capienda est cum Tuscho *d. conclus.*332. *n.*20. nempè quando dos datur à consanguineo, qui dotare tenetur, veluti à patre, aut ab aliis personis, de quibus Gomez *in l.*50. *Tauri, n.*21. latissimè Bossius *de dote, à cap.*4. Si enim personæ istæ puellæ pauperi dotem dederint, aut promiserint, pium non est: nam illud dicitur pium, quod ex affectu voluntario pietatis alicui relinquitur, & ex abundantia charitatis, non autem ex obligatione justitiæ, *l. cunctis* 18. *C. de inoffic. testam.* S. Thom. 2.2. *qu.*102. *art.*3. Barbosa *in l.*1. *ff. solut. matr.* 4. *part. n.*8. Ergo quando ab his personis dos puellæ pauperi conceditur, causa pia non erit, secus verò si ab aliis consanguineis ad id non obligatis, cùm prævaleat ratio pietatis, ut diximus suprà, *cap.*1. *à.*24. explicant Molfesius *d. cap.*5. *n.*160. Novarius *in praxi eccl. & var. q.*51. *n.*8. Riccius *ad Tiraquellum, in præfat. vers. Quod legatum.* Marinis *decis.*357. *à.*4. Bossius *d.* §.4. *n.*243.

10 Cùm de dote egerimus, consequens est ut agamus de alimentis, cùm validum sit argumentum de dote ad alimenta. Surdus *de aliment. tit.*9. *quæst.*3. *per tot.* Larrea *decis. Granat.*96. *num.*2. Unde inferunt DD. quod sicut dos est opus pium, similiter alimenta. Novellus *de dot.* 5. *part. num.*7. estque ad id textus *in l. Mela* 14. §. *Sed et si, ff. de aliment. & cib. legat.* ibi: *Pietatis intuitu.* Ratio est, nam maxima pietas est servare corpus animatum. Tiraquellus *in d. præfat. num.*20. ubi Thoro, *vers. Item legatum aliment.* Valenzuel. *cons.*10. *n.*9. Gutierrez *pract. d. q.*44. *à.*1. Diana *d. resol.*31. *vers.*9.

11 Disceptatur verò, an alimenta diviti relicta pia sint? Et nonnulli affirmativè respondent: nam licèt dives sit cui alimenta relinquuntur, poterit tamen à fortuna illudi, & ad pauperiem devenire: ergo ut pia sunt habenda, ut cum Alex. Alciat. & aliis tradit Genuensis *in praxi, tricen.*14. *qu.* 391. *num.*4.

12 Alii tenent contrarium, ut nisi pauperi relinquantur, minimè esse opus pium; nam in persona recipiente, nisi pauper sit, non viget ratio pietatis, & misericordiæ. Ti-

raquellus *ubi supra*, *n.*21. Valenzuela *cons.*10. *n.*9. Moneta *d. c.*4.*n.*42. Velasco *de privileg.paup.* 1.*part.q.*52.*n.*16. Azevedus *cons.*22.*n.*22.& 23. Marinis *decis.*357.

13 In re dico alimenta largo modo sumpta pia esse, quia plurima habent privilegia, & favores, quibus de jure fruuntur, etiamsi diviti relinquantur, *l.alimenta* 11. *C.de neg.gest.* Valenzuela *d.cons.*10. *n.*3. Castillo *lib.*8. *cap.*15. *per tot.* quapropter largo modo pia dicuntur. Non autem sunt pia stricto modo, nisi pauperi relinquantur; tunc enim non solùm habent privilegia alimentorum, verum etiam causæ piæ: cum aliis Lara *in l.Si quis à liberis,§.Utrum*, *ff.de lib. agn.n.*3.& 4. Castillo *de aliment. d.lib.*8. *cap.*3. *n.*5. Surdus *eod.tract.privileg.*1.*n.*9. Bonac. *de contract.disp.*3.*q.*17.*punct.*8.§.2.*prop.*1.*n.*1.

14 Fundamentum primæ sententiæ nullius ponderis est, quia tempus inspiciendum est, in quod actus confertur, *l.in tempus* 62.*ff.de heredib.inst.* *l.quod sponsa* 4. *C.de donat.ante nupt.* Cùm ergo alimenta ista in tempus præsens relinquantur, quando dives suscipit alimenta, minimè est causa pia; esset verò, si legarentur ad tempus, quando necessitate premeretur, & fortè ad illam perveniret. Gratianus *discept.forens. c.*565.*n.*8. Barbosa *d.cap.*27. *n.*28.

15 Admitterem in aliquibus casibus illam sententiam, scilicet quando alimenta legarentur illi, qui licèt dives existimaretur, non haberet necessaria ad statum; nam pauper est. Menochius *d.præsumpt.*115.*n.*8.& *de arbitr.lib.*2.*casu* 65. *num.*8. Castillo *d. cap.*5. *num.*9. Alius erit casus, quando timeretur, divitem pauperem esse efficiendum, non ex vanis conjecturis, sed probabilibus; pietas enim maxima est prævenire divitem, ne ad paupertatem perveniat. Surdus *d.privileg.*1.*n.*4.

16 Cæterùm causa pia est si aliquid legetur, aut donetur ad monachandam pauperculam, aut pauperem juvenem. Baldus *in l.illud,C.de Sacros. Eccles.n.*2. quod extendit si pauper, aut paupercula sit consanguinea. Diana *d. resol.*31. *vers. An autem.* Barbosa *d.cap.*27.*n.*16. Si tamen filio Monacho relinquitur, pium esse asseruit Baldus *in Auth. sed cum testator,C. ad leg.Falcid.* illa adjecta consideratione, si ei relinquatur ut Monacho, non autem ut filio. Tuschus *d.conclus.*332.*n.*35.*ad fin.* In dubio verò semper pium censendum est: tum quia Monachus pauper est: tum, nam acquirit Monasterio. Menochius *d.præsumpt.*115.*n.*6. Burlatus *cons.*47.*n.*15. Thoro *ad Tiraquellum,in præfat.vers. Non tantum si Monasterio.* Bonacina *d.prop.*1.*n.*1.*vers. Idem valet.*

17 Quid verò si meretrici legetur, an sit causa pia, necne? Et tribus modis hanc difficultatem disquirere oportet. In primis, quando testator legavit concubinæ, quam tempore testamenti domi habebat; aut si non domi, extra: quo casu licèt concubina sit pauper, minimè legatum pium censebitur, sed quod ob blanditias, aut illicitum amorem legavit. Menochius *d. præsumpt.*115. *n.*27. Secundò, si verò jam per tempus multum amasia esse desierit, & cessaverit suspicio illiciti amoris, erit causa pia. Ratio est, nam cessante illa suspicione, nihil est unde conjectetur, nisi ob causam sublevandi illius necessitatem legatum reliquisse. Guillielmus Benedictus *in cap. Raynutius*, *verb. Et uxorem nomine Adelasiam, disp.*5. *n.*161.

18 Tertiò, quando aliquid relinquitur meretrici, ut ad meliorem frugem perveniat, sive ut inveniat maritum, aut Religionem profiteatur, absque dubio erit causa pia: ratio enim perveniendi ad meliorem vivendi modum, & paupertas meretricis, reddit causam illam piissimam. Tiraquellus *in præfat.n.*34. ubi Thoro *vers. Iam legatum factum meretrici.* Menochius *d. præsumpt.*115.*n.*26. Mantica *de coniect. lib.* 6.*tit.*3.*n.*25. Moneta *d.cap.*4. *n.*51. Bonacina *d.part.*1. *num.*1. *vers. Idem censeo.* Bossius *d.§.*4.*n.*267.

19 Poterimus in hac disquisitione dubitare, an si testator actuali concubinæ legatum reliquerit, ut ad meliorem frugem transeat, sitne legatum pium? Et asserendum videtur, non esse pium: nam ut diximus supra, quando divini legatur ob Dei amorem, non est pium legatum, ob dissimulationem, quæ similiter versatur quando concubinæ legatur, propter præsumptionem amoris, & blanditiarum: præterea, nam quando procedit causa, ex qua moveri potuit testator ad faciendum legatum simulatum, tunc adest simulationis præsumptio, ut cum aliquibus Gratianus *discept.forens. cap.*255. *n.*8. Menochius *lib.*3.*præsumpt.*122.*n.*45. Ergo cùm adsit concubinatus, ex quo sit præsumptio legatum ob blanditias, & amorem factum esse, illa clausula posita, ut ad meliorem vivendi modum transeat, simulata dicetur, & consequenter legatum non erit pium.

Sed tamen contrarium tenendum est; nam quoties con- 20
stat de veritate, ut in præsentiarum, non est locus præsumptionibus. Menochius *d.præsumpt.*122. *n.*48. Probus *ad Monachum,in cap.*1.*de conces.præb.n.*13.& 15. Gratianus *discept. forens.cap.*631. *n.*11. Ergo cùm constet testatorem velle legare, ut concubina ad meliorem frugem deveniat, non est unde præsumamus, simulatè legasse. Et confirmatur; nam legatum hoc debet persolvi ad contrahendum matrimonium, aut Religionem intrandam, aut alio modo, quo castè, & benè vivat: quapropter simulatio aliqua non valet existimari, ut concubina liberè legatum perciperet. Denique ex his fundamenta contraria solutionem recipiunt; sunt enim intelligenda quando de veritate non constat ex verbis testatoris, & effectu, prout in præsentiarum: quo quidem casu simulatio, aut plenè probanda, aut saltem evincentibus conjecturis. Menochius *d. præsumpt.*122. & 125. Farinacius *de falsitate, q.*162.*per tot.* Riccius *in prax.* 2.*part.resol.*481. Marinis *decis.*529.*à n.*1. quod omne deficit in hoc casu: unde resolvendum est, simile legatum pium remanere.

Præterea dubitatur, an quod studii causa relinquitur, 21
pium sit? & aliqui apud Alex. *in l.*1.§.*Ad Municipium, ff.ad l. Falcid.* tenuere minimè pium esse; nam Jure Civile in Medicina, & Philosophia, licèt utilitas publica inveniatur, non tamen causa pietatis, ut inde pium dicatur. Ast plures quos recenset Tiraquellus *in præfat. num.*26. tenent contrarium. Horatius Lucius *de privileg. Schol. privil.*1. Abbas *lib.*2.*cons.*63. *num.*6. Hondedeus *cons.*57. cùm Scholares inter personas miserabiles annumerentur, ut ex Velasco *de privilegiis miserab. personarum*, *q.*12. itaque quidquid eis legatur, erit pium.

In hoc dubio casus quæstionis præmittendus est; non 22
enim agitur quando legatum relinquitur Scholari pauperi ad studia: tunc enim licèt Medicinam, aut Jus Civile profiteatur, pium est legatum; adest enim in paupertate illius causa pietatis. Nec consideranda est scientia, quam capere tentat; est enim difficultas quando Scholasticus habet suam sustentationem, attamen expensas ei ad studia testator relinquit, ut benè animadvertit Benedictus Ægidius *in l.*1. *C. de Sacros. Ecclesiis*, 3.*p.* §.6. *n.*10.

In hoc igitur casu facultates, seu scientiæ ipsæ pensandæ 23
sunt, ita ut si expensæ illæ relinquantur ad addiscendam Sacram Theologiam, legatum erit pium; nam ista facultas se exercet in agnitione Dei, & animarum salute, causa quidem piissima, ut cum Baldo, Jasone, & Tiraquello Menoch. *d.præsumpt.*115.*n.*20. Quod idem asserimus quando expensæ relinquuntur ad addiscendum præmissa necessaria ad Theologiam, utpotè Dialecticam, Logicam, & Philosophiam in ordine necessario, ut Theologiam profiteatur. Simili modo, quando legatum relinqueretur ad Jus Canonicum addiscendum; dum tamen sit persona, quæ jam sit, aut speretur servitura disciplinis Ecclesiasticis: in his viget Ecclesiarum gubernatio, & animarum maxima utilitas, quapropter legatum erit pium. Thoro *ad Tiraquellum, in præfat. vers. Advertendum.* Moneta *d. cap.*4. *n.*45. Diana *d.resol.*31. *vers.*11. Barbosa *d. cap.*27. *n.*18.

Si verò expensæ istæ relinquantur ad addiscendam Medi- 24
cinam, Jus Civile, aut Philosophiam, sine ordine ad Theologiam, strictè loquendo causa pia non est; nam licèt causa ista sit favorabilis, *l.*1.§.*ult.C.de caduc.tol.* *l.*2.§.*exercitum*, *ff. de his qui not. inf.* ubi Bart. Paulus Castrensis *lib.*2. *cons.*27. *col. penult.* non tamen est pia causa strictè sumpta. Ciarlinius *controv. cap.*5. *num.*10. Barbosa *d. cap.*27.
*num.*18. 25

Seminaria verò ex decreto Tridentini instituta, *sess.*23. *de reformat. cap.*18. ut pueri majores duodecim annorum educentur, & Ecclesiasticis dogmatibus instruantur, pia sunt, ut decrevit ipsum Concilium. Quod idem dicendum est de studiis Grammaticæ in ordine ad addiscendam Sacram
Theologiam. Moneta *d. cap.*4. *n.*45. 26

Quod relinquitur pro malè ablatis, pium est, nam principaliter fit pro exoneratione conscientiæ, & animæ salute. Benedictus Ægidius *in d.l.*1. *p.*3. §.7. Gratianus *discept.forens. cap.*319. *à n.*13. Rubeus *pract. cap.*21. *n.*156. Novarius *de incert. & male ablatis, privileg.*1. Bonacina *d. prop.*1. *num.*1. *vers. Idem censeo.* Quod ita tenendum, quando pro incertis ablatis aliquid causæ piæ relinquitur, alias si ultra assertionem testatoris, aliquo modo debitum pro malè ablatis probaretur, non erit causa pia, verùm debiti satisfactio, ut cum Rota Rubeus *d. num.*156. Moneta *d. cap.*4. *num.*52.

Bar-

Barbosa *d.cap.27.n.20.* Thoro *ad Tiraquellum, in præfat. vers. Idem relictum pro incertis*. Genuensis *in praxi, tricen.10. qu.294.n.5.* Merlinus *de legitim.lib.5.tit.4.q.2.n.14.*

27 Disceptatur inter DD. an quod relinquitur ad satisfaciendum creditoribus, sit pium, necne? Et aliqui asserunt esse pium, *ex cap. Ioannes 19.de testament.* ubi inter alia legata pia annumeratur legatum ad satisfaciendum creditoribus: sed textus ille assumptum non probat, nam in primis loquitur Pontifex de legatis piis. Insuper asserit Joannem Clericum jussisse satisfieri creditoribus, idque ut diversum, à quo illatio nequit fieri, *l. inter stipulantem 83. §. Sacram, ff. de verb. obligat.* Gratianus *March. decis.32. num.8. & decis.42. n.10.* Ergo licet a principio loqueretur de legatis piis locis, minimè intelligas legatum ad satisdandum creditoribus, pium esse, Pontificem asseverasse. Sed ratione probare tentant; nam legatum istud cedit in favorem animæ, quod est pium: Ergo erit legatum pium. Ita tenuerunt *in d.cap. Ioannes*, Vitalis Nemaus. *n.3.* Barbosa *n.5.*

28 Contrarium tenere oportet; nam ut scripsimus suprà cum D. Thoma, & Barbosa, pium non dicitur quod solvitur ex obligatione justitiæ, prout est satisfacere creditoribus; sed ex abundantia charitatis. Ergo simile legatum non erit pium. Cæterùm fundamentum contrarium facilè eliditur; nam legatum pium dicitur, quod principaliter fit ob bonum animæ, non autem secundariò. Quando verò satisfit creditoribus, agitur principaliter justitiæ obligationem adimplere, unde ut consequens animæ bonum sequitur; non verò ex affectu charitatis legatum relinquitur eo principali animo, ut animæ salus consequatur: quamobrem legatum non erit pium. Tiraquellus *in præfat. n.35.* ubi Thoro *versic. Item relictum*, Gratianus *discept. forens. cap.329. num.18.* Moneta *d. cap.4. n.54.*

29 Quod relinquitur ad construendum Monasterium, procul dubio est pium, Menochius *d. præsumpt.115. num.25.* Riccius *in praxi, 4.part. resol.351.* Idem dicendum de his quæ relinquuntur pro mortuis sepeliendis, ac funeris expensis, Barbosa *d. c.27. n.20.* Bonac. *d.p.1. n.1. vers. Rursus idem.*

30 Similiter legatum pium affirmant DD. quando pro construendo monumento aliquid relinquitur: pro quo expendi potest textus *in l.1. §. Interdictum, ff. de mort. inferend.* ibi: *Quia religionis interest monumenta exstrui, & exornari.* Et Ambrosius *in cap. Aurum 70.12.q.2.* ibi: *Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt. Nemo potest delere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est.* Unde facilè sumitur, religiosam, & piam esse causam monumentorum: & ratione confirmatur; nam est ultimum piaculum, quod corporibus confertur, & insimul fit in loco sacro, unde animabus commodum confertur. Tiraquell. *in dict. præfat. num.33.* ubi Thoro *vers. Item legatum factum ad constructionem.* Firmian. *de Episc. 4.part. lib.4. qu.41.* Menoch. *d. præs.115. n.25.* Moneta *d. cap.4. n.50.* Barbosa *d. cap.27. n.20.*

31 Verum doctrinam istam intelligendam censeo quando monumentum construitur secundum decentiam, & personæ vicissitudinem. Tiraquell. *n.33.* aut quando monumenti ornamentum ad Ecclesiæ decorem fit. Moneta *d. cap.50.* Si enim aliquid admirabile in his apponatur, profanum remanet, & quidquid ad id legaretur; est etenim res apud PP. reprehensa. Itaque D. Basilius *homil. in Divit.* rectè scripsit: *Quid cadaver nihil sentiens multis impensis honestare contendes? Nonne melius vestem hanc pretiosam superstitibus usui necessario servares, quam frustra humi cum cadavere tabescere sines? Quid opus sumptuoso monumento? Aut quæ utilitas inanis sumptus?* Apud Ethnicos pretiosa monumenta exarata legimus, quapropter Plin. *lib.36. cap.12.* Regum Ægyptiorum Pyramides ad monumenta irridet, dum illas ad memoriam effecerunt, & eorum nomina ignoramus. Do verba: *Inter omnes eos non constat à quibus facta sint, iustissimo casu obliteratis tantæ vanitatis auctoribus*, D. Aug. *de verb. Apost. lib.1. serm.32. & de cura pro mortuis agend. c.2.* Quapropter legatum ad profana monumenta pium non est.

32 Pium etiam est, quod relinquitur ad reficiendas Ecclesias. Ricc. *d.4. part. resol.351.* Barbosa *d. cap.27. n.20. vers. Nono.* Idem dicendum de his, quæ relinquuntur viduis, pupillis, aut aliis miserabilibus personis. Unde apud Jerem. *cap.5.* scribitur: *Causam viduæ non iudicarunt, causam pupilli non dixerunt, & iudicium pauperum non indicarunt.* Hæ enim causæ magnam pietatem præ se ferunt, si pauperes sint, cùm facillimè opprimantur. Tiraq. *n.11.* ubi Thoro *vers. Item relicta viduis.* Firm. *d.q.31. vers. Congruenter*, Menoch. *d. præs. 115. n.10.* Liu. *decis.521. n.14. & 15.* Bonac. *d.p.1. n.1. vers. Ex quo sequitur*, Moneta *d. c.4. n.32.* quod idem dicit de orphanis; dum tamen, ut dictum est, pauperes sint, aliàs miserabiles personæ non dicuntur.

33 Sed quid si aliquid legetur pro custodia patriæ, reparatione pontium, fontium, & viarum? Et Bald. *in Auth. similiter, C. ad l. Falcid.* asserit pium esse legatum, & cum aliquibus Thoro ad Tiraquel. *in præfat. vers. Item legatum pro patria:* quod assertum poterit probari ex *l. Sanctum 8. §. fin. ff. de rer. divis. §. Sancta, inst. eod. tit.* ubi muri civitatis Sancti vocantur: quæ enim ad sancta legantur, pia sunt: Ergo similia legata erunt pia. Verùm est debile fundamentum, nam civitatis muri Sancti dicuntur, non quia aliquam sanctitatem includant, aut sacrationem, sed tantùm ratione pœnæ, quæ gravissima est contra in eos irruentes.

34 Quapropter tenendum est contrarium cum Canisio *in cap. Relatum, de testam. num.3.* cùm hæc profana sint: & licèt Baldus pium vocaret, id fecit largo modo, quatenus legata ista publicam utilitatem involvunt, & in Jure favorabilia sunt. Tiraquellus *in præfat. num.32.* Novarius *in Addit. ad Franchis, decis.565. vers. Addo autem, non strictè loquendo.*

35 Est tamen casus quando tale legatum pium esset, scilicet quando necessitas urgeret reparandi muros, fontes, aut pontes, ad civitatis custodiam, non verò si civitas habuisset unde id faceret: nam sicut privata necessitas facit causam piam, similiter publica. Tiraquellus *in d. præfat. n.30.* Menochius *d. præsumpt.115. n.25.* Diana *d. resol.31. vers.13.* Moneta *dict. cap.4. n.47.* Barbosa *d. cap.27. n.21.* Bossius *d. §.4. n.277.*

36 Sunt denique causæ piæ Montes pietatis, qui à privatis, vel à Republica fiunt ad mutuandam pecuniam, seu frumentum pauperibus sub pignoribus, seu hypothecis, nec aliquid percipiunt, nisi illud quod est necessarium ad illorum rationes, & ut capitale immune adversetur. Tridentinum *sess.22. de reform. cap.8. & 9.* Lara *de Anniversariis, lib.1. cap.23. n.1.* Molina *de iust. tract.2. disp.32. à n.1.*

CAPUT III.

De Donationibus piis.

SUMMARIUM.

Donatio pia est, quod donatur ad causam piam, num.1. disceptatur, an sit valida donatio omnium bonorum, num.2. resolvitur negativè, n.3.

An donatio omnium bonorum pia valida sit? negarunt aliqui, n.4. resolvitur affirmative, à n.5. sed tenetur Ecclesia alere donatorem, num.8.

An statuto laico possint annullari similes piæ donationes? Affirmat Caramuel, sed negat Diana, n.9. & 10.

An per statutum fieri valeat, ne fiant donationes bonorum stabilium Ecclesiis? Prima sententia affirmat, à num.11. Secunda negat, à num.13. ubi explicatur textus in cap. fin. de immunit. Ecclesiar. in 6. *sed explicatur quæstio, à num.16.*

Sed an hoc fieri possit per pactum, discutitur à n.20. & doctrina Cardinalis de Lugo admittitur, & explicatur à n.22.

An quando fiunt piæ donationes, superveniente prole revocentur? à n.25. Aliqui dicunt in totum revocari, num.26. Alii usque ad legitimam, n.27. Admittitur hæc sententia, & defenditur, à n.28. & seqq.

Explicatur text. in cap. ult. 17. qu.4. & c.3. de Cleric. conjug. n.33. & 34.

An insinuatio sit necessaria in donationibus piis? Prima sententia affirmat, secunda distinguit, tertia negat, & per eam resolvitur, à n.37. & seqq.

1 Cùm diximus quæ sint causæ piæ, transeamus nunc ad disquirendum, quibus modis efficiantur, & in primis adit donatio, cùm sæpè inter vivos donationes piæ efficiantur; est enim donatio, quando liberaliter dominium transfertur irrevocabiliter: quod si fiat ad aliquam causam piam, pia erit donatio, ut communiter admittunt Doctores.

2 In re certum est, Ecclesias, ac alias causas pias posse acquirere quaslibet donationes, *leg. Iubemus 14. leg. Generali 13. C. de Sacros. Eccles.* Barbosa *de univ. iur. lib.2. cap.3. n.180.* Veruntamen disceptatio est, an Ecclesiis, seu aliis causis piis valeat fieri donatio omium bonorum? Et ut clarè procedamus, animadverto plures apud Dianam 8. *part. tract.6. resolut.38.*

raquellus *ubi supra*, *n.*21. Valenzuela *conf.*10. *n.*9. Moneta *d. c.*4. *n.*42. Velasco *de privileg. paup.* 1. *part. q.*5 *a. n.*16. Azevedus *conf.*22. *n.*22. & 23. Marinis *decis.*357.

13 In re dico alimenta largo modo sumpta pia esse, quia plurima habent privilegia, & favores, quibus de jure fruuntur, etiamsi diviti relinquantur, *l. alimenta* 11. *C. de neg. gest.* Valenzuela *d. conf.*10. *n.*3. Castillo *lib.*8. *cap.*15. *per tot.* quapropter largo modo pia dicuntur. Noo autem sunt pia strictò modo, nisi pauperi relinquantur; tunc enim non solùm habent privilegia alimentorum, verum etiam causæ piæ: cum aliis Lara *in l. Si quis à liberis, §. Vtrium, ff. de lib. agn. n.*3. & 4. Castillo *de aliment. d. lib.*8. *cap.*3. *n.*5. Surdus *eod. tract. privileg.*1. *n.*9. Bonac. *de contract. disp.*3. *q.*17. *punct.*8. §.2. *prop.*1. *n.*1.

14 Fundamentum primæ sententiæ nullius ponderis est, quia tempus inspiciendum est, in quod actus confertur, *l. in tempus* 62. *ff. de hæredib. inst. l. quod sponsæ* 4. *C. de donat. ante nupt.* Cùm ergo alimenta ista in tempus præsens relinquantur, quando dives suscipit alimenta, minimè est causa pia; esset verò, si legarentur ad tempus, quando necessitate premeretur, & fortè ad illam perveniret. Gratianus *discept. forens. c.*565. *n.*8. Barbosa *d. cap.*27. *n.*28.

15 Admitterem in aliquibus casibus illam sententiam, scilicet quando alimenta legarentur illi, qui licèt dives existimaretur, non haberet necessaria ad statum; nam pauper est. Menochius *d. præsumpt.*115. *n.*8. & *de arbitr. lib.*2. *casu* 65. *num.*8. Castillo *d. cap.*5. *num.*9. Alius erit casus, quando timeretur, divitem pauperem esse efficiendum, non ex vanis conjecturis, sed probabilibus; pietas enim maxima est prævenire divitem, ne ad paupertatem perveniat. Surdus *d. privileg.*1. *n.*4.

16 Cæterùm causa pia est si aliquid legetur, aut donetur ad monachandam pauperculam, aut pauperem juvenem. Baldus *in l. illud, C. de Sacros. Eccles. n.*2. quod extendit si pauper, aut paupercula sit consanguinea. Diana *d. resol.*31. *vers. An autem.* Barbosa *d. cap.*27. *n.*16. Si tamen filio Monacho relinquitur, pium esse asseruit Baldus *in Auth. sed cum testator, C. ad leg. Falcid.* illa adjecta consideratione, si ei relinquatur ut Monacho, non autem ut filio. Tuschus *d. conclus.*332. *n.*35. *ad fin.* In dubio verò semper pium censendum est: tum quia Monachus paoper est: tum, nam acquirit Monasterio. Menochius *d. præsumpt.*115. *n.*6. Burlatus *cons.*47. *n.*15. Thoro *ad Tiraquellum, in præfat. vers. Non tantum si Monasterio.* Bonacioa *d. prop.*1. *n.*1. *vers. Idem valet.*

17 Quid verò si meretrici legetur, an sit causa pia, necne? Et tribus modis hanc difficultatem disquirere oportet. In primis, quando testator legavit concubinæ, quam tempore testamenti domi habebat; aut si non domi, extra: quo casu licèt concubina sit pauper, minimè legatum pium censebitur, sed quod ob blanditias, aut illicitum amorem legavit. Menochius *d. præsumpt.*115. *n.*27. Secundò, si verò jam per tempus multum amasia esse desierit, & cessaverit suspicio illiciti amoris, erit causa pia. Ratio est, nam cessante illa suspicione, nihil est unde conjectetur, nisi nb causam sublevandi illius necessitatem legatum reliquisse. Guillielmus Benedictus *in cap. Raynutius, verb. Et uxorem nomine Adelasiam, disp.*5. *n.*161.

18 Tertiò, quando aliquid relinquitur meretrici, ut ad meliorem frugem perveniat, sive ut inveniat maritum, aut Religionem profiteatur, absque dubio erit causa pia: ratio enim perveniendi ad meliorem vivendi modum, & paupertas meretricis, reddit causam illam piissimam. Tiraquellus *in præfat. n.*34. ubi Thoro *vers. Iam legatum factum meretrici.* Menochius *d. præsumpt.*115. *n.*26. Mantica *de coniect. lib.* 6. *tit.*3. *n.*25. Moneta *d. cap.*4. *n.*51. Bonacina *d. part.*1. *num.*1. *vers. Idem censeo.* Bossius *d.* §.4. *n.*267.

19 Poterimus in hac disquisitione dubitare, an si testator actuali concubinæ legatum reliquerit, ut ad meliorem frugem transeat, sitne legatum pium? Et afferendum videtur, non esse pium: nam ut diximus supra, quando diviti legatur ob Dei amorem, non est pium legatum, ob dissimulationem, quæ similiter versatur quando concubinæ legatur, propter præsumptionem amoris, & blanditiarum: præterea, nam quando procedit causa, ex qua moveri potuit testator ad faciendum legatum simulatum, tunc adest simulationis præsumptio, ut cum aliquibus Gratianus *discept. forens. cap.*255. *n.*8. Menochius *lib.*3. *præsumpt.*122. *n.*45. Ergo cùm adsit concubinatus, ex quo sit præsumpt o legatum ob blanditias, & amorem factum esse, illa clausula posita, ut ad meliorem vivendi modum transeat, simulata dicetur, & consequenter legatum non erit pium.

Sed tamen contrarium tenendum est; nam quoties con- 20
stat de veritate, ut in præsentiarum, noo est locus præsumptionibus. Menochius *d. præsumpt.*122. *n.*48. Probus *ad Monachum, in cap.*1. *de conces. præb. n.*13. & 15. Gratianus *discept. forens. cap.*631. *n.*11. Ergo cùm constet testatorem velle legare, ut concubina ad meliorem frugem deveniat, non est unde præsumamus, simulatè legasse. Et confirmatur; nam legatum hoc debet persolvi ad contrahendum matrimonium, aut Religionem intrandam, aut alio modo, quo castè, & benè vivat: quapropter simulatio aliqua non valet existimari, ut concubina liberè legatum perciperet. Denique ex his fundamenta contraria solutionem recipiunt; sunt enim intelligenda quando de veritate non constat ex verbis testatoris, & effectu, prout in præsentiarum: quo quidem casu simulatio, aut plenè probanda, aut saltem evincentibus conjecturis. Menochius *d. præsumpt.*122. & 125. Farinacius *de falsitate*, *q.*162. *per tot.* Riccius *in praxi*, 2. *part. resol.*481. Marinis *decis.*529. *à n.*1. quod omne deficit in hoc casu: unde resolvendum est, simile legatum pium remanere.

Præterea dubitatur, an quod studii causa relinquitur, 21
pium sit? & aliqui apud Alex. *in l.*1. §. *Ad Municipium, ff. ad l. Falcid.* tenuere minimè pium esse; nam Jure Civile in Medicina, & Philosophia, licèt utilitas publica inveniatur, non tamen causa pietatis, ut inde pium dicatur. At plures quos recenset Tiraquellus *in præfat. num.*26. tenent contrarium. Horatius Lucius *de privileg. Schol. privil.*1. Abbas *lib.*2. *cons.*63. *num.*6. Hondedeus *cons.*57. cùm Scholares inter personas miserabiles annumerentur, ut ex Velasco *de privilegiis miserab. personarum*, *q.*12. itaque quidqoid eis legatur, erit pium.

In hoc dubio casus quæstionis præmittendus est; non 22
enim agitur quando legatum relinquitur Scholari pauperi ad studia: tunc enim licèt Medicinam, aut Jus Civile profiteatur, pium est legatum; adest enim in paupertate illius causa pietatis. Nec consideranda est scientia, quam capere tentat; est enim difficultas quando Scholasticus habet suam sustentationem, attamen expensas ei ad studia testator relinquit, ut benè animadvertit Benedictus Ægidius *in l.*1. *C. de Sacros. Ecclesiis*, 3. *p.* §.6. *n.*10.

In hoc igitur caso facultates, seu scientiæ ipsæ pensandæ 23
sunt, ita ut si expensæ illæ relinquantur ad addiscendum Sacram Theologiam, legatum erit pium; nam ista facultas se exercet in agnitione Dei, & animarum salute, causa quidem piissima, ut cum Baldo, Jasone, & Tiraquello Menoch. *d. præsumpt.*115. *n.*20. Quod idem asserimus quando expensæ relinquuntur ad addiscendum præmissa necessaria ad Theologiam, utpotè Dialecticam, Logicam, & Philosophiam in ordine necessario, ut Theologiam profiteatur. Simili modo, quando legatum relinqueretur ad Jus Canonicum addiscendum; dum tamen sit persona, quæ jam sit, aut speretur servitura disciplinis Ecclesiasticis: in his viget Ecclesiarum gubernatio, & animarum maxima utilitas, quapropter legatum erit pium. Thoro *ad Tiraquellum, in præfat. vers. Advertendum.* Moneta *d. cap.*4. *n.*45. Diana *d. resol.*31. *vers.*11. Barbosa *d. cap.*27. *n.*18.

Si verò expensæ istæ relinquantur ad addiscendam Medi- 24
cinam, Jus Civile, aut Philosophiam, sine ordine ad Theologiam, strictè loquendo causa pia non est; nam licèt causa ista sit favorabilis, *l.*1. §. *ult. C. de caduc. tol. l.*2. §. *exercitum, ff. de his qui not. inf.* ubi Bart. Paulus Castrensis *lib.*2. *cons.*27. *col. penult.* non tamen est pia causa strictè sumpta. Ciarlinius *controv. cap.*5. *num.*10. Barbosa *d. cap.*27.
*num.*18. 25

Seminaria verò ex decreto Tridentini instituta, *sess.*23. *de reformat. cap.*18. ut pueri majores duodecim annorum educentur, & Ecclesiasticis dogmatibus instruantur, pia sunt, ut decrevit ipsum Concilium. Quod idem dicendum est de studiis Grammaticæ in ordine ad addiscendam Sacram
Theologiam. Moneta *d. cap.*4. *n.*45. 26

Quod relinquitur pro malè ablatis, pium est, nam principaliter fit pro exoneratione conscientiæ, & animæ salute. Benedictus Ægidius *in d. l.*1. *p.*3. §.7. Gratianus *discept. forens. cap.*319. *à n.*13. Rubeus *pract. cap.*21. *n.*156. Novarius *de incert. & male ablatis, privileg.*1. Bonacina *d. prop.*1. *num.*1. *vers. Idem censeo.* Quod ita tenendum, quando pro incertis ablatis aliquid causæ piæ relinquitur, alias si ultra assertionem testatoris, aliquo modo debitum pro malè ablatis probaretur, non erit causa pia, verùm debiti satisfactio, ut cum Rota Rubeus *d. num.*156. Moneta *d. cap.*4. *num.*52.

Bar-

Barbosa *d.cap.27.n.20.* Thoro *ad Tiraquellum, in præfat. verf. Idem relictum pro incertis*. Genuensis *in praxi, ericen.* 10. *qu.* 294.*n.*5. Merlinus *de legitim.lib.5.tit.4.q.2.n.14.*

27 Disceptatur inter DD. an quod relinquitur ad satisfaciendum creditoribus, sit pium, necne? Et aliqui asserunt esse pium, *ex cap. Ioannes* 19.*de testament.* ubi inter alia legata pia annumeratur legatum ad satisfaciendum creditoribus: sed textus ille assumptum non probat, nam in primis loquitur Pontifex de legatis piis. Insuper asserit Joannem Clericum jussisse satisfieri creditoribus, idque ut diversium, à quo illario nequit fieri, *l. inter stipulantem* 83. §. *Sacram, ff. de verb. obligat.* Gratianus *March. decis.*32. *num.*8. *& decis.*42. *n.*10. Ergo licet à principio loqueretur de legatis piis locis, minimè intelligas legatum ad satisdandum creditoribus, pium esse, Pontificem asseverasse. Sed ratione probare tentant; nam legatum istud cedit in favorem animæ, quod est pium: Ergo erit legatum pium. Ita tenuerunt *in d.cap. Ioannes*, Vitalis Nemauf. *n.*3. Barbosa *n.*5.

28 Contrarium tenere oportet; nam ut scripsimus suprà cum D. Thoma, & Barbosa, pium non dicitur quod solvitur ex obligatione justitiæ, prout est satisfacere creditoribus; sed ex abundantia charitatis. Ergo simile legatum non erit pium. Cæterùm fundamentum contrarium facilè eliditur; nam legatum pium dicitur, quod principaliter fit ob bonum animæ, non autem secundariò. Quando verò satisfit creditoribus, agitur principaliter justitiæ obligationem adimplere, unde ut consequens animæ bonum sequitur; non verò ex affectu charitatis legatum relinquitur eo principali animo, ut animæ salus consequatur: quamobrem legatum non erit pium. Tiraquellus *in præfat. n.*35. ubi Thoro *versic. Item relictum*, Gratianus *discept. forens. cap.*329. *num.*18. Moneta *d. cap.*4. *n.*54.

29 Quod relinquitur ad construendum Monasterium, proculdubio est pium, Menochius *d. præsumpt.*115. *num.*25. Riccius *in praxi*, 4.*part. resol.*351. Idem dicendum de his quæ relinquuntur pro mortuis sepeliendis, ac funeris expensis, Barbosa *d. c.*27. *n.*20. Bonac.*d.p.*1. *n.*1. *verf. Rursus idem*.

30 Similiter legatum pium affirmant DD. quando pro construendo monumento aliquid relinquitur: pro quo expendi potest textus *in l.*1. §. *Interdictum, ff. de mort. inferend.* ibi: *Quia religionis interest monumenta exstrui, & exornari.* Et Ambrosius *in cap. Aurum* 70. 12.*q.*2. ibi: *Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt. Nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est.* Unde facilè sumitur, religiosam, & piam esse causam monumentorum: & ratione confirmatur; nam est ultimum piaculum, quod corporibus confertur, & insimul fit in loco sacro, unde animabus commodum confertur. Tiraquell. *in dict. præfat. num.*33. ubi Thoro *verf. Item legatum factum ad constructionem.* Firmian. *de Episc.* 4.*part. lib.*4. *qu.*41. Menoch. *d. præs.*115. *n.*25. Moneta *d. cap.*4.*n.*50. Barbosa *d. cap.*27. *n.*20.

31 Verum doctrinam istam intelligendam censeo quando monumentum construitur secundum decentiam, & personæ vicissitudinem. Tiraquell.*n.*33. aut quando monumenti ornamentum ad Ecclesiæ decorem fit. Moneta *d. cap.*50. Si enim aliquid admirabile in his apponatur, profanum remanet, & quidquid ad id legaretur; est etenim res apud PP. reprehensa. Itaque D. Basilius *homil. in Divit.* rectè scripsit: *Quid cadaver nihil sentiens multis impensis honestare contendes? Nonne melius vestem hanc pretiosam superstitibus usui necessario servares, quam frustra humi cum cadavere tabescere sines? Quid opus sumptuoso monumento? Aut quæ utilitas inanis sumptus?* Apud Ethnicos pretiosa monumenta exarata legimus, quapropter Plin. *lib.*36.*cap.*12. Regum Ægyptiorum Pyramides ad monumenta irridet, dum illas ad memoriam effecerunt, & eorum nomina ignoramus. Do verba: *Inter omnes eos non constat à quibus facta sint, justissimo casu obliteratis tanta vanitatis auctoribus*, D. Aug. *de verb. Apost. lib.*1.*serm.*32.*& de cura pro mortuis agend.c.*2. Quapropter legatum ad profana monumenta pium non est.

32 Pium etiam est, quod relinquitur ad reficiendas Ecclesias. Ricc.*d.*4.*part. resol.*351. Barbosa *d.cap.*27. *n.*20.*verf. Nono.* Idem dicendum de his, quæ relinquuntur viduis, pupillis, aut aliis miserabilibus personis. Unde apud Jerem. *cap.*5. scribitur: *Causam viduæ non iudicarunt, causam pupilli non dixerunt, & iudicium pauperum non iudicarunt.* Hæ enim causæ magnam pietatem præ se ferunt, si pauperes sint, cùm facillimè opprimantur. Tiraq.*n.*11. ubi Thoro *verf. Item relicta viduis*. Firm.*d.q.*31.*verf. Congruenter*, Menoch. *d.præs.* 115.*n.*10. Liu.*decis.*521.*n.*14.*&* 15. Bonac.*d.p.*1.*n.*1. *verf. Ex quo sequitur*, Moneta *d. c.*4. *n.*32. quod idem dicit de orphanis; dum tamen, ut dictum est, pauperes sint, aliàs miserabiles personæ non dicuntur.

33 Sed quid si aliquid legetur pro custodia patriæ, reparatione pontium, fontium, & viarum? Et Bald. *in Auth. similiter, C. ad l. Falcid.* asserit pium esse legatum, & cum aliquibus Thoro ad Tiraquel. *in præfat. verf. Item legatum pro patria:* quod assertum poterit probari ex *l. Sanctum* 8. §. *fin. ff. de rer. divis.* §. *Sancta, inst. eod. tit.* ubi muri civitatis Sancti vocantur: quæ enim ad sancta legantur, pia sunt: Ergo similia legata erunt pia. Verùm est debile fundamentum, nam civitatis muri Sancti dicuntur, non quia aliquam sanctitatem includant, aut sacrationem, sed tantùm ratione pœnæ, quæ gravissima est contra in eos irruentes.

34 Quapropter tenendum est contrarium cum Canisio *in cap. Relatum, de testam. num.*3. cùm hæc profana sint: & licèt Baldus pium vocaret, id fecit largo modo, quatenus legata ista publicam utilitatem involvunt, & in Jure favorabilia sunt. Tiraquellus *in præfat. num.*32. Novarius *in Addit. ad Franchis, decis.*565.*verf. Addo autem, non strictè loquendo*.

35 Est tamen casus quando tale legatum pium esset, scilicet quando necessitas urgeret reparandi muros, fontes, aut pontes, ad civitatis custodiam, non verò si civitas habuisset unde id faceret: nam sicut privata necessitas facit causam piam, similiter publica. Tiraquellus *in d. præfat. n.*30. Menochius *d. præsumpt.*115.*n.*25. Diana *d. resol.*31. *verf.*13. Moneta *dict. cap.*4.*n.*47. Barbosa *d.cap.*27.*n.*21. Bossius *d.*§.4.*n.*277.

36 Sunt denique causæ piæ Montes pietatis, qui à privatis, vel à Republica fiunt ad mutuandam pecuniam, seu frumentum pauperibus sub pignoribus, seu hypothecis, nec aliquid percipiunt, nisi illud quod est necessarium ad illorum rationes, & ut capitale immune adversetur. Tridentinum *sess.* 22. *de reform. cap.*8. *&* 9. Lara *de Anniversariis, lib.*1. *cap.*23. *n.*1. Molina *de iust. tract.*2. *disp.*32. *à n.*1.

CAPUT III.

De Donationibus piis.

SUMMARIUM.

Donatio pia est, quod donatur ad causam piam, num. 1. *disceptatur, an sit valida donatio omnium bonorum, num.*2. *resolvitur negativè, n.*3.

*An donatio omnium bonorum pia valida sit? negarunt aliqui, n.*4. *resolvitur affirmative, à n.*5. *sed tenetur Ecclesia alere donatorem, num.*8.

*An statuto laico possint annullari similes piæ donationes? Affirmat Caramuel, sed negat Diana, n.*9. *&* 10.

*An per statutum fieri valeat, ne fiant donationes bonorum stabilium Ecclesiis? Prima sententia affirmat, à num.*11. *Secunda negat, à num.*13. *ubi explicatur textus* in cap. fin. de immunit. Ecclesiar. in 6. *sed explicatur quæstio, à num.*16.

*Sed an hoc fieri possit per pactum, discutitur à n.*20. *& doctrina Cardinalis de Lugo admittitur, & explicatur à n.*22.

*An quando fiunt piæ donationes, superveniente prole revocentur? à n.*25. *Aliqui dicunt in totum revocari, num.*26. *Alii usque ad legitimam, n.*27. *Admittitur hæc sententia, & defenditur, à n.*28. *& seqq.*

Explicatur text. in cap. ult. 17. qu. 4. & c. 3. de Cleric. conjug. n. 33. & 34.

*An insinuatio sit necessaria in donationibus piis? Prima sententia affirmat, secunda distinguit, tertia negat, & per eam resolvitur, à n.*37. *& seqq.*

1 CUm diximus quæ sint causæ piæ, transeamus nunc ad disquirendum, quibus modis efficiantur, & in primis adit donatio, cùm sæpè inter vivos donationes piæ efficiantur; est enim donatio, quando liberaliter dominium transfertur irrevocabiliter: quod si fiat ad aliquam causam piam, pia erit donatio, ut communiter admittunt Doctores.

2 In re certum est, Ecclesias, ac alias causas pias posse acquirere quaslibet donationes, *leg. Iubemus* 14. *leg. Generali* 13. *C. de Sacros. Eccles.* Barbosa *de univ. iur. lib.*2. *cap.*3. *n.*180. Verumtamen disceptatio est, an Ecclesiis, seu aliis causis piis valeat fieri donatio omium bonorum? Et ut clarè procedamus, animadverto plures apud Dianam 8. *part. tract.*6. *resolut.*38.

asseruisse donationem omnium bonorum, tam præsentium quam futurorum, validam esse, nec aliquam deformitatem includere, *leg. in ædibus 9. §. 1. de donat. l. Spem 3. Cod. eod. tit. leg. Si rerum 2. C. de donat. quæ sub mod.* & rationem dant: nam quilibet ex natura dominij, ut arbiter de re sua valet liberè disponere, *leg. In re mandata 21. C. mandat.* Ergo poterit quisque liberè donare omnia sua bona, sive præsentia, sive futura.

3 Sed tamen communi calculo contrarium receptum est, ut de jure communi nulla sit donatio omnium bonorum præsentium, & futurorum: quod de jure Regio tantùm in donatione præsentium decernitur *in l. 69. Tauri, l. 8. tit. 10. lib. 5. Recopil.* ubi Mathienzus, & Azevedus, Molina *tom. 2. de iust. disp. 208. n. 2.* nam donans intestabilis relinquitur, *l. Stipulatio hoc modo concepta 61. ff. de verb. obligat. l. Cum duobus 52. ff. pro soc. l. Pactum 15. C. de pact.* contra bonos mores civiles: tum, nam ut scripsit Fachineus *lib. 6. controv. c. 87. vers. Addo ego,* donare omnia bona perinde est, ac facere testamentum, in quo plurimæ fraudes valent committi, & majores quando per simplicem donationem conceduntur: Ergo minimè valet donatio omnium bonorum. Clarus *verb. Donatio, q. 19.* Gutierrez *de iuram. 1. part. cap. 11. n. 16.* Mantica *de tacit. lib. 13. tit. 26. per tot.* Gratianus *discept. forens. cap. 120. à n. 4.* Castillo *controv. lib. 4. cap. 53. per tot.* Larrea *decis. 66. n. 10.* Jul. Capon. *discept. 275. n. 21.* Dian. *d. res. 38.* Palao *de iust. disp. 2. punct. 24. §. 1. n. 1.*

4 Hac igitur retenta sententia, dubium est, an donatio pia omnium bonorum valida sit? Et negarunt Angelus, Anchar. Romanus, & alii relati à Mantica *de tacit. lib. 13. tit. 28. n. 7. vers. Hanc sententiam;* ratio, nam Ecclesia est cultrix justitiæ, nec credendum est contra bonos mores has donationes admittere, præcipuè cùm in eis plurimæ involvantur fraudes, ut de jure præsumitur. Cæterùm credendum non est, intuitu pietatis velle Ecclesiam fideles omnibus bonis suis exspoliare: Ergo donationes omnium bonorum validæ non sunt, etiamsi Ecclesiis, aut aliis causis piis fiant.

5 Sed hæc fundamenta debilia sunt: nam licèt donationes omnium bonorum sint contra bonos mores, non solùm civiles, sed etiam naturales, quia excedunt ad prodigalitatem, saltem venialem, ut cum Rebello ait Lugo *de iust. disp. 23. sect. 10. n. 163.* & Ecclesia peccata nullatenus acceptat, etiamsi fiant ad causam piam; hæc tamen deformitas cessat omninò, quando donatio omnium bonorum fit causæ piæ ob Dei amorem, cui donare, *optima mensura est donatarum rerum immensitas;* ut optimè Justin. *in Auth. unam intentionem, §. Si nimis igitur, coll. 2.* quin potiùs perfectum est opus, *Auth. Ingressi, C. de Sacros. Eccles.* Abbas *in cap. præsentia 8. de probat. n. 4. & 5.* Ideircò valet donatio pia omnium bonorum. Præterea nulla fraus valet considerari in similibus donationibus, nec ex parte dantis, nec Ecclesiæ recipientis, cùm id totum tendat ad bonum animæ, nec dicendum est Ecclesiam prætextu pietatis fideles exspoliare, licèt donationes omnium bonorum acceptet.

6 Quapropter amplectenda est contraria sententia, nempè valere donationem omnium bonorum factam causæ piæ: & probatur ex Matth. *cap. 19. vers. 20.* ibi: *Ait illi Iesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.* Et Marc. *cap. 10. vers. 21.* Quæ verba clarissimè ostendunt, perfectissimum opus esse omnia dare pauperibus, aut alii cuilibet causæ piæ propter Christum Dominum. Idem asserit S. Paulinus *epist. 2.* Id tamen non ut præceptum existimes, ut perperam nonnulli Pelagianorum existimabant; sed ut consilium, ut benè D. Augustinus *epist. 89. & serm. 61. de temp.* Maldonatus *in d. c. 19. Matth. vers. 21. vers. Deinde.* Unde cognoscitur, donationem omnium bonorum factam Ecclesiæ, aut alteri causæ piæ, validam esse, uti perfectissimum opus fidelium.

7 Cæterum Jus Civile has donationes omnium bonorum ob vitandas fraudes interdixit, quæ nequeunt reperiri quando fiunt causæ piæ: Ergo valebit talis donatio, prout valent in qualibet persona in foro conscientiæ, nulla fraude interveniente. Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 20. diff. 5. n. 5.* & cum Caspensi Diana *d. tr. 6. resol. 39.* Denique est summa ratio, quæ facit pro Religione, *l. Sunt personæ 43. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Cujac. *lib. 3. observ. c. 22.* Robertus *Animad. lib. 3. cap. 15.* Cùm ergo tanta adsit Religio in his donationibus, indecet ut sustineantur: Gomez *in l. 69. Tauri. n. 6.* Mantica *d. lib. 13. tit. 28. per tot.* Covarr. *in rub. de test. 2. p. n. 6.* Gutierr. *de iuram. 1. p. cap. 11. n. 7.* Fontanella *de pact. nupt. 1. p. claus. 4. glos. 21. n. 58.* Castillo *d. cap. 53. n. 15.* Larrea *decis. 66. num. 19.* Cancer. *1. p. var. cap. 6. n. 77.* Layman *in Sum. lib. 3. tr. 4. cap. 12. qu. 4. vers. Excipiendum,* Palao *d. punct. 25. § 3. num. 10.* Thoro *privileg. 228.*

Ast illud animadvertas, Ecclesiam, vel aliam causam piam alere teneri donatorem omnium bonorum, ut benè Gomez *d. n. 6. in fin.* Gutierrez *d. cap. 11. n. 8.* Leoncillus *de privileg. paup. 2. part. privileg. 92. verb. Donatarius, à num. 1.* D. Olea *de cess. iur. tit. 3. qu. 9. n. 34.* 8

Adest verò dubium non prætermittendum, an statuto laicorum annullari possint hæ donationes omnium bonorum factæ causis piis: Et Caramuel *in Theol. Mor. lib. 2. n. 628.* asserit in aliquibus provinciis id fieri posse, ut fit in Belgio, ubi professurus Religionem nequit omnia bona sua Monasterio concedere. Rationem dat, nam licèt statutum nequeat consilia Evangelica prohibere, id intelligitur, absque causa: si tamen adsit, poterit interdicere, ut patet in matrimonio, quod licèt sit de consilio, promissione tamen facta tenetur promittens adimplere, causa existente servandi fidem promissionis. 9

Sed Diana *d. tract. 6. resol. 41.* contrarium tenet; nam *ex l. 1. l. Generali 13. l. Iubemus 14. C. de Sacros. Ecclesiis,* libera facultas conceditur donandi Ecclesiis, ac aliis causis piis: quæ quidem leges jure naturali, ac divino nituntur, dum in his donationibus Deum optimum Maximum, Supremum Principem, ac universalem Dominum agnoscimus, erga quem nos gratos exhibere debemus, etiam per donationes omnium bonorum. Petrus Bertrandus *de orig. iurisd. q. 4. n. 13.* Ergo nullum statutum poterit annullare similes donationes, cùm nequeat jus divinum, aut naturale destruere, *cap. Sunt quidam 6. cap. Contra statuta 7. 25. q. 1. cap. fin. de consuetud.* ubi Scribentes. Cæterùm, nam est contra immunitatem Ecclesiæ impedire, ne dominia transeant ad Ecclesiam, *cap. fin. de immunit. Eccles. lib. 6.* ubi DD. Navarrus *in Man. cap. 17. n. 130.* Jul. Lavor. *de indulg. 2. part. cap. 23. n. 16.* Ergo nequit statuto fieri, ne fiant istæ donationes Ecclesiis, aut aliis piis locis. 10

Hanc doctrinam Dianæ admitto ex duobus juribus, quæ similia statuta condemnant, *cap. Futuram Ecclesiam 15. cap. Videntes 16. 12. qu. 1.* ubi Urbanus concludit: *Ideò si aliquis extiterit modernus, aut futuris temporibus, qui hæc tollere nitatur, tam dicta damnatione feriatur.* Unde similia statuta impedientia donationes factas, aut faciendas Ecclesiis damnantur. Martha *de iurisdict. 4. p. casu 62. in fine.* Escobar *tract. 6. Theol. Mor. exam. 3. cap. 4. §. 3.* Tum etiam ex defectu jurisdictionis; nam laici nequeunt facere statuta contra libertatem Ecclesiæ, cùm jus habeat, ut sibi quælibet fiant donationes, & eas acceptandi, *cap. Noveris 49. cap. Gravem 43. de sent. excomm.* Sperellus *decis. 10.* Barbosa *de univ. iur. lib. 2. cap. 3. n. 174.* unde simile statutum nequit sustineri, licèt adesset causa, ut statueretur: necessitas ergo non dat Principi laico jurisdictionem. 11

Consequens est alia difficultas, an valeat lex, seu statutum, ne donationes, aut venditiones bonorum immobilium fiant Ecclesiis? Prima sententia affirmat, ut observatur in Gallia, Germania, Brabantia, & Lusitania, ac denique in Republica Venetorum; eaque ratione ducitur, nam ex similibus donationibus, & venditionibus causa publica grave detrimentum percipit, intrando enim bona stabilia in Ecclesiam, immunia fiunt à tributis, *cap. Non minus 4. cap. Adversus 7. de immun. Eccles.* Barbosa *d. cap. 3. n. 169.* Delbene *de immunit. Eccles. cap. 5. per tot.* & consequenter Respublica gravissimum nocumentum assumit: tum etiam ipsi laici pauperrimi remanent, & conducentes ab Ecclesiis bona stabilia, ut servi coloni fiunt. Cæterùm statuta, seu leges istæ directè tendunt in laicos, qui subsunt jurisdictioni Legislatoris: si tamen aliquod damnum sequitur Ecclesiis, per incidentiam est, quod non attenditur, *l. Si quis neque, ff. Si certum petat. l. Qui excusationem, ff. de condict. indebit.* Ergo debent valere. 12

Præterea id quod fieri potest per pactum, fieri valet per statutum, aut per consuetudinem, *l. ult. C. de fideiuss.* Ast per conventionem fieri valet, ne bona ad Ecclesiam perveniant, ut in majoratibus. Molina *de primog. lib. 2. cap. 4. n. 54.* & in emphyteusi. Glossa *in cap. Potuit, de locat.* & in qualibet conditione, aut prohibitione facta à testatore. Cenedo *Can. Quæst. lib. 1. cap. 25. n. 5. & 6.* & similiter à quo privatorum pacto, *l. ult. C. de pact. inter empt.* Ergo idem valet fieri per statutum, seu legem. Denique sæcularis Princeps habet 13

potestatem eximendi aliquas res à commercio, veluti pupilli fundos, res dotales, de quibus Donellus *lib.12. comment. cap.23.* ubi Osual. Bobadilla *in Polit. lib.3. cap.8.* Ergo etiam Princeps per suam legem, aut statutum eximere valet hæc bona stabilia, ne Ecclesiis donentur, aut vendantur. Feder. Senensis *consl.35.* Caldas Pereyra *quæst. for. lib.1.q.28.num.92.* Anguianus *de legibus, lib.2. contr.15.n.38.* Petrus Gregorius *lib.3. syntag. cap.16. & 17.* Solorzanus *de Iur. Ind. tom.2. lib.3. cap.21. à n.32.* Adam. Contzen. *lib.6. Polit. cap.63.*

14 Secunda sententia negat similia statuta, seu leges valere posse, ex decisione textus *in cap. ult. de reb. Ecclesia alien. vel non, cap. Cum causa 8. de sentent. & re iudicat. cap.1. §. Ecclesiarum, de immun. Eccles. in 6.* quæ jura varia admittunt interpretamenta apud DD. allegatos. Ast clariùs hanc sententiam probat textus *in cap. fin. de immunit. Eccles. in 6.* ubi excommunicantur Domini temporales prohibentes ne laici vendant, aut sua bona alienent in personas Ecclesiasticas. Quem textum licèt contrarii concutiant asserentes, ibidem nullum Ecclesiæ privilegium concedi, sed illud quod commune est omnibus ad habendum commercium, quod poterit à Principe interdici, sicut valet prohibere ne exteris vendatur, vel donetur.

15 Verùm textus ille probat hanc sententiam; nam duobus modis capax est Ecclesia, ut illi vendatur, aut donetur. In primis quatenus est persona privata habens societatem politicam cum aliis civibus: quapropter sicut illis vendi, aut donari valet, similiter Ecclesiæ. Secundò quatenus Ecclesia est sponsa Christi Domini, & multis privilegijs optima ratione condecoratur. Et in hac parte habet privilegium non solùm commercii, sed ut ne aliquo modo à Dominis temporalibus impediatur, ita ut liberè quisque donet, aut vendat Ecclesiis, ut decisum est *in d. cap. fin.* Quapropter non sunt admittendi asserentes, nullum ad id Ecclesiam privilegium habere, ut censebat Anguianus *d. controv.15. n.38.*

16 Cæterùm probatur hæc sententia: nam licèt hæc statuta versentur circa donationes, seu venditiones tantùm bonorum stabilium, & non in omnibus rebus; textus tamen *in d. c. fin.* loquitur non tantùm genericè, verùm etiam in specialium rerum venditione: & eadem est ratio partis, quæ in toto, *l. Qua de tota 75. ff. de rei vendic.* Surdus *cons.43.n.21.* Flaminius *de confidentiis, q.28.n.106.* Ergo quemadmodum omnia bona prohibere ne donentur, aut vendantur Ecclesiis, cōtra libertatem Ecclesiæ est, similiter prohibere ne pars eorum, nempè stabilium, vendatur Ecclesiis, vel donetur. Præterea licèt hæc statuta tendant directè in personas laicas, indirectè tamen sunt contra Ecclesiam, idque sufficit, ut immunitas infringatur, ut *in d. c. Noverit, de sentent. excommun.* Innoc. *n.1. & 2.* Abbas *n.2.* Boerius *n.9.* Belletus *disquisit. Clerical. 1. p. tit. de exempt. Cleric. §.1. n.9.* Delbene *de immun. cap.8. dub.1. n.2.* unde nequeunt sustineri. Denique Domini privati valent in suis rebus apponere conditiones, seu pacta, quæ ipsis placuerint, non verò Princeps in rebus alienis contra Ecclesiæ libertatem, ut dictum est: Ergo statuta ista nequeunt validè concinnari. Martha *de iurisdict. 4. p. casu 6. n.38.* Diana *6 p. tract.3. à resol.1.* plures refert *resol.6. & 4. p. tract.1. resol.13.* Azevedus *in l.8. tit.18. lib.9. Recopilat. n.3.* Valerus *de differentiis utriusque for. differ.3.* Barbosa *de univ. iur. lib.2. cap.3. num.216.*

17 Difficultas ista duobus modis concipi valet. Primò quando Regnum, aut Provincia dives est, & laici nullum temporale detrimentum percipiunt ex his donationibus, aut venditionibus stabilium factis Ecclesiis: sed tantum lex, aut statutum fit, ut Princeps majora tributa suscipiat, & privati ampliora bona: & in hoc casu certa est hæc secunda sententia, & in eo loquitur Barbosa *d. cap.3. n.216.* Ratio est, nam nulla adest causa, ut infringatur libertas Ecclesiastica, & Ecclesiæ, & causæ piæ à commercio eximantur, & privilegio proprio priventur.

18 Secundò quando Regnum, Provincia, seu Respublica talibus donationibus, aut venditionibus grave detrimentum perciperent; accidere enim valet, ut jam sint plurimæ Ecclesiæ, Monasteria, aut opera pia sufficienter dotata, Regnumque, aut Provincia vectigalibus indigeat, & laici ex his donationibus depauperentur. Quo quidem casu Covarr. *in reg. Possessor, 2. p. §.4. vers. Tertius.* Molin. *de iust. 1. tom. disp. 140. vers. Quin de iure,* asserunt valere similia statuta; nam privilegia, & immunitates Ecclesiis, aut causis piis concessæ, non valent quando ex eis gravissimum detrimentum oritur, *cap. Suggesta 9. de decim.* Anguian. *d. controv.15. num.29.* Ergo similia statuta in hoc secundo casu debent valere.

19 Hanc sententiam admitterem, si in sæculari Principe adesset potestas jurisdictionis. Ratio, nam necessitas publica minimè sæculari Principi dat jurisdictionem, ut aliquid decernat contra Ecclesias, & causas pias, quæ immunitate fruuntur Diana *d.6. part. tract.3. resol.7. vers. Dicendum.* Cùm ergo in præsentiarum statuta, seu leges illæ directò tendant in Ecclesias, quatenus decernitur, ne ad eas donationes, aut venditiones stabilium fiant; inde est, ut licèt urgeat necessitas ex defectu jurisdictionis, nequeant sustineri similia statuta; illud enim stat expeditum, ut potestas sæcularis non possit directè, nec indirectè comprehendere Ecclesias, aut personas Ecclesiasticas, *cap. Ecclesia S. Mariæ 10. de Constit.* ubi Felinus *n.89.* Surdus *vol.3. cons.301. n.77.* Azevedus *in d. l.8. n.4.* ergo nec in præsentiarum.

20 Quare in similibus necessitatibus, quando veræ sunt, recurrendum est ad Summum Præsulem, ut similia statuta confirmet: quod à Pontifice, ut à piissimo Patre facilè impetrandum, cognita necessitate. In nostra enim Castella, quantum experimento capimus, gravissima instat necessitas, ut à Catholicis Regibus statuta similia fiant, & à Sede Apostolica confirmentur. Jam olim tanto damno obviam ire curarunt nostri Reges, *in l.7. tit.9. lib.5. ordinament.* Ast lex illa, nec admissa, nec noviter est recollecta, idque ex defectu jurisdictionis. Azevedus *d. n.4.* Diana *d. tract.3. resol.10. vers. Ad exemplum.*

21 Istinc disquirendum est, an possit fieri pactum à Religiosis, aut ab aliis, quando Monasteria, aut Ecclesiæ ædificantur, ut minimè donationes, aut emptiones rerum stabilium illius urbis, aut territorii fiant Ecclesiis, seu Monasteriis, ne illa bona acquirant. Ratio dubitandi est, nam privilegia concessa sunt Ecclesiis ad earum utilitatem; si tamen in aliquo casu damnosa sint, ut in præsentiarum, quia non aliter in urbe, aut territorio admitti valent, possunt renunciari, *leg. quod favore 6. C. de legib.* ubi Imperator: *Quod favore quorundam constitutum est, quibusdam casibus ad læsionem eorum nolumus inventum videri.* Rota *apud Farinacium, tom.1. decis.265. n.3.* Moneta *de option. cap.3. n.107.* Ergo per pactum possunt renunciare privilegio acquirendi bona stabilia. Et confirmatur, nam in aliquibus casibus possunt Religiosi privilegio exemptionis renuntiare, *cap. Cum dilectus 8. de Relig. dom.* Paulus, Salicet. Bart. Barbatia, & alii apud Balboam *in cap.1. de for. comp. q.1. n.38.* Federic. Senensis *cons.95.* Ergo in aliquibus casibus, quando id utilitas petierit, valent renunciare per pactum privilegio acquirendi bona stabilia.

22 Sed contrarium tenet de Lugo *Resp. Mor. lib.3. dub.8.* ducitur, nam tale pactum est contra libertatem Ecclesiasticam, *in d. cap. fin. de Immunit. Eccles. lib.6.* Diana *3. part. tract.1. resol.14.* cui nec Monasteria, nec Ecclesiæ queunt renunciare: Ergo nec tale pactum valere, prout neque si renunciarent privilegio exemptionis, ut est textus *in cap. Cum tempore 5 de Arbitr.* ubi Barbosa *n.5.* Tamburinus *de iur. Abbat. tom.2. disp.15. q.12.* Carleval. *de iudiciis, tom.1. lib.1. tit.1. disp.2. qu.8. sect.2. n.4.* Balboa *d. qu.1. per tot.* Cæterùm ducitur, quia si Monasterium, aut Ecclesia pactum inivisset, ut quotannis solveret ducenta ob damnum gabellarum, nequit pactum subsistere; nam donatio illa intraret locum gabellarum, quod est contra immunitatem: ergo similiter se obligare ad non acquirendum stabilia, cùm revera cederet contra libertatem, & immunitatem Ecclesiæ.

23 Hæc doctrina sapientissimi Cardinalis absolutè tenenda est. Sed quando hæc acquisitio fuisset graviter damnosa civitati, aut territorio, ubi Monasterium, aut Ecclesia ædificatur, ita ut pauper fieret, aut depopulatio timeretur, aliter dicendum videtur; nam tunc privilegium cessare debet: tum quando urget talis necessitas in effectu, tantùm ad pactum adducitur, non causare gravissimum damnum vicinorum, ne à domibus ejiciantur: quod non solùm licitum, verùm necessarium pactum est. Ergo debet valere prædictum pactum. Cæterùm licèt suprà diximus, ad faciendum statutum, ne bona stabilia transeant in Ecclesiam, necessariam esse Summi Præsulis auctoritatem, diversa est ratio in pactis; nam ad faciendam legem, seu statutum requiritur jurisdictio, & potestas statuentis, seu legem ferentis, *l.2. §. Novissimè, & §. Cum placuisset, ff. de orig. iur. l. unic. C. de offic. Præfect. Præt.* Duarenus *lib.2. Animadvers. cap.8.* Charondas *verisim. lib.1. cap.2.* Anguianus *de legibus, lib.1. controvers.1. num.12.* quod cessat in pactis, quæ fieri valent à quolibet privato, & à jure publico non derogantur, *l. Nec ex Prætorio 27. l. Nec pi-*

gnus

gnus 45.in fine,ff.de Reg.iur.l.2.§.Ius Reipublicæ,ff.de Administrat.tut. Ergo in simili casu pacta non acquirendi donationes, seu emptiones bonorum stabilium, debent à Religiosis observari, seu ab Ecclesiis.

24 Verumtamen cum similia pacta suspecta sint, & lædant immunitatem Ecclesiæ, optimum erit consilium, ut à Pontifice confirmentur, aut fiant consulta Sacra Cardinalium Coogregatione de immunitate Ecclesiastica, prout dicit Cardinalis de Lugo *dict.dub.8.*

25 Cæterùm disquirere oportet, an quando donationes fiunt Ecclesiis, si donator prolem posteà suscipiat, sint revocandæ? Et ut rem clarè percipiamus, præmitto in jure decisum esse, ut si quis donationes fecisset, & postmodùm filios habeat, aut descendentes, revocandas esse similes donationes, *l.Si unquam 8.C.de reuocand.donat.l.8.tit.4.p.5.* Id intelligendum, si donatio sit omnium bonorum, dimidiæ, aut notabilis partis, ut cum Lopez, & Claro tradit Molina *de iust. tom.2. tr.2.disput.282.n.5.* & insimul fiat extraneo, quo nomine intelligimus aliquem, qui descendens non sit. Cancerius 1.*part.variar.cap.8.n.122.vers.Extranei,* Faria *ad Covarruv.lib.1.variar.cap.19.n.2. ad fin.* Ratio est, nam ex tacita voluntate donantis casus iste exceptus, videtur, si prolem suscipiat, cùm velle non credatur officere propriis filiis pro extraneorum commodo. Tum ex legis favore, quæ semper vult prospicere pro filiorum legitima, ut cum judicio Covarruv. *de Sponsalib. 2.part.cap.6.§.8.n.17.* Molina *d. disp.282.n.3.* Palao *de iust.disp.2.punct.29.§.1.* Cancerius *d. cap.8.à n.120.* Merlinus *de legitim.lib.2.tit.1.q.21.*

26 Hoc igitur supposito, disceptatio est, an decisio textus *in d. l. Si unquam*, procedat quando donationes fiunt Ecclesiis, aut aliis causis piis? Et revocandas esse nullus dubitat. Concertatio est, an in totum sint revocandæ, an tantùm quoad filiorum legitimam? Prima sententia asserit in totum esse revocandas, est ad id textus *in cap. Quod à te 3.de Cleric.coniugat.* ubi Clericus minorum Ordinum, si matrimonium contraxerit, beneficio privatur; si tamen antequam uxorem duxerit aliquas donationes Ecclesiæ fecerit titulari, ad ipsum debent recta via absque contradictione redire; nam tunc præsumptio est velle donantem excipere casum, si matrimonium contraxerit, & beneficio privetur. Ergo in præsentiarum similiter donationes quoad totum revocabuntur, si proles superveniat donanti. Cæterùm, nam Ecclesia, seu causa pia, non habetur loco filii, nisi in casibus à iure expressis, *cap.In præsentia 8.de probat.* ubi communiter Scribentes: in hoc autem casu expressè non habetur pro filio, sed pro extraneo. Ast donationes factæ extraneo, prole superveniente, in totum revocantur. Gomez *tom.2. variar.cap.4.n.11.* Hermosilla *in d.l.8.part.gloss.4.* Cancerius *dict. cap.8. n.125.* Stiiban. *cent.2.resol.123.n.11.* Ergo in totum debent revocari, etiamsi fiant Ecclesiæ, aut causæ piæ. Menchaca *de success. lib.3.§.26.n.7.* Genuensis *in praxi,tricen.10.quæst.294.* Clarus *verb.Donatio,q.23.num.2.* Faciuneus *lib.3.controvers.cap.86.* Martha *decis.61.n.14.* Rubeus *pract.resolut.cap.21.num.138.* Marinis *decis.138.num 12.* Bossius *tit.12. de testam.piis,§.7. num.321.*

27 Secunda sententia contrarium asserit, scilicet tantùm revocandas esse quoad partem legitimæ, itaut semper salva ista filiis relinquatur: nam Ecclesia, seu causa pia instar filiorum reputatur. Abbas *in cap.fin. de donat. n.5.* sed quando talis donatio fit filio, & alii nascuntur, non revocatur nisi quoad legitimam. Ergo similiter quando fit donatio Ecclesiæ, aut alteri piæ causæ; minor enim clara est ex decisione textus *in l.Si totas 5.C.de inoffic.donat.* Gutierez *de iuram.1.part.cap.19.n.11.* Cancerius *d.cap.8. n.121.* Ergo. Deinde quod præstatur Ecclesiæ, aut causæ piæ, præstatur Deo, *cap.Verum 4. de condit.apposit.* Leoncillus *de privilegiis paup.2.part.privileg.90.verb.Donatio 3.n.4.* Et causa ista æquatur causæ filiorum: Ergo in totum non est revocanda, sed quoad legitimam. Tenent Gomez *d.cap.4.n.11.* Gregorius *in d.l.8.tit.4.p.5.gloss.4.q.1.* Cancerius *dict. cap.8.n.125.* Molina *d.disp.282. num.10.* Palao *dict. punct.29. §.3.* Layman. *in Summa lib.3.tract.4.cap.12.n.19.vers.Similiter.* Lugo *de iust.disput.23.sect.11.§.3.n.194.versic. Dubitatur.*

28 Fundamenta hujus secundæ sententiæ debilia sunt, nec sufficienter illam comprobant: ea optimè refellit Covarr. *lib.1.var.cap.19.n.5.* Nec adjuvat textus *in cap.ult.17.q.4.* ubi D.Augustinus narrat factum S. Aurelii Episcopi Carthaginensis, qui cuidam donatori omnium bonorum, nova suscepta prole, quoad omnia restituit, licèt donatio facta fuerit Ecclesiæ. Concludit tamen Augustinus: *In potestate habebat Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.* Nam ut animaduertit Genuens. *d.q.294.n.7.* Diana *8.p.tract.3.resol.64.vers.Sed valdè,* Augustinus viguit ante Justinianum Authorem textus *in l.Si unquam*, tempore quo Africa occupabatur à Gothis, antequam à Belisario illius Duce recuperaretur. Quamobrem de jure antiquo fori, etiam nova interveniente prole, donationes quantumvis excessivæ non revocabantur, utpotè jam perfectæ, *l.Perfecta donatio 4.C.de donat.quæ sub modo*, quam illustrant Covarruvias *d.cap.19.* Suarez *in leg. Quoniam in prioribus, in declarat. ll.Regni, vers.Octavo quæritur,* Cevallos *tom.3.q.783.n.22.* Molina *de primogen.lib.3.cap.12. à n.1.* Quapropter ad forum contentiosum nullum argumentum à textu isto fieri valet. Verùm resolutio supposita ex lege *Si unquam*, sumenda est.

29 Quoad jus poli argumentum sumi valet pro prima sententia; nam inquit Augustinus, jure poli donationem illam restituendam esse, ut petit ratio naturalis, nempè voluntas donatoris, cujus mens fuit, ut si novam prolem susciperet, minimè donatio valeret in præjudicium filiorum. Castillo *controv.lib.4.cap.31.n.93.* Ergo jure poli revocanda est tota donatio, cùm ex mente donantis casus iste fuerit exceptus.

30 Sed in utroque foro admitto secundam sententiam, quam in praxi observandam dicit Clar. *verbo Donatio,q.23.n.2.* licèt contrariam non rectè æquiorem dicat Mynsing. *cent.6. observ.95.* Nam lex *Si unquam*, ut diximus suprà, fundatur in favore juris, quoad legitimam filiorum, & voluntate donatoris excipiendi hunc casum: quæ quidem fundamenta in præsentiarum deficiunt. Ergo similes donationes, nisi quoad legitimam, revocari non debent.

31 Probo per partes, nam ut supponimus, revocanda est donatio quoad legitimam filiorum, & solùm sustinenda in parte superstite, cujus respectu inofficiosa donatio non dicitur, nec legitimam lædere. Tiraquel. *in d.l.Si unquam,verb. Totum,n.45.* Clarus *verbo Donatio,q.24.n.1.* Gratian. *discept. forens.cap.751.& 729.n.1.* Palao *dict.disp.2.punct.30.§.1.n.1.* Ergo favore legitimæ donatio in parte, extra illam revocanda non est.

32 Nec etiam ex voluntate donantis excipientis hunc casum; nam quando causa donationis subsistit, non præsumitur velle donantem hunc casum excipere. Clarus *d.qu.24.n.3.* Molina *d.disput.282.versic.Dubium postremo,* Palao *d.disp.2.p.29.§.4.* Ast quando donatur Ecclesiæ, vel alteri causæ piæ, adest gravissima causa, quia Deo donatur. Palao *d.p.29.§.3. ad medium.* Ergo in illa parte, in qua ultra legitimam donans liberè valet disponere, utpotè causa subsistente, non intelligitur velle donantem hunc casum excipere. Cæterùm Ecclesia, vel causa pia, licèt non habeatur loco filii: attamen quia legatum, aut donatio pia respicit animæ bonum, non minus chara quam filius existimanda est. Mantica *de coniect. lib.10.tit.7.n.7.* sed quando filio donatio facta est, non intelligitur excipere donantem, nisi legitimam filiorum supervenientium: ergo similiter quando donatio facta est Ecclesiæ, aut alteri causæ piæ. Denique de jure nostro patrio id certum consideto, dum patribus conceditur filios habentibus de quinto liberè disponere, sive in bonum animæ, aut in alias causas, *l.9.& 10.l.17.Tauri,* Gamez *ibid.n.1.* quapropter si post istas donationes factas Ecclesiæ, aut aliis causis piis filii superveniant, excepta non videtur illa pars, de qua pro anima liberè disponere potuerat: unde admitto secundam sententiam.

33 Restat verò ut intelligamus duo jura militantia pro prima sententia. Et sit primum textus *in cap. Quod à te 3. de Cleric.coniugat.ubi Glossa verb.Redire*, multa parat responsa, quæ expeditiùs exprimit ibidem Abbas *n.4.* Verumtamen distinctio Abbat. *n.8.ad finem,* admittenda videtur, scilicet ut si donatio quam fecit Clericus Ecclesiæ titulari, fuit accessoria personæ, veluti eo tempore quo in ea duraverit, aut extiterit, tunc matrimonio contracto restitutio necessariò facienda est: si verò facta fuit Ecclesiæ ut principali, restitutio facta fuit à Pontifice ex benignitate, prospiciente Clericum illum per matrimonium contractum omnibus beneficiis privari, *c.1.& 2.de Cleric.coniugat.* Rota *decis.1.eod.tit.& in antiquis decis.21.de probat.* Garzia *de benef.11.p.c.7.n.3.* Barbosa *de univers.iur.lib.3.c.14.n.6.* Gratian. *discept.forens.c.5.n.39.* & per donationem suorum bonorum ad summam egestatem perventurum: quamobrem his duobus modis textus iste valet intelligi, aut ex benignitate, aut de jure constituto, absque eo quod approbet primam sententiam.

Tex-

34 Textus *in cap. ult. 17. q. 4.* quem suprà pro prima sententia in foro poli expendimus, etiam responsionem tenet. Nam Fachineus *lib. 3. controv. 86. vers. Decidit*, scripsit S. Aurelium de stricto juris rigore minimè restitutionem fecisse, sed tantùm ex æquitate: quæ solutio ad forum fori deservit, non verò ad forum poli, in quo asseruit Augustinus ad illam faciendam teneri.

35 Quare in his donationibus duo sunt consideranda, scilicet legitima filiorum, ad quam revocatio facienda est de juris rigore: tum etiam illud quod superest, in qua parte revocatio facta fuit à S. Aurelio, non ex aliqua obligatione, etiam in foro conscientiæ, sed tantùm ex æquitate: unde verba Augustini dicentis jure poli ad restitutionem teneri, intelligenda sunt quoad illam partem legitimæ, non verò quoad aliam. *Gloss. in leg. Si quis ad declinandum, C. de Episcop. & Cleric.* Menoch. *lib. 4. præsumpt. 189. num. 122.* Faria *ad Covarruv. d. lib. 1. cap. 19. n. 90.* Lugo *d. §. 1. n. 195.* quorum doctrina satis probabilis est. Sed meliùs dices Sanctissimum virum illam partem restituisse ad populi ædificationem, ut intelligeret, quantum ab avaritia fugiendum, dum Ecclesia, quæ tam sanctè retinet, tam facilè dimittit. Diana *d. tract. 6. resol. 64. vers. Interdum*, Layman *lib. 3. tract. 4. cap. 12. num. 20.* Prout fecit ipse Augustinus reddens possessionem quandam donatam Ecclesiæ Hipponensi à quodam viro Carthaginis degente, ob causam quod filium postea susceperat: refert Calamensis *in eius vita, cap. 24.* Covarruv. *d. cap. 19. n. 5.*

36 Denique in capite isto agnoscamus, an in donationibus piis sit necessaria insinuatio apud judicem facienda. Illud enim in donationibus expediti juris est, ut minimè ultra quingentos solidos valeant absque insinuatione, ob magnas fraudes, quæ in iis solent evenire, aut ne temerè, & absque consideratione fiant, in grave donantium præjudicium, *leg. penult. C. de donat.* Gomez *var. tom. 2. cap. 4. num. 6.* Mozius *de contract. tit. de donat. cap. de subst. donat. num. 7.* Clarus *verbo Donatio, q. 17.* Gratianus *discept. forens. cap. 343. n. 3.* Olea *de cess. iur. tit. 4. q. 3. n. 22.* Diana *8. part. tract. 6. resol. 46.*

37 Certamen ergo est in donationibus piis, an sit necessaria insinuatio, si quingentos solidos excedant. Prima sententia affirmat, insinuationem esse necessariam, ex lege *Illud 19. C. de Sacros. Eccles.* ubi in donationibus piis non requiritur insinuatio, nisi quingentorum solidorum. Sed textus ille assumptum non probat; nam tempore illius donatio absque insinuatione non valebat, si excederet ducentos solidos, quod in causis piis extensum est usque ad quingentos: postea vero in qualibet donatione facta est extensio usque ad trecentos, *leg. Sancimus 34. C. de donat.* ac denique usque ad quingentos, *leg. penult. §. Cæteri, C. eod. tit.* unde in causis piis per illam extensionem insinuatio derogata est, cùm in his nihil fuerit dispositum: est textus Regius *in leg. 9. tit. 4. part. 4.* Molina *de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 299. n. 1.* Verùm ratione probant, nam insinuatio instituta est ad tollendas fraudes in donationibus, *leg. Lata 27. C. de donat.* quod nequit Ecclesia renuere, utpotè justitiæ cultrix: tenent Bucer. *de donat. cap. 3. num. 7.* Gomez *dict. cap. 4. num. 10.* Salic. Jason, & Ripa, relati a Leoncill. *2. p. privileg. 91. verb. Donatio, num. 4.* & alii, quos retulerunt Fontan. *de pact. nuptial. claus. 4. gloss. 21. part. 2. n. 19.* Diana *resol. 49.*

38 Secundam sententiam tenent alii apud Molinam *d. disp. 279. num. 1.* asserentes donationes pias absque insinuatione valere usque ad octingentos solidos. Ratio est, nam ex lege *Illud*, olim valebant absque insinuatione donationes, si non excederent quingentos solidos, quando absque insinuatione valebat donatio ducentorum solidorum: Ergo quando ex nova constitutione valet donatio quingentorum solidorum, absque insinuatione donatio pia valebit, si fiat octingentorum.

39 Tertia sententia admittenda est, scilicet donationes pias, quantumvis excessivas, absque insinuatione valere in tota quantitate donata, ut *in d. l. 9. part.* Nam eo potissimè donationes excessivæ ultra quingentos solidos, absque insinuatione interdicuntur, ne excessivis donationibus homines divites ex prodigalitate ad pauperiem perveniant; interest enim Reipublicæ homines divites habere, *§. Sed & maior, Instit. de his, qui sunt sui, vel alien. iur.* Fachineus *lib. 3. contr. cap. 83. vers. Sed contraria sententia.* Sed hæc ratio cessat in donationibus piis, in quibus adest optimum consilium Christi: *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, ut ex S. Matth. scripsimus supra, *n. 5.* Modus enim est eundi ad perfectionem, quæ major est aliquo bono publico, sive privato: Ergo in donationibus piis etiam excessivis insinuatio non est necessaria. Cæterùm ut animadvertit Lugo *de iust. disp. 23. sect. 10. num. 159. vers. Unde rursus*, nulla lex valet rectè præcipere insinuationem in donationibus piis, contra consilium Christi Domini, *Matth. cap. 6.* ibi: *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te:* & infrà, *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua.* Rubeus *pract. cap. 100. n. 463.* Ergo in donationibus piis nulla insinuatio est necessaria. Præterea, ut jam dictum est, nulla fraus in his donationibus valet præsumi. Leoncillus *d. privileg. 91. verb. Donatio 4. n. 9.* Ergo ad quid erit necessaria insinuatio: veluti nec necessaria est in donatione remuneratoria, aut Principis, & in aliis recensitis a Leoncillo ubi proximè, *n. 11.* Mathienzo *in l. 1. tit. 2. lib. 5. Recop. gloss. 4.* Castillo *lib. 8. controvers. cap. 11. à num. 8.* Ayllon *ad Gomez d. cap. 4. num. 7.* Ergo nec in his piis donationibus. Ex quibus rationibus fundamenta contrariorum dissolvuntur, & ita tenent Lugo, & Castillo recensiti ubi suprà, *limit. 1.* Gomez *d. cap. 4. num. 10.* Riccius *in collect. decis. 1. p. collect. 177. vers. Cum donatio.* Tiraquellus *de causis piis, privil. 123.* Clarus *verb. Donatio, q. 17. n. 1.* Ant. Faber *in suo Codice, diffinit. 12. de donat.* Genuensis *in praxi, qu. 296.* Rubeus *pract. cap. 100. n. 451.* Barbosa *de univ. iur. lib. 2. cap. 13. n. 22.* Diana *d. tract. 6. resol. 49.*

CAPUT IV.

Prosequitur materia capituli antecedentis.

SUMMARIUM.

An donatio pia revocetur per ingratitudinem? Prima sententia affirmat, n. 1. Secunda negat, & per eam resolvitur, num. 2. Fagundez non admittitur, num. 3. & 4. etiamsi Prælatus cum Capitulo fuerit ingratus, n. 4. & 5.

Explicatur textus in l. 2. C. de libert. & eorum liber. *n. 6.*

Quando donatio pia fit sub modo, aut conditione, eo non impleto, non revocatur donatio, sed datur actio, ut adimpleatur, n. 7. & 8. quidquid resistat Beroius, n. 9. defenditur textus in cap. 4. de condit. apposit. *n. 10.*

Sed quid si habeat clausulam irritantem, si non adimpleatur? late discutitur a num. 11. ad 16. agitur in hoc casu, si modus, aut conditio non adimpleatur à Prælato, in quo sunt duæ sententiæ contrariæ, numer. 17. resolvitur numer. 18. & 19.

An quando quis donat omnia sua bona Ecclesiæ, seu Monasterio, sub conditione, ut ab eo alatur, aliàs irrita sit donatio, alimentis non præstitis, possit donatio revocari? & affirmative respondetur a num. 20. & explicatur, num. 21. & seqq.

Donationes à iure interdictæ, si sunt piæ, validæ remanent, n. 25. & 26.

An acceptatio sit necessaria in donationibus piis. Prima sententia affirmat, n. 27. altera negat, n. 28. explicatur à n. 29. & tandem resolvitur non esse necessariam, n. 33. quod observandum de iure Regio, n. 34.

Mandatum ad pie donandum non exspirat morte mandantis, a n. 35. Interpretantur textus in leg. 9. §. Si res, ff. de jur. dot. leg. Si pater 4. ff. de manumiss. vindict. leg. 15. §. Julianus, ff. qui & à quibus, cap. 3. §. In eo, de verb. signif. *a num. 36. & seqq.*

Quando aliquid alicui donatur ea conditione, ut certo die restituat Ecclesiæ, nequit revocari donatio, etiamsi Ecclesia non acceptet, a n. 43. ubi aliqui negant, alii affirmant, n. 44. respondetur instantia, & replica, n. 45. 46.

An in donationibus piis larga, aut stricta facienda sit interpretatio. Prima sententia negat. Secunda affirmat, num. 47. Explicatur textus in cap. 18. de censibus, lex 40. §. Seia, ff. de aur. & arg. legat. cap. 6. de donationibus, *num. 47. 48. & seqq. Arbitrio iudicantis relinquitur, num. 52.*

Ultra superiùs relata, adsunt in donationibus piis plura investiganda, & in hoc capite inquirimus quoad primum, an ob ingratitudinem revocetur donatio pia? Et affirmandum videtur; nam quælibet donatio ob ingratitudinem revocatur, *l. fin. C. de revoc. donat. l. 10. tit. 4. part. 5.* quia ut aiebat Tacitus *lib. 13. Ann. Aequum fuit, ut pœna coerceantur, quos beneficia non mutarunt.* Mant. *de tacit. lib. 13. tit. 41.* 1

Do-

Donell. Comment. lib. 14. cap. 17. Molina de primog. cap 9. n. 31. lib. 1. alter Molina de instit. tract. 2. disp. 281. Ergo etiam donatio pia. Confirmatur, nam dare libertatem est causa pia, & revocatur per ingratitudinem, l. 2. C. de libert. & eorum lib. cap. Octava 62. 12. q. 2. Azevedus in l. 2. tit. 1. lib. 1. Recop. n. 6. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 14. n. 12. Ergo donatio pia revocabitur per ingratitudinem.

2 Ast contrarium tenendum est; nam donatio pia principaliter fit Deo, qui nequit ingratus esse; quinimò suprema illa misericordia quibuscumque donationibus gratissimus remunerator existit. Bernardus explicuit sermone 57. his verbis: *Quàm dives in misericordia, quàm magnificus in iustitia, quàm munificus in gratia, Domine Deus noster! Non est qui similis sit tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, liberator piissime: gratia respicis humiles, iustè iudicas innocentes, misericorditer etiam salvas peccatores.* Quomodo erit ingratus, qui tantis beneficiis nos prosequitur. Ergo ob ingratitudinem minimè donatio pia revocabitur. Clarus verbo Donatio, q. 21. n. 5. Thoro in Summa, privil. 60. Lessius de instit. lib. 2. c. 18. dub. 14. n. 104. Lug. de inst. disp. 23. sect. 11. n. 175. Hurtad. de donat. disp. 1. diffic. 5.

3 Sed dices cum Fagundez in Sum. de contract. lib. 4. cap. 14. n. 16. ob ingratitudinem Prælati hanc donationem revocari posse, licèt legatum, aut donatio fiat Monasterio, seu Ecclesiæ; nam donatio principaliter fit personis, licèt propter Deum. Quapropter si personæ fuerint ingratæ, revocabitur, prout asserit vidisse quandam sententiam Senatus Olyssipolensis, revocantem donationem factam Monasterio ob Prælati ingratitudinem.

4 Sed non admittenda est hæc doctrina, cum Diana d. tract. 6. resol. 56. ad finem; nam, ut diximus, donationes piæ principaliter fiunt Deo. Cæterùm, nam Prælatus, licèt sit ingratus, non valet præjudicium inferre Monasterio, seu Ecclesiæ, ut revocetur donatio, sicut nec per se alienare alia Monasterii bona, vel Ecclesiæ. Majus dubium videretur quando Prælatus simul cum Capitulo fuisset ingratus, quia Abbas in cap. Verùm 4. de condit. apposit. num. 3. scripsit, quod si Abbas simul cum Capitulo modum appositum donationi non servaverit, revocatur donatio. Menoch. de recup. remed. 9. n. 921. Hermosill. in l. 6. tit. 4. p. 5. gl. 1. n. 29. consensus enim eorum est sufficiens ad alienanda bona Ecclesiæ, seu Monasterii: ergo etiam ad revocandam donationem per eorum ingratitudinem.

5 Sed adhuc in hoc casu contrarium est tenendum; quoniam, ut diximus, n. 2. & Abbas in d. cap. Verùm, n. 3. hæ donationes piæ principaliter fiunt Deo, nec ex malitia, & ingratitudine Prælati, & Capituli possunt revocari, qui tantum commodum ex donatione percipiunt. Cæterùm fundamentum n. 4. appositum certum non est, de quo statim dicam: quare nec in hac specie revocanda est donatio pia. Diana d. resol. 56. Ripa respons. lib. 2. cap. 28. n. 20. Clarus verb. Donatio, q. 21. n. 5. Barbosa in cap. fin. de donat. n. 15. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 12. n. 17. ad fin.

6 Restat verò attingere difficultatem textus in l. 2. Cod. de libert. & eorum lib. ubi ob ingratitudinem revocatur data libertas, licèt in causa pia. Sed facilè respondetur ex his quæ scripsimus cap. 2. n. 3. quia libertas data non est semper causa pia, nisi expressè propter Dei amorem concedatur, aliàs non est causa pia. Itaque textum illum, & caput Octava 62. 12. q. 2. intelligimus quando libertas simpliciter conceditur personæ, non verò propter Deum; nam cùm non sit causa pia, poterit ob ingratitudinem revocari, quia libertus Patrono obsequium præstare tenetur ob tanti beneficii liberalitatem, ut cum D. Ambrosio observat Amaya lib. 2. cap. 6. n. 11. Ergo si ingratus fuerit, valet in servitutem redigi.

7 Insuper si donatio fiat Ecclesiæ, aut alteri causæ piæ sub modo, vel conditione, inquirimus an revocari possit, necne, non impleto modo, seu conditione? Et ut clarè procedamus, præmitto perfectæ donationi minimè imponi posse conditionem, seu modum absque libera voluntate donatarii, l. Perfecta donatio 4. C. de donat. quæ sub modo. Covarr. lib. 1. var. cap. 14. n. 1. Molina de inst. tract. 2. disp. 265. Palao de instit. disp. 2. part. 7. num. 1. Quapropter tota disquisitio facienda est quando à principio in donatione pia modus, seu conditio apponitur; tunc enim modus, conditio, pactum, seu onus valet imponi, etiamsi donatio pia sit, d. cap. Verùm 4. de condit. apposit. Diana 8. part. tract. 6. resol. 42. in princip. D. Gonzal. in d. c. Verùm, n. 3. ad fin.

8 Qua suppositione facta, illa est communis doctrina, in donationibus piis, licèt non adimpleatur modus, conditio, seu pactum, ad revocationem agi non posse, sed tantùm dari actionem, ut adimpleantur, ut est textus clarus in d. cap. Verùm, & l. 44. ff. de manum. Ratio est, nam hæ appositæ non sunt ut causæ finales, verùm tantùm impulsivæ. In donationibus piis finalis causa Dei honor, & bonum animæ est. Excipiunt verò DD. nisi clausulam commissi apponat donator, aut ita dicat: Quod si non adimpleatur, ad ipsum, aut ad suos hæredes bona donata revertantur. Diana d. tract. 6. resol. 42. Bald. Novell. de dot. 6. p. privil. 57. Censer. sing. lit. C, sing. Contractus, Gratian. discept. forens. cap. 517. n. 10. Tond. 1. tom. qq. Benef. cap. 83. n. 4. Hermosill. in l. 6. tit. 4. part. 5. gloss. 1. num. 27. Rota apud Seraphin. decis. 724. num. 10. Delbene de immunit. Eccles. 2 part. cap. 17. dub. 5. n. 13. & alii apud Barbos. in d. cap. Verùm, n. 2. Dom. Retes de donat. cap. 14. D. Gonzalez in dict. cap. Verùm, n. 4.

9 Hanc receptissimam doctrinam non admittit Beroius lib. 1. cons. 4. eo potissimo fundamento, nam modus, seu conditio apposita in donatione, quæ incipit a traditione, est resolutiva contractus, si non adimpleatur, & datur donatori condictio ad repetendam rem donatam, l. 2. l. Cùm ancillam 6. & duabus seqq. ff. de condict. ob causam. Dom. Retes d. cap. 14. Ergo idem est dicendum in donationibus piis, idcircò Siphron. & Theodot. Rehinx, quos retulit Dom. Gonzalez in dict. cap. verùm, num. 4. irrident textus in dict. cap. Verùm.

10 Sed ex fundamento apposito num. 8. facilè eorum risus compescitur; non enim modus, conditio, seu pactum appositum piæ donationi causa est finalis, ut in aliis donationibus, sed impulsiva: mens enim donantis principaliter prospexit bonum suæ animæ, & Dei honorem. Quapropter mens ejus est, ut licèt modus, conditio, seu pactum non adimpleatur, non revocetur donatio, ne animæ bonum, & Dei honor dispereat, sed tantùm agatur ad adimplementum. Covarruvias d. lib. 1. cap. 14. num. 6. Surdus de aliment. tit. 1. qu. 48. n. 70. unde Barbosa in d. cap. Verùm, n. 3. asseruit in piis donationibus omnes causas finales in modum resolvi, quando utiles sunt causæ piæ. Et n. 6. quod licèt in piis donationibus conditiones apponantur, non sunt propriè conditiones, quin potiùs modi censentur. Tondut. d. cap. 83. n. 3. scribens idem admittendum, etiamsi dictiones appositæ sint, non aliter, nec alio modo, vel sub conditione. Genuensis in praxi, tricen. 5. qu. 128. vers. Sed pone, Joseph. Ludov. decis. Perus. 29. n. 23.

11 Quid vero dicendum quando donans dixit: *Si non adimpletur modus, pactum, seu conditio, irrita sit donatio pia?* an tunc testator, aut hæres agere possit ad revocandam donationem? Et affirmandum videtur; nam tunc includit causam commissi, quæ licitè ponitur à donante, etiam in causis piis, cap. Cùm dilecti 6. de donat. ubi Abbas num. 3. & alii apud Barbos. in d. cap. Verum, num. 5. Versic. Datur. Ergo rectè poterit revocari talis donatio. Tum, nam cùm irrita sit donatio ob non adimpletam conditionem, pactum, aut modum, nullus est titulus, ut causa pia bona illa retineat, l. Nunquam nuda 31. ff. de acquir. rerum dom. Gomez in l. 45. Tauri, num. 7. Ergo revocanda est donatio, sive à donante, sive ab ejus hætede petatur, l. Hæredem 60. ff. de regul. iur. Menochius cons. 934. Cyriacus controvers. 277. num. 3.

12 Sed contrarium tenet Cardinalis de Lugo lib. 4. respons. mor. dub. 32. num. 9. in illa parte, in qua asserimus, hæredem revocare posse donationem, modo, aut conditione non adimpleta; dum tamen donans sciens non adimpleti, illam non repetat, quando adsit clausula ut irrita sit. Ratio est, nam ex eo quod non revocavit donationem, noluit ut ad hæredem perveniret, sed quod in aliam causam piam similem converteretur; est enim scitum principium, ut si donatio, aut legatum pium nequeat impleri in specie, in aliud opus pium collocetur. Baldus in l. Cùm rem, Codice de legat. numer. 6. Molina de instit. tract. 2. disput. 249. Sanchez cons. lib. 4. cap. 2. dub. 4. numer. 4. Quapropter cùm ipse donator bona non petierit, nec irritari donationem declarari, asserendum in aliud opus pium convertendam, non verò ad hæredem perventuram esse, idque justa existente causa, ab Episcopo fieri posse asseruerunt Aufrer. ad Capell. Tolos. qu. 26. Tuschus litt. E, concl. 173. Tondut. qq. benef. tom. 1. cap 84. n. 6. & dicam infrà. Cæterùm quando donatio facta est causæ piæ, jam donans voluit gravare hætedem in illa quantitate: Ergo si noluit donationem irritam declarari, voluit ut non declara-

claretur ab hærede, sed ut in aliud opus pium convertere-tur, cap. Nos 3. de testam. l. Legatum 16. de usu, & usufr. legat. plures relati à Sanch. d. dub. 4. n. 4.

13 Hæc doctrina acutissimi Cardinalis in parte lucem difficultati concedit, idcircò ad ejus enodationem præmitto, tribus modis modum, conditionem, seu pactum impositum donationi piæ impleri non posse. 1. Quando quis donationem piam effecit modo, pacto, aut conditione illicita, veluti si causa pia duellum committeret. 2. Si aliquod imponitur, quod sua natura malum non est, nisi quia prohibitum, ut facere Monasterium absque licentia Episcopi; aut si includit conditionem impossibilem de jure, vel de facto. 3. Quando conditio, aut onus non impletur incuria Prælatorum, aut illius ad quem pertinet conditionis, aut modi executio.

14 Quoad primum conditiones illæ illicitæ non sunt adimplendæ, quin potius pro non adjectis habentur, sicut in alio quolibet contractu, c. fin. de cond. apposit. ubi plures affert Barbosa n. 9. Illud tamen erit animadvertendum, quod si donantis mens fuerit, ut irrita sit donatio, si non adimpleantur, quantumvis illicita, nec aliter valere, irrita erit donatio, ut in legatis turpibus, Sanchez d. dub. 4. n. 3. Molina de iustit. tract. 2. disp. 271. n. 4.

In secundo casu quando conditio de jure, aut de facto prohibetur, modus, seu pactum sit, tunc in causis piis non admittuntur, sed in aliud opus pium collocatur donatio. Tiraquell. de caus. piis, privil. 57. Tondut. d. c. 84. n. 10. Si tamen donator dixerit, quod si hæ conditiones non adimpleantur, irrita sit donatio, irritabitur, excepto casu à Lugo perpenso.

16 In tertia differentia, quando Prælatus, aut alius qui adimplere tenebatur, non adimplet, est disceptatio. Ponamus donationem factam fuisse Monasterio, & Prælatum non adimplere modum, seu conditionem: quæritur, an irritari possit clausula apposita, ut cassetur si non adimpleatur modus, seu conditio? Prima sententia asserit irritandam; nam in non acquirendis rebus Monasterio, vel Ecclesiæ nulla solemnitas est necessaria Prælato, nisi repudiatio illius, sicut videre est in alienante in fraudem creditorum, qui licèt acquisita nequeat alienare, valet tamen repudiare acquirenda, l. Quod autem 6. ff. quæ in fraud. post plures DD. Olea de cess. iur. tit. 2. q. 3. à n. 14. Ergo si ex solo consensu Prælati valet repudiari donatio, similiter si ipse solus renuerit adimplere modum, seu conditionem impositam donationi, si aliter irrita erit. Ita cum Abbat. Joan. Lupo, Ripa, & Bern. Diaz, Sanch. de matr. lib. 6. disp. 4. n. 13.

17 Secunda sententia est Vincentii, quem refert Abb. in d. cap. Verum, n. 3. Surdi qui alios refert de alim. tit. 1. q. 48. n. 70. contrarium tenentis, quia Prælatus solus nequit præjudicium inferre Ecclesiæ, seu Monasterio, prout nec Prælatus solus facit Ecclesiam incidere in pœnam, l. Si quis in tantam, C. unde vi, Menochius de recup. remed. 9. n. 104.

18 Hæc difficultas dupliciter concipienda est: in primis quando bona donationis tradita non sunt Monasterio, seu Ecclesiæ, verùm Prælatus renuit adimplere onus, seu conditionem, seu pactum: quo in casu incidimus ad quæstionem illam, an Prælatus solus absque solemnitatibus possit repudiare donationem, seu legatum factum Ecclesiæ, de qua Barbosa de univ. iur. lib. 3. cap. 30. n. 43. Nunc verò sufficiat dicere, probabiliter posse sustineri primam sententiam, quia solus Prælatus valet repudiare donationem, aut legatum factum Ecclesiæ, si acquisitum non sit. Rota divers. 3. p. lib. 2. decis. 30. Put. lib. 2. decis. 516 Riccius in praxi for. 1. edit. decis. 96. & in 2. decis. 82. Gratian. discept. for. cap. 558. num. 51. Sanchez qui veriorem dicit d. disp. 4. num. 12. Ast probabilius contrarium, ut dicam infrà cap. 12. n. 46.

19 Si vero tradita sit donatio, & bona illius acquisita ab Ecclesia, seu Monasterio, aliter est dicendum, stante clausula ut irrita sit donatio, quotiescumque modus, aut conditio non adimpleatur; quia tunc est propria alienatio bonorum Ecclesiæ acquisitorum, quæ nequit fieri à solo Prælato, verùm necessarius est consensus Capituli, aut totius Conventus, Rota lib. 2. divers. decis. 420. Ricc. in praxi for. 1. edit. decis. 51. & decis. 54. Delben. de immun. Eccles. tom. 2, cap. 17. dub. 9. sum. diffic. n. 12. & adsunt jura in cap. 1. & 2. per tot. tit. de his quæ fiunt à Prælat. absque Capituli consensu. Itaque nec incuria solius Prælati in adimplendo modo, seu conditione sufficiet, sed erit necessarium, ut non solùm ab eo, sed à toto Capitulo, seu Conventu non adimpleatur.

20 Est alia non prætereunda difficultas, an quando quis fecit donationem omnium bonorum Ecclesiæ, seu Monasterio ea conditione, ut ab ea alatur, aliàs si non adimpleatur, irrita sit donatio, possit revocari similis donatio, alimentis donatori non præstitis. In hoc ergo dubio illud expediti juris est, ut quando quis omnia bona sua alicui donaverit, si à donatario non alatur, revocatur donatio ob ingratitudinem, speciali alimentorum privilegio, etiamsi non adsit clausula commissi. Ripa in l. fin. Cod. de revoc. don. Covarruvias lib. 1. variar. cap. 14. n. 6. Lara in l. Si quis à liberis, §. Utrum, ff. de lib. agn. n. 10. Surdus de aliment. tit. 8. privil. 61. n. 8. Leoncill. de privil. paup. 2. part. privil. 92. verb. Donatarius, num. 2. Id tamen tenendum si alimenta petantur, & donatarius sit in mora, quam statim valet purgare, nisi adsit pactum alendi in ipsa donatione, præcipuè si assignatus sit dies; tunc enim mora non purgatur, l. 1. Cod. de donat. quæ sub modo, Castill. lib. 8. controv. cap. 14. àn. 1.

Hæc doctrina quando Monasterio, aut Ecclesiæ facta est 21
donatio, non admittitur, sed si incuria Prælati conditiones non præstantur, agitur ad adimplendum, ut præstentur, non verò ad revocandam donationem. Covarr. d. cap. 14. num. 6. Genuens. in praxi, tricen. 5. qu. 128.

Tota ergo disceptatio est, quando donatio facta fuit cum 22
clausula commissi, si alimenta non præstentur donanti. Et asserendum videtur, agi non posse ad irritandam donationem, sed tantum ad præstationem alimentorum. Ratio est, quia non præstare alimenta incuria, & negligentia Prælati, & Capituli, nequit Monasterio, aut Ecclesiæ præjudicium inferre; nam Prælatus, & Capitulum sunt Administratores rerum Ecclesiæ, qui ut Administratores nequeunt illi præjudicare, l. Qui fundum 7. §. Si tutor, ff. pro emptor. Menochius de recup. possess. remed. 9. n. 105. Cæterùm, nam bona, quæ Monasterio, & Ecclesiis conceduntur, non solùm dantur Prælato & Capitulo, sed fabricæ, vel pauperibus, cap. Quatuor 27. cap. Concesso 26. 12. q. 2. Ergo ex culpa Prælati, & Capituli nequit cum damno istorum revocari donatio.

Sed contrarium tenent Covarruvias d. num. 6. Mantica de 23
tacit. lib. 13. tit. 44. num. 13. versic. Quod sanè, Surdus de aliment. tit. 1. qu. 48. n. 75. Gratianus discept. for. cap. 803. n. 18. Castill. d. lib. 8. cap. 14. n. 19. Ducuntur, quia favor Ecclesiæ, ut agatur ad præstationem alimentorum, & non ad revocationem, eliditur per clausulam commissi, & illius pactum. Ergo agi valet ad revocationem.

Hanc sententiam admitto, non ex illius fundamento, 24
quod ex rationibus dubitandi n. 22. discussis satis efficax non relinquitur; sed quia quando pactum commissi apponitur, nisi alimenta præstentur, intelligitur, nisi præstentur à Prælato, & Capitulo, qui ut administratores illa præstare tenentur: itaque eorum negligentia facit, ut donatio statim valeat revocari; ita enim in pactum tantùm adducta est. Præterea, ut animadvertit Surdus dict. qu. 48. num. 76. in præsentiarum nullum damnum fit Ecclesiæ, quia bona donationis non alienantur ut acquisita in perpetuum, sed tanquam si ad tempus fuerint concessa, prout considerabat Cardin. in d. cap. Verùm 4. de cond. appos. Ruin. cons. 27. in fin. Ergo sufficit ad revocationem donationis, ut alimenta à Prælato, & Capitulo non præstentur. Denique, nam quando donatori omnium bonorum alimenta debentur pauperi, causa pia est, ut est causa ipsius Ecclesiæ: quapropter pactum commissi debet observari, nec Ecclesia contra pariter privilegiatum valet uti suo privilegio, l. Sed & miles 8. alias 10. ff. de excus. tut. l. Assiduus, vers. In duabus, Cod. qui potior. in pig. habeantur. Cardos. in prax. verb. Privilegium, num. 46. Barbosa in l. 2. §. Legatis, ff. de iudic. n. 252. Novar. in prax. elect. quæst. 21. num. 2. sect. 1. Ergo pacto commissi interposito revocanda est donatio, si alimenta illi non præstentur. Sed notandum cum Mel. ad Castill. de aliment. d. cap. 14. num. 8. quando hæc revocatio à donante petitur, restitutionem posse peti ab Ecclesia, ob non adimpleta pacta, vel conditiones.

Cæterùm in his donationibus piis illud scire oportet, donationes quæ sua natura nullæ sunt propter juris interdi- 25
ctum, si tamen fiant ad causam piam, valere: idque duobus exemplis demonstrare libet, quia licèt donatio inter virum & uxorem valida non sit, l. 1. & per tot. tit. ff. de donat. inter. cap. fin. eod. tit. Petr. Greg. syntag. lib. 28. cap. 10. Cancer. 1. part. variar. cap. 8. num. 58. Osuald. ad Donel. lib. 9. Comment. cap. 10. plures Barbos. in cap. Donatio 8. de donat. num. 2. Attamen si donatio ista fiat, ut convertatur in aliquam causam piam, valida est, leg. Si spon-

sus

sus 5.§.Concessa, & §.Proinde, ff. de donat. inter. Ratio, nam non solùm privilegium pietatis viget in tali donatione, sed de rigore juris sustinetur; nam conjux ditior non fit ex tali donatione, cùm necessariò ad causam piam sit collocanda. Tiraquellus privil.128. ubi Ricc. latè Medic. in opusc.4. sub n.13. Feder. de Sen. qu.298. n.2. Mantic. de tacit. lib.21.tit.4. n.29. Barbos. in d. cap.8. de donat. n.11. Staiban. cent.2. resol. 156. à n.109.

26 Idem dicendum est in donatione facta à patre filio, qui patriæ potestati subjicitur; quia licèt donatio invalida sit, l.2. Cod. de inoffic. donat. l. Donationes quas parentes 26. C. de donat. inter, l.3. tit.4. part.5. Menoch. lib.3. præs.29. per tot. Cancer. d. cap.8. num.85. plures Ayll. ad Gom. tom.2. cap.4. n.27. Attamen si fiat ad causam piam, sustinetur donatio; nam ut ait Cancer. nuperrimè relatus, hæc donatio ex causa sustinetur: quæ enim major causa valet existimari, quam causa animæ. Itaque valebit talis donatio. Tiraquell. privil.129. Covarruvias in cap. Raynaldus, de testament. §.2. num.15. Lessius de iustit. lib.2. cap.18. dub.12. numer.30. Laym. lib.3. tract.4. cap.12. num.12. versic. Nota autem.

27 Deinde quæstio est, an in donationibus piis acceptatio sit necessaria, ut in aliis donationibus? Et plurimi asseruere, acceptationem esse necessariam; nam textus in l. Absenti 10. ff. de donat. l. Si ego, ff. de negot. gest. l.4. tit.4. p.5. indistinctè in qualibet donatione acceptationem petunt: quinimò si absenti donetur, ante acceptationem per nuntium, aut per epistolam, poterit revocari, ex allegatis juribus tradit Gomez in d. cap.4. n.2. Cancer. d. cap.8. num.36. Ergo similiter in donatione pia. Cæterùm acceptatio in donatione est de illius substantia, & formalitate. Molina de primog. lib.4. cap.2. n.62. in fin. Sanchez de matrim. lib.1. disp.6. n.10. Sed quando deficiunt substantialia actus non sustinetur, etiamsi minimum deficiat, l. Cùm hic 12. §. Si Prætor, ff. de transact. l. Non dubium 5. C. de leg. Guttierez pract. lib.3. qu.15. n.15. Rota apud Farinac. 2. part. decis.671. n.2. Ergo si acceptatio deficiat, donatio pia non sustinebitur. Cancer. d. cap.8. n.37. Covarr. lib.1. variar. cap.14. num.16. Larr. decis. Granat.91. num.1. Gratianus discept. for. cap.575. num.2. Rota apud Seraph. decis.724. num.1. Faria ad Covarruvias d. cap.14. n.54. Marin. lib.1. resol. cap.89. n.18. Molina d. cap.2. n.58. Palao de iustit. disp.2. part.2. num.5. Noguer. alleg.27. n.17.

28 Contrarium tenent plures ex decisione textus in l. Pactum 3. leg. Propter incendium 4. l. Ob causam 7. de pollic. ubi quod Reipublicæ promittitur ad aliquam necessitatem absque acceptatione, tenetur adimplere promittens: quod privilegium extenditur ad pias causas, ex identitate rationis, leg. Illud 19. l. Ut inter 21. C. de Sacros. Eccles. tenent Felyn. in cap.1. de pact. n.7. Tiraquell. privil.115. ubi Riccius, Mant. de tacit. lib.3. tit.7. n.5. Gonzalez ad reg.8. gloss.5. §.7. Genuens. in prax. tricen.6. qu.151. Gratian. discept. for. cap. 358. n.54. Costa de re integ. cap.79. n.2. Lessius de iustit. lib.2. cap.18. dub.6. n.36. dicit probabile Diana 8. part. tract.6. resol.106.

29 Resolutio istius difficultatis petenda est ab alia, nempè an in donationibus acceptatio sit necessaria de jure naturali, aut de jure positivo. Aliqui asseruere de jure naturali esse necessariam; nam donatio illam includit conditionem, si acceptetur. Ergo donec acceptetur, non efficax est de jure naturali obligatio dantis, cùm ex eodem jure nullus obligetur, nisi ex sua voluntate, l.1. de pact. l.1. de transf. Ergo acceptatio requiritur de jure naturali. Molin. dict. lib.4. cap.2. n.60. Sanchez de matrim. lib.1. disp.6. n.10. Diana d. resol.106. in princip. Ast alii contrarium tenent, asserentes tantùm requiri de jure positivo; nam voluntas donantis non est conditionata, sed pura, quatenus est ex parte illius: si tamen donatarius non acceptet, resolvitur donatio; nam beneficium invito non conceditur. Covarr. de pact. 2.p. §.4. Molin. de iust. tract.2. disp.263. num.12. vers. Nihilominus.

30 Istinc cognoscitur, utramque sententiam probabilitatem habere, namque si de jure naturali acceptatio est necessaria etiam in donatione pia, erit præcisa, secus si sit de jure positivo: nam in causis piis jus naturale tantùm inspicitur, ut dicam infrà.

31 Ast stando etiam in prima opinione, ut acceptatio sit necessaria de jure naturali, adhuc amplector secundam sententiam, asserendo non esse necessariam acceptationem; ad quod observo duobus modis posse fieri donationem causæ piæ. In primis, quando immediatè fit Deo, veluti quando promitto Deo dare centum tali Ecclesiæ, aut Hospitali; & tunc stando in jure naturæ, acceptatio Ecclesiæ non est necessaria. Ratio est, nam donatio ista fit per modum voti, & Deus ipse acceptat promissionem factam. Itaque apud Lucam cap.11. leginius: Date eleemosynam: & omnia munda sunt vobis. Rub. cap.23. num.124. Ergo absque aliqua acceptatione valebit, ut cum Angel. & Sylv. Villal. in Sum. 2.p. tract.20. diff.4. n.5. Sanchez de matrim. lib.1. disp.6. n.17. Barbosa in l. Illud, C. de Sacros. Eccles. n.16. Faria ad Covarr. d. lib.1. cap.14. n.55.

32 Aliter donatio fit, nempè quando fit simpliciter Hospitali, aut Ecclesiæ: & in hoc casu etiam stando in sententia illa, ut de jure naturali sit necessaria acceptatio, absque illa valebit donatio; nam in dubio quoties donatur causæ piæ, semper intelligitur donationem fieri Deo principaliter, qui statim bona nostra opera acceptat. Sanchez d. n.17. Faria d. n.55. Barbosa in leg.1. ff. solut. matrim. 3. part. n.18. Tondut. quæst. benefic. cap.83. n.1. Quapropter nisi clarè dixerit immediatè donare causæ piæ, etiam stando in jure naturali requirente acceptationem, absque aliqua acceptatione valet donatio, ut referunt nuperrimè allegati.

33 Verum si dixerit donator, immediatè donare causæ piæ, vel de ejus intentione constet, tunc acceptationem esse necessariam asserunt Sanchez d. num.17. Faria dict. num.55. Villal. d. diff.3. num.4. Sed adhuc contrarium teneo, quia cùm donator prospiciat bonum animæ, & Dei honorem, præsumitur se velle obligare strictiori modo, quo meliùs bono illius consulat. Itaque licèt immediatè donatio fiat causæ piæ, videtur se velle obligare ex suo proprio consensu, absque aliqua acceptatione, causæ piæ. Ergo etiamsi de jure naturali requiratur acceptatio, valebit donatio, quia voluntas donantis est se obligare absque aliqua acceptatione. Confirmo discursum: nam quando dos promittitur mulieri absenti, ex contractu inter alios inito jus quæritur mulieri, absque aliqua acceptatione, l.1. §. Accedit, Cod. de rei uxor. act. ubi scribentes. Tiraquell. d. privil.115. & idem dicendum si donatio fiat infanti, l. Iubemus 5. ibi: Nisi infantes sint, Cod. de emancip. liber. Molina de primog. lib.4. cap.2. num.75. Villal. d. difficult.3. num.4. ad enim favore dotis, & infantiæ præsumitur, velle donatorem se obligare absque aliqua acceptatione. Ergo idem dicendum est quando donatur causæ piæ, cùm adsit bonum animæ, quod est majus, quàm dotis, & infantiæ: unde Riccius in addit. ad Tiraquell. d. privil.115. rectè asseruit, quod si quis rem offerat in Templo ad ejus ornatum, donatio valet, etiamsi nullus acceptet. Pariter si quis aliquam rem ponat super Altari alicujus Ecclesiæ, animo offerendi absentibus ministris, ab Ecclesia acquisita dicitur absque aliqua acceptatione. Thoro privil.116.

34 De jure nostro Regio sententia ista magis est amplectenda; quotiescumque enim promissor aliquid concedere vult, videtur se obligare voluisse absque aliqua acceptatione, leg.2. tit.16. lib 5. Recop. ibi: Pareciendo que alguno se quiso obligar à otro por promission, ò por otro contrato, o en otra manera, tenudo sea de lo cumplir. Quæ verba in donationibus omnem acceptationem excludunt, quin potiùs tantùm requirunt animum se obligandi ex parte dantis, ut in meliori sententia tradit Gomez tom.2. cap.4. num.2. Larr. decis.91. num.13. Molin. de iust. tract.2. disput.263. à num.9. Castill. qui plures refert, lib.4. contr. cap.37. n.39. quæ doctrina à fortiori debet admitti in donationibus piis, ex suprà relatis n.32.

35 Præterea disquirere libet de mandato ad donandum causæ piæ, an exspiret re integra morte mandantis? Dicitur enim re integra, quando procurator ex mandato ad nullum actum pertexit. Cassad. decis.1. de renunt. Veral. decis.190. n.1. Menoch. de arbitr. lib.1. q.68. n.45. Quapropter asserendum videtur exspirare, nisi procurator ad aliquem actum donationis transierit, ex l.2. §. Sed si quis, ff. de donat. Et ratio est, nam morte mandantis exspirat voluntas mandantis, leg. Mandatum 15. Cod. de mandat. §. Rectè quoque, Instit. eodem tit. Itaque nec ad causas pias mandatum valet sustineri; non enim habent privilegium supplendi voluntatem mandantis.

36 Contrarium tenent Tiraquell. privil. 132. Covarruvias lib.1. variar. cap.14. num.16. Peregr. de fideicom. art.5. n.57. Novel. de dot. 6. part. privil.52. Novat. de privil. Miss. pers. 98. numer. 3. Leoncil. de privil. paup. privil.237. verb. Man-

Mandatum, *num.*2. Molin. *de instit. tractat.*2. *disp.*263. *n.*3. Sanchez *de matrim. lib.*1. *disput.*6. *num.*8. Ducuntur *ex l. Si ego* 9. §. *Si res*, *versic. Sed benignus*, *ff. de iur. dot.* ubi si aliquis rem tradiderit alicui, ut dotis nomine traderet, morte illius benigna interpretatione mandatum non exspirat. Idem expenditur *in l. Si pater* 4. *ff. de mand. vind.* ubi favore libertatis, si pater permiserit filio servum manumittere, & pater vita functus fuerit, & inscius mortis filius servum manumiserit, libertas sustinetur. Quod idem dicendum est in nostro caso, quia favor animæ major est, quàm favor dotis, aut libertatis. Addunt deinde textum *in cap. Exiit* 3. §. *In eo casu*, *de verb. signif. in* 6. Ratione probant; nam ut considerat Leoncill. *dict. num.*2. *in fin.* præsumitur mandantem durare in eadem voluntate donandi ob animæ favorem, quia moriens præsumitur magis memor salutis æternæ: unde quod voluit vivens, magis credendum est voluisse moriens.

37 Hæc doctrina ex juribus pro ea adductis non probatur; textus enim *in l. Si ego*, non tangit quæstionem nostram, sed est alia dissimilis, scilicet quando res alteri traditur sub conditione in testamento posita, an censeatur translatum dominium donec conditio eveniat, ut exprimit Coosultus, *ut nuptiis sequutis dotis efficerentur*. Ratio dubitandi erat, nam ex eo quòd non advenerat conditio, dominium non poterat transire io causam dotis, *l. Qui absenti* 38. §.1. *ff. de acquir. possess.* Bartol. *in leg. Sub conditione*, *ad finem*, *ff. de solut.* Sed respondet Consultus, favore dotis contrarium dicendum, nempe ipso jure dominium ad maritum transire, ne mulier indotata remaneat: quod longè se habet à nostra difficultate, ut animadvertit Covarruvias *dict. cap.*14. *num.*16. quidquid ibidem dicat Faria. Morla *in Empor. tit.* 2. *part.*1. *n.*103.

38 Textus *in d. l. Si pater*, varia suscipit interpretamenta per antinomiam textus *in l. Quæsitum* 15. §. *Iulianus*, *ff. qui, & à quibus*, ubi in simili specie asseruit Consultus servum ex vindicta liberum non esse: itaque Albericus *in d.* §. *Iulianus*, distinguit; si enim pater mortuus est ab intestato, præsumitur in eadem voluntate decessisse: quapropter *in d. l. Si pater*, libertas sustinetur, secus *in d.* §. *Iulianus*, ubi cum testamento decessit. Unde constat de diversa illius voluntate. Hoc interpretamentum Alberici communiter reprobatur. Quare Menoch. *de arbit. lib.*1. *quæst.*69. *n.*26. & 27. Pichard. *in* §. *Rectè quoque*, *instit. mandat. n.*10. Sahagun *in cap. Gratum*, & *c. Relatum*, *de offic. deleg. n.*10. scripserunt *in d. l.*4. libertatem sustineri, quia erat data ex testamento; secùs *in d.* §. *Iulianus*, ubi erat ex vindicta, quæ nisi inter vivos dari non poterat: virgula nempe quam tenebat lictor Prætoris, & præmissis aliquibus solemnitatibus, servum tangebat, tandemque dominus illum manu apprehensum vertebat. Vvesembech. *ad tit. de manum. vindict.* Quod fieri non poterat à defuncto.

39 Sed nec hæc interpretatio facilè admittenda est, cùm in eadem manumissione jura illa loquantur; quia textus *in d. l. Si pater*, manet sub rubrica *de manum. vindicta*: quapropter in manumissione per vindictam debet intelligi, ne jura à suis titulis fugitiva concedantur, quod nequit fieri, nisi ex gravissima causa. Cujac. *in not. ad tit. de gradibus*, & *lib.*3. *observat. cap.*37. unde ex illo textu nihil certum probatur.

40 Textus *in cap. Erit* 3. *vers. In eo casu*, *de verb. signif. in* 6. similiter assumptum non probat; quia ut animadvertit Covarruvias *d. cap.*14. *num.*16. non loquitur de mandato, sed de donatione alicujus pecuniæ ad alimoniam fratrum D. Francisci, qui cùm incapaces sint alicujus dominii, statutum est à Summo Pontifice, ut pecunia illa apud aliquem deponatur, & donec in utilitatem fratrum divertitur, libera sit facultas largitori donationem revocandi: quod maximè distat a oostra specie.

41 Verùm etsi hæc jura doctrinam suprà positam *n.*35. non probent, adhuc tenenda est, ut etiam tenet Morl. cum aliis *d. tit.*2. *num.*103. Barbosa *de un. vers. iur. lib.*2. *cap.*13. *n.*44. Nec negandum est textum *in d. l. Si pater*, licèt non probet in decisione, in ratione tamen probare, ibi: *Cum non appareat mutata domini voluntas*. Quæ verba indicant in causis favorabilibus, ut sunt piæ, & libertates, ex morte concedentis, aut permittentis eandem voluntatem subsistere: quapropter si mandatum dederit ad causam piam, etiam post illius mortem sustinebitur. Molina *dict. disput.*263. *n.*3. & ratione confirmo, quia est maximum discrimen quando in mandato requiritur cessare voluntatem mandantis, aut quando est necessaria revocatio voluntatis: in causis enim profanis, ut extinguatur mandatum, sufficit re integra cessare voluntatem mandantis, quamobrem morte cessat; *l.*4. *ff. locat.* non tamen quando requiritur revocatio voluntatis, ut in causis piis, tunc enim morte non cessat, sed requiritur expressa revocatio mandantis. Bartol. *in l. More*, *ff. de iurisd. omn. iud. num.*8. Menoch. *de arbitr. lib.*1. *qu.*69. *num.*13. Covarruvias *lib.*3. *variar. cap.*15. *num.*3. Gonzalez *ad regul.*8. *gloss.*12. *in princ. num.*56. Ergo, &c.

42 Præterea probatur: nam in his causis piis est favor publicus Religionis: at quoties adest favor publicus, mandatum re integra non exspirat morte mandantis. Menochius *dict. quæst.*69. *num.*8. Ergo nec mandatum ad donandum in causis piis. Denique hæ causæ piæ fiunt ob bonum animæ, itaque donationis effectus principalis est post mortem donantis: ast si effectus mandati evenit post mortem mandantis, non exspitat ejus morte, *l. fin. ff. de solut. l. Si vero* 12. §. *fin. cum l. sequent. ff. mandat.* Cujacius *observat. lib.*1. *cap.* 38. Pichard. *in dict.* §. *Non rectè* 5. *instit. mandat. num.*11. Ergo mandatum ad pias causas re integra oon exspirat morte mandantis.

43 Est disceptatio, an quando quis donat alicui aliquam rem ea conditione, u. certa die Ecclesiæ, vel alii causæ piæ restituat, possit revocare donationem caosæ piæ antequam ipsa acceptet restitutionem sibi faciendam? Et Pichard. Trentacinq. & alii relati à Diana 8. *part. tract.*6. *resolut.*96. Molina, & Castill. recensiti à Noguer. *allegat.*27. *num.*19. asseruere adhuc revocare posse; nam in præsenti specie duæ sunt donationes. Prima, quæ fit primo donatario: Secunda, quæ fit causæ piæ. Quapropter duæ sunt donationes, quæ petunt duas acceptationes distinctas; idcircò antequam acceptetur à causa pia, valet revocari, prout aliæ donationes: cæterùm acceptatio primi donatarii non est sufficiens, verùm requiritur illius qui habeat mandatum ad acceptandum, datum ab ipsa causa pia.

44 Contrarium tenent communiter DD. *ex leg. Vt inter* 23. *Cod. de sacrosanct. Eccles.* qui quidem textus ostendit donationes, aut legatata pia recta via, absque aliqua acceptatione ad Ecclesiam, seu causam piam transire: itaque fideicommissum hoc similiter transire, absque dubio remanet, nec poterit à donante revocari: cæterùm licèt necessaria fuerit acceptatio, prout petunt contrarii, adhuc nequibit revocari; nam favore causæ piæ illud est introductum, ut à quolibet de populo possit fieri acceptatio. Rota apud Seraphin. *decis.* 724. *num.*8. Trullench. *in Decalog. lib.*17. *dub.*6. *num.*1. Diana 8. *part. tract.*6. *resolut.*96. Tondut. *tom.* 1. *quæst. benefic. cap.*83. *num.*1. sicut alter pro altero potest stipulari favore causæ piæ. Tuschus *littera S*, *conclus.*703. *num.*26. Guttierez *in cap. Quamvis pactum*, *num.*55. Sanchez *de matrim. lib.*1. *disput.*7. *num.*10. Itaque acceptatio illa, quæ facta fuit à primo donatario, onere in se suscepto restituendi rem illam Ecclesiæ, est sufficiens, ne possit à donante revocari. Covarruvias *dict. lib.*1. *cap.*14. *num.*14. Molina *de instit. tract.*2. *disp.*265. *num.*12. Lessius *eodem tract. lib.*2. *cap.*18. *dub.*6. *num.*67. Palao *dict. disp.*2. *part.*7. *num.*2.

45 Sed dices, nec dominium recta via posse transire ad Ecclesiam, nec acceptationem fieri à primo donatario; quia cùm restitutio facienda esset certo tempore, usquequò illud adveniat, utrumque nequit fieri: quapropter poterit revocari donatio, ut expendit Cyriacus *tom.*2. *controvers.*269. *num.*83. Faria ad Covarruvias *in dict. cap.*14. *num.*14. Sed respondetur, quando necessariò restitutio facienda est Ecclesiæ, aut alii causæ piæ, statim in meliori sententia transit ad eam dominium ex *dict. l. Vt inter*, *l. fin. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* aut ad minus jus certum, ut adveniente tempore restitutio ei fiat rei donatæ: quapropter revocatio nequit fieri a donante, etiamsi tempus restituendi non advenerit. Idem dicendum est de acceptatione, quæ statim fuit facta à primo donatario nomine Ecclesiæ, eo quòd se obligabit restituere adveniente die, quamobrem ad utrumque non est necessarium, ut dies restitutionis adveniat.

46 Sed adhuc instabis, etiamsi acceptatio fiat à primo donatario, necessaria est ratihabitio Ecclesiæ, interimque donans poterit revocare donationem veluti quando favore causæ piæ alteri per alterum stipulatur, ut cum Guttierez, Molina, & Hermosilla, tradit Faria *in dict. cap.*14. *à num.*53. Respondetur minimè revocari posse; nam ex parte donantis, eo quòd à primo donatario acceptatio facta fuit, aut sine ea, in nostra sententia, omninò remanet obligatus,

nec

nec valet donationem revocare; ex parte enim Ecclesiæ ratihabitio non est necessaria ad obligationem illius, sed tantùm ad inspiciendum, an intersit donationem admittere, aut repudiare: quapropter minimè donans valet revocare restitutionem faciendam Ecclesiæ.

47 Est etiam alia investiganda difficultas, an in donationibus piis larga, aut stricta interpretatio facienda sit. Prima sententia asserit strictè interpretandam, prout alia quælibet donatio strictè interpretanda est, ex textu *in cap. Ex parte 18. de censibus*. Cæterùm, nam quælibet donatio stricti juris est, *leg. Cum quis 22. ff. de donat. l. Quidquid adstringenda 99. ff. de verbor. obligat.* nam quisque in re sua quod minus agere videtur, ne detrimentum patiatur, *l. Cum de indebito 25. ff. de probat.* Menochius *de arbitr. lib.2. casu* 88. Cyriacus *controvers.181. num.66.* Ergo idem dicendum est in donatione pia, ut cum aliquibus Diana *4.part. tractat.4. resolut.*48. Suar. *de Relig. lib.4. de vot. cap.7. n.8.*

48 Secunda sententia contrarium tenet, *ex l. Titia testamento* 40. *§. Seia, ff. de aur. & argent. legat. cap. Cum dilecti 6. de donat.* ubi Pontifex asserit, in donationibus, & beneficiis plenissimam faciendam esse interpretationem: qui textus licèt varias interpretationes recipiat, nam Cujac. *ibid.* dicit id speciale esse de Jure Canonico; & alii dicunt plenissimam interpretationem fieri, quia donatio à nobili viro facta fuit, cujus mens est beneficiis affluere, *cap.1. de donat.* Rota apud Merlin. *decis.692. num.24.* Attamen melior interpretatio est, latissimam interpretationem ibidem fecisse Pontificem, quia erat donatio pia, ut constat ex litera: *Quod nobilis vir Alanus, quando terras à patre ipsius, eorum Ecclesia in eleemosynam designatas.* Cæterùm, nam quando quis donat piè, licèt fiat larga interpretatio, nullum damnum recipit, sed quantum magis dederit, majus bonum spirituale percipit: ideircò intelligendum est, mentem esse donantis, quantum plus dare, unde majus spirituale bonum percipiat.

49 Præterea eo potissimè donatio stricti juris est, ne donans in bonis temporalibus detrimentum patiatur, ut diximus *num.*45. sed quando bona temporalia piè donantur, à clementissimo Domino Deo nostro incrementum suscipiunt, & aucta redduntur, quod optimè scripsit Clem. Alexandrin. *lib.3. Pædag. cap.7.* ad illa verba. *Cant.4. vers.15. Puteus aquarum viventium*, exemplo putei, ac uberis, per hæc verba: *Quemadmodum quicumque putei scaturiunt, exhausti in pristinam naturam revertuntur: ita etiam elargitio, quæ est bonus fons benignitatis, potum sitientibus communicans, rursus augetur, & repletur, quemadmodum ad ubera quæ suguntur, vel etiam mulgentur, solet lac confluere.* Docuit D. Augustin. *lib.1. de Doctr. Christ.* ad illud Marci *cap.6. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos*, & sic explicat: *Illi quinque, & illi septem erant panes, antequam inciperent dari esurientibus: quod ubi cœpit, cophinos, & sportas satiatis tot hominum millibus impleverunt.* Eleganter enim D. Augustinus ostendit panes crevisse cùm pauperibus esurientibus dati sunt. Ergo donatio pia largè interpretanda est. Tiraquell. *privileg.*101. ubi Thoro, & *in suis privil. priv.*264. Genuensis *in praxi, tricen. 6. qu.*153. Mantica *de coniect. lib.6. tit.3. num.28. &* 29. Castillo *lib.8. controvers. cap.2. num.4.* Azor *instit. mor. 1.part. lib.11. cap.* 20. *quæst.* 10. Diana *3.part. tract.6. resolut.* 29. Leoncill. *2.part. privil.89. verb. Donatio 2. tom.2.* Novar. *de incert. privileg.*12.

50 In hoc dubio illud in primis animadverto, jura quæ pro utraque parte allegantur, suas sententias non probare; quia textus *in cap. Ex parte* 18. *de censibus*, non probat in donationibus piis strictam interpretationem faciendam esse, quin potiùs contrarium, ut aliqui censent DD. dum asserunt, decisionem illam procedere ex benignitate Pontificis, ut sunt verba: *Ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.* Itaque minimam mensuram eligendam asseruit Pontifex: quod secus diceret de juris rigore. Suarez *dict. cap.7. num.7.* Covarruvias *in cap. Indicante, de testament. num.4.* Menochius *lib.4. præsumpt.106. num.33.* Dom. Gonzalez *in dict. cap. Ex parte, num.8. ad finem*, Abbas verò *in dict. cap. Ex parte, num.4.* distinguit quando legatum pium fit Clericis, prout *in dict. capit.* Et tunc interpretatio strictè est facienda: secùs si Ecclesiæ. Itaque ex illo textu nihil certum desumitur.

51 Textus *in leg. Titia, §. Seia*, non solùm varia interpretamenta, verum duas admittit lecturas, quia in illis verbis, *Nisi aurea, aut argentea signa*, ex Pandectis Florentinis legit Gotofredus ærea, aut argentea. In prima lectura docet Consultus minorem statuam concedendam esse templo; in secunda majorem: unde nihil certum sumi valet, uti latè Tiraquellus *privileg.*25. Molina *de iustit. tractat.2. disput.*198. Sanchez *in Decalog. tom.1. lib.4. cap.13. num.8.* Gomez *in l.36. Tauri, num.2. in fine.* Mantica *de coniect. lib.6. tit.3. à num.35.* Textus *in dict. cap. Cùm dilecti*, alia habet interpretamenta relata *n.47.*

Quapropter in his donationibus piis arbitrio boni viri re- 52
linquendum, quando larga, aut stricta interpretatio facienda est, ut cum Baldo animadvertit Genuensis *d. qu.153. num.2. ad med.* Aliquando larga interpretatio fit ex persona donantis, ut adnotarunt plures *in d. cap. Cùm dilecti*, ubi Alanus vir nobilis donat: tum ex consuetudine, ut *in d. l. Titia, §. Seia*, ubi alteri scripserunt, *statua aurea*, & argentea ex consuetudine in Templo illo ponebatur: aut interpretatio sumenda est in casu magis necessario, quia donans videtur necessitati providere: tum ex alijs rationibus verisimilibus, quæ aut augeant, aut minuant donationem, *reg. inspicimus 45. de reg. iur. in 6.* Menoch. *d. præsumpt.*106. *num.34.* Sanchez *dict. cap.13. num.* 10.

CAPUT V.

De testamentis piis, ac de personis piè testari valentibus.

SUMMARIUM.

Quod dicatur testamentum pium, n.1. de iure civili eadem sunt solemnitates testamenti pii, ut profani, secus de iure Canonico, n.2. & 3. quæ personæ possint testari ad pias causas de iure civili, n.4.5. & 6.

Furiosi, & mentecapti nequeunt piè testari, n.7. & quid in dubio, n.8.

An valeat pium testamentum à testatore habente lucida intervalla conditum, n.9. resolvitur numeris sequentibus, & concordantur duæ sententiæ.

An filiusfamilias possit pium testamentum efficere ex consensu patris, à n.14. Variè sentit Bart. & triplex refertur sententia, ibid. & n.15. & 16. Resolvitur à n.17.

Explicatur textus in cap.4. de sepultur. in 6. *n.20. & quid de iure Regio, n.21.*

An quando filiusfamilias ex consensu patris testatur de iure Regio ex tertia parte, intelligatur cum usufructu, n.22. Discutitur n.23. & resolvitur quod sic, n.24. & 25.

An impuberes possint piè testari, negant aliqui, n.26. Distinctione respondetur, n.27. & probatur, à n.28. & seqq. interpretatur textus in cap.4. de sepult. in 6. à n.30. & 31.

An prodigus possit piè testari, negant aliqui, n.34. alii affirmant, n.35. Resolvitur à n.36.

Qui est damnatus ad mortem, potest piè testari, à n.39. & quid quando bona pertinent ad Fiscum, n.40.

Servus an pium testamentum possit facere? Negant DD. communiter, n.41. sed contrarium defenditur à num.42. & quid quando suum statum ignoraverit, n.46.

Usurarius manifestus nequit piè testari, n.47. quid si signa contritionis dederit? negant aliqui, n.48. affirmant alteri, n.49. sed n.50. conciliantur.

Et quid de excommunicato? ponitur una sententia, & resolvitur affirmativè, à n.51.

De mutuo, & surdo discutitur, à n.53. & distinguitur, à n.55. Cæcus piè testatur absque iuris solemnitatibus, n.58.

TEstamentum pium non illud dicendum est, in quo per- 1
sona profana instituitur hæres, & aliqua ibidem legata pia relinquuntur. Erit tamen pium testamentum, quando pia causa hæres instituitur, aut substituitur, utpotè si Titius instituatur, & illo deficiente, aut nolente hæreditatem adire, substituitur Ecclesia, vel alia causa pia, ita ut necessariò hæreditas ad illam sit deventura. Villalobos *in Sum. 2.part. tractat.30. diffinit.4. num.2.* Rubeus *pract. resolut. cap.1. num.8.* Molina *de iustit. tom.1. tract.2. disp.134. num.2.* Julius Capon. *tom.3. discept.205. num.71. qui num.72.* Scripsit, testamentum esse pium, etiamsi non sit instituta causa pia, dummodo legata pia in testamento majorem partem hæreditatis absorbeant, quod etiam affirmavit Ro-

ta, &

ta, & alii apud eundem recensiti, & ipse Capoo. *4.tom. discept.293.n.66.* Bossius *de testam.piis tom.2.tit.12.§.2.*

2 Io conficiendis testamentis piis de jure communi eadem solemnitas observabatur, quæ in aliis testamentis, *leg. Generatiter 13. Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis*. Illi enim legislatores antiqui, tantis solemnitatibus adhibitis fraudes removere curaruot, ut etiam in piis testamentis eas observari statuerint, donec Jus Canonicum id omne abrogavit, *cap. Cum esses 10. cap. Relatum 11. de testam.* per quod constirutum est duobus tantùm testibus adhibitis, ad pias causas testamentum valere, omissis aliis solemnitatibus: hi verò testes tantùm adhibentur ad probationem, ita ut jus naturale tantùm in piis testamentis observetur, Barbosa *in dict. cap. Relatum, numer. 2.* Mantica *de conject. lib.6. tit.3. num.4.* Magdalenus *de num. test. in testament. 2.part. cap.3. num.2.* Tiraquellus *privileg.63. & 162.* ubi idem asserit in foro conscientiæ, Genuensis *in praxi, quæst.660.num.3.* Barbosa *de univers. jur. lib.3. cap.27. à n.68.* Trullencb. *in Decalog. lib.7. cap.18. dub.4. n.1.* Layman *lib 3. tract.5. cap.2. n.2.* Bossius *2.tom. tit.12. §.1. n.1.*

3 Est animadvertendum, io testamentis duas esse solemnitates. Prima est intrinseca, nempè voluntas testatoris, quæ omnes dispositiones regit, quantumvis pias, tanquam illarum anima, *l.1. §.1. ff. de pact. l. Non omnis 19. ff. de rebus credit.* Quapropter in piis testamentis hæc maximè est inspicienda, oe quid coorra eam, quantumvis favorabile agatur, sed omnia secundùm eam interpretanda. Secunda solemnitas est extrinseca, à legibus decreta eo modo, ot tanquam forma, seu substantia habeatur: qua deficiente, testameotum corruit, Rubeus *pract. cap.1. à num.13.*

4 De hac oltima, & extrinseca solemnitate latè agendum est nobis. Quare in primis disquirimus de personis, quæ piè possunr condere testamentum. Et plures relati á Tiraquello *privileg.79. num.2.* & à Diana *7.part. tractat.6. resolut.5. versic. Dicendum*, asseruere personas, quæ de jure testari possunt, nec sunt interdictæ, etiam piè valere condere testamentum, *ex l.1. Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis*, ubi Constantinus tantùm licentiam coocessit, ut quisque legaret, seu relinqueret Collegiis Christianorum quidquid ei placuerit; erat id enim ab aliis Imperatoribus interdictum, ut inde Religio Christiana depauperara à cunctis despiceretur. Verùm eximius ille Imperator Catholicæ Religionis vindex, decreta ista abolevit, non tamen juris solemnitares ad testandum piè abrogavit: Ergo illi qui prohibiti sunt de jure facere testamentum, nec piè ultimum elogium conficient.

5 Hoc fundamentum etiam de jure civili responsum recipit; nam Bart. *in dict. leg.1. in 1.lect. num.5. & in 2. à num.73.* ex dispositione illius juris, absque aliquibus solemnitatibus piè & validè testari, probat ex illis verbis, *liber sit stylus*: quasi Imperator diceret, cuique liberum esse piè facere testamenta, absque aliqoibus solemnitatibus. Dicit probabile Castrensis, Alciatus, & alii, & ibidem Sylvester *verb. Testamentum, quæst.4.* Ergo personæ incapaces testandi ex legis interdicto, rectè poterunt piè testari. Sed legi illi privilegium hoc non concedimus, verba enim illa, *liber sit stylus*, ad scriptam dispositionem referuntur, ut ibidem cum aliquibus ostendit Barbosa *n.7.* Quapropter licèt per illam legem liberum sit cuilibet piè disponere, noo verò absque solemnitatibus, Mantica *dict. tit.3. num.4.* Benedictus Ægidius *in dict. l.1. num.9.* Pinellus *in rub. Cod. de bon. mater. 2.part. num.15.* Rubeus *pract. cap.4. à num.185.* Barbosa *in dict. l.1. num.9.* Pich. *Instit. quibus non est permissum facere testam in princip. n.8.* Idcircò *ex d.l.1.* nihil certum in præsentiarum desumi valet.

6 Tota resolutio petenda est ex decisione textus *in cap. Relatum 11. de testament.* ubi decretum est, testamenta pia noo secundùm leges esse consideranda, sed secuodùm decreta, qoæ quidem ad eorum valorem nihil petunt, oisi communem probationem duorum, vel trium testium in quolibet actu de jure naturali, & gentium necessariani, Covarruv. *in d. cap. Relatum, num.12.* D. Goozalez *n.13.* Pasqualigus *de Sacrif. Missa, qu.993. n.1.* Idcircò illæ personæ ad piè testandum habiles censentur, quæ de jure naturali & gentium habiles existunt, relicta illa juris scrupulositate, quæ aliquos à testamenti factione reiiciebat.

7 Quapropter furiosi, ac mente capti, qui intellectum non babent, piè non valent testari; non enim intelligunt quid agunt, *§. Furiosus, Institut. de inut. stipulat.* Nec ex parte causæ piæ est aliquod privilegium, quod mentem suppleat de jure naturali, Grat. *lib.4. cons.30. num.33.* Tiraquellus *privileg.79. numer.3.* Thoro *privileg.267.* Clarus *verb. Testamentum, qu.5. n.4. vers. Sed an furiosus*, Rubeus *pract. cap.17. n.488.* Farinac. *in Repert. ult. volunt. q.74. n.4.* Castillo *controv. lib.4. cap.28. n.10.* Bossius *dict. tit.12. §.3. à num.130.*

In dubio tamen, quando non constat, an qui piè testa- 8
mentuio condidit, sanæ fuerit mentis, ad testes, & conjectoras recurrere oporter: sunt aliqua signa furoris à DD. recensita, veluti qoando loquitur irridenda; fatuus enim fatua loquitur, *cap. Legimus, 93. dist.* Itaque ex verbis in testamento conscriptis indicium maximum somitur. Furor etiam præsumitur quando proiicit lapides, nisi faciat ex causa, *l.2. Cod. de Iudæis*. Prætereà quando quis data opera exspuit in faciem Notarii: si à consanguineis in compedibus detineatur. Idem est si ægrotus Medico nequeat obtemperare. Similiter asserendum, si non habet memoriam ordinatam, & si proprii nominis obliviscatur, *leg. ultim. Cod. de heredibus institut.* ubi prosequuntur Baldus, & Salicetos, Mantica *de coniect. lib.2. tit.5. à n.10.* Zachias *Quæst. Medicolegalium lib.1. tit.1. q.3.* Ex his enim signis considerare libet, an furiosus piè testamentum fecerit.

Est dubium oon prætereundum, qoando constat testa- 9
torem lucida habuisse intervalla, an pium testamentum condiderit in furore, aut quando sanæ mentis erat, illud effecerit? Hanc quæstionem adducit Diana *7 part. tract.6. resolut.13.* Prima sententia asserit, sanæ mentis fuisse præsumendum, Henriquez *de matr. lib.11. cap.4. n.3.* Secunda sententia contraria est Patris Sanchez *eodem tract. lib.1. disp.8. à n.23.* quorum doctrinas explicat Lugo *de just. disp. 24. sect.4. num.62.* Ita tamen, ut si testamentum pium factum fuerit post longum intervallum à furore, præsumatur à mentis compote factum esse: si vero ægrotus insanierit, & immediatè faciat testamentum, furiosus censebitur fuisse: secùs si post testamenrom in furorem inciderit; quia intelligitur delirium supervenisse, nisi contrarium probetur. Quando verò ex abrupto in furorem inciderit, sanum testari præsumitur.

In hac difficultate animadverto quæstionem esse, quan- 10
do testamentum pium rectè conficitur, nec ex ejus verbis aliquid de furore arguitur: si enim ex illis furiosum esse testatorem demonstretur, tunc nulla est difficultas, ex his quæ numero antecedenti scripsimus. Quando verò habens lucida intervalla testatur rectè ad piam causam, plures asserunt validum esse testamentum, tanquam à mentis compote factum: & ratio est, nam ex eo quod testamentum rectè condiderit, & suæ animæ tam memor fuerit, præsomitur sana mente illud fecisse, ut tenent Bart. *in leg. Furiosum, C. qui testamenta facere possunt*, Jo: Andreas *in cap. ult. de success. ab intestat.* Baldus *in cap.1. in princip. tit. Per quos fiat investitur.* Alex. *in d. l. Furiosum, n.3.* & sic fuisse Romæ judicatum asseruere Thoro *privileg. 228.* Rubeus *pract. cap.16. n.71.*

Cootrarium tenent Benedictus *in cap. Raynutius, verbo* 11
A docte impubere, num.74. Spino *de testament. in rub. part. 10. num.7.* Rubeus *pract. cap.17. num.448.* ex decisione textus *in cap. fin. de success. ab intestat. cap. Sicut tenor, 15. de Regular.* ubi in causa pia facta à furiosis irritantur, licèt rectè, & cordatè fuerint disposita; nam licet à furiosis aliquando res cordatè, & rectè geratur, id non ex sana mente consideratur, sed à quodam impulsu corporum cœlestium, ut cum D. Th. & Baldo expendunt suprà citati.

Hæ sententiæ ad concordiam facilè rediguntur; nam 12
hæc secunda admittenda erit, quoties de furore constiterit per legitimam probationem, ita ut minimè lucida haberet intervalla; tunc enim licèt cordatè, & rectè pium testamentum condiderit, validum non est, sed casu cordatè fecisse existimatur, ob rationeio illius sententiæ, ut cum Rota docet Menochius *lib.6. præsumpt.45. n.68.* Barbosa *in d. cap. fin. de success. ab intestat. n.9. in fin.* Maldonado ad Molin. *lib.2. cap.9. n.29.*

Altera sententia admittenda in nostro casu, quan- 13
do furiosus lucida habuerit intervalla, aut de furore dubitetur. Ratio est, nam quando habet testator lucida ista, & insimul testamentum cordatè, & rectè in favorem

animæ est concinnatum, præsumptio est tempore testamenti sanæ mentis fuisse, Rota 2. *part. div. decis.* 109. *n.* 11. Menochius *conf.* 683. *num.* 12. Boerius *decis.* 23. *num.* 83. Magdalenus *de num. testium* 2. *part. cap.* 4. *num.* 89. Gomez *in l.* 3. *Tauri*, *num.* 6 Mantica *de coniect. lib.* 2. *tit.* 5. *num.* 7. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 3. *numer.* 1. Bonacina *tom.* 2. *de contract. disp.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 2. *n.* 2. *vers. Verum sit*, Thoro *privileg.* 130. Bossius *dict.* §. 3. *num.* 137.

14 Cæterum inter DD. disceptatur, an filiusfamilias, qui est in patria potestate, jam pubes possit facere testamentum ad pias causas. Prima sententia est Bart. *in l.* 1. *C. de Sacrosanct. Ecclesiis, q.* 3. *principali*, asserentis filiumfamilias posse facere testamentum pium cum consensu patris, & in bonis de quibus habet plenum dominium, absque illius consensu. Verum ipse Bart. *in l. Qui in potestate, in fine principii, ff. de testament.* aliter hanc propositionem expressit, ut in bonis adventitiis, quibus usufructus patri non quæritur, ex libera sua voluntate pium valeat facere testamentum. Sed has duas Bartoli opiniones communiter reprobari scripsit Diana *d.* 7. *p. tract.* 6. *resol.* 6. Molina *de inst. tr.* 2. *disp.* 138. *n.* 10.

15 Secunda sententia asserit, nec ex consensu patris in quibuscumque bonis validè testamentum pium conficere; nam illa est certa propositio, ut filiusfamilias nequeat testamentum condere, nec etiam de consensu patris, *l. Qui in potestate* 6. *ff. de testament. l.* 13. *tit.* 1. *part.* 6. Est enim publicum jus testandi, *l.* 3. *ff. de testament.* nec aliis concedi valet, nisi his quibus de jure fuerit hæc facultas concessa: filiis verò familias, etiam patre consentiente interdictum est testari lege duodecim Tabularum, ex variis rationibus, quas congesserunt Gomez *in l.* 5. *Tauri*, *num.* 1. Spino *in specul. testament.* 4. *part. rub.* 9. *num.* 8. Donellus *lib.* 6. *comment. cap.* 5. Pichard. *principio Inst. quibus non est permissum facere testamentum*, *num.* 52. de Lugo *de inst. disp.* 24. *sect.* 4. *num.* 67. Illa verò aptior videtur, ne ultimæ voluntates in arbitrio alieno, nempe patris, ponerentur: Ergo nec de ejus consensu validè testamentum conficiet ad causas pias, Abbas *lib.* 2. *conf.* 63. *vers. Quartò adduco*, Aretinus, Fulgosius, & Jason *in d. l. Qui in potestate*, idem Fulgos. *in l.* 1. *C. de Sacrosan. Ecclesiis, ad finem*, & alii relati à Spino *in rub. de testament.* 4. *part. num.* 10. *vers. Quorum sententia*, Pich. *in princip. Inst. quibus non est permissum facere testament. num.* 78.

16 Tertia asseruit contrarium, nempe posse filiumfamilias pium condere testamentum, ex decisione textus *in cap. Licet* 4. *de sepult. in* 6. ibi: *Quamvis autem filius absque patris assensu possit sibi eligere sepulturam, pro anima tamen sua, præter ipsius assensum, nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat, aliud indicare non potest.* Unde colligitur filiusfamilias cum consensu patris posse alia disponere pro anima sua, & consequenter pium testamentum. Ita plures, quos sequitur Diana *d. resol.* 6. Clarus *verbo Testamentum, q.* 5. *num.* 6. Riccius *in praxi for. decis.* 668. *n.* 2. *vers. Et quoad primum*, Covarruv. *in rub. de testament.* 3. *p. nu.* 23. Farinacius *in Repert. ult. vol. q.* 51. *n.* 16. Spino *de testament.* 3. *p. n.* 23. Molina *de just. tr.* 2. *disp.* 138. *vers. Dubium est*, Rubeus *pract. c.* 55. *n.* 23. Bossius *d.* §. 3. *n.* 150.

17 In hoc dubio illud animadverto, quæstionem non esse quando filiusfamilias bona castrensia, vel quasi habuerit; nam in his interdictus non est testamentum facere, completo anno pubertatis, *l. fin. C. de inoff. testam.* Clarus *verbo Testamentum q.* 18. *n.* 6. Spino *d.* 4. *p. n.* 11. *ad fin.* Molina *d. disp.* 138. *num.* 1. idcircò ad causas pias validè testamentum conficiet.

18 Tota ergo concertatio est in aliis bonis adventitiis, in quibus usufructus patri quæritur, & in quibus Jura filiisfamilias testari interdixerunt, etiam ex consensu patris, Clarus *d. q.* 18. *n.* 1. Nam cum maximus sit parentum amor erga filios, *l. Cum furiosus* 7. *C. de curat. fur. l. de creationibus* 27. *Cod. de Episcop. Aud. l. Quidam cum filio* 46. *ff. de hæred. inst.* facilè traheretur ad hunc assensum præstandum, unde in his bonis patres grave detrimentum perciperent.

19 Hoc tamen excipit Jus Canonicum *in d. c. Licet*, quoties testamentum fit ad causas pias, cui juri standum est; nam ut diximus supra *n.* 6. Thoro *privil.* 167. in his piis testamentis tantùm inspiciendum est jus naturale, explosis omnibus solemnitatibus juris civilis. Cùm ergo solemnitas sit juris civilis, ne filiusfamilias, etiam ex consensu patris testamentum conficiat, *ex d. l. qui in potestate*, testamentum pium factum à filiofamilias ex consensu patris, validum erit, cùm ad id habeat potestatem. Cæterum in testamentis piis, ob bonum opus, non solum percipit fructum spiritualem filiusfamilias, sed pater qui consensum præstat ad illud efficiendum: quare Jus Canonicum, quod tantis viribus animarum saluti consulit, *cap. Querelam* 10. *cap. Quintavallis* 23. *de jurejur.* pium testamentum ex consensu patris facere permisit. Si verò ejus consensus non adsit, noluit Ecclesia id filiis concedere: nam ut docet Molina *d. disp.* 138. *num.* 9. noluit Ecclesia parentes bonis filiorum privare, quæ de jure eis competunt, nisi ex eorum consensu; est enim piissima mater, ne pater morte filii afflictus, amissione etiam bonorum affligeretur; quippe res inhumana videretur, *l. Navis §. Cum autem ff. ad l. Rhod. leg. Tam dementis* 28. *C. de Episc. Aud. c. Ex p.* 5. *de Cleric. ægrot.* Tusch. *litt. A, concl.* 240. *n.* 4. Farinacius *d. q.* 51. *n.* 17.

20 Sed dices, textum *in d. cap. Licet*, assumptum non probare, nec in illis verbis datur facultas filiusfamilias ex consensu patris pium efficere testamentum; nam ut animadvertit Pichardus *ubi supra*, *n.* 78. ibidem talis facultas non conceditur, sed tantum loquitur de aliis dispositionibus piis: sed tamen credendum est, hanc facultatem testandi filiisfamilias concedere ex patrum consensu, cùm hæc sit dispositio pia, ut aliæ dispositiones, Tiraquellus *privileg.* 78. *num.* 2. Pereyra *in l. Si curatorem, C. de rest. in integ. verbo Læsis*, *n.* 153. Augustinus Barbosa *in d. c. Licet*, *n.* 6. Aut. Faber. *in C. Fabriano, lib.* 1. *tit.* 2. *diff.* 40.

21 De jure nostro Regio filiifamilias, etiamsi fuerint in potestate patris, testamentum condere interdicti non sunt, quin valent illud efficere ex tertia bonorum parte, *l.* 5. *Tauri*, *l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopilat.* Quapropter in hac tertia parte liberè disponunt, sive ad profanas, aut pias causas, Mathienzo *in d. l.* 4. *glos.* 3. *n.* 3. Molina *d. disp.* 138. *n.* 2. Villalobos *in Sum.* 2. *p. tract.* 30. *diff.* 10. *n.* 4.

22 Verum difficultas est, an quando filius de tertia parte disposuerit ad causas pias, & in bonis illius pater usufructum habuerit, illo privetur, ut causæ piæ exequantur.

Hæc disquisitio pendet ab alia quæstione, an de jure Regio filius disponens de tertia parte bonorum, in quibus pater habet usumfructum, possit patri præjudicium inferre in usofructu sibi competente. Abnegarunt plures, quia textus *in d. l.* 5. *Tauri*, concedens filiofamilias facultatem testandi, minimè aufert usumfructum patri, ut liberè filius de tertia parte bonorum faciat testamentum; quin potius regula est, post mortem filii illum integrè retinere, *l. fin. §. Filius autem C. de bon. quæ lib. l. ult. in fin. C. Commun. de success. l. ult. C. ad Tertyllian.* Castillo *controv. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 44. Ergo filius, etiamsi testari poterit de tertia parte bonorum, nequit præjudicium inferre in usufructu patris. Præterea quælibet facultas intelligitur absque præjudicio tertii, & in dubio, de dispositione rei propriæ, non alienæ, ut est usufructus patris, *leg. Cum maritus* 29. §. *fin. ff. de pact. dot. leg. fin. de hæred. instit.* Ergo nequit filius in suo testamento præjudicare patri in usufructu tertiæ partis bonorum, Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 22. Spino *de testament. in rub.* 4. *p. n.* 15. Mathienzo *in d. leg.* 4. *gl.* 3. *n.* 3. Castillo *d. lib.* 1. *controv. c.* 63. *n.* 29. D. Olea *de cess. iur. tit.* 2. *q.* 6. *n.* 10. Molina *de just. tract.* 2. *disp.* 138. *n.* 2. *in fine.*

23 Contrarium tenent Gomez *in l.* 6. *Tauri*, *nu.* 14. Menchaca *de success. lib.* 1. §. 1. *num.* 31. Azevedus *in d. l.* 4. *tit.* 4. *lib.* 5. *num.* 13. dicit veriorem Cervantes *in l.* 5. *Tauri*, *num.* 47. Ratio, nam leges Regiæ dando filiofamilias facultatem testandi in tertia parte bonorum, respectu illius concessionis sui juris illum efficiunt, & quasi liberum à patria potestate. Itaque de illa disponet non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum: cæterum patres nullum præjudicium suscipiunt, nam alteras duas partes, in quibus tantùm usumfructum habent, etiam quoad proprietatem suscipiunt: Ergo nullum præjudicium, quin commoditatem suscipiunt.

24 In hoc dubio hanc secundam sententiam teneo; nam leges Regias satis colligitur amplè hanc facultatem concessisse liberis in potestate patrum existentibus, non solum quoad proprietatem, verum quoad usumfructum, idque præcipuè *ex l.* 6. *Tauri*, *l.* 1. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopilat.* ibi:

ibi: *Pero bien permitimos, que no embargante que tengan los dichos ascendientes, que en la tercera parte de sus bienes puedam disponer los dichos descendientes en su vida, o hazer qualquiera ultima voluntad por su alma, o en otra qualquiera cosa que quisieren.* Quod idem animadvertit Azevedus *in d. l. 4. num.* 14. Deinde hæc interpretatio conformis est juri Cæsareo; nam quoties pater legitimam percipiebat, cætera alia bona simul remanebant *Auth. de heredibus ab intest. venient. §. Si vero*. Butierez *pract. lib.* 2. *q.* 40. Quod idem credendum est decrevisse nostras patrias leges, quando legitima duarum partium relicta patri, datur filio facultas, ut liberè de tertia bonorum disponat: præcipuè cùm nostræ leges non strictè, verum amplè sint interpretandæ, quippe faciunt commune jus in Regno Castellæ, independenter ab alia extranea dispositione legali. Denique, nam quando datur facultas testandi, intelligitur cum effectu, ut cum Baldo, & Aretino tradit Mantica *de conject. lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 4. Itaque hæc facultas data à nostris legibus, intelligenda est de proprietate, & usufructu, aliàs à patre impediretur, ne sibi præjudicaretur, aut difficillimè proprietas alienaretur, dempto usufructu. Ex quibus fundamentis, quæ sunt primæ sententiæ facilè responsionem accipiunt.

25 Infertur istinc, quod quando filiusfamilias de tertia parte bonorum disposuerit in suo testamento ad causas pias, intelligitur noo solum de proprietate, sed etiam de usufructu; & in præsentiarum majori ratione, oe bonum animæ ex contraria sententia, & dilatione grave nocumentum percipiat; nam contradiceret pater, ne inquietum proprietarium sibi daretur, prout resisteret vivente filio, *l. fin. §. Filius autem, Cod. de bonis, quæ lib.* Faber. *in eodem tit. diffin.* 4. Salgado *de Regia Protect.* 4. *part. cap.* 8. *à numer.* 254. D. Olea *dict. tit.* 2. *quæst.* 6. *à numer.* 16. Itaque quando dispositio fit ad caosas pias, efficaciori ratione intelligenda est facultas ista, non solùm de proprietate, sed de usufructu, ut considerant Gomez *ubi sup. n.* 14. Azevedus *in d. l.* 4. *n.* 13.

26 De impuberibus, an testamentum pium facere valeant, disquiramus. Et aliqui apud Donatum de Fin. *inter commun. opin. lib.* 6. *tit. qui testament. facere possunt, numer.* 45. affirmarunt: sed communior opinio negat. Nam impubes nequit testamentum facere, *l. Qua ætate* 5. *ff. de testament. l.* 13. *tit. x. p.* 6. P: Gregorius *syntag. lib.* 47. *cap.* 8. oam est actus gravissimus, qui multum prudentiæ, & intelligentiæ requirit, Pichard. *in §. Præterea, inst. quibus permissum est facere testament. num.* 3. Itaque nec piè testamentum condere valent, cùm oullum sit privilegium, quod valeat prudentiam, & intelligentiam supplere, Clarus *verbo Testamentum, quæst.* 5. *num.* 3. Farinacius *in repert. ultim. voluntat. quæst.* 74. *num.* 26. Thoro *privileg.* 159. Molina *de inst. tract.* 2. *disput.* 136. *numer. fin.* Molsesius *in Summa de contract. tract.* 13. *cap.* 2. *num.* 76. Delugo *de instit. disp.* 24. *sect.* 4. *num.* 64. Gomez *in leg.* 3. *Tauri, num.* 2.

27 In hac disquisitione distinguendum censeo, quando impubes proximus est pubertati, itaut habeat sufficientem intellectum, & quando oon. Si enim proximus non est, nec intelligit sufficienter quidquid agat, nollum erit testamentum, quantumvis pium: quo in sensu intelligo Doctores ubi proximè relatos. Si verò proximus fuerit, & in eo vigeat sufficiens intellectus, aliqui asseruere adhuc testamentum pium facere non posse; nam donec vir annum decimumquartum, & fœmina duodecimum completum noo habent, integrum intellectum oon tenent, Bart. *in l.* 1. *C. de Sacrosanct. Ecclesiis, num.* 18. Benedictus *in cap. Raynutius, verb. Adiecta impuberi, num.* 68. *vers. Sed advertes*, Crassus *de success. §. Testamentum q.* 17. *num.* 5. Clarus *dict. quæst.* 5. *numer.* 3. Villalobos *in sum.* 2. *par. tract.* 30. *diff.* 10. *num.* 1. Diana 7. *p. tract.* 6. *resol.* 7. Bossius *d. §.* 3. *num.* 141.

28 Contrarium tenoerunt Bonacina *de contract. disp.* 3. *q.* 17. *p.* 2. *num.* 3. *vers. Quarto impubes*, Trullench. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 5. *num.* 1. Ratio, nam jus civile impuberi testari interdicens, non babet potestatem interdicendi opera pia, quæ sufficienti usu rationis peraguntur.

29 Hanc sententiam admitto; nam ut diximus suprà, in testamentis piis omnes juris civilis solemnitates exploduntur, & tantum quæ juris naturalis sunt requiruntur. Cùm ergo impubes sit proximus pobertati, & habeat sufficientem intellectum ad agnoscendum quid agat (ut supponimus) validè potest testamentum pium efficere: & confirmatur; nam de jure naturæ impobes proximus pubertati obligatur in contractibus absque tutoris auctoritate, *§. Pupillus, Inst. de inutilib. stipulat. §. Præterea, Inst. quib. mod. tollitur obligat. l. si pupillus* 21. *ff. ad l. Falcid.* Similiter obligatus remanet, si matrimonium contraxerit, *cap. de illis* 9. *de desponsat. impub.* & de furto tenetur, *l. Impuberem* 23. *de furt.* quod minimè fieret, nisi proximus pubertati intellectum integrum haberet sufficientem ad obligationem, saltem de jure naturæ. Cùm ergo in testamento pio nihil aliud requiratur, nisi illud, quod de jure naturali requiritur, poterit piom testamentum efficere. Denique impubes proximus pubertati, de licentia Principis rectè testatur, Gomez *in d. leg.* 3. *Tauri, num.* 3. Crassus *de success. tom.* 1. *§. Testamentum, q.* 17. *n.* 5. & 6. Thoro *d. privil.* 159. *in fine*. Nam cùm habeat sufficientem intellectum, Principis licentia tollitur juris impedimentum: sed hoc juris impedimentum sublatum est à jure Canonico: Ergo rectè in causis piis impubes proximus pubertati testamentum conficiet.

Sed dices: Hoc impedimentum non est sublatum à Jure Canonico, qoin potius in causis piis est textus, ut observetur: ad id expendunt aliqui Doctorum *cap. Licet* 4. *de sepult. lib.* 6. ubi decretum est, impuberes eligere sepulturam non posse, quod pium est. Ergo nec testamentum pium conficere possunt; valet enim argumentum de electione sepulturæ ad testamentum pium, Glossa ibidem, *verb. Eligere*, Barbosa cum Larx *de univ. iur. l.* 2. *c.* 10. *n.* 3. 30

Sed textus ille ex dictis valet interpretari, nempe quando impubes non est proximus pubertati, aut habet intellectum diminutum, donec ad annos pobertatis perveniat: quo quidem casu nec eligere valet sepulturam, nec pium testamentum condere. Verum hoc interpretamentum solidum oon est, quia absolutè textus ille probibet impuberi eligere sepulturam, donec ad annos pubertatis perveniat, ibi: *Licet pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam.* Medicis *de sepulturis q.* 8. Bonacina *de contractibus, disp.* 3. *q.* 21. *punct.* 3. *num.* 8. Sed adhuc plures asserunt impuberem, quando malitia supplet ætatem, posse eligere sepulturam, Barbos. *de univ. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 27. in quorum doctrina probabile est illud interpretamentum. 31

Veruntamen licet stemos in rigore verborum, ut minimè impubes valeat sepulturam eligere, *ex d. cap. Licet*, Zerola *verb. Sepultura §.* 1. Sperellus *decis.* 89. *nu.* 2. Narbona *de ætat. ad omnes actus requis. à n.* 14. *q.* 47. *in princip.* adhuc impubes proximus pubertati poterit testamentum pium efficere, si babet sufficientem intellectum; non enim est solidum argumentum de electione sæpulturæ ad testamentum pium: nam ut advertit Geminianus *in d. cap. Licet num.* 1. electio sepulturæ à facultate testandi plurimum differt, ut patet in exemplo pupillaris substitutionis ab eo adducto. Tum in eodem textu ex consenso patris potest filiusfamilias pium testamentum efficere, & absque illios consensu eligit sepulturam, *cap. Cùm sit liberum* 6. *de sepult.* Barbosa *ibidem, num.* 4. Parladorius *diff.* 66. *§.* 1. *num.* 2. Gratian. *Discept. forens. cap.* 79. *num.* 19. Unde argumentum de electione sepulturæ ad testamenti factionem piam, non est efficax. 32

Præterea electio sepulturæ impuberibus denegator, ne dolo, aot fraude capiantur ad electionem illam efficiendam, *c. Ad nostram* 11. *de sepult.* Parladorius *d. §.* 1. *n.* 13. quæ quidem ratio cessat quando facit testamentum pium, ubi nulla fraus præsumitur, nec valet intervenire. Denique in electione sepulturæ, aot in illo, aut altero loco sacro, non viget ratio pietatis, prout in testamento pio; nam licet sepultura, & actus sepeliendi sit pia causa, *Ecclesiast. c.* 7. ibi: *Mortuo non negabis sepulturam*; & sunt exempla Tobiæ, & Davidis *lib.* 2. *Reg. c.* 2. Valenzuela *cons.* 87. *n.* 2. ast sepelire in hoc casu, cùm uterque locus sit sacer, parum, aut nihil pietatis consideratur: quod secus est in testamento pio, idcircò non est faciendum argumentum validum de electione sepulturæ ad testamentum piè faciendum. 33

De prodigo similiter disquirimus, an pium tastamentum facere valeat? Et negarunt plures, quando bona ei ioterdicta sunt: & rationem dant, nam prodigo interdicta est testamenti factio ex eo, quod comparatur pupillo, & quasi non integri judicii existimatur, *l. Is cui* 18. 34

animæ est concinnatum, præsumptio est tempore testamenti sanæ mentis fuisse, Rota 2. part. div. decis. 109. n. 11. Menochius cons. 683. num. 12. Boerius decis. 23. num. 83. Magdalenus de num. testium 2. part. cap. 4. num. 89. Gomez in l. 3. Tauri, num. 6 Mantica de coniect. lib. 2. tit. 5. num. 7. Trullench in Decalog. lib. 7. cap. 18. dub. 5. numer. 1. Bonacina tom. 2. de contract. disp. 3. quæst. 17. punct. 2. n. 2. vers. Verum sit, Thoro privileg. 130. Bossius dict. §. 3. num. 137.

14 Cæterum inter DD. disceptatur, an filiusfamilias, qui est in patria potestate, jam pubes possit facere testamentum ad pias causas. Prima sententia est Bart. in l. 1. C. de Sacrosanct. Ecclesiis, q. 3. principali, asserentis filiumfamilias posse facere testamentum pium cum consensu patris, & in bonis de quibus habet plenum dominium, absque illius consensu. Verum ipse Bart. in l. Qui in potestate, in fine principii, ff. de testament. aliter hanc propositionem expressit, ut in bonis adventitiis, quibus ususfructus patri non quæritur, ea libera sua voluntate pium valeat facere testamentum, Sed has duas Bartoli opiniones communiter reprobari scripsit Diana d. 7. p. tract. 6. resol. 6. Molina de iust. tr. 2. disp. 138. n. 10.

15 Secunda sententia asserit, nec ex consensu patris in quibuscumque bonis validè testamentum pium conficere; nam illa est certa propositio, ut filiusfamilias nequeat testamentum condere, nec etiam de consensu patris, l. Qui in potestate 6. ff. de testament. l. 13. tit. 1. part. 6. Est enim publicum jus testandi, l. 3. ff. de testament. nec aliis concedi valet, nisi his quibus de jure fuerit hæc facultas concessa: filiis verò familias, etiam patre consentiente interdictum est testari lege duodecim Tabularum, ex variis rationibus, quas congesserunt Gomez in l. 5. Tauri, num. 1. Spino in specul. testament. 4. part. rub. 9. num. 8. Donellus lib. 6. comment. cap. 5. Pichard. principio Inst. quibus non est permissum facere testamentum, num. 52. de Lugo de iust. disp. 24. sect. 4. num. 67. Illa verò aptior videtur, ne ultimæ voluntates in arbitrio alieno, nempe patris, ponerentur: Ergo nec de ejus consensu validè testamentum conficiet ad causas pias, Abbas lib. 2. cons. 63. vers. Quartò adduco, Aretinus, Fulgosius, & Jason in d. l. Qui in potestate, idem Fulgos. in l. 1. C. de Sacresan. Ecclesiis, ad finem, & alii relati à Spino in rub. de testament. 4. part. num. 10. vers. Quorum sententia, Pich. in princip. Inst. quibus non est permissum facere testament. num. 78.

16 Tertia asseruit contrarium, nempe posse filiumfamilias pium condere testamentum, ex decisione textus in cap. Licet 4. de sepult. in 6. ibi: Quamvis autem filius absque patris assensu possit sibi eligere sepulturam, pro anima tamen sua, præter ipsius assensum, nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat, aliud iudicare non potest. Unde colligitur filiusfamilias cum consensu patris posse alia disponere pro anima sua, & consequenter pium testamentum. Ita plures, quos sequitur Diana d. resol. 6. Clarus verbo Testamentum, q. 5. num. 6. Riccius in praxi for. decis. 668. n. 2. vers. Et quoad primum, Covarruv. in rub. de testament. 3. p. nu. 23. Farinacius in Repert. ult. vol. q. 51. n. 16. Spino de testament. 3. p. n. 23. Molina de just. tr. 2. disp. 138. vers. Dubium est, Rubeus pract. c. 55. n. 23. Bossius d. §. 3. n. 150.

17 In hoc dubio illud animadverto, quæstionem non esse quando filiusfamilias bona castrensia, vel quasi habuerit; nam in his interdictus non est testamentum facere, completo anno pubertatis, l. fin. C. de inoff. testam. Clarus verbo Testamentum q. 18. n. 6. Spino d. 4. p. n. 11. ad fin. Molina d. disp. 138. num. 1. idcircò ad causas pias validè testamentum conficiet.

18 Tota ergo concertatio est in aliis bonis adventitiis, in quibus ususfructus patri quæritur, & in quibus Jura filiisfamilias testari interdixerunt, etiam ea consensu patris, Clarus d. q. 18. n. 1. Nam cum maximus sit parentum amor erga filios, l. Cum furiosus 7. C. de curat. fur. l. de creationibus 27. Cod. de Episcop. Aud. l. Quidam cum filio 46. ff. de hered. inst. facilè traheretur ad hunc assensum præstandum, unde in his bonis patres grave detrimentum perciperent.

19 Hoc tamen excipit Jus Canonicum in d. c. Licet, quoties testamentum fit ad causas pias, cui juri standum est; nam ut diximus supra n. 6. Thoro privil. 167. in his piis testamentis tantùm inspiciendum est jus naturale, explosis omnibus solemnitatibus juris civilis. Cùm ergo solemnitas sit juris civilis, ne filiusfamilias, etiam ea consensu patris testamentum conficiat, ex d. l. qui in potestate, testamentum pium factum à filiofamilias ex consensu patris, validum erit, cùm ad id habeat potestatem. Cæterum in testamentis piis, ob bonum opus, non solum percipit fructum spiritualem filiusfamilias, sed pater qui consensum præstat ad illud efficiendum: quare Jus Canonicum, quod tantis viribus animarum saluti consulit, cap. Querelam 10. cap. Quintavallis 23. de jurejur. pium testamentum ex consensu patris facere permisit. Si verò ejus consensus non adsit, noluit Ecclesia id filiis concedere: nam ut docet Molina d. disp. 138. num. 9. noluit Ecclesia parentes bonis filiorum privare, quæ de jure eis competunt, nisi ea eorum consensu; est enim piissima mater, ne pater morte filii afflictus, amissione etiam bonorum affligeretur; quippe res inhumana videretur, l. Navis §. Cum autem ff. ad l. Rhod. leg. Tam dementis 28. C. de Episc. Aud. c. Ex p. 5. de Cleric. ægrot. Tusch. litt. A, concl. 240. n. 4. Farinacius d. q. 51. n. 17.

Sed dices, textum in d. cap. Licet, assumptum non probare, nec in illis verbis datur facultas filiusfamilias ex consensu patris pium efficere testamentum; nam ut animadvertit Pichardus ubi supra, n. 78. ibidem talis facultas non conceditur, sed tantum loquitur de aliis dispositionibus piis: sed tamen credendum est, hanc facultatem testandi filiisfamilias concedere ex patrum consensu, cùm hæc sit dispositio pia, ut aliæ dispositiones, Tiraquellus privileg. 78. num. 2. Pereyra in l. Si curatorem, C. de rest. in integ. verbo Læsis, n. 153. Augustinus Barbosa in d. c. Licet, n. 6. Ant. Faber. in C. Fabriana, lib. 1. tit. 2. diff. 40. 20

De jure nostro Regio filiifamilias, etiamsi fuerint in potestate patris, testamentum condere interdicti non sunt, quin valent illud efficere ex tertia bonorum parte, l. 5. Tauri, l. 4. tit. 4. lib. 5. Recopilat. Quapropter in hac tertia parte liberè disponunt, sive ad profanas, aut pias causas, Mathienzo in d. l. 4. glos. 3. n. 3. Molina d. disp. 138. n. 2. Villalobos in Sum. 2. p. tract. 30. diff. 10. n. 4. 21

Verum difficultas est, an quando filius de tertia parte disposuerit ad causas pias, & in bonis illius pater usufructum habuerit, illo privetur, ut causæ piæ exequantur. 22

Hæc disquisitio pendet ab alia quæstione, an de jure Regio filius disponens de tertia parte bonorum, in quibus pater habet usumfructum, possit patri præjudicium inferre in usufructu sibi competente. Abnegarunt plures, quia textus in d. l. 5. Tauri, concedens filiofamilias facultatem testandi, minimè aufert usumfructum patri, ut liberè filius de tertia parte bonorum faciat testamentum; quin potius regula est, post mortem filii illum integrè retinere, l. fin. §. Filius autem C. de bon. quæ lib. l. ult. in fin. C. Commun. de success. l. ult. C. ad Tertyllian. Castillo controv. lib. 1. cap. 3. n. 44. Ergo filius, etiamsi testari poterit de tertia parte bonorum, nequit præjudicium inferre in usufructu patris. Prætereà quælibet facultas intelligitur absque præjudicio tertii, & in dubio, de dispositione rei propriæ, non alienæ, ut est ususfructus patris, leg. Cum maritus 29. §. fin. ff. de pact. dot. leg. fin. de hered. instit. Ergo nequit filius in suo testamento præjudicare patri in usufructu tertiæ partis bonorum, Molina de primog. lib. 2. cap. 9. n. 22. Spino de testament. in rub. 4. p. n. 15. Mathienzo in d. leg. 4. gl. 3. n. 3. Castillo d. lib. 1. controv. c. 63. n. 29. D. Olea de cess. iur. tit. 2. q. 6. n. 10. Molina de just. tract. 2. disp. 138. n. 2. in fine.

Contrarium tenent Gomez in l. 6. Tauri, nu. 14. Menchaca de success. lib. 1. §. 1. num. 31. Azevedus in d. l. 4. tit. 4. lib. 5. num. 13. dicit veriorem Cervantes in l. 5. Tauri, num. 47. Ratio, nam leges Regiæ dando filiofamilias facultatem testandi in tertia parte bonorum, respectu illius concessionis sui juris illum efficiunt, & quasi liberum à patria potestate. Itaque de illa disponet non solum quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum: cæterum patres nullum præjudicium suscipiunt, nam alteras duas partes, in quibus tantùm usumfructum habent, etiam quoad proprietatem suscipiunt: Ergo nullum præjudicium, quin commoditatem suscipiunt. 23

In hoc dubio hanc secundam sententiam teneo; nam leges Regias satis colligitur amplè hanc facultatem concessisse liberis in potestate patrum existentibus, non solum quoad proprietatem, verum quoad usumfructum, idque præcipuè ex l. 6. Tauri, l. 1. tit. 8. lib. 5. Recopilat. 24

ibi:

ibi: *Pero bien permitimos, que no embargante que tengan los dichos ascendientes, que en la tercera parte de sus bienes puedam disponer los dichos desendientes en su vida, e hazer qualquiera ultima voluntad por su alma, e en otra qualquiera cosa que quisieren.* Quod idem animadvertit Azevedus *in d. l. 4. num.* 14. Deinde hæc interpretatio conformis est juri Cæsareo; nam quoties pater legitimam percipiebat, cætera alia bona simul remanebant *Auth. de heredibus ab intest. venient. §. Si vere*. Butierez *pract. lib.* 2. q. 40. Quod idem credendum est decrevisse nostras patrias leges, quando legitima duarum partium relicta patri, datur filio facoltas, ut liberè de tertia bonorum disponat: præcipuè cùm nostræ leges non strictè, verum amplè sint interpretandæ, quippe faciunt commune jus in Regno Castellæ, independenter ab alia extranea dispositione legali. Denique, nam quando datur facultas testandi, intelligitur cum effectu, ut cum Baldo, & Aretino tradit Mantica *de coniect. lib.* 3. *tit.* 18. *num.* 4. Itaque hæc facultas data à nostris legibus, intelligenda est de proprietate, & usufructu, alias à patre impediretur, ne sibi præjudicaretur, aut difficillimè proprietas alienaretur, dempto usufructu. Ex quibus fundamentis, quæ sunt primæ senteotiæ facilè responsionem accipiunt.

25 Infertur istinc, quod quando filiusfamilias de tertia parte bonorum disposuerit in suo testamento ad causas pias, intelligitur non solum de proprietate, sed etiam de usufructu; & in præsentiarum majori ratione, ne bonum animæ ex contraria sententia, & dilatione grave nocumentum percipiat; nam contradiceret pater, ne inquietum proprietarium sibi daretur, prout resisteret vivente filio, *l. fin. §. Filius autem, Cod. de bonis, quæ lib.* Faber. *in eodem tit. diffin.* 4. Salgado *de Regia Protect.* 4. *part. cap.* 8. *à numer.* 254. D. Olea *dict. tit.* 2. *quæst.* 6. *à numer.* 16. Itaque quando dispositio fit ad causas pias, efficaciori ratiooe intelligenda est facultas ista, non solùm de proprietate, sed de usufructu, ut considerant Gomez *ubi sup. n.* 14. Azevedus *in d. l. 4. n.* 13.

26 De impuberibus, an testamentum pium facere valeant, disquiramus. Et aliqui apud Donatum de Fin. *inter commun. opin. lib.* 6. *tit. qui testament. facere possunt, numer.* 45. affirmarunt: sed communior opinio negat. Nam impubes nequit testamentum facere, *l. Qua ætate* 5. *ff. de testament. l.* 13. *tit.* 2. *p.* 6. P. Gregotius *syntag. lib.* 47. *cap.* 8. nam est actus gravissimus, qui multum prudentiæ, & intelligentiæ requirit, Pichard. *in §. Præterea, inst. quibus permissum est facere testament. num.* 3. Itaque nec piè testamentum condere valent, cùm nullum sit privilegium, quod valeat prudentiam, & intelligentiam supplere, Clarus *verbo Testamentum, quæst.* 5. *num.* 3. Farinacius *in repert. ultim. voluntat. quæst.* 74. *num.* 26. Thoro *privileg.* 159. Molina *de iust. tract.* 2. *disput.* 136. *numer. fin.* Molfesius *in Summa de contract. tract.* 13. *cap.* 2. *num.* 76. Delugo *de iustit. disp.* 24. *sect.* 4. *num.* 64. Gomez *in leg.* 3. *Tauri, num.* 2.

27 In hac disquisitione distinguendum censeo, quando impubes proximus est pubertati, itaut habeat sufficientem intellectum, & quando non. Si enim proximus non est, nec intelligit sufficienter quidquid agat, nullum erit testamentum, quantumvis pium: quo in sensu intelligo Doctores ubi proximè relatos. Si verò proximus fuerit, & in eo vigeat sufficiens intellectus, aliqui asseruere adhuc testamentum pium facere non posse; nam donec vir annum decimumquartum, & fœmina duodecimum completum non habent, integrum intellectum non tenent, Bart. *in l.* 1. *C. de Sacrosanct. Ecclesiis, num.* 18. Benedictus *in cap. Raynutius, verb. Adiecta impuberi, num.* 68. *vers. Sed advertes*, Crassus *de success. §. Testamentum q.* 17. *num.* 5. Clarus *dict. quæst.* 5. *numer.* 3. Villalobos *in sum.* 2. *par. tract.* 30. *diff.* 10. *num.* 1. Diana 7. *p. tract.* 6. *resol.* 7. Bossius *d. §.* 3. *num.* 141.

28 Contrarium tenuerunt Bonacina *de contract. disp.* 3. *q.* 17. *p.* 2. *num.* 3. *vers. Quarto impubes*, Trullench. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 5. *num.* 1. Ratio, nam jus civile impuberi testari interdicens, non habet potestatem interdicendi opera pia, quæ sufficienti usu rationis peraguntur.

29 Hanc sententiam admitto; nam ut diximus suprà, in testamentis piis omnes juris civilis solemnitates exploduntur, & tantum quæ juris naturalis sunt requiruntur. Cùm ergo impubes sit proximus pubertati, & habeat sufficientem intellectum ad agnoscendum quid agat (ut supponimus) validè potest testamentum pium efficere: & confirmatur; nam de jure naturæ impubes proximus pubertati obligatur in contractibus absque tutoris auctoritate, *§. Pupillus, Inst. de inutilib. stipulat. §. Præterea, Inst. quib. mod. tollitur obligat. l. si pupillus* 21. *ff. ad l. Falcid.* Similiter obligatus remanet, si matrimonium contraxerit, *cap. de illis* 9. *de desponsat. impub.* & de furto tenetur, *l. Impuberem* 23. *de furt.* quod minimè fieret, nisi proximus pubertati intellectum integrum haberet sufficientem ad obligationem, saltem de jure oaturæ. Cùm ergo in testamento pio nihil aliud requiratur, nisi illud, quod de jure naturali requiritur, poterit pium testamentum efficere. Denique impubes proximus pubertati, de licentia Principis rectè testatur, Gomez *in d. leg.* 3. *Tauri, num.* 3. Crassus *de success. tom.* 1. *§. Testamentum, q.* 17. *n.* 5. *&* 6. Thoro *d. privil.* 159. *in fine*. Nam cùm habeat sufficientem intellectum, Principis licentia tollitur juris impedimentum: sed hoc juris impedimentum sublatum est a jure Canonico: Ergo rectè in causis piis impubes proximus pubertati testamentom conficiet.

30 Sed dices: Hoc impedimentum non est sublatum à Jure Canonico, quin potius in causis piis est textus, ut observetur: ad id expendunt aliqui Doctorum *cap. Licet* 4. *de sepult. lib.* 6. ubi decretum est, impuberes eligere sepulturam non posse, quod pium est. Ergo nec testamentum pium conficere possunt; valet enim argumentum de electione sepulturæ ad testamentum pium, Glossa ibidem, *verb. Eligere*, Barbosa cum Lara *de univ. iur. l.* 2. *c.* 10. *n.* 3.

31 Sed textus ille ex dictis valet interpretari, nempe quando impubes oon est proximus pubertati, aut habet intellectum diminutum, donec ad annos pubertatis perveniat: quo quidem casu nec eligere valet sepulturam, nec pium testamentum condere. Verum hoc interpretamentum solidum non est, quia absolutè textus ille prohibet impuberi eligere sepulturam, donec ad annos pubertatis perveniat, ibi: *Licet pater minores filiet, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam*. Medicis *de sepulturis q.* 8. Bonacina *de contractibus, disp.* 3. *q.* 21. *punct.* 3. *num.* 8. Sed adhuc plures asserunt impuberem, quando malitia supplet ætatem, posse eligere sepulturam, Barbos. *de univ. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 27. in quorum doctrina probabile est illud interpretamentum.

32 Veruntamen licet stemus in rigore verborum, ut minimè impubes valeat sepulturam eligere, *ex d. cap. Licet*, Zerola *verb. Sepultura §.* 1. Sperellus *decis.* 89. *nu.* 2. Narbona *de ætat. ad omnes actus requis. à n.* 14. *q.* 47. *in princip.* adhuc impobes proximus pubertati poterit testamentum pium efficere, si habet sufficientem intellectum; non enim est solidum argumentum de electione sæpulturæ ad testamentum pium: nam ut advertit Geminianus *in d. cap. Licet num.* 1. electio sepulturæ à facultate testandi plurimum differt, ut patet in exemplo pupillaris substitutionis ab eo adducto. Tum in eodem textu ex consensu partis potest filiusfamilias pium testamentum efficere, & absque illius consensu eligit sepulturam, *cap. Cùm sit liberum* 6. *de sepult.* Barbosa *ibidem, num.* 4. Parladorius *diff.* 66. *§.* 1. *num.* 2. Gratian. *Discept. forens. cap.* 79. *num.* 19. Unde argumentum de electione sepulturæ ad testamenti factionem piam, non est efficax.

33 Præterea electio sepulturæ impuberibus denegatur, ne dolo, aut fraude capiantur ad electionem illam efficiendam, *c. Ad nostram* 11. *de sepult.* Parladorius *d. §.* 1. *n.* 13. quæ quidem ratio cessat quando facit testamentum pium, ubi nulla fraus præsumitur, nec valet intervenire. Denique in electione sepulturæ, aut in illo, aut altero loco sacro, non viget ratio pietatis, prout in testamento pio; nam licet sepultura, & actus sepeliendi sit pia causa, *Ecclesiast. c.* 7. ibi: *Mortuo non negabis sepulturam*; & sunt exempla Tobiæ, & Davidis *lib.* 2. *Reg. c.* 2. Valenzuela *cons.* 87. *n.* 2. ast sepelire in hoc casu, cùm uterque locus sit sacer, parum, aut nihil pietatis consideratur: quod secus est in testamento pio, idcircò non est faciendum argumentum validum de electione sepulturæ ad testamentum piè faciendum.

34 De prodigo similiter disquirimus, an pium tastamentum facere valeat? Et negarunt plures, quando bona ei interdicta sunt: & ratiooem dant, nam prodigo interdicta est testamenti factio ex eo, quod comparatur pupillo, & quasi non integri judicii existimatur, *l. Is cui* 18.

ff. de testament. §. Item prodigus, Inst. eodem tit. l. 13. tit. 1. part. 6. Quapropter nec pium testamentum conficiet, quia ut diximus suprà, ex defectu intellectus nequit pium testamentum sustineri, Baldus in l. 1. C. de Sacros. Eccl. num. 7. Clarus d. q. 5. num. 4. Crassus d. q. 17. num. 7. Tuschus litt. T concl. 104. num. 15. Farinacius in Repert. ult. volunt. q. 74. num. 10. Gomez in leg. 3. Tauri, num. 14. Spino de testam. in rub. p. 10. n. 14. Molina de iust. tract. 2. disp. 137. n. 1. in fine, Delugo dict. disp. 24. sect. 4. num. 66. Diana d. 7. p. tract. 6. resol. 10.

35 Alteri verò contrarium tenent; nam interdictum hoc ne prodigus (cui rerum suarum administratio prohibita est) testamentum faciat, de jure tantùm civili est, nec de jure canonico approbatum: quapropter valet facere testamentum pium, Lessius de iust. lib. 2. cap. 19. dub. 7. nu. 83. Bonacina de contract. disp. 3. q. 17. punct. 2. n. 3. vers. Sed contrarium, Trullench. lib. 7. c. 18. dub. 5. num. 2. Thoro privil. 228. Bossius d. §. 3. n. 147.

36 Resolutio hujus difficultatis petenda à ratione decidendi, probante prodigum à Prætore interdictum bona sua administrare, testamenti factionem non habere. Illa enim præcipuè à Doctoribus datur, quia non præsumitur integræ mentis, & pupillo comparatur: tenent DD. primæ sententiæ, Gomez in d. l. 3. n. 14. Donellus comment. lib. 6. c. 5. Villalobos in Summa d. diff. 10. n. 9.

37 Pichard. in §. Item prodigus, num. 9. hanc decidendi rationem refellit; nam si prodigus sanæ mentis non præsumitur, nec valebit testamentum ab eo factum, antequam à Prætore administratio bonorum ei interdicatur; non enim hoc pendet ab interdicto Prætoris: ergo non est prodigus intelligendus sanæ non esse mentis, Connanus comment. lib. 9. cap. 4. num. 9. asserit hoc decretum esse favore propinquorum, quem impugnat Osuald. ad Donellum, lib. 6. comment. cap. 5. litt. O, Pich. ubi supra, num. 10. qui tandem asserit hanc esse pœnam à jure statutam, ut prodigus à tanto vitio resipiscat, est enim prodigalitas punienda, Gratianus discept. for. cap. 380. n. 26.

38 Ex his equidem rationibus cognoscitur, testamentum pium factum à prodigo, aut à bonorum administratione interdicto, valere, rectèque ab eo fieri; nam prodigus nec mente, nec judicio caret, nec talis præsumptio alicujus est ponderis, nec à jure naturali, & gentium probata, cui in testamentis piis standum est. Tum nec ratione pœnæ, cum pœna illa juris civilis sit, secundùm quod testamenta pia non regulantur, cap. Relatum 11. de testam. Denique probatur à ratione cessante; nam licet stemus in illa ratione decidendi, prodigus non dicitur mente carere, nec tale quid præsumitur, nisi quando agitur de damno vitando, non verò quando agitur de lucro captando, l. Mutuum 5. §. 1. ff. de acquir. hered. Sed quando facit testamentum pium, totus est in captando lucro animæ, quæ est pretiosior omnibus rebus temporalibus, l. Sancimus 17. C. de Sacros. Eccl. Leoncillus de privil. paup. 2. p. priv. 19. verb. Alienatio, nu. 5. Ergo intelligitur mente non carere, quapropter rectè testamentum pium aget.

39 De illo qui damnatus est ad mortem similiter dubitant DD. an piè testari valeat? Et illa crebrior opinio est, ut minimè possit, ex l. Eius qui 8. §. 1. ff. de testament. l. Si quis filio exheredato 6. §. Irritum, ff. de iniust. rupt. l. 15. tit. 1. p. 6. quæ jura ad causas etiam pias extendunt Abbas in rub. de testament. num. 11. Tiraquellus privil. 79. n. 3. Thoro privileg. 164. Farinacius in repert. ultim. vol. q. 39. num. 3. Molina de iust. tract. 2. disp. 9. num. 8. & alii relati à Diana d. tract. 6. resolut. 8.

40 Hanc disquisitionem ad certamen non adduco; nam contraria consuetudine introductum est, ut testetur damnatus ad mortem de jure communi, Clarus verb. Testamentum, q. 21. n. 21. Malderus de iust. tract. 1. cap. 11. dub. 3. Diana d. resol. 8. vers. Sed licet. De jure nostro Regio conceditur facultas testandi damnatis ad mortem, l. 4. Tauri, l. 3. tit. 4. lib. 5. Recopilat. Spino in rub. de testament. p. 8. n. 4. Covar. in eadem rub. 3. p. n. 44. Pich. in §. Eiusque, Inst. quibus non est permiss. facere testament. num. 11. Quamobrem damnatus ad mortem, ad causas pias rectè testatur. Excipio tamen, nisi bona ad Fiscum pervenire debeant, aut ipso jure, aut per judicis sententiam ex legis dispositione; tunc enim nequit facere testamentum, Azevedus in d. leg. 3. Recopilat. num. 18. quod idem in causis piis dicendum est, cùm nihil causa pia velit suscipere in damnum tertii, nempe fisci: videndus Bossius dict. §. 3. numer. 164.

Illud verò animadvertas cum Bonacina d. punct. 2. nu. 3. 40
Villalobos d. diff. 10. num. 6. Trullench. d. dub. 5. num. 9. quod si aliqua dispositio pia facta fuerit, quando bona ad Fiscum pertinent, post sententiam irrita erit: si verò ante sententiam, irritabitur; pendente verò appellatione, sustinebitur donec irrita fiat, Bossius d. §. 3. n. 171.

Servos nec ad pias causas testari posse communiter asse- 41
runt DD. asserunt tamen valere testamentum pium factum ab eo, qui de suo statu dubius est, ob favorem causæ piæ, cui in dubio favendum est, Abbas in rub. de testament. n. 11. ad finem, Tiraquellus privil. 79. n. 3. Thoro privil. 121. Molina de inst. tr. 2. disp. 137. n. 2. Delugo eod. tr. disp. 24. sect. 4. n. 65. Bossius d. §. 3. a n. 154.

Sed hæc disquisitio majorem indaginem requirit, quam- 42
obrem præmitto servum à testamenti factione activa esse privatum, ex duabus rationibus. Prima, nam cùm testamenti factio sit de jure publico, l. 3. ff. de testament. l. Verbis legis 120. ff. de verb. signific at. nullus testamentum facere valet, qui à jure civili non habeat capacitatem: servus autem de jure ipso pro nihilo reputatur, leg. Quod attinet 32. ff. de reg. iur. Ergo nequit facere testamentum, Pichardus princip. Instit. quibus non est permissum facere testament. Donellus lib. 6. comment. cap. 5. ubi Osuald. litt. C. Secunda ratio, quia servus nihil habet in bonis, de quo disponat in suo testamento; quidquid enim acquirit, domino acquirit, §. Item vobis 3. Inst. per quas personas nob. acquir. l. Quemadmodum 46. ff. de iur. dot. l. Placet 78. ff. de acquir. hereditat. l. 7. tit. 11. par. 5. Ergo nequit testamentum conficere, Gomez in l. 3. Tauri, num. 12. Villalobos d. diff. 10. num. 7.

Prima ratio non est efficax ad probandum servum testa- 43
mentum pium efficere non posse; nam testamenti factio non est de jure civili, verum de jure naturali, & gentium: & ratio est, nam nihil magis consonum est jure naturali, quàm voluntatem domini volentis ad alterum sua bona transferre, ratam haberi, §. Per traditionem, Inst. de rerum divis. præcipuè cùm hæc ultima sit, l. 1. Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis: tum & jure gentium; nam id introductum ferè ab omnibus est gentibus: quapropter testamenti factio de jure naturali, & gentium est, non à jure civili, nisi quædam solemnitates, quas adhibere necessarium fuit, ne in ultimis voluntatibus fraudes existerent, l. fin. Cod. de fideicommiss. GilKensius in l. 1. in principio, C. de heredibus inst. Pinellus lib. 2. Select. cap. 10. Spino de testament. in rub. 2. part. rub. num. 20. Covarr. lib. 3. var. cap. 6. num. 7. Unde sequitur, servum testamenti factionem habere de jure naturali, & gentium, nisi à jure civili impediretur: verùm quia in testamentis piis jus civile non attenditur, sed tantùm jus naturale, ut dictum est, servus poterit testamentum pium conficere. Et confirmo discursum, nam licet servus quoad jus civile pro nihilo reputetur, tamen quoad jus naturale æqualis est ingenuis, l. Manumissiones 4. de iust. & iur. Vaconius lib. 1. declar. cap. 21. Mendoza lib. 1. disp. c. 4. n. 12. Ergo cùm testamentum pium solùm requirat quæ sunt juris naturalis, quo inspecto servus ut liber censetur, sequitur pium testamentum conficere posse.

Altera ratio etiam nullius est ponderis; nam licet servi 44
olim rigidè tractarentur, & quidquid acquirerent, domino acquirerent; hodie verò humanius tractantur, suntque plures casus quibus servus bona sibi acquirit, quos recenset Sanch. cons. lib. 1. c. 1. dub. 1. n. 1. veluti quando intervenerit pactum inter dominum & servum, ut duobus argenteis domino contento, reliquum servo reservetur: vel si bona servo relinquantur ea conditione, ne domino acquirantur, quod non solùm intelligas si conditio illa ponatur expressè, verum si tacitè: vel si dominus aliquid donaverit servo, non solum quoad usum, sed quoad proprietatem: aut quando sibi assignata pensione à domino, parcè vixerit aliquam partem subtrahendo; & idem aliqui asserunt, quando servo aliquid datur ob illatam injuriam. Explicant latè Molina de iust. tr. 2. disp. 38. Lessius de iust. lib. 2. cap. 4. dub. 4. Diana 7. par. tr. 7. art. 28. Villalobos in Sum. 2. p. tr. 10. diff. 5. Delugo de iust. disp. 3. sect. 3. n. 43. Itaque secunda ratio in his casibus non subsistit.

Quamobrem in his casibus, quando servus bona 45
propria habuerit, existimo rectè testamentum pium conficere posse; nam de jure naturali habet testamenti factionem ad piè testandum: jure habet bona tam propria

& ta-

& taliter, ut si dominus ea abstulerit, ad restitutionem teneretur: cum Lessio & Villalob. Diana 7. *par. tract. 7. resol.* 33. Ergo ex nullo capite testamentum invalidum erit, si piè fiat à servo.

46 Si verò servus statum suæ conditionis ignoraverit, & testamentum pium condiderit, & revera liber fuerit, Bald. *in l.* 1. *de verbor. signific.* asserit validum non esse: sed etiamsi stemus in opinione illa, ut servus nequeat pium testamentum conficere, validum erit; nam licet de jure civili improbetur, *cap. Illud* 13. *quæst.* 2. *l. Qui testamenti* 14. & *l.* 15. *ff. de testament.* hæc est juris solemnitas, quæ minimè admittitur in testamento pio, Molin. & Delugo ubi supra citati, Thom. Maul. *de ultim. vol. lib.* 1. *tit.* 12. *num.* 7. Diana *d. tract.* 6. *resol.* 12. Bossius *d.* §. 3. *num.* 158.

47 De usurario manifesto disquirere succedit, anne possit facere testamentum pium? Et illud expeditum est, ut minimè possit condere, nisi restituat usuras, aut satisdationem dederit, alias irritum habebitur, *cap. Quamquam* 2. *de usur. lib.* 6. Clarus *verbo Testamentum* q. 26. Spino *in rubr. de testament.* 13. *part. num.* 24. Ricciol. *de iur. person. lib.* 4. *cap.* 58. *num.* 22. quod etiam extendunt DD. ad testamentum pium, quia Ecclesia nullum lucrum contra justitiam admittit, Abbas *in rubr. de testam. num.* 11. Tiraq. *privileg.* 79. *num.* 3. *in fin.* Thoro *privil.* 120. Covarr. *lib.* 3. *var. cap.* 3. *num.* 9. Farinac. *in repert. ultim. vol.* q. 74. *n.* 82. Bossius *d.* §. 3. *n.* 181.

48 Quid verò si testamentum pium condiderit, aut aliquod pium dispofuerit, & signa contritionis dederit, an absque aliqua cautione sustineatur? Plures asserunt non valere; nam ex eo quod nec restitutionem, nec satisdationem dedit, signa illa simulata censentur, itaque nec valebit testamentum, Spino *in rubr.* 13. *part. n.* 26. Vasq. *in opusc. de test. c.* 9. §. 1. *dub.* 8. *n.* 32. *vers. Tandem*, Delugo *d. disp.* 24. *sect.* 4. *n.* 70. *vers. An verò*.

49 Sed contrarium, nempè tales pias dispositiones valere, asseruere Dominic. *in d. cap. Quamquam*, Covarr. *d. n.* 9. *in fine*, Maul. *dict. lib.* 1. *tit.* 12. *num.* 7. Diana *dict.* 7. *part. tract.* 6. *resol.* 11. qui dicunt æquiorem hanc sententiam; potest enim evenire, ut restitutis usuris, aliqua bona propria remaneant ipsius usurarii: cum ergo usurarius signa dederit contritionis, causæ illæ piæ possunt animæ illius prodesse, idcircò sustinentur.

50 Difficultas ista valet ad concordiam reduci. Prima sententia percipi valet, quando usurarius manifestus signa dederit contritionis, tempore quo erat capax restitutionis, aut satisdationis; tunc enim signa illa simulata censentur, quapropter quælibet dispositio pia ab usurario facta non sustinebitur. Secunda sententia, quando morbo oppressus obmutuerit, & signa contritionis præstiterit, sed nec restituere, aut satisdationem dare valet; credendum est enim, quod si posset, restitueret, aut satisdaret, & insimul ex tali dolore misericordiam Domini consequutum. Ergo sustinebitur illa pia dispositio. Confirmatur, nam si usurarius manifestus ultimum elogium condiderit, & postea cautionem præstiterit, sustinetur illud testamentum, Castrens. *lib.* 2. *consl.* 290. Vasq. *d. dub.* 8. *n.* 32. Covarr. *d. num.* 9. *vers. Duodecimò*, Delugo *d. sect.* 4. *n.* 71. Gratian. *discept. forens. cap.* 79. *num.* 13. & 14. Signa enim illa præstita post piam dispositionem, gerunt vicem cautionis; credendum est enim, quando talia signa dedit, quod si posset, aut restitueret, aut caveret; & insimul Ecclesiam in quantum poterit, animæ illius favere, unde tales piæ dispositiones sustinebuntur, ut sustinent ultra allegatos, Lupus *alleg.* 125. Thoro *d. privil.* 120. *ad finem*.

51 De excommunicato similiter inquiramus. Sunt aliqui excommunicato testamenti factionem abnegantes, ut tenuerunt Hostiensis, Immola, & Monachus, relati à Gomez *in l.* 3. *Tauri*, *num.* 15. Fortun. Garcia *in l. Gallus* §. *Et quid si tantum*, *ff. de liber. & posthum.* quod aliqui probant in excommunicato denunciato, Bart. Simon. de Prat. Molfes. & alii apud Bonacinam *de contract. disp.* 3. q. 17. *punct.* 2. *num.* 3. & dubium relinquit Clar. *verb. Testamentum* q. 24. quod idem dicendum videtur, etiamsi testamentum fit pium cùm Ecclesia oblationes excommunicatorum non recipiat, nec pro eis oret, *cap. Placuit* 12. 23. q. 5. *cap. Non existimemus* 19. 13. q. 2. & consentire videtur Abbas *in rub. de testament. n.* 11.

52 Sed contrarium tenendum est, nam excommunicatus, licet denunciatus, habet testamenti factionem activam, cùm à nullo jure prohibeatur testari, Spino *in rub. de testament. p.* 11. *num.* 67. Gomez *in l.* 3. *Tauri*, *num.* 15. Covarr. *in rub. de testament.* 2. *p. num.* 56. Vasquez *d. dub.* 8. *num.* 31. Villalobos 2. *p. tract.* 30. *diff.* 10. *num.* 11. Delugo *d. sect.* 4. *num.* 69. Bonacina *d. num.* 3. Ergo majori ratione poterit conficere testamentum pium. Cæterum, nam hæc pia disponere meritorium est, ut à culpa resipiscat, & vitam æternam consequatur, Abbas *d. num.* 11. & Ecclesia recipit excommunicatorum eleemosynas, & personales oblationes, licet non publicè, ne cum eis communicet. Ergo pium testamentum ab excommunicato factum sustinebimus. Denique piæ dispositiones non solum proficuæ sunt ipsis relinquentibus, verum aliis quamplurimis. Itaque licet ex parte excommunicati non essent admittendæ, admittuntur tamen ab Ecclesia ratione aliorum. Idcircò semper excommunicati testamentum pium sustinetur Thoro *privileg.* 227. Bossius *d.* §. 3. *n.* 180.

53 De surdo, & muto disquiramus, an facere possit testamentum pium? Negarunt plures apud Dianam 7. *p. tract.* 6. *resol* 14. inquiunt enim, surdum, & mutum non posse explicare suam voluntatem, nisi aliàs sciat legere, & scribere, ut illam demonstret, §. *Item surdus*, *Inst. qui testament. facere possunt*, *l. Discrevi* 10. *C. qui testament. facere possunt*, *l.* 13. *tit.* 1. *p.* 6. Ergo cùm mutus & surdus nequeat suam mentem demonstrare, nec ad pias causas valet testamentum conficere.

54 Contrarium tenent Molina *de iust. tract.* 2. *disp.* 136. *nu.* 6. Delugo *d. sect.* 4. *num.* 68. Dicastillo *de iust. lib.* 2. *tract.* 19. *disp.* 12. *num.* 134. Molfesius *in Sum. tract.* 13. *cap.* 2. *num.* 86. Diana *d. resol.* 14. & rationem dant, quia ad testamentum pium non requiritur expressa voluntas, sed quæ aliquo nutu significetur, ut dicam infra: Ergo mutus, & surdus valet pium testamentum conficere.

55 Sed in hac difficultate distinctio facienda est, quando mutus & surdus, sive sit ex morbo, sive à nativitate, nullum habet intellectum, quin potiùs infantibus, & furiosis comparatur, Cujacius *in not. ad Inst. tit. de testament.* Farinacius *in praxi criminali* 2. *part.* q. 98. *num.* 193. Idque duabus rationibus valet evenire: una sensata, ex defectu nervorum impediens auditum, & loquelam, unde supponitur defectus cerebri, quod intellectus instrumentum est, ita ut ille absque dubio depravetur, ut furiosis, & amentibus evenit. Physica est altera; nam intellectus humanus in dies perficitur consuetudine, & disciplina, ad quam recipiendam muti, & surdi inhabiles sunt, quapropter tanquam amentes considerantur, Zachias *quæst. medic. lib.* 2. *tit.* 1. q. 8. *à n.* 11.

56 Hi enim muti, & surdi minimè queunt facere testamentum, ex defectu intellectus, Gomez *in leg.* 3. *Tauri*, *num.* 16. Pich. *in d.* §. *Item surdus*, *num.* 2. Spino *de testament. in rub.* 9. *p. num.* 1. & 6. quod etiam extendendum ad testamentum pium, sicut ad militare, *l. Iure militari* 4. *ff. de testam. milit.* Sicut nec professionem, aut matrimonium valent efficere, Bald. *in l.* 1. *C. de Sacrosan. Eccl.* Zachias *d.* q. 8. *à n.* 21. Spino *d. p.* 9. *n.* 4.

57 Si verò mutus & surdus intellectum habeat (prout multis evenit, quando ex accidenti muti, & surdi facti sunt, & experientia demonstrat, de qua testatur Bart. *in l.* 1. *ff. de verb. signific.*) is benè pium testamentum conficit, quia in testamentis piis, nec requiritur ut verbis, aut scriptura suam voluntatem demonstret, hoc enim pertinet ad juris solemnitatem, *l. Iubemus* 29. *C. de testament.* Trullench. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 5. *n.* 2. quæ in testamentis piis non attenditur: itaque rectè piè testatur, sicut & Religionem profitetur, & contrahit matrimonium, Spino *dict.* 9. *p. n.* 3. & cum multis explicat Tiraquellus *privil.* 9. ubi Thoro, Leoncillus *de privilegiis pauperum*, *privileg.* 388. *verb. Testamentum*, *n.* 34. 2. *part.* Bossius *d.* §. 3. *n.* 138. Ezpeleta *de casib. occur. tr.* 12. *resol.* 7. *n.* 2.

58 In cæcorum testamentis quædam adhibitæ sunt solemnitates *in l. Hac consultissima* 21. *C. qui testament. facere possunt*, *l.* 14. *tit.* 1. *p.* 6. quæ quidem de jure Regio in numero testium novantur, *in leg.* 3. *Tauri*, *l.* 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopilat.* ubi Regnicolæ. Verum quoad testamentum pium illam contra Angelum admittimus sententiam, ut absque illis solemnitatibus cæcus testamentum pium facere valeat, cùm hæ sint juris civilis scrupulositates, ut cum aliquibus Mantica *de coniect. lib.* 6. *tit.* 3. *n.* 17.

Tuscus *litt. T. concl.* 116. *numer.* 45. Farinacius *d. quæst.* 74. *num.* 19. Leoncillus *d. privileg.* 388. *verb. Testamentum*, *num.* 33.

CAPUT VI.

De testamentis piis, quoad solemnitates testium, institutionis, revocationis, & aliarum rerum ad illas pertinentium,

SUMMARIUM.

Testes in testamento pio non sunt de substantia, sed ad probationem, n. 1. *Opponitur textus* in cap. 10. de testam. *& explicatur, num.* 2.

An valeat testamentum pium cum duobus testibus minus idoneis? Alii affirmant, alii negant, n. 3. *& 4. explicatur à n.* 5. *& seqq. Resolvitur n.* 10.

Adducitur quæstio, an testes sint de substantia in testamento pio? In qua aliqui affirmant, num. 11. *Sed contrarium tenendum, n.* 12.

Si testator schedulam reliquerit, in qua pia continentur, sustinetur, etiam ex vi testamenti, & non improbabiliter, n. 13. *Idem si demonstraverit aliquid pium fieri voluisse, num.* 14.

An quando testator incepit tantum facere testamentum, pia iam disposita valeant? Aliqui affirmant, num. 15. *contrarium proponitur, num.* 16. *admittitur prima sententia, num.* 17.

Testamentum pium, scriptum manu testatoris, vel ab eo subscriptum, absque testibus sustinetur, & comprobatur, n. 18. *& 19. & quomodo probetur, à n.* 20.

An pium testamentum imperfectum, ratione voluntatis valeat? tres sunt sententiæ, à num. 22. *resolvitur num.* 25. *& seqq.*

Quando quis piè testatur, potest mori pro parte testatus, & pro parte intestatus, n. 28.

Testamentum pium potest fieri nutu, & signis: quod contra aliquos defenditur, à n. 29.

Captatoria voluntas an valeat in testamentis piis, latè disquiritur a n. 30. *& seqq.*

In testamentis piis non est necessaria hæredis institutio, n. 37. *potest hæres incertus institui, n.* 38.

Sed est quæstio, an necessarium sit, ut hæreditas adeatur? à n. 39. *sed resolvitur negativè, n.* 40.

Discutitur quomodo causæ piæ competat actio personalis adversus legatum, quando hæreditas adita non est, a n. 41. *& seqq.*

Disceptatur an causa pia possit hæres institui, relicta legitima filiis in modum legati, à n. 46. *sed dicitur valere institutionem, n.* 47.

In testamentis piis non requiruntur plures solemnitates, quæ recensentur, n. 48.

In testamentis piis nec tempus, nec dies requiritur, contra aliquos, n. 49. *& 50.*

Et quid quando adsunt duo testamenta pia, sed non constat quod prius fuerit factum, à n. 51. *& seqq.*

1 Testes in testamentis piis, non ratione substantialis solemnitatis requiruntur, ut in aliis profanis testamentis, sed tantum quoad probationem; ideircò duo tantùm sufficiunt ad comprobationem testamenti pii, *cap. Relatum* 11. *de testam.* exploso numero aliorum testamentorum, Gratianus *Discept. forens. cap.* 219. *num.* 26. Leoncillus 2. *p. privileg.* 388. *num.* 29. Ratio est, nam ad excludendas fraudes in aliis testamentis, amplior numerus requiritur; quæ cùm cessent in testamento pio, duorum numerus sufficit, & ipsi solum ad probationem. Tum, quæ spiritu Dei aguntur, legibus humanis non subjacent, *cap. Duæ sunt* 2. 19. *q.* 2. *cap. Licet* 18. *de regul.* Quapropter in testamentis piis duo testes solùm ad probationem sufficiunt, Rota apud Puteum *lib.* 3. *decis.* 97. Clarus *verbo Testamentum q.* 6. *num.* 2. Spino *de testament. glos.* 31. *à num.* 40. Farinacius *in repert. ult. volunt. q.* 61. *num.* 29. Rubeus *pract. cap.* 20. *num.* 7. Lessius *de just. lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 2. Villalobos *in Sum.* 2. *part. tract.* 30. *diff.* 4. *n.* 3. Diana 7. *par. tract.* 6. *resol.* 15. Bossius *dict. tit.* 12. §. 1. *n.* 6.

2 Inest verò aliqua difficultas *ex cap. Cum esses* 10. *de testament.* nam ultra duos testes requirit Parochi præsentiam in testamentis piis, ibi: *Coram Presbytero suo.* Quem textum intelligunt Fulgosius *cons.* 29. Clarus *d. q.* 6. *n.* 1. tantum in piis testamentis: Ergo ad testamentum pium ultra duos testes præsentia Parochi est necessaria. Ast textus ille capiendus est, non solum de piis testamentis, quæ si fiant coram Parocho, & duobus testibus, valent; verum etiam de profanis in terris Ecclesiæ: voluit enim Pontifex, quatenus Princeps sæcularis est, in suis Provinciis solemnitates testium in testamentis evanescere, ita ut si coram duobus, & insimul Parocho fierent, omninò sustinerentur. Unde sequitur, in testamentis piis præsentiam Parochi non esse necessariam, quia textus ille loquitur in profanis testamentis factis in terris Ecclesiæ. Spino *d. glos.* 31. *numer.* 34. Covaruvias *in d. cap. Cum esses, numer.* 23. Clarus *verbo Testamentum, quæst.* 57. *numer.* 1. *&* 2. Tondutus *quæst. Benefic. tom.* 1. *cap.* 81. *num.* 7. Capon. *tom.* 5. *cap.* 328. *numer.* 25. Lessius *d. dub.* 2. *num.* 5. Molina *de just. tract.* 2. *disp.* 133. *num.* 3. Quod alii universaliter intelligunt in foro Ecclesiastico, ut quoties testamentum cum duobus testibus, & cum Parocho factum exhibeatur, validum existat, Clarus *ubi proximè, num.* 2. Farinacius *in Repert. ult. volunt. q.* 61. *num.* 9. Comitol. *resp. mor. lib.* 7. *q.* 1. *num.* 8. defensabile dicit Barbosa *in d. cap. Cum esses, num.* 2. Bossius *d.* §. 1. *n.* 9.

3 Est difficultas non obliviscenda, si duo testes in testamento pio adhibeantur minus idonei, an valeat, necne? Et Castrens. *lib.* 1. *cons.* 328. cum quo transit Diana *d. tr.* 6. *resol.* 16. asserunt sustinendum; nam illa suspicio, quæ oritur ex minori idoneitate, à causa pia purgatur, quæ tollit omnem suspicionem fraudis.

4 Contrarium tenent Bald. *lib.* 5. *cons.* 244. Tusch. *lit. T. concl.* 116. *num.* 7. Mantic. *de coniect. lib.* 6. *tit.* 3. *num.* 6. nam textus *in cap. Relatum*, duos aut tres testes legitimos petit ad testamentum pium; legitimi enim sunt omni exceptione majores, in quibus suspicio non cadit. quamobrem si fuerint minus idonei, non sustinebitur testamentum pium.

5 In hoc dubio animadverto, testes duobus modis per se minus idoneos considerari in testamentis. Primò per inhabilitatem juris naturalis, utpotè infantes, furiosi, mente capti, aut alio modo impedit intelligere actum testandi: & hæc inhabilitas habet locum in testamentis piis; nec enim aliquid probare poterunt, unde pium testamentum ruet. Est tamen altera idoneitas in testibus testamentis adhibendis, veluti ne sint mulieres, servi, impuberes, rogati, & cum aliis solemnitatibus, & respectu harum circumstantiarum est difficultas.

6 Aliqui existimarunt, etiam in testamentis piis requiri ut testes habeant omnes juris solemnitates, ut in testamentis profanis; quapropter mulieres nequeunt esse testes, nec duæ mulieres sufficient. Hunnius *in Encyclop. jur.* 4. *p. tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 22. Gilken. *in l.* 1. *C. de Sacros. Eccles. numer.* 15. Tuto & togatos esse testes volunt Barbat. *in cap. Delatum, de testament.* Boet. *decis.* 34. Romanus *in Auth. similiter, Cod. ad l. Falcidiam, n.* 11.

7 Alteri verò inquiunt ad testandum piè non esse necessarium, ut testes habeant omnes qualitates juris civilis, sed sufficere habere illas, quæ de Jure Canonico requiruntur: quo in sensu intelligunt textum *in dict. cap. Relatum*, quatenus petit legitimos testes, Covarr. *in dict. cap. Relatum, n.* 11. Farin. *in repert. ultim. voluntat. quæst.* 53. *n.* 11. Bossius *d.* §. 1. *n.* 15.

8 Sed quæ sint requisita juris Canonici in testibus ad testandum, incertum est, dum aliqui asseruot Jus Canonicum petere omnes qualitates, quæ de jure civili requiruntur; nam in terris Ecclesiæ, licet numerus testium in testamentis correctus fuerit, non verò qualitates requisitæ, Covarr. *in d. c. Cum esses, n.* 24. & alii apud Cened. *collectan.* 159. Rubeus *practicarum cap.* 34. *n.* 99.

9 Ast credo in testamentis piis non esse admittendam hanc sententiam, quin potiùs sufficere habere qualitates requisitas de jure naturali ad testificandum, & probandum; nam *in cap. Relatum*, testamenta pia non secundùm leges, sed secundùm jus naturale regulantur: quod idem in testium qualitatibus dicendum est, Dian. *dict. tract.* 6. *resol.* 17. Vasquez *in opuscul. de testam. cap.* 8. §. 5. & in aliis testamentis de Jure Canonico idem tenet Abbas *in dict.*

cap.

cap. Cum esses, num. 3. & in cap. Relatum, num. 9. & alii adducti à Barbosa in d. cap. Cum esses, num. 7.

10 Istinc resolvitur, quod si testes minùs idonei sint ex qualitatibus à jure civili requisitis ad testandum, non nocere testamento pio, quin validè comprobetur ab ipsis: quare valet testis, licèt non sit rogatus. Tiraquell. privil. 3. Covarruv. in d. cap. Relatum, n. 4. Spino d. gloss. 31. n. 45. Gratian. discept. for. cap. 93. n. 8. Diana dict. tract. 6. resol. 18. & fœminæ testes sunt idonei. Spino dict. gloss. 31. num. 41. Mantica dict. lib. 6. tit. 3. num. 5. Covarruv. in dict. cap. Relatum, num. 7. Farinac. de testibus, quæst. 59. casu 3. num. 70. Tiraquell. privileg. 5. Thoro privileg. 167. Rota apud Farinac. in repert. ultim. volunt. decis. 67. num. 15. Bossius dict. §. 1. à num. 2. & cum duabus fœminis pium testamentum valere scripsit Tuschus lit. T, conclus. 116. n. 19. nec requiritur testium subscriptio, Tiraquel. privileg. 4.

11 Istinc alia difficultas resolvitur, anne testes duo testamento pio adhibendi sint de substantia, taliter ut uno deficiente corruat? Et aliqui de substantia esse asseruere, ex dict. cap. Relatum, quod tantùm numerum testium abstulit, non verò ut essent de substantia. Aretin. cons. 64. col. penult. vers. His non obstantibus, Rota 2. part. divers. decis. 74. n. 5. & alii apud Rubeum practicar. cap. 20. n. 6. Cancerius 1. part. cap. 4. n. 116.

12 Contrarium tenendum est, ut minimè sint de substantia, sed tantùm ad probationem, validumque testamentum pium remanere, saltem in foro conscientiæ, ut in dict. cap. Relatum, tenent communiter DD. Ratio est, nam de jure naturali ex sola voluntate testatoris sustinetur testamentum, præcipuè pium, in quo nulla fraus præsumitur. Romanus in Authent. similiter, Cod. ad leg. Falcidia num. 95. Mantica dict. lib. 6. tit. 3. num. 2. Rubeus pract. cap. 3. num. 274. & cap. 55. num. 20. Quapropter absq; testibus sustinebitur, & solùm testes ad probationem deserviunt. Cæterum, nam ut docet Genuens. pract. capite 660. num. 3. Thoro privileg. 226. testamentum pium aliis modis comprobari valet, quàm testibus, & sustinetur taliter, ut ad executionem trahatur: unde facilè perpenditur, absque testibus valere, nec ipsi de substantia sunt. Rubeus dict. num. 6. Mantica dict. tit. 3. num. 9. Tiraquell. privil. 4. Lessius de inst. lib. 2. cap. 19. dub. 1. num. 7. de Lugo eod. tract. disp. 22. sect. 9. num. 266. Sanchez consil. lib. 4. cap. 1. dub. 7. n. 6. Diana d. tract. 6. resol. 15. ad fin. Laym. lib. 3. tract. 5. cap. 2. n. 3. Boss. d. §. 1. à n. 6.

13 Unde plurima inferuntur, & in primis, quod si testator aliquam schedulam reliquerit, aut alio modo suam voluntatem demonstret instituendi, aut donandi rem aliquam causæ piæ, hæredem adimplere teneri (si nulla est comprobatio) in foro poli. Ast ut animadvertit Rubeus pract. cap. 28. num. 349. poterit schedula illa comprobari, si testes deponant se vidisse illam scribere; non tamen si tantùm dicant literam esse defuncti, quia tunc deponerent de judicio proprio. In vim tamen testamenti negant plures schedulam illam esse admittendam. Clarus verbo Testamentum, quæst. 14. Cevall. commun. quæst. 136. Alii affirmant, quod improbabile non est, si testator in vim testamenti valere voluerit. Illud tamen certum est, schedulam illam pia continentem, executioni esse mandandam, prout obtinuisse testatur Cancer. 1. part. variar. cap. 4. n. 8. Leoncill. dict. 2. part. privil. 588. verbo Testamentum 1. n. 32. & decis. Ferrar. 71. n. 4. Riccius collect. 215. vers. 7. Bossius d. §. 1. à n. 34.

14 Cæterùm si testator suam voluntatem demonstraverit faciendi aliquod pium, hæres facere tenetur, etiam sine aliqua scriptura. Layman d. cap. 2. num. 4. vers. Cæterum, qui casum cujusdam defuncti explicat, schedulam pia continentem relinquentis, quæ si manu testatoris conscripta sit, & ejus manus agnoscatur, aut duobus testibus comprobetur, exequenda est: secus verò si à Parocho adnotaretur, seu subscriberetur, nisi simul cum illo alius adesset testis. Villalob. in Sum. 2. part. tract. 30. diff. 4. n. 6. qui idem asserit quando occultè aliquid concesserit, ut ad piam causam divertatur, vel alicui pauperi applicetur, de Lugo d. sect. 9. n. 268.

15 Prætereà quando testator incepit facere testamentum pium, & morte præventus illud non perficit, validum est, idemque dicendum quoad legata pia scripta in testamento adhuc non perfecto: ratio est, nam jam constat de voluntate testatoris, quæ in causis piis absque aliqua solemnitate est observanda. Deinde ideò non valet tale testamentum in profanis, quia præsumitur illud, cùm adhuc non perfecerit, ac voluntatem velle mutare, l. Si is qui de testamento, §. Eo autem solo, Instit. quibus mod. testament. infirment, l. 23. tit. 1. part. 6. quæ quidem præsumptio cessat in testamentis piis; nam in his quæ ad salutem animæ pertinent, absque timore revocationis instituta censentur. Tiraquell. privil. 7. num. 4. Covarruv. in cap. Relatum, num. 14. Rota 7. part. recent. decis. 118. Rubeus practicar. cap. 8. à num. 390. Dicastill. de inst. tract. 19. disp. 1. dub. 10. n. 124. Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 18. dub. 4. n. 3. Layman d. cap. 2. n. 6.

16 Hæc doctrina impugnatores habet qui ducuntur, nam ut inquit Consultus in dict. l. Si is qui, in præsentiarum magis testamentum videtur cœpisse, quam perfecisse; unde apparet nullum esse testamentum ex defectu voluntatis, quapropter nec testamentum pium, nec legata pia valent sustineri. Gomez in l. 3. Tauri, num. 18. versic. Quarto extendi, Clarus verbo Testamentum, quæst. 7. num. 4. Magdalenus de num. testium, 3. part. cap. 5. num. 22. Fachin. controv. lib. 4. cap. 3. Ruther. de differ. Iur. Civil. & Canon. lib. 2. n. 4. Thoro privileg. 167. versicul. Quarto si testamentum.

17 Verùm primam sententiam admittendam censeo; nam testamentum profanum in prædicta specie nullum non est ob defectum voluntatis, seu quia testator poterat mutare suam voluntatem, ut benè Gomez in dict. l. 3. num. 19. quæ ratio in piis cessat, ut diximus supra num. 17. Admitterem tamen eorum sententiam, quando testator memoriale, aut schedulam fecisset, & juberet accersiri testes, & Notarium ad faciendum testamentum: quo in casu defectus est voluntatis, cùm nondum illam certò demonstraverat; itaque dispositio illa, quantumvis pia, non erit adimplenda. Clarus dict. quæst. 7. num. 7. Barbosa de univ. iur. lib. 3. cap. 27. num. 69. de Lugo de inst. disput. 22. sect. 9. num. 276. Trullench. dict. dub. 4. num. 3. Diana dict. tract. 6. resol. 20. Pasqualig. de Sacrif. Missæ, quæst. 988. n. 7. Secus si deliberatè declarasset suam voluntatem coram aliquibus, & vocaret Notarium, ut illam in scriptis redigeret; tunc enim perfecta est, & licitè antequam Notarius veniret moreretur, sustinebitur, ut cum Decio, & aliis notat Cancer. 1. part. var. cap. 4. n. 96.

18 Quid verò de testamento pio scripto manu testatoris, & ab eo subscripto absque testibus, vel alia solemnitate? Et ex dictis de schedula facilè resolutio suscipitur, ut validum sit, & adimplendum, si aliquo modo comprobetur, aut per testes, vel literæ agnitionem, prout in testamento inter liberos, quod ex sola subscriptione sustinetur, Auth. si modo, Cod. famil. ercifcund. Tiraquell. privil. 4. Thoro privileg. 167. versic. Secundo nullus, Gratian. discept. 969. n. 17. tom. 5. Crescent. decis. 4. de testament. Gratian. discept. 605. n. 20. & 22. Cancer. 1. part. cap. 15. n. 97. Ezpeleta tract. 13. resolut. 10. Bossius d. §. 1. à n. 39.

19 Idem dicendum quando alius testamentum scriberet, & testator subscripserit; qui enim subscribit, videtur omnia scribere, & approbare, licèt altera manu scriberetur, princ. Inst. de empt. & vendit. l. Pluribus, ff. de verbor. obligat. ubi Angelus, Covarruv. pract. cap. 22. n. 4. Gratian. cap. 769. n. 14. & 15. Similiter asserendum, si testamentum à testatore scriberetur, non tamen subscriberet; jam enim deliberatè est perfecta voluntas illa pia, & valet adimpleri, ut cum aliquibus Valasco consult. 67. n. 8.

20 Hæc verò testamenta, quæ fiunt absque testibus, quoad forum fori comprobanda sunt, aliàs negata non sustinebuntur: quapropter unus testis ad eorum probationem non sufficit, sed duo erunt necessarii, ex dict. cap. Relatum, Mantica de coniect. lib. 6. tit. 3. num. 9. Thoro ad Tiraquel. privileg. 4. Valasco dict. consult. 67. à num. 12. qui optimè explicat quid deponere debeant testes, ut similia testamenta pia exequantur: residet tamen num. 14. debere deponere testes se vidisse testamentum illud pium scribere, licèt non dicant ibidem contenta, dummodo adsit comparatio literarum. In praxi verò jam esse receptum, ut dicant testes illam esse literam testatoris, quia viderunt sæpissimè illum scribentem, & habent notam literam, & characteres: quibus depositionibus si compararatio literarum adhæreat, sustinebitur testamentum pium. Bos. dict. §. 1. num. 4.

21 Illud tamen ab ipso Valasco num. 15. libet animadvertere,

vidiſſe in Senatu chartam ad pia cujuſdam teſtatoris admiſſam, & probatam, in qua unus teſtis aderat deponens ſe vidiſſe illam ſcribere, & alii qui audierant teſtatorem quandam ſchedulam teſtamenti feciſſe, abſque aliqua literarum comparatione. Si verò comparatio literarum facienda ſit, id non tam rigidè exigitur, ut à jure communi petitur *in l. Comparationes* 20. *Cod. de fide inſtrument.* Afflict. *deciſ.*181. Grammat. *deciſ.* 84. Verùm id totum religioni judicantis committo, ut inde perpendat, an ex ſola literarum comparatione teſtamentum iſtud ſit exequendum, ut ſcripſit Menochius *de arbitrar. lib.*2. *controv.*2. *caſu* 114. *num.*15. Maſcardus *de probation. concluſ.* 330. *num.*15. Farinacius *in fragment. crimin.* 1. *part. lit. C. num.*421.

22 Eſt dubium, an pium teſtamentum imperfectum ratione voluntatis, validum ſit, necne. Prima ſententia affirmat, *ex l. In teſtamento* 38. *ff. de fideicomm. libert.* ubi in teſtamento nondum perfecto libertates fideicommiſſariæ datæ ſunt, & tamen ſuſtinentur: unde licèt imperfecta fuerit voluntas teſtatoris, piæ diſpoſitiones (ut eſt libertatis datio) ſemper validæ erunt: cæterùm teſtamentum inter liberos ſuſtinetur, non ſolùm quando deficiunt juris ſolemnitates, *l. Hac conſultiſſima* 21. §. *Ex imperfecto*, *C. de teſtam.* Gaill. *obſerv. lib.*2. *cap.* 112. ſed etiamſi imperfecta ſit voluntas patris, *l. ult. Cod. familia herciſcund.* Ergo ſimiliter teſtamentum pium. Ita cum pluribus Tiraquel. *privil.*7. Covarruv. *in d. cap. Relatum*, *n.*10. Mantica *de coniect. lib.*6. *tit.* 3. *n.*9.

23 Secunda ſententia tenet contrarium, *ex l. Si iure* 11. *Cod. de teſtament. manumiſſ.* ubi ſi teſtamentum validum non eſt, nec libertates in eo datæ: nec diſtinguitur, an invalidum fuerit defectu ſolemnitatis, aut voluntatis: præterea melior eſt ſententia, teſtamentum inter liberos non ſubſiſtere ex defectu voluntatis, ut tenent plures recenſiti à Tiraquel. *d. privil.*7. ergo nec teſtamentum pium. Bart. *in l. Si is qui*, *ff. de teſtament. & in d.* §. *Ex imperfecto*, Boer. *deciſ.*93. *n.*10. Mynſing. *cent.* 5. *obſerv.*28. Cened. *collect.*91. *n.*5. Gratian. *diſcept. for. cap.*764. *num.*25. Vivius *in Sylva commun. opin.*88. *n.*1.

24 Tertia ſententia diſtinguit, quando imperfectio voluntatis eſt reſpectu totius teſtamenti, aut quando eſt imperfecta reſpectu diſpoſitionis, de qua agitur: quando enim eſt imperfecta voluntas reſpectu totius teſtamenti, nequit ſubſiſtere teſtamentum pium, ſecus reſpectu alicujus diſpoſitionis; nam pia in teſtamento contenta valida exiſtent, ut cum Abbat. & Decio ſcripſit Tiraquel. *privil.*7. *verſ. Sunt tamen.*

25 In hoc dubio illud in primis animadverto, jura quæ pro prima, & ſecunda ſententia adducuntur, illas non probare: recipiunt interpretamenta adducta à Romano, & perpenſa à Tiraquel. *dict. privileg.*7. *verſ. Contrarium tamen.* Aſt ex ipſorum contextu facilè deſumitur, valere libertates fideicommiſſarias, *in d. l. In teſtamento*, quia non erat imperfectio voluntatis; ſecus autem *in d. l. Si iure*, ubi teſtamentum nullum erat ex non perfecta voluntate teſtatoris: qua interpretatione ſuſcepta admitto ſecundam ſententiam, ut minimè ex defectu voluntatis ſuſtineatur teſtamentum pium: & ratio eſt, nam nequit ſuſtineri, niſi habeat illa de jure naturali requiſita; voluntatis verò imperfectio eſt defectus juris naturalis, non enim de jure naturali aliqua diſpoſitio valet ſuſtineri abſq; Domini voluntate, & conſenſu, nec ad id datur aliqua diſpenſatio, ut in terminis animadvertit Gratian. *d. diſc.* 764. *num.*25. Itaque ex voluntate imperfecta nequit pium teſtamentum ſuſtineri. Tum voluntas imperfecta, voluntas non eſt, *leg. Cum Syllanianum*, *Cod. de his quibus ut indign.* Mantica *de coniecturis*, *lib.*3. *tit.*3. *num.*11. Caſtillo *controverſiar. lib.*5. *cap.*108. *num* 1. Ergo ſicut teſtamentum pium nequit ſuſtineri abſque voluntate teſtatoris, ſimiliter ex voluntate imperfecta. Celſ. Hugo *conſ.* 116. *n.*3. Pariſ. *lib.*3. *conſ.*24. *n.*11. Magdal. *de num. teſtium*, 2. *part. cap.*5. *n.*1.

26 Quod non ſolùm exiſtimo tenendum quando eſt imperfectio voluntatis reſpectu totius teſtamenti pii, ſed reſpectu diſpoſitionis ipſius, quæ in teſtamento relinquitur, etiam profano; nam eadem eſt ratio reſpectu totius, quæ reſpectu alicujus diſpoſitionis particularis; nam ſi in ipſa diſpoſitione eſt imperfectio voluntatis, quantumvis pia, non ſuſtinebitur.

27 Hæc enim dicta intelligantur quando imperfectio voluntatis conſideratur ſecundùm ſe; ſi verò ſit ſecundùm quid, ex eo quod voluntas continetur in teſtamento invalido, & nullo, tunc imperfecta voluntas, voluntas eſt, *l. fin. ff. de rebus eor. l. Legatum ſub conditione* 24. §. *ult. ff. de adim. legat.* Mena *ad Gamm. deciſ.*153. *num.*3. Menoch. *lib.*4. *præſumpt.*15. *per tot.* Caſtillo *dict. cap.*108. *num.*3. Itaque habet omnia, quæ de jure naturali requiruntur, & conſequenter ſuſtinebitur teſtamentum pium. Sicut ſuſtinetur quando teſtamentum piè confectum eſt ſcriptum in ſchedula, non tamen lecta coram teſtibus, & Notario; validum enim erit, cùm habeat voluntatem perfectam ſecundùm ſe, licèt ſecundùm quid imperfectam. Ricc. *ad Tiraquel. d. privil.*7. Mynſing. *d. obſervat.*28. quo in ſenſu valet intelligi prima ſententia.

28 Illud citra dubium admiſſum eſt, ut quando quis piè teſtatur, poteſt mori pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus; quia ſolemnitas illa de jure poſitivo tantùm eſt. Bart. *in l.* 1. *C. de Sacroſ. Eccleſ. num.*70. Tiraquel. *privil.*13. Tuſch. *lit. T*, *concluſ.*96. *num.*21. Intrigliol. *lib.*3. *ſingul.*97. *n.*16. Leoncil. *privil.* 388. *num.*40. Paſqualig. *de Sacrif. Miſſæ*, *quæſt.*989.

Quid verò dicendum, ſi pium teſtamentum nutu, & ſignis fiat, an validum ſit? Et nonnulli, quos refert Tiraquellus *privil.*8. *num.*2. aſſeruere validum non eſſe, quia nec teſtamentum militare, nec inter liberos nutu, aut ſignis ſuſtinetur, ut ex aliquibus juribus non benè perpenſis elicit, Farin. *in repert. ult. volunt. q.*59. *n.*2.

29 Sed contrarium tenendum eſt; nam prohibitio ne teſtamentum fiat nutu, aut ſignis, eſt ſolemnitas juris civilis, *in l. Iubemus* 29. *Cod. de teſtament.* quæ exploditur in teſtamentis piis: itaque in teſtamentis militum, & inter liberos, etiam ſic admiſſum eſt teſtamentum condere, ut refert poſt plures Tiraquellus *dict. privil.*8. *num.*3. Denique Princeps valet facultatem concedere, ut ſignis teſtetur, *leg. Si mutus* 7. *ff. de teſtament.* Unde percipitur pium teſtamentum ſuſtineri, cùm hæc diſpenſatio de jure naturali non ſit neceſſaria. Menoch. *lib.*4. *præſumpt.*19. *num.*13. Tiraquell. *dict. privil.*8. Caſtill. *deciſ. Siciliæ* 59. *num.*6. Clarus *verbo Teſtamentum*, *quæſt.*6. *num.*7. Tuſchus *littera T*, *concluſ.*116. *num.*42. Layman *dict. tract.*3. *cap.*2. *num.*3. *concluſ.*1. de Lugo *dict. ſect.*9. *num.*269. Farinac. *in Repert. ult. volunt. qu.*59. *num.*8.

30 Cæterùm diſquiramus, an captatoria voluntas ad cauſas pias ſuſtineatur? Et affirmant communiter DD. ex deciſione textus *in cap. Cum tibi* 13. *de teſtament.* ubi diſpoſitio commiſſa alieno arbitrio ad cauſas pias ſuſtinetur. Quod nonnulli Doctorum explicant, ut quando teſtator dixerit, *Committo omnia mea bona Petro, ut de illis diſponat*, validam exiſtere diſpoſitionem, quia perinde eſt, ac ſi Petrum inſtituiſſet hæredem ea conditione, ut in cauſas pias bona illa diverteret. Cæterùm probant, quia eſt ſolemnitas juris captatoria voluntas, *l. Illa inſtitutio* 32. *l. Si quis Sempronium* 68. *leg. Captatorias* 70. *ff. de hæred. inſtit.* & in legatis, *l. Captatoria* 64. *ff. de legat.* 1. quæ non attenditur in teſtamentis piis. Clarus *verbo Teſtamentum*, *quæſt.*6. *num.*5. & 6. Couarruv. *in dict. cap. Cum tibi*, *num.*13. Spino *de teſtament. gloſſ.*5. *num.*25. Valaſco *conſult.*68. *num.*4. Magdalenus *de num. teſtium*, 2. *part. cap.* 1. *à numer.* 18. Barboſa *de univ. iur. lib.*3. *cap.*27. *num.*32. Molina *de iuſtit. tract.*2. *diſp.*134. *num. fin.* Layman. *dict. cap.*2. *num.*7. Leſſius *dict. lib.*2. *cap.*19. *dub.*2. *in fin.* Boſſius *d. tit.*12. §.2. *n.*100.

31 Hæc doctrina maxima indiget explicatione, duobus enim modis voluntatem captatoriam dicunt Interpretes. In primis quando tacitè, aut expreſsè diſpoſitio committitur arbitrio alieno, utputa: *Inſtituo hæredem, quem Titius elegerit*; vel, *Lego centum Titio, ſi Seius voluerit.* Adducunt textum *in leg. Captatorias* 70. *ff. de hæredibus inſtituendis*, dum inquit, captatorias eſſe inſtitutiones, quarum conditio confertur in ſecretum alienæ voluntatis. Riccius *ad Tiraquellum privileg.*64. *in princip.* Sed non rectè aſſerunt, ut benè explicant Connanus *Comment. lib.*10. *cap.*6. *num.*5. Caſtillus *lib.*2. *controverſ. cap.*6. *num.*5. Quia verba illius legis, *in ſecretum alienæ voluntatis*, non referenda ſunt ad aliquam captatoriam voluntatem, ſed ad morem antiquum, ne tabulæ teſtamenti niſi poſt mortem teſtatoris non aperirentur. Cæterùm, nam captatoria voluntas eſt, quæ in futurum lucrum rependere intendit, *leg. Illæ inſtitutiones* 71. *ff. de hæredibus inſtituendis.* Unde

non

non probatur, dispositiones quæ in alienum arbitrium conferuntur, esse captatorias, sed est tantùm quædam juris prohibitio, ne ultimæ voluntates personalissimæ in arbitrium alienum conferantur. Gomez *in leg.31. Tauri, num.5.* Duaren. *ad tit. de hered. instit. cap.3. versic.6.* Connan. *dict. cap.6.*

32 Sed licèt de jure interdictum sit, ne ultimæ dispositiones in alieno arbitrio collocentur; si tamen fuerint piæ, sustinentur, explosa illa juris solemnitate. Tiraquellus *privileg.64.* ubi Riccius, & Thoro, Fachineus *controvers. lib.5. cap.57.* Castillus *dict. cap.6. num.18.* Diana *dict. tract. 6. resol.21.*

33 Est alia ultima voluntas propriè captatoria, utpotè quæ tendit ad reportandum lucrum futurum, verbi gratia: *Instituo heredem Sempronium, si ipse me, aut fratrem meum heredem instituat;* vel aliter, *Qua ex parte Titius me heredem instituerit, ex ea parte m..s heres esto.* Hæc enim captio à jure reprobatur, quia ponitur ad illudendum alium, qui fortè occasione illius institutionis alterum hæredem instituat, & revocata prima institutione, illusus relinquitur, quamobrem nec in testamento militis sustinetur, *leg. Captatorias 11. Cod. de testament. milit.* Ant. Augustin. *Emendat. lib.4. cap.15.* Corrasius *Miscellan. lib.5. cap.13.* Connanus *dict. cap.6.* Sarmiento *Selectarum lib.2. cap.4. n.1.* Rubeus *pract. cap.50. n.36.*

34 In hac ergo hypothesi est difficultas, an testamentum pium validum sit, necne? Et Covarruvias *in dict. cap. Cum tibi, num.17.* Sarmiento *dict. cap.4. num.8.* asseruere, minimè favore causæ piæ hanc captatoriam voluntatem sustineri; nam hæc captio includit fraudes, quatenus pellicit ut alter illi bona relinquat: causa verò pia minimè dolo capere valet. Ergo favore causæ piæ nequit sustineri captatoria ista voluntas, *argumento cap. fin. 20. quæst. fin.* Tum in ea datur votum captandæ mortis, quod etiam in spiritualibus rejicitur, *cap.2. de concess. Prabend.*

35 Contrarium tenent indistinctè Doctores, & in specie Rubeus *practicar. cap.50. à num.65.* Nam hæc prohibitio tota est a jure Civili, ex Senatuconsulto Liboniano, *d. l. Illa institutiones,* ubi Gloss. *verbo Consuevi, l.1. ff. de his qui pro non script. habent.* Antea verò similes institutiones valebant: ergo cùm hoc interdictum locum non habeat, in testamentis piis sustinebitur.

36 In hoc dubio notandum est cum Sarmient. *num.8.* fingendum esse casum, ita ut captatoria voluntas existat ratione causæ piæ. Nam dicere, *Instituo heredem Ecclesiam, si illa me instituerit;* aut si dicat, *Instituo heredes pauperes, si me heredem instituant,* casus magis metaphysicus est, quàm practicabilis. Restat ut casus contingat, quando dicas: *Instituo heredem Titium, si Ecclesiam, aut pauperes Christi instituat heredes.* In quo quidem casu valida est institutio illa: & ratio est, nam nullo modo verificatur captatoria voluntas, quia licèt favore tertii etiam reprobetur, Sarmiento *dict. cap.4. num.3.* siquidem fraudem continet; ast in proposita specie nec fraus, nec dolus valet considerari: non respectu instituentis, cùm nihil percipere speret: nec respectu Ecclesiæ, ex parte cujus ad nihil concurritur, nec dolus, nec fraus præsumi valet, *cap. Per tuas 5. de donat. cap. Suam, de pœnis.* Verùm in effectu tantùm est conditio ad faciendum opus meritorium ad bonum suæ animæ, quare deceptus dici non valet, sed ad bonum allectus: ergo ex nullo capite irrita erit talis dispositio. Cæterùm votum captandæ mortis nullius est ponderis, nam ex parte causæ piæ talis non existimatur timor, neque præsumitur, quare semper valida erit talis institutio, aut quæ dicitur captatoria voluntas, in causis piis. Tiraquell. *privileg. 64.* Peregrin. *de fideicomm. art.33. num.66.* Barbosa *de univ. iur. lib.3. cap.28. num.73.*

37 Præterea in testamentis piis non requiritur hæredis institutio ad eorum valorem; nam licèt id esset necessarium de jure communi, *§. Ante heredis, Instit. de legat. l.1. ff. de heredib. instituend.* ubi Imola, & Cuman. *l. Si nemo 19. de testament. tut.* non tamen in testamentis piis, prout nec in militaribus: ita tenet Marinis *allegat.67. num.5.* nec de jure nostro Regio est necessaria, *l.1. tit.4. lib.5. Recopilat.* ubi Mathienzo *gloss.10.* & ita in piis testamentis tenent Castrensis *lib.1. consult.97.* Barbatia *lib.1. cons.8.* Tiraquell. *privileg.15.* Rubeus *practic. cap.50. num.10.* Capponi *tom.4. discept.293. num.64.* Layman *dict. cap.2. n.9.* Trullench. *in Decalog. dict. cap.18. dub.4. num.2.* Pasqual. *de Sacrif. Missæ, quæst.990. num.4.* Diana *dict. tract.6. resolut.23.* Bossius *d. §.2. num.90.*

Quod observare oportet, etiamsi hæres incertus nominetur; nam licèt de jure id desideretur, *dict. §. Ante heredis, l. in tempus 62. §. Quoties, ff. de hered. instit.* tamen piè testando adhuc sustinetur testamentum incerto hærede instituto, veluti si testator instituat pauperes, aut miserabiles personas; tunc enim pauperes domicilii, aut si non sint, arbitrio executorum, aut Episcopi eligentur, ita ut semper testamentum sustineatur. Tiraquell. *privil. 56.* Barbosa *dict. cap.27. num.70.* qui scripsit, quod licet à principio incertitudo in piis causis non vitiet dispositionem, similiter nec ex postfacto, purà si testator disposuerit, ut Monasterium construeretur in certo loco, ubi ex causa construi non valet, tunc incertitudo supervenit, & legatum non extinguitur: verum si nequit fieri ad aliam causam piam, legatum divertitur. Bossius *d. §.2. à num.82.* 38

Est dissensus ex dictis discutiendus, an hæreditate non adita, omnia pia, quæ in testamento continentur, debeantur, & sint adimplenda? Et nonnulli asserunt, legata pia non sustineri, *ex leg.2. Cod. si quis omiss. caus. testament. leg. ult. Cod. de manumiss. testam.* ubi libertates in testamento relictæ, hæreditate non adita extinguntur, quæ quidem causa pia est, *leg.1. §. Sin autem, C. commun. servor.* Ergo nec alia legata pia. Jura ista non rectè probant; nam ut sæpè dictum est, licèt libertatis datio procedat à pietate naturali, non tamen propriè est causa pia. Rota *decis.1. de testament. & 2. part. diversor. decis.74. num.21. versic. Quo vero.* Itaque efficax non fit argumentum de libertate ad causam piam. Probant ratione, quia licèt in testamentis piis non observentur juris solemnitates, tamen aditio hæreditatis necessaria est, utpotè de substantia testamenti, *dict. §. Ante heredis:* ergo hæreditate non adita, nec legata pia valent sustineri. Ita cum Fulgosio, Jasone, & Imola, Fachineus *lib.6. controvers. cap.82.* Thesaur. *lib.4. for. quæst.38. n.15.* 39

Sed tamen contrarium tenendum; nam legata pia solùm pendent à voluntate testatoris, independenter ab aliqua juris dispositione, quæ juris naturalis non sit. Rubeus *pract. dict. cap.50. num.14.* Aditio enim hæreditatis, licèt sit de substantia testamenti, est tantùm de jure civili, *l.3. ff. de leg.1. leg. Eam quam 14. Cod. de fideicomm. leg. Si quis omissa, ff. si quis omiss. causa testament.* Quare absque hæreditatis aditione legata pia sustinentur. Tiraquell. *privil. 33.* Covarr. *in cap. Raynaldus, de testam. §.3. num.2.* Gomez *var. tom.1. cap.12. num.11.* Cevall. *commun. quæst.107. num.2.* Capell. Tolos. *decis.89.* Layman *dict. cap.2. num.9.* Diana *dict. tractat.6. resol.26.* Leoncill. *2. part. privil.212. verbo Legatum 11. à num.1.* Sanch. *cons. lib.4. cap.1. dub.46. num.10.* 40

Verumtamen an non adita hæreditate causa pia, cui legatum factum est, habeat actionem personalem, & hypothecariam ad illud petendum, non levis est dissensio. Baldus, Imola, & Alexander apud Tiraquell. *privil.34. vers. Contrarium tamen,* abnegarunt similes actiones in prælentiarum competere; quia hæreditate non adita non est persona contra quam dirigatur personalis actio; oritur enim ex quasi contractu orto ex aditione hæreditatis, *§. Heres, Instit. de obligat. quæ ex quasi contractu, l. Apud Iulianum, §. fin. ff. ex quibus causis in possess. eatur.* Unde nec hypothecaria subsistet, quia est accessoria actioni personali, *l. Contrahitur 4. l. Res 5. ff. de pign. & hypoth.* nec absque aditione sustinetur hypothecaria, *l. Si legati 28. ff. eodem tit.* Ergo causa pia nequit actione personali, aut hypothecaria pium petere legatum in hac specie. 41

Sed Roman. *in Auth. similiter, Cod. ad leg. Falcidiam, num.59. & cons.493. num.4.* Tiraquell. *privileg.34.* asserunt contrarium, *ex l.1. Cod. communia de legat.* ibi: *Præcipuè cum talia sint, vel fideicommissa, quæ piis actibus sunt deputata.* Quæ verba indicant in legatis piis utramque actionem competere, tam personalem, quàm hypothecariam, cùm legislator sciret similia legata, etiam non adita hæreditate deberi. Sed textus iste assumptum non probat; nam solùm textus asserit, ad consequenda legata utramque actionem competere, præcipuè quando legata sunt pia, propter majoritatem rationis, ut contra Romanum animadvertit Alexand. *in l.1. ff. de legat.1. n.24.* 42

In hac

43 In hac difficultate animadverto, communiter in testamentis executores relinqui ad illud adimplendum, cui ampla commissio datur ad illius complementum: & in hoc casu ad petendum legatum pium (etiam hæreditate non adita, nec ab intestato) adhuc durat actio personalis, & hypothecaria. Ratio, nam causa pia habet actiones contra executores testatoris, & insimul adversus eos dantur ad solvenda præcipuè pia legata. Surdus *de aliment. tit.*8. *privil.*32. Gratian. *discept. forens. tom.*3. *cap.*339. *numer.*1. Carpio *de execut. testament. lib.*3. *cap.*8. *num.*13. Pichardus *in manud. ad prax.* 2. *part. precept.*2. *num.*36. Quamobrem licèt hæreditas adita non sit, adversus executores causa pia valet exercere actionem personalem, & hypothecariam, quia hi respectu executionis testamenti quasi hæredes censentur.

44 Si verò executores non sint, est remedium, ut alicui bona addicantur ad conservanda, & adimplenda legata, *l.*4. *ff. de fideicomm. libert. l. fin. Cod. de manum. testament.* Surdus *de aliment. tit.*8. *privileg.*12. *num.*6. Quo posito, causa pia ex utraque actione aget; nam ut animadvertit Surdus, est hæres irregularis persona cui bona addicuntur, adversùs quam respectu legatorum actiones exercentur.

45 Tota ergo difficultas est, si tantùm ageret causa pia condictione ex lege, vel implorato judicis officio? Et in hoc casu actio personalis nequit competere; nam nullus est hæres hæreditate non adita, nec qui vicem illius gerat, ut supponimus. Ergo nec erit personalis actio. Poterit tamen petere rei vindicatione; nam in legatis piis statim transit dominium ad legatarium. Rota apud Seraphin. *decis.*1394. nec ad vindicandum requiritur actio personalis, sed tantùm dominium ex parte agentis, & detentio ex parte conventi, *l. In rem actionem* 23. *ff. de rei vindicat. l.*1. *Cod. de alienat. iudic. mut. causa.* Vel poterit agere hypothecaria; nam licet deficiat actio personalis, satis est ut competat actio ex lege, aut judicis officium, ut sustineatur, *lege Actionis verbo* 34. *ff. de verb. signific. l. Quod si minor* 24. §. *fin. ff. de minoribus*, Gomez *d. cap.*12. *num.*11. Cevallos *commun. quæst.*103. Carpio *de exec. testament. cap.*8. *numer.*5. Pasqualigus *de Sacrif. Miss. quæst.* 984.

46 Nec obliviscenda est alia difficultas, an quando pia causa instituitur hæres, & legitima filio relinquitur titulo legati, pium testamentum sustineatur? In hoc dubio Bald. *in l.*1. *Cod. de sacrosanct. Ecclesiis, versic. Quarto, quæsit.* Barbatia *lib.*3. *cons.*38. D. Petrus *lib.*4. *cons.*30. *num.* 114. minimè institutionem illam esse sustinendam asseruere; nam illud specialiter statutum est in testamentis, ut legitima filiorum semper titulo institutionis relinquatur, aliàs valida non erunt. *Auth. ut cum de appellat. cognosc.* §. *Aliud quoque capitulum.* Merlinus *de legitima, lib.*5. *tit.*2. *quæst.*1. *à num.*6. ita ut nec tacita institutio sufficiat. Mantica *de coniect. lib.*4. *tit.*1. *à num.*17. Fusarius *de fideicommiss. quæst.*20. *num.*2. Quare institutio illa, licèt sit causæ piæ, nequit sustineri: cæterùm reverà filius præteritus invenitur, unde testamentum ruit, *l. Filio præterito* 17. *ff. de iniust. rupt.* Gomez *tom.*1. *cap.*2. *num.*6. Ergo nequit sustineri talis institutio.

47 Hæc sententia admittenda non est, quin potiùs contraria; nam hæ circumstantiæ pertinent ad juris civilis solemnitates. Idcircò ante prædictam Authenticam titulo legati, aut alio modo, absque institutione legitima filiorum relinquebantur, *l. Omni modo* 30. *Cod. de inoffic. testament.* Cæterùm præteritio filii neutiquam legata pia enervat, quin potius rupto testamento quoad institutionem, si extraneus est hæres institutus, valida remanent, *ex Auth. ex causa, Cod. de lib. præt.* Cancerius 1. *part. variar. cap.*4. *num.*52. Diana *d. tract.*6. *resolut.*23. *vers. Si vero.* Ergo nec cassabit piam institutionem, dummodò suam legitimam percipiat. Denique, nam testamentum pium consideratur secundùm jus naturale, ut dictum est, & cum Rota ait Pasqualigus *de Sacrific. Missæ, quæst.*986. *n.*2. quare sufficiet quod filius non privetur sua legitima, vel titulo legati, aut alio modo: unde fundamenta contrariorum dilabuntur. Tiraquell. *privileg.*14. Clarus *verb. Testamentum, quæst.*6. *num.*8. Tuschus *littera T, conclus.* 116. *à num.*91. Surdus *de aliment. tit.*8. *privil.*21. *numer.*6. Rub. *pract. cap.*52. *num.*11. Diana *d. resol.*23. Bossius *d.* §.2. *num.*92.

Publicatio in testamento pio necessaria non est, uti juris solemnitas. Tiraquellus *privileg.*6. ubi Riccius, Tuschus *dict. conclus.*116. *num.*66. Rubeus *pract. cap.*8. *num.* 414. quod idem dices, si ad interrogationem alterius fiat; nam constat de voluntate testantis. Baldus *lib.*3. *cons.*174. Tuschus *d. conclus.*116. *num.*65. Cæterùm sustinetur pium testamentum ligatis notis, & abbreviationibus. Mantica *de coniect. lib.*6. *tit.*3. *num.*3. sicut de jure nostro Regio. Spino *de testament.* 3. *part. rubr. num.*3. & in illis sufficit institutionem conjecturis colligi. Menoch. *lib.*4. *præsumpt.*15. *num.*13. Nec necessarium est, ut fiat uno contextu. Menchaca *de success.* §.14. *num.*6. congerit Diana *dict. tract.*6. *resolut.*25. qui animadvertit, locum apponere non esse necessarium, ubi conditur testamentum pium. 48

De tempore verò aliqua est difficultas, an sit necessarium illud apponere in testamento pio? Et affirmandum videtur; nam testamentum inter liberos est similiter privilegiatum. Verùm si pater testamentum conficeret in aliqua schedula, per necesse habet tempus assignare; nam licèt in schedula privata id non desideretur, *l. Cum tabernam* 34. §. *Idem quæ, ff. de pign.* ubi Scribentes; tamen in hac schedula requiritur diei, & temporis assignatio, ut valeat in vim testamenti. Clarus *verb. Testamentum, qu.* 14. *num.*2. Cancerius 1. *part. cap.*4. *num.*5. Ergo idem dicendum est in testamento pio, quamvis sit similiter privilegiatum. 49

Sed contrarium tenendum est cum Alex. Natta, Everardo, & aliis relatis, & sequutis à Diana *dict. tract.*6. *resolut.*24. Bossio *dict. tit.*12. §.1. *num.*40. Quia in testamentis piis solùm requiritur ut constet de voluntate testatoris, quod non pendet ab assignatione temporis illius confectionis: itaque assignatio illa non est necessaria. Prætereà data temporis in aliis testamentis requiritur, ut constet de unius prioritate, quia ultimum testamentum revocat primum; aut si duo sint, & non constet de prioritate, & invicem contrarientur, sunt nulla, *l. fin. Cod. de edict. Divi Adriani toll.* ubi Scribentes, *leg.*1. §. *Non autem, de bon. poss. secundum tab.* ubi Gloss. & Bart. Quæ ratio cessat in testamentis piis, quia testamentum pium semper ultimum præsumitur, etiamsi alterum sit in possessione. Tiraquellus *privil.*35. Gomez *in l.*45. *Tauri, num.*149. Novarius *de privileg. miser. person. privileg.* 54. Sanchez *cons. lib.*4. *cap.*1. *dub.*22. *num.*5. de Lugo *de iustit. disp.*24. *sect.*3. *num.*47. Bossius *dict. tit.*12. §.6. *num.*501. Itaque necessaria non est temporis assignatio in testamento pio. Denique fundamentum suprà appositum de testamento inter liberos, nullius est ponderis; nam ut ait Diana nuperrimè allegatus, temporis assignatio non est de substantia in testamento inter liberos, sed requiritur ut de prioritate, aut posterioritate constet, si aliud concurrat testamentum inter eosdem liberos, aliàs semper sustinebitur. 50

Quid verò dicendum, si duo adsint testamenta pia, absque temporis assignatione? Et dicendum videtur, neutrum valere posse; nam (ut diximus supra) in testamentis profanis confunduntur, & neutrum valet. Jason *in l. fin. Cod. de edict. Divi Adrian. toll. num.*3. Cancerius *dict. cap.*4. *num.*25. Clarus *verbo Testamentum, qu.*100. Sanchez *consil. lib.*4. *cap.*1. *dub.*21. *num.*7. Quod idem dicendum est, quando absque data concurrunt duo pia testamenta, cùm utrumque sit privilegiatum, nec adsit præsumptio posterioritatis. 51

In hac disquisitione animadverto, duo ista pia testamenta posse esse concordantia, ita ut invicem non contrarientur; & in hoc casu ambo subsistent, & exequentur. Ratio, nam in utroque expressa est voluntas testatoris, quæ cùm pia sit, exequi debet, prout in aliis testamentis ratiocinatur Molina *tract.*2. *disp.*153. *vers. Quando in eadem die*, de Lugo *de iustit. disp.*24. *sect.*3. *num.*47. & de jure nostro Regio Sanchez *dict. lib.*4. *cap.*1. *dub.*22. *à num.*7. 52

Si verò hæc pia testamenta absque data contrarientur, ita ut in uno dispositum, in altero elidatur, tunc credo favorabilius testamentum causæ piæ validè exequendum, & à simili probo; nam quando sunt duo testamenta inter liberos sibi invicem adversantia, quod favorabilius est, sustinetur. Clarus *verbo Testamentum, quæst.*98. *numer.*1. Covarruv. *in rub. de testament.* 2. *part. num.*19. Cancerius 53

1. *part.*

1.part. cap.4. num.9. Ergo similiter si adsint duo testamenta pia sibi adversantia. Præterea in rescriptis, quando non constat de prioritate temporis, gratificationi locus est, *capit. Duobus* 14. *de rescript. in* 6. Cevallos *commun. quæst.*248.*num.*27. Pereyra *de nomination. emphyt. quæst.*18. *num.*23. Quapropter quando concurrunt duo pia testamenta, quod favorabilius est animæ, magis dignum ratificatione censetur: ergo illud erit sustinendum. Denique quando absque data temporis concurrunt testamentum profanum & pium, sustinetur pium, quia favore animæ præsumitur posterius, ut diximus suprà, *n.*50. de Lugo *d. sect.*3.*n.*47. *in fine*. Sed testamentum pium favorabilius animæ, habet eandem præsumptionem, quia respectu alterius est magis pium. Ergo ut magis favorabilius animæ erit sustinendum.

CAPUT VII.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

Quando quis in extremis stat, adhuc pium potest facere testamentum, n.1. sed in sequentibus res discutitur.

Pium testamentum revocatur contraria voluntate testatoris, num.5. Sed an id fieri possit per secundum testamentum minus solemne? affirmant plures, num.6. negant alii, numer.7. sed à num.9. resolvitur, & explicantur multi casus.

Est quæstio, an quando secundum testamentum factum fuerit in schedula privata, & recognita, revocet primum pium solemniter factum? negant aliqui, n.18. affirmant alteri, n.19. resolvitur n.20.

Testamentum profanum solemniter factum revocatur per minus solemne pium, n.21. Sed quid si in primo fuerint filii instituti? negant aliqui, n.22. affirmant alteri, n.23. explicatur n.24.

In testamentis piis an censeatur apposita clausula derogatoria, licèt expressè non apponatur, n.26. & 27.

Si testamentum pium cancellatum inveniatur, an revocatum censeatur? affirmant aliqui, alii negant. Sed explicantur à n.28. Et quid si testamentum factum fuerit in scriptis, & incissa linea inveniantur, n.32.

1 CÆterùm in extremis agens, si testamentum pium fecerit, sustinebitur, Thorus *privileg.* 81. idque facilè probatur; nam etiamsi infirmitate gravetur, adhuc sanæ est mentis: quapropter poterit agere testamentum, dummodò loqui valeat, aut signis ostendat suam voluntatem ad piè testandum, ut cum Sylvano notat Farinacius *in Repert. ultim. volunt. qu.*60.*num.*6. & in dubio etiamsi infirmitate gravetur, præsumitur sanæ esse mentis, Abbas *in cap. ultim. de success. ab intest. n.*9. Mantica *de coniect. lib.*2. *tit.*5. *num.*4.

2 Sed contrà adest textus *in leg. Hac consultissima* 8. §. *At cum humana fragilitas, Cod. qui testament. facer. possunt*, ubi asseritur, propter humanam fragilitatem mentem mortis cogitatione turbari: unde Paulus Castrensis *vol.*1. *cons.* 155. *num.*2. morti proximum non præsumi sanæ mentis esse, asserit: quapropter nec testamentum pium facere valet, qui agit in extremis, cùm compos mentis non sit, Staibanus *cent.*1. *resol.*54. *à n.*1.

3 Sed textus ille non probat consequentiam, quam adducit Castrensis; quia tantùm dicit, quod humana fragilitas mortis cogitatione turbata, minùs memoria possit res plures consequi: & tamen præsupponit habere facultatem faciendi testamentum, & consequenter infirmum sanæ mentis esse. Est tamen difficultas, an gravi morbo oppressus, ita ut nec loquatur, sed tantùm balbutiat, testari possit, dum dubitetur, an sanæ mentis fuerit: de quo Mantica *lib.*2. *de coniect. tit.*6. Menochius *lib.*1. *cons.*45. Fachineus *lib.*10.*cap.*17. *ante finem*, Cancerius 1.*part. variar. cap.*4. *à num.*136. In qua varia comminiscuntur DD. ast illud graviter, & ponderosè prospiciendum est, an balbutiat, vel non loquatur ex trepidatione, aut confusione mentis, quod valet præsumi in dubio, si statim decedat intra sex horas, ut cum aliquibus tradit Cancerius *num.*137. Si enim constet habere mentis confusionem, ita ut non intelligat quid agat, testamentum pium non rectè fit, ut patet: aut si balbutiens testator statim decedat, quia intelligitur id fecisse ex mentis confusione: aliter verò semper pium testamentum valebit, licèt non loquatur, sed tantùm signis suam voluntatem demonstret.

Verùm in extremis si testamentum pium conficiat ad in- 4
terrogationem alterius, & tantùm, *sic*, respondeat, videtur minimè validum esse; nam videtur animum non habuisse testandi, sed tantùm sic respondisse, ut à molestia liberaretur, ut cum pluribus Mantica *d. tit.*4. *n.*5. Sed tamen, nisi in hoc casu constaret ex aliis conjecturis, compotem mentis non esse, sustinendum erit testamentum; nam ut dictum est, testamentum pium ad interrogationem alterius sustinetur, nec credendum est respondisse ad molestiam effugiendam, sed ut saluti animæ suæ consuleret; aliter enim fieri posset objectio, si constaret interrogantem personam esse suspectam, & fraude testatorem circumvenisse, ut aliquoties disceptatum est, Farinac. *in repert. ultim. volunt. quæst.*58. *num.*3.

Præterea in capite isto de revocatione testamenti pii 5
agendum est nobis, & illud est certum, ut quoties testator pium testamentum revocare voluerit, id facere posse, prout in alio quolibet testamento; est enim ultima voluntas deambulatoria usque ad vitæ exitum, *l.*4. *ff. de adimend. legat. cap. Cum Marthe* 6. *versic. Cæterùm, de celebr. Missar.* quapropter etiam testamentum pium valet revocari, prout in aliis: ad quod est textus *in* §. *Posteriori, Institut. quib. mod. testam. infirment.* Gomez *in l.*3. *Tauri, n.*92. Clarus *verbo Testamentum, qu.*91. Farinac. *in repert. ultim. volunt. qu.*36. Marescottus *lib.*1. *variar. cap.*48. Rota apud Seraph. *decis.*296. *n.*4.

Quando testamentum pium factum est, ad illius revo- 6
cationem non aliæ solemnitates requiruntur, nisi quæ sunt de jure naturali, & gentium, prout in confectione requiruntur: quamobrem sicut duo testes in iis sufficiunt, ita similiter ad revocandum; vel nullo alio instituto hærede, aut hæredibus ab intestato non vocatis, Rota apud Gregorium XV. *decis.*446. *n.*2. Marescottus *d. cap.*48. *à n.*2. Rubeus *pract. cap.*11. *n.*140.

Hæc tamen doctrina contrarium habet Andream Sicu- 7
lum *in cap. Relatum, de testam. n.*13. asserentem ad revocationem testamenti pii solemnitatis juris civilis esse necessarias; nam privilegium ut explodantur, est ad conficiendum testamentum pium; Ergo ad revocandum necessaria est dispositio juris civilis, *l. Si servum* 71. §. *Qui dixit, ff. de acquir. hered.* Cæterùm, nam si contrarium valeret, concederemus valere revocationem testamenti contra Ecclesiam duobus testibus, quod non est dicendum; retorqueretur enim privilegium in damnum privilegiati, quod minimè asserendum, *ex l. Quod favore* 6. *Cod. de legib.* Ergo minimè affirmandum, posse revocari testamentum pium absque solemnitatibus juris civilis.

Sed Rubeus *d. cap.*11. *n.*651. ad hæc argumenta variis ra- 8
tionibus respondet, verùm adducere poterat quæ scripsit *n.*637. nempè æquissimum esse, ut quod quisque in aliis statuit, ipsum observare debere, *cap. Cum omnes* 6. *de constit.* Guttierez *cons.*812. *à n.*13. esset enim contra rationem, ut quod Ecclesia pro se statuit in testamentis piis, in aliis non observaret: Ergo cùm Ecclesia statuerit validum esse testamentum pium duobus testibus, non rectè statuisset, ut ad revocationem aliæ solemnitates requirerentur: quare ex simili dispositione statuit ad revocationem testamenti pii eandem solemnitatem, quæ necessaria est ad conficiendum. Præterea ultima Siculi ratio ex dictis non obstat, quia non vertitur in odium privilegiati, quod à jure dispositum est in eodem privilegio, quin potiùs privilegium eam habet restrictionem.

In hoc dubio aliqui sunt casus considerandi. Et in pri- 9
mis quando testamentum pium revocatur per secundum testamentum, in quo persona profana instituitur hæres, non sufficiunt solemnitates testamenti pii, etiam ad derogandum illud, sed sunt necessariæ in hoc secundo testamento omnes solemnitates juris civilis, & probatur ex Authentica *Hoc inter liberos, Cod. de testam.* ubi testamentum factum inter liberos minoris solemnitate, *l. Hac consultissima* 8. §. *Ex imperfecto, Cod. de testam.* Farinac. *ubi suprà, qu.*37. *n.*1. ut revocetur, septem testes requiruntur: quod intellexit Clarus *verbo Testamentum, q.*98. *n.*2. quando extraneus in secundo testamento instituitur. Ergo idem dicendum est, quando revocatur testamentum pium per aliud, in quo per-

persona profana instituitur hæres. Cæterùm ad revocandum primum testamentum necessarius est valor secundi, §. *Posteriori*, 2. §. *Ex eo autem* 3. *Instit. quib. mod. testam. infirment.* l. *Si bina tabula* 11. *ff. de iniust. rupt.* Spino *de testam. gloss.* 30. *n.* 3. Clarus *d. q.* 91. *n.* 2. Cùm ergo persona profana instituitur, ad valorem testamenti requiruntur omnes solemnitates juris civilis: Ergo ad revocandum testamentum pium, requiruntur in secundo solemnitates juris civilis, quando in eo instituitur persona profana, Tiraquell. *privileg.* 2. *versic. Intellige tantum*.

10 Sed disquirendum venit, an si post factum testamentum pium, revocatio illius fiat coram testibus saltem tribus, intra decennium computandum à die quo conditum est, si cursus decennii transierit, revocatum censeatur? Et communis sententia affirmat, *ex leg. Sancimus* 27. *Cod. de testam.* ubi universaliter in quolibet testamento id disponitur, Clarus *d. qu.* 91. *n.* 3. Farinac. *d. qu.* 36. *n.* 21. *ad finem*. Cæterùm, nam quando decennium fluxerit, videtur in revocatione illa permansisse: quamobrem contra ipsius voluntatem nequit permanere testamentum pium, Abbas *lib.* 1. *consil.* 11. *num.* 2. Alciatus *lib.* 9. *consil.* 111. *n.* 3. Mantica *de coniect. lib.* 6. *tit.* 3. *n.* 46. Thoro ad Tiraquellum, *d. privileg.* 2. *versic. Quid autem*.

11 Hæc sententia facillimè defenditur ex sententia Rubei, & aliorum *n.* 6. relatorum, ubi ad revocationem testamenti pii sufficiunt duo, aut tres testes; quare etiam sine transcursu decennii revocatum censebitur. Erit igitur difficultas in opinione Andreæ Siculi, ubi petit omnes solemnitates juris civilis ad revocationem testamenti pii. Et affirmandum videtur, remanere revocatum. Ast contrarium valet defendi; nam ex eo quod revocavit testamentum pium absque solemnitatibus, sciebat testator revocatum non remanere; & ostendit nolle revocare, quia validè non revocavit, cùm posset, *cap. Inter corporalia* 2. *de translat. Episcop. vers. Unde sicirca*. Quamobrem etiam transactio decennio revocatum non erit. Deinde decisio textus *in d. l. Sancimus*, nullum robur habet circa testamentum pium, quod ex jure naturali, & gentium, cognita testatoris voluntate sustinetur, Valasco *consult.* 168. *num.* 6. & passim ita dicimus. Ergo semper existimandum est remanere in voluntate illa primi testamenti pii, & consequenter non esse revocatum.

12 Illud enim cum Mantica *d. n.* 46. animadvertas, quod si testator dixerit, velle cum eo testamento decedere, & postea in extremis asserat se fecisse testamentum, intelligitur illam quasi ultimam voluntatem ad piam causam amplecti, quod idem asseruit Thoro *ubi suprà*.

13 Si testamentum pium solemniter factum est, revocatur per aliud testamentum pium minùs solemne. Ratio, nam testamentum pium minùs solemne validum est, *ex d. cap. Relatum*, quare per pium minùs solemne revocabitur primum solemne, ut idem observatur in testamento minùs solemne inter liberos, quod revocat primum solemne, etiam inter eosdem. Rota apud Seraphinum *decis.* 382. *num.* 7. Mantica *de coniect. lib.* 6. *tit.* 2. *num.* 16. & secundum militare revocat primum solemniter factum, *l. Eius militis* 33. §. *Militia missus*, *ff. de Milit. testam.* quod idem dicendum in testamento pio minus solemni, Covarruvias *in rub. de testam.* 2. *part. num.* 1. *ad medium*, Tiraquellus *d. privil.* 2. Gratianus *tom.* 3. *discept. forens. cap.* 605. *n.* 22. Magdalenus *de num. testium*, 1. *part. cap.* 16. *num.* 232. Sylvester *in Sum. verbo Testamentum* 1. *q.* 6. *vers. Quartum*, de Lugo *de iustit. disp.* 24. *sect.* 3. *n.* 56. Thoro *privileg.* 137. Bossius *d. titulo* 12. §. 6. *n.* 294.

14 Est alter casus, quando testator coram testibus declarat, revocare testamentum pium, quia vult decedere intestatus, an solemnitates sint necessariæ: & in hoc casu de jure civili considerandum est, si simpliciter dicat revocare primum testamentum, quia instituit hæredes ab intestato; aut dicat velle mori ab intestato, quod quidem perinde est, ac si hæredes ab intestato instituisset: & necessariæ sunt solemnitates juris civilis ad revocandum testamentum pium, aliàs illa institutio non valebit, nec revocabit primum pium testamentum, Covarruvias *in rub. de testam.* 2. *part. n.* 21. Clarus *verbo Testamentum*, *quæst.* 92. Gomez *in leg.* 3. *Tauri*, *n.* 103.

15 Aliter enim esset si testator sola pœnitentia ductus dicit revocare primum testamentum pium, in quo de jure communi fuit grave certamen, an ex defectu hæredis institutionis, & aditionis hæreditatis valeret revocatio? Sententias refert Gomez *in l.* 3. *Tauri*, *à num.* 102. Spino *dict. gloss.* 30. *num.* 49. Diez *regul.* 741. Farinac. *in Repert. ultim. volunt. gloss.* 36. *n.* 17. suntque ad id duo jura adversantia *in l.* 1. §. *Si heres*, *ff. si tabul. testam. nulle extabunt*, & §. *Ex eo* 7. *Instit. quibus mod. testam. infirment.*

Hæc disceptatio non habet locum in testamentis piis, nec de jure nostro Regio, Gomez *in dict. l.* 3. *numer.* 104. Verùm ex simplici revocatione coram legitimo numero testium, valet revocari testamentum, & in hoc casu intrat difficultas Rubei, & Siculi suprà recensitorum, an ad simplicem revocationem testamenti pii sint necessarii testes, & requisita juris civilis? Et sententiam Rubei uti probabiliorem admitto, quia nihil tam naturale est, ut eo modo, quo res conficitur, resolvatur, *l. Nihil tam naturale* 35. *ff. de regul. iur.* §. 1. & §. *fin. Instit. quibus mod. obligatio solvitur*, *l.* 1. *Cod. quando liceat ab empt. discedere*. Ergo si ad efficiendum testamentum pium sufficient duo testes, ipsi sufficient ad revocationem. Cæterùm, nam ut scripsit Ulpianus *in d. l.* 1 §. *Si heres*, *ff. si tabul. testam. nulle extabunt*, ex contraria voluntate testatoris, quia voluit ab intestato decedere, revocatur testamentum: quem textum licèt aliter interpretetur Spino *de testament. gloss.* 30. *numer.* 49. demonstrat tamen primam voluntatem ex natura rei per secundam contrariam elidi, dummodò de illa constet. Cùm ergo in testamentis piis nulla solemnitas juris desideretur, verùm sola voluntate testatoris conficitur, simplici contraria voluntate revocabitur; non enim pia causa habet privilegium contra voluntatem testatoris. 16

Sed negandum non est, opinionem Siculi habere probabilitatem: & ratio est, nam in revocationibus testamentorum, æquè aliud testamentum validum requiritur, saltem jure speciali, Surdus *decis.* 128. Farinacius *dict. quæst.* 36. *num.* 3. Bonacina *de contract. disp.* 3. *qu.* 17. *punct.* 6. *num.* 8. Layman *in Sum. lib.* 3. *tractat.* 5. *cap.* 4. *numer.* 2. Idque ne interveniant fraudes in revocatione, prout valent intervenire in confectione: licèt enim in testamento pio nulla fraus præsumatur, ut dictum est; attamen in revocatione illius possunt multæ intervenire, & ita sunt necessariæ solemnitates juris civilis, quæ illas excludant. Et confirmatur, quia in revocatione testamenti pii fraus facilè præsumitur; non enim facilè credendum est testatorem suæ spiritualis salutis oblitum illud revocare. Quamobrem D. Augustinus cuidam Hipponensi civi pœnitentiam imposuit, cùm de opere quodam pio revocationem fecisset. Calamensis *id eius vita*, *cap.* 24. Idcircò debent illæ solemnitates in revocatione intervenire, licèt non in confectione. 17

Erit prætereà disquirendum, si testamentum pium fiat in schedula privata, & comprobetur, an revocet primum, etiam factum solemniter ad pias causas? Et negandum videt ex *l. Hac consultissima* 21. §. *Si quis*, *Cod. de testam.* ubi testamentum solemne revocatur per aliud minùs solemne, si in eo hæredes ab intestato sint instituti; secùs si in priori testamento hæredes ab intestato sint facti hæredes, quia eodem favore digni sunt. Cùm ergo primum testamentum pium sit solemniter factum, nequit per aliud schedula privata factum revocari, cum par sit causa pietatis, Oldradus *consil.* 119. *circa finem*, & cum aliquibus Fachineus *lib.* 4. *controv. cap.* 6. *vers. Quod attinet*. 18

Sed in terminis contrarium tenent Gratianus *discept. forens. cap.* 105. *num.* 20. Diana *dict.* 7. *part. tract.* 6. *resol.* 27. *versic. Sed quia*; nam licèt primum testamentum solemniter sit factum, factum tamen in schedula comprobata validum est ad pias causas: itaque revocavit primum etiam solemniter factum, ex contraria voluntate. Cæterùm, nam ut diximus suprà, testamentum minùs solemne pium, revocat primum solemne, etiam ad pias causas, Sà *verb. Testamentum*, *num.* 3. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 4. *num.* 4. Bonac. *de contract. disput.* 3. *proposit.* 1. *punct.* 3. *num.* 16. Molina *de iustit. tract.* 2. *disp.* 153. *numer.* 1. Rubeos *pract. cap.* 12. *num.* 682. Ergo licèt testamentum pium factum sit in schedula privata, si comprobata fuerit, revocabit primum solemne, etiam ad pias causas, licèt minùs solemne. 19

Nec obstat textus *in d. leg. Hac consultissima*, §. *Si quis*; nam ibidem Theodosius favore hæredum ab intestato 20

id de-

id decrevit, ut minori solemnitate testamentum factum, in quo hæredes ab intestato sunt instituti, revocaret primum, in quo extranei instituerentur: quod excipit, nisi in priori testamento alii hæredes ab intestato fuissent instituti: Quæ quidem decisio non adaptatur testamentis piis, quia in his testamentis, quibus hæredes ab intestato instituuntur, adhuc solemnitates juris civilis sunt necessariæ, prout ab ipso petuntur, & præscribuntur, ut constat *ex d. §. Si quis*, Gutierez *pract. lib. 3. qu. 47.* Spino *de testament. gloss. 20. num. 105.* quæ non admittuntur in testamentis piis, sed tantùm voluntas testatoris cum legitima probatione: quare si in testamento secundo constet velle revocare primum testamentum pium, revocatum remanebit, ut diximus de testamento inter liberos, Mantica *coniect. lib. 6. tit. 2. n. 17.* Magdalenus *de num. test. 1. part. cap. 16. n. 30.* Rota apud Seraph. *decis. 381. n. 7.*

21 Præterea si testamentum solemniter sit conditum, etiamsi non pium, revocatur per secundum pium, etiam sine solemnitate, quia secundùm se validum, & perfectum est: quod etiam admittes, etiamsi primum testamentum in scriptis conditum sit, ob eandem rationem, Tiraquellus *privileg. 53.* Abbas *lib. 1. cons. 11.* Gratianus *discept. forens. cap. 605. n. 12.* Layman *in Sum. lib. 3. tract. 5. cap. 4. num. 2. except. 3.* qui animadvertit testamentum minus solemne, in quo hærede instituuntur venientes ab intestato, minimè revocare testamentum pium priùs factum; nam prospicitur major favor in eo, quàm venientium ab intestato.

22 Disceptatur verò, an quando filii instituti sunt hæredes in testamento, revocetur per secundum ad pias causas, si expresè non sit revocatio? Et ut clarè difficultas ista percipiatur, observo testamentum, in quo liberi sunt instituti, minimè revocari per secundum, etiam solemniter factum, nisi expresè revocetur. *Auth. Hoc inter liberos, Cod. de testam.* Unde est difficultas, si hoc secundum fiat ad pias causas, Menchaca *de success. lib. 3. §. 22. num. 14.* asserit minimè revocari; nam respectu filiorum Ecclesia, vel alia causa pia pro extranea consideratur: quapropter nisi expresè revocaverit, adhuc prius testamentum revocatum non censebitur.

23 Sed contrarium tenent Tiraquellus *privileg. 54.* Medicis *opuscul. 4. num. 60. vers. Decimoquarto*, Riccius ad Tiraquellum, *in d. privileg. 54.* & à simili probant; nam si in secundo testamento sint etiam liberi instituti hæredes, revocatur primum, etiamsi expresè in secundo non revocetur, Covarruvias *in rubr. de testam. 2. part. num. 19.* Clarus *verb. Testamentum, qu. 98. num. 2.* Farinacius *d. qu. 36. num. 12. & 13.* causa enim pia liberis æquiparatur, ac magis chara censetur, ut bonum spirituale animæ, ut dictum est, Bursatus *lib. 1. cons. 47.* Covarruv. *in rubr. de testam. 2. part. num. 20.* Ergo sicut absq; aliqua expressione revocatur primum testamentum, in quo liberi sunt instituti, si in secundo instituantur, similiter si causa pia hæres fiat.

24 In hoc dubio notandum, quæstionem esse quando in secundo testamento pio relinquitur legitima filiorum titulo legati, aut alio modo; aliàs si ista non relinqueretur, quoad ipsam minimè revocaretur primum testamentum, sed solùm esset disceptatio quoad partem ultrà legitimam filiorum, ut cum Alexandro breviter attingit Tiraquellus *d. privileg. 54.* Quare legitima relicta filiis, hæc secunda sententia admittenda est; nam respectu illius partis superstitis, ultra eam liberi pro extraneis habentur, considerata Ecclesia, aut altera causa pia. Quapropter nulla est necessaria expressio revocationis ad annullandum primum testamentum, etiamsi liberi sint instituti.

25 Deinde quando primum testamentum revocatum censeatur, necne, pendet à conjecturis in casu occurrentibus. Quapropter si in primo testamento est instituta causa pia, aut pro anima aliquid relictum, tunc maxima est præsumptio, testatorem per secundum testamentum noluisse primum revocare: quod idem dicendum est si fuisset persona valdè dilecta, propter rationem affectionis ad animam, seu personam, Farinac. *d. qu. 36. à n. 37.*

26 Disquirere similiter oportet, an in testamentis piis censeatur apposita clausula derogatoria? Hæc enim quæstio ad revocationem testamenti pii maximè necessaria est, quoties simili clausula ponitur in testamentis, dicens quod si aliud fecerit testamentum, nolle illud valere; tunc enim secundum non valet, nisi faciat mentionem illius clausulæ, specialiter loquendo, aut generaliter, nova existente causa, aut in secundo testamento instituendo personam valdè dilectam, Clarus *verb. Testamentum, qu. 99. num. 2.* Spino *d. gloss. 30. num. 38.* Covarr. *in rubr. de testam. 2. part. à n. 58.* Cancerius *1. part. cap. 4. à n. 17.* Gomez *in l. 3. Tauri, n. 93.* Sanchez *consil. lib. 4. cap. 1. dub. 23.* Bossius *tit. 12. §. 4. à n. 280. & §. 5. n. 297.*

Hoc ergo supposito, quæstio est, an in quolibet testamento pio clausula derogatoria intelligatur, licèt non apponatur expresè? Quam ancipitem dicunt Rubeus *pract. cap. 11. num. 688.* Molina *de iustit. tract. 2. disput. 153. num. 17.* Diana *7. part. tract. 6. resolut. 18.* Verùm affirmativam sententiam teneo cum Gregorio *in leg. 8. tit. 1. part. 6. gloss. A simili subscribo*, Riccius ad Tiraquellum, *privileg. 52.* Et à simili probatur; nam testamentum inter liberos æquiparatur testamento pio. Ast in testamento inter liberos intelligitur clausula derogatoria, *Auth. inter liberos, Cod. de testam. l. 8. tit. 1. part. 6.* Covarr. *in rub. de testam. 2. part. num. 65.* Alciatus *lib. 9. cons. 32. num. 3.* Mantica *coniect. lib. 6. tit. 2. num. 21.* Ergo etiam in testamento pio. Et comprobatur, quia hæc clausula subauditur in testamento inter liberos, ob affectionem testatoris: quod quidem in testamento pio consideratur ob animæ affectum. Ergo sicut in testamento inter liberos intelligitur clausula derogatoria, Rubeus *pract. cap. 9. numer. 466.* similiter in testamento pio, ut latè docet Bossius *ubi proximè*. 27

Verùm quid si testamentum pium cancelletur, an validum remaneat, necne? Et negandum videtur; nam per cancellationem redditur revocatum testamentum, *l. Cancellaverat 2. l. ultim. ff. de his, quæ in testam. delentur, l. Nostram 30. Cod. de testament.* ex eo quod videtur mutata voluntas testatoris, Clarus *verb. Testamentum, quæst. 93. num. 1.* Mantica *de coniect. lib. 12. tit. 1. num. 29.* Farinacius *d. quæst. 36. num. 18.* Ergo etiamsi testamentum pium fuerit, revocatum existimabitur, cùm nequeat valere mutata voluntate testatoris, Castillo *lib. 4. controv. cap. 37. num. 29.* 28

Sed tamen contrarium tenent communiter DD. ut revocatum non censeatur: & rationem dant, quia non præsumitur consultò cancellatum, sed casu; idcircò non remanet mutata voluntas testatoris, sed in ea remanet, Tiraquellus *privileg. 16.* Mantica *d. tit. 1. num. 32.* Mascardus *de probat. conclus. 1176. numer. 15.* Bossius *de testam. ad pias causas, tit. 12. §. 6. num. 300.* Novarius *quæst. forens. cent. 3. q. 2.* Capponi *tom. 4. discept. 291. dub. 2. n. 5.* 29

In hoc dubio illud animadvertendum, quæstionem procedere quoties testator in scriptis testamentum condiderit; nam si faciat nuncupativum, aliter est dicendum. Licèt enim scripturam cancellaverit, quæ est in sua potestate, tamen revocatum non remanet, nisi fortè originalem cancellaverit, quæ est apud Notarium, Clarus *dict. quæst. 93. num. 1.* Quare disceptatio erit, quando testamentum est in scriptis, & cancellatur originale apud Notarium remanens. 30

Igitur si testamentum pium conditum in scriptis consultò cancelletur à testatore, idque constet, revocatum remanebit; fuit enim ejus voluntas, per cancellationem illud revocare. In dubio verò, quando cancellatum invenitur, nec constat, an consultò, an casu cancellaverit, si pium est, casu cancellatum præsumitur, & ideò semper valet: & ratio est, nam in dubio pro anima calculus est ferendus, nisi consultò cancellatum esse probetur, Ant. Faber *Cod. de sacrosanct. Ecclesiis, diffin. 39.* Medicis *opusc. 4. n. 34.* Diez *reg. 731.* 31

Istinc resolvendum, si testamentum pium factum fuerit in scriptis, an ex incisione linorum, & ejus apertura revocetur, ex regula generali *in leg. 1. §. Si linum, ff. de bon. poss. secundum tabul. l. 1. ff. de his, quæ in testament. delentur*, Valenzuela *cons. 31. num. 52.* Mastrillo *decis. 133. num. 22.* Castillo *controv. lib. 4. cap. 37. à num. 55.* Verumtamen si consultò id fecerit testator, remanebit revocatum, dummodo constet: in dubio verò, casu, vel ultra ejus dispositionem accidisse videtur, itaque revocatum non remanet, ut cum aliquibus Capponi *tom. 4. discept. forens. 291. dub. 3. num. 2.* 32

CAPUT VIII.

De substitutionibus piis.

SUMMARIUM.

Quando causa pia est substituta in minùs solemni testamento, sustinetur substitutio, licèt corruat institutio, num.1.

Causa pia substituta in substitutione pupillari excludit matrem, num.2. Sed quid in tacita comprehensa in vulgari? Tres sunt sententiæ, à num.3. resolvitur, à num.7. tenebitur tamen causa pia alere matrem, si pauper sit, num.10.

Si hæres instituatur, & causa pia substituatur, sub conditione si sine liberis decesserit, an excludant substitutum naturales, seu legitimati, num.11. alii affirmant, numer.12. alteri negant, num.13. resolutio fit, à numer.14. & quid si hæc conditio expressa non sit, à num.17.

Si filius instituitur, & pia causa sit substituta, quæritur an subaudiatur conditio, si sine liberis decesserit? Prima sententia affirmat, n.21. altera negat, n.22. admittitur, & explicatur, n.23.

Fallit si causa pia in aliqua re particulari substituatur, num.24.

An fœmina excludat substitutam causam piam, apposita illa conditione, si sine liberis decesserit? alii affirmant, num.25. alteri negant, num.26. defenditur hæc sententia, num.27.

An causa pia possit directè substitui adita hæreditate, num.28. Explicatur quomodo id fiat, ibid. negarunt aliqui, num. 29. affirmarunt alteri, num.30. explicatur & resolvitur, à num.31.

Si pater instituit filium hæredem, & ei substituit causam piam, si sine liberis decesserit, & ex filia adsit nepos. an à nepote causa pia excludatur? affirmant aliqui Doctorum, n.35. Sed contrarium tenendum, n.36.

Hæc conditio, Si sine liberis decesserit, *deficit, aut adimpletur tempore mortis instituti, n.37. Quid si conditio sit,* si filios habuerit? *Aliqui dicunt, non inspiciendum tempus mortis, sed tenendum contrarium, n.38.*

1 OTii nostri non est de substitutionibus loqui, ad de earum differentiis, sed tantùm de nonnullis substitutionibus piis, quæ ad rem nostram pertinent, in quarum enodatione quidquid ad essentiam illarum conveniat explicabimus. Et in primis, quando causa pia est substituta in testamento minùs solemni, valida substitutio remanet, licèt corruat institutio; idque ut expressimus *lib. c.1. n.17.* quando præcisè verificanda est substitutio, & ad casum est perventura. Ratio est, nam ut animadvertit Rubeus *pract. cap.35. n.30.* illud est receptum, ut quoties in testamento pio aliqua profana disponuntur, ex defectu solemnitatis ista corruant & pia sustineantur: & ita licèt in testamento minùs solemni institutio profana non valeat, valet tamen substitutio pia.

2 Illud enim citra dubium admissum est, ut in pupillari substitutione expressa, quæ fit quando impubes filius instituitur, & si intra pupillarem ætatem moriatur, pia causa sit hæres, tunc matrem excludi à filii legitima, ut est decisum *in cap. Si pater 1. de testam. in 6.* ubi plures, Barbosa *num.5.* Costa *verbo Censendum, n.21.* Menoch. *lib.3. præs.* 38. Rota apud Farinac. *1. part. decis.639. n.4.* Osuald. ad Donellum, *lib.19. cap.5. litt. A.*

3 Sed est gravissimum dubium, an quando causa pia pupillariter substituitur, non expressè, verùm tacitè & eminenter in vulgari substitutione, mater excludatur, utpotè quando pater instituit hæredem filium, & si hæres non erit, substituit Monasterium, aut Christi pauperes: Tunc enim non solùm est vulgaris substitutio expressa, verùm si filius impubes decesserit, est tacita pupillaris, *leg. Iam hoc iure 3. ff. de vulg. & pupill. subst. l. Quamvis 4. Cod. de impub. & aliis subst.*

4 Hoc ergo supposito, difficultas est, an tacita substitutio pupillaris comprehensa in vulgari excludat matrem, si causa pia sit substituta? Et prima sententia asserit minimè excludere, quia legitima est matri debita de jure naturæ, *cap. ult. 17. q. ult. cap. Si pater 1. de testam. in 6.* quare pater substituendo causam piam, nequit matrem excludere. Cæterùm pater; qui facit pupillarem substitutionem, testatur pro filio, & non pro se. Ergo pro anima sua non videtur substituisse, ita ut conjectura percipiatur favore animæ matrem exclusisse, Corneus *in leg. Precibus, Cod. de impub. subst. col.2. & lib.3. cons.322. col. penult.* Soccin. *in l.2. ff. de vulg. & pup. subst. n.32. vers. Postremo,* Fusar. *de subst. q.157. n.56.*

5 Secunda sententia dicit, pupillarem substitutionem comprehensam in vulgari, excludere matrem, si causa pia substituatur pro malè ablatis, & exoneratione conscientiæ; nam in his, quæ relinquuntur pro malè ablatis, majorem interpretationem percipiunt, quàm alia pia legata, Novarius *de incert. & mal. ablat. privil.12. n.6.* considerantur enim sicut æs alienum, & minuunt legitimam filiorum, Novarius *privileg.5.* Ergo multò magis matris legitimam, illam excludendo per tacitam pupillarem. Ita tenent Franciscus Aretinus, & Jason, quos retulit Tiraqu. *privileg.69. n.2.* Covarr. *in capite Raynutius, §.4. n.6.* Guttierez *in cap. Quamvis pactum, verb. Nullum habens ad bona regressum, n.8.*

6 Tertia sententia absolutè tenet, in qualibet causa pia tacitam pupillarem matrem excludere, si comprehendatur in vulgari; nam licèt regulariter loquendo non excludat matrem, *l. Precibus 8. Cod. de impuber. substit.* ubi Scribentes, Fachineus *lib.4. controv. cap.40. & 41.* Menochius *lib. 4. præsumpt.39.* Mantica *de coniect. lib.5. tit.15. à num.1.* tamen id cessat quando causa pia est substituta, quia præsumitur velle testatorem excludere matrem, & admittere causam piam, ob animæ favorem, quæ magis dilecta præsumitur, Tiraquellus *dict. privil.69.* Gomez *tom.1. variar. cap.4. num.8. versic. Sed si quæras,* Velasco *de privil. paup. 2. part. special. Quædam, sub qu.64. num.9.* Leoncill. *2. part. in eodem tract. privileg.382. verb. Substitutio, num.3.* Molina *de iustit. tract.2. disp.184. num.21.* de Lugo *eodem tract. disp.24. sect.8. §.1. n.149.* Novarius *de incert. privil.35.* Bossius *d. tit.12. §.6. n.299.*

7 In hoc dubio animadverto quæstionem esse in qualibet causa, etiam profana, an per tacitam substitutionem pupillarem comprehensam in vulgari, mater excludatur? Et non excludi asseruerunt suprà citati, quibus addo Fusarium *de substitut. quæst.157. à num.5.* Marinis *lib. 1. resolut. cap.265. num.8.* qui dicit magis communem. Verùm alii tenuerunt contrarium, quorum plurimos refert Fusarius nuperrimè allegatus, *num.4.* Donellus *in d. l. Precibus, num.5.* Faber *coniect. lib.15. cap.4.* pro quibus de jure Regio est lex *5. tit.5. part.6.* Placuit Pichard. *in relect. ad tit. de vulgari, cap.20. n.10.* Castillo *controv. lib.2. cap.21. num.26.* qui asseruit de jure Regio hanc sententiam observandam.

8 In hac ultima sententia disceptatio nostra non est, dum asserit in qualibet causa etiam profana matrem excludi per tacitam pupillarem contentam in vulgari; sed tantùm in contraria sententia, qua retenta, assero tertiam sententiam esse admittendam. Et ratio est, nam legitima, quæ matribus, aut aliis descendentibus debetur, non est ex aliquo jure naturali, sed tantum à jure positivo, ratione miserationis ob solamen liberorum amissorum, prout demonstravit Consultus *in l. Si scripto, vers. fin. ff. unde liber. leg. Nam etsi parentibus 15. de inoffic. testam. l. Iure succursum 6. de iur. dot.* Gomez *tom.1. variar. cap.2. num.7.* Quapropter potuit ipsum in aliquibus casibus disponere, ut rectè ab eis tolleretur, ut est casus in pupillari substitutione expressa, & in aliis, *in l.2. l. Sed si plures 10. §. Substitutos, ff. de vulg. l.12. tit.5. part.6.* Itaque quando pater etiam tacitè substituit pupillariter causam piam, rectè ex eadem juris dispositione poterit matrem excludere. Et confirmatur, nam hæc facultas excludendi matrem à legitima, conceditur à jure dependenter à voluntate patris pro filio testantis, ita ut si ipse velit eam excludere, exclusa censeatur. Cùm ergo quando causa pia est substituta, adsit conjectura ut velit eam excludere favore animæ, inde est, ut excludatur. Cæterùm licèt pupillaris substitutio censeatur testamentum filii, *l. Papinianus 8. §. Sed neque impuberis, ff. de vulg. d. cap. Si pater,* non tamen querelæ subiicitur; nam jus dat facultatem patri testandi pro filio, qui nullo modo illam legitimam debet, Afflictus *decis.310. num.3.* Carleval. *de indic. tom.2. lib.1. tit.3. disput.25.*

sput. 25. *num.* 21. Idcirco non tenetur legitimam illam relinquere, quin potiùs potest ex sua voluntate excludere, prout facit quando causa pia est substituta, etiamsi contineatur in vulgari.

9 Denique ea dictis satisfit fundamento primo prioris sententiæ: & licèt restet aliud, nempè non esse favore animæ, quia est testamentum filii, respondetur sufficere favorem animæ pupilli: tum adest etiam pia voluntas patris, quæ meritoria est, ut sustineatur conjectura excludendi matrem, ut latè prosequitur Mantica *de coniect. lib.* 5. *tit.* 15. *à num.* 34. Menoch. *lib.* 4. *præs.* 39. *num.* 90. Cancer. 1. *part. var. cap.* 1. *n.* 21. & alii apud Riccium ad Tiraquellum, *privil.* 69.

10 Nota in præsentiarum, quod si mater pauper sit, nec habet unde alatur, tenebitur substituta causa pia ei alimenta præbere, hoc enim est debitum naturæ, quod nequit matri auferri in bonis filii, etiamsi causa pia sit substituta, Gregorius *in l.* 7. *tit.* 5. *part.* 6. *verb. El moco*, Cevallos *commun. qu.* 70. *n.* 7.

11 Præterea disquirenda est alia quæstio, si hæres instituitur, & substituatur causa pia ea conditione, si sine liberis decesserit, & tantum habeat filios legitimatos, aut naturales, an excludatur causa pia? Et ad resolutionem præmitto, quod si causa profana fuerit substituta, excludetur, si adsint filii naturales, aut legitimati, *l. Ex facto* 17. §. *Si quis rogatus* 4. *ff. ad Trebell. leg. Cum pater* 77. §. *Dulcissimis* 20. *ff. de leg.* 2. Menochius *lib.* 4. *præsumpt.* 89. *num.* 103. Mantica *de coniect. lib.* 10. *tit.* 7. *numer.* 17. Barbosa *de appell. verb. signif. appell.* 99. *à num.* 13. Molina *de instit. tract.* 2. *disput.* 190. *num.* 8.

12 Erit ergo dubium, quando causa pia est substituta? Et prima sententia asserit, filios naturales, aut legitimatos causam piam substitutam excludere; nam ut dicitur *in l. Cum acutissimi* 30. *Cod. de fideicommiss.* per hanc conditionem, *si sine liberis decesserit*, vult testator propriam sobolem anteferre etiam causæ piæ, Menochius *d. præsumpt.* 89. *num.* 19. Cancerius 1. *part. variar. cap.* 2. *num.* 81. filii enim naturales, & legitimati ad propriam sobolem pertinent. Ergo illa stante conditione, causam piam excludent. Cæterùm licèt ista sit quæstio voluntatis, & inspicienda sit dignitas substituti, & inde perpendamus, velle filios naturales, & legitimatos excludere, Larrea *decisione Granat.* 33. *num.* 48. *& num.* 104. Attamen respectu filiorum naturalium, & legitimatorum, non dabitur locus substitutioni causæ piæ; nam considerata affectione filiorum, prævalet dignitati illius, etiamsi causa pia sit substituta, Alexand. *in leg. Ex facto* 17. §. *Si quis rogatus*, *ff. ad Trebel. col.* 5. *versic. Sexto fallit*, Fusarius *de substit. q.* 406. *n.* 50. Peregrin. *de fideicomm. art.* 28. *n.* 45.

13 Secunda sententia tenet contrarium; nam in his substitutionibus conditione illa apposita, consideranda est dignitas personæ substitutæ, unde conjectetur velle testatorem præferri filiis naturalibus, aut legitimatis. Cùm ergo causa pia sit gravissimæ considerationis & dignitatis, quatenus includit animæ salutem, & Dei honorem, inde est, ut facilè cognoscamus, velle testatorem anteferri filiis naturalibus, aut legitimatis, & solùm voluisse propriè legitimos illam excludere, Baldus *in cap. In præsentia* 8. *de probat. n.* 35. Tiraqu. *privil.* 94. Grassus *de success. tom.* 1. §. *Fideicommissum*, *q.* 37. *n.* 8. Medicis *opusc.* 4. *sub n.* 57. *versic. Similiter Ecclesia*, Gallus *lib.* 2. *observ.* 136. *n.* 6. Mantica *de coniect. lib.* 11. *tit.* 9. *n.* 18.

14 Verum in hac difficultate dico in primis, testatorem posse extraneum hæredem instituere, & substituere causam piam, illa adjecta conditione, *si sine liberis decesserit*, ut cum aliquibus docet Riccius ad Tiraquellum, *d. privileg.* 94. Et in hoc casu credo hanc secundam sententiam admittendam esse: & ratio est, nam præsumendum est nolle testatorem præferre filios naturales, aut legitimatos, qui in peccato concepti sunt, bono suæ animæ, quando ipsi extranei sunt, nec cum eis habet aliquam consanguinitatem. Quod idem dicendum videtur, si collateralis consanguineus fuerit institutus, cùm adhuc non sit tanta affectio, ut vincat bonum animæ illius, cui majori consideratione prospicitur, quàm pro consanguineis collateralibus.

15 Secundò dico, disceptationem esse, quando filius, aut aliquis descendens instituitur hæres in aliquibus bonis ultra legitimam, aut quando legitimæ rectè renunciavit, & data est substitura causa pia ea conditione, *si sine liberis decesserit*: quo quidem casu videtur admittenda prima sententia, quia in filiis naturalibus eadem est ratio pietatis, & affectionis, prout in legitimis, *l. Generaliter* 6. §. *Cum autem*, *Cod. de instit. & substit.* Itaque sicut testator suos nepotes, aut descendentes legitimos voluit præferre causæ piæ, similiter legitimatos, & naturales, in quibus adest eadem ratio pietatis, & naturalis affectionis. Cæterùm filii naturales veniunt appellatione filiorum in conditione positorum, ut *in cap. In præsentia* 8. *de probat.* tenent Felin. *num.* 21. Decius *num.* 37. Mantua *num.* 25. Dueñas *reg.* 353. & alii relati à Mantica *de coniect. lib.* 11. *tit.* 9. *n.* 2. Ergo cùm testator illam conditionem apposuerit substituendo causam piam, intelligendum est, voluisse in conditione intelligi, non solùm filios legitimos, verùm & naturales, & legitimatos. Denique causa pia non habetur loco filii, ut filios naturales excludat, nisi in casibus à jure expressis, ut censent plurimi *in d. cap. In præsentia*, Paritius *lib.* 3. *cons.* 74. *n.* 20. Ergo causa pia excluditur in substitutione, si adsint filii naturales, & legitimati, qui à testatore descendant.

16 Hæc sententia probabilis est. Verumtamen contrariam admitto; nam ut diximus, filii, aut descendentes in bonis, quæ sunt extra legitimam (ut in præsentiarum loquimur) quasi extranei censentur respectu causæ piæ, & minus favorabiles quàm ipsa, Baldus *in d. cap. In præsentia*, *de probat. num.* 1. *in fin.* Mantica *de coniect. lib.* 5. *tit.* 15. *num.* 38. Itaque licèt in filiis naturalibus consideretur eadem pietas, prout in legitimis, tamen favorabilior est causa pia substitura. Quaproptet in illa conditione, *si sine liberis*, tantùm intelligentur legitimi, non verò naturales. Cæterùm probabilior est sententia, in hac conditione, *si sine liberis*, tantùm legitimos includi, rejectis naturalibus, Molina *de primog. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 41. Riccius 3. *part. collectan.* 493. Fachineus *lib.* 4. *controv. cap.* 52. Barbosa *d. appellat.* 99. *n.* 13. Quod certius erit pia causa substituta, ob maximum ejus favorem: ergo ea natura ipsa conditionis, naturales, aut aliàs legitimati excluduntur. Denique fundamentum ultimum incertum est, quin potiùs quando causa pia excludat substitutos, & habeatur loco filii, id solùm pendet ab expressa, aut conjecturata mente testatoris, ut cum aliquibus tradit Farinac. *in Repert. ultim. volunt. q.* 78. *à n.* 3. Cùm ergo in præsentiarum conjecturata mens testatoris excludat descendentes naturales, & legitimatos, id erit observandum.

17 Tertiò dico, posse quæstionem incidere, quando hæc conditio expressa non est, sed tacitè intelligitur, veluti si filius est institutus, & data substituta causa pia; aut testator præcipit illi hæreditatem restituere: tum licèt expressè non apponat conditionem illam, tacitè subauditur, *si sine liberis decedat*, *l. Cum avus* 102. *ff. de condit. & demonstrat. leg. Generaliter* 6. §. *Cum autem*, *C. de instit. & substitut. leg. Acutissimi* 30. *Cod. de fideicomm.* Gomez *tom.* 1. *var. cap.* 5. *num.* 32. Covarruv. *practicar. cap.* 38. *num.* 11. Gratian. *discept. forens. cap.* 306. *num.* 18. Cancer. 1. *part. variar. cap.* 2. *num.* 81. Farinac. *in Repert. ultim. volunt. q.* 38. quæ quidem conditio etiam intelligitur, licèt causa pia sit substituta, Gomez *d. cap.* 5. *n.* 34. Farinac. *d. q.* 38. *n.* 8. Mantica *de coniectur. lib.* 10. *tit.* 7. *n.* 4. Fusar. *de substit. q.* 393. *n.* 55. Bossius *tit.* 12. §. 7. *n.* 325.

18 Et in hoc casu dicendum videtur, minimè naturales filios, aut legitimatos esse excludendos; nam quoties hæc conditio tacitè intelligitur, naturales filii, aut legitimati non excluduntur, Menes. *in d. leg. Cum acutissimi*, *num.* 30. Gomez *d. cap.* 5. *n.* 40. Covarr. *d. cap.* 38. *n.* 4. Azevedus *in l.* 11. *tit.* 6. *lib.* 5. *recopilat. n.* 29. Ergo idem dicendum, licèt causa pia sit substituta.

19 Sed tamen etiamsi tacitè subaudiatur ista conditio in descendentibus, contrarium teneo; nam in disertiori sententia non distinguitur, an tacitè, an expressè hæc conditio apponatur: Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 89. *n.* 99. Petr. Greg. *syntagm. lib.* 42. *c.* 3. *n.* 3. Fusar. *de substit. q.* 406. *n.* 3. Cæterùm suppositum quod fecimus suprà *n.* 17. scilicet hanc conditionem tacitè subaudiri, quando pia causa est substituta, non est ita certum, quin plures DD. contrarium teneant, quos ad satietatem retulit Fusar. *d. q.* 393. *n.* 74. & alii apud Sanchez *in Decal. lib.* 7. *c.* 16. *n.* 83. Idcircò licèt alia conditio subaudiatur, erit strictè interpretanda tantùm in filiis legitimis, non autem in naturalibus, aut legitimatis.

In

20 In Hispania verò circa naturales liberos admitterem sententiam asserentem, excludere causam piam substitutam, illa apposita conditione, aut subaudita, cùm tanti habeantur, & quasi legitimi reputentur quoad gentilitiam nobilitatem, & possint institui hæredes, deficientibus legitimis, *leg.19. Tauri*, ubi Repetentes. Itaque existimo in illa conditione non excludi; quin potiùs, utpotè legitimi, illam excluderent.

21 Ex dictis *num.17. & 19.* ansam suscipio examinandi quæstionem illam, an conditio, *si sine liberis decedat*, subaudiatur quando pia causa est substituta filio instituto? Et prima sententia affirmat, quia præsumitur voluisse anteferre propriam sobolem causæ piæ, eo quòd charior videatur. Tum ex eo, quod proprium filium in primo gradu instituit, videtur non solùm illum præferre voluisse, verùm etiam nepotes, & descendentes, in quo quasi in capite continebantur. Cæterùm hæc conditio subauditur ex tacita mente testatoris, ob pietatem, & commune parentum votum circa propriam sobolem, Tiraquell. *in l. Si unquam, C. de revocand. donat. verb. Liberis, n.80. & 85.* Tuschus *litt. S, conclus.843. num.7.* Quapropter etiamsi causa pia sit substituta, semper intelligitur illa conditio, *si sine liberis decesserit*: tenent ultra allegatos *n.17.* Gabr. *tit. de fideicomm. conclus.2.n.14. & 15.* Costa *in cap. Si Pater, de testam. 1. part. verb. Si absque liberis, n.17.* Spino *de testam. gloss.14.num.126.* Gregorius *in l.1. tit.4. part.6. verb. Dexase*, Molina *de iustit. tract.2. disp.190. n.27.* Sanchez *d. lib.7. cap.16. n.84.* Riccius ad Tiraqu. *privil.494.* Bossius *d. §.7. a num.325.*

22 Secundam sententiam tenent Roman. Socin. Junior, Felinus, Barbatia, Ancharan. Alex. Parisius, & alii, qui communem dicunt apud Fusar. *d. qu.393. n.54.* & sentire videtur Tiraquell. *privileg.17.* & alii apud Mantic. *de conject. lib.10. tit.7. num.10.* Ducuntur, nam respectu animæ nihil charius videtur habendum, nec filii, nec ipsa vita, ut optimè docet Div. Paulus *Act. Apostolor. cap.20. vers.23.* ibi: *Vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent, sed nihil eorum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me.* Explicuit etiam exemplo serpentis Chrysost. *in Matth. cap.10. homil.33.* his verbis: *Quemadmodum serpens totum se ipsum tradit, donec caput suum integrum reservet, eodem modo tu quoque præter fidem cætera perdere non cures. Profundas universam tuam pecuniam, tradas corpus, vita ipsi, si opus est, minimè parcas, dummodo fidem serves, quæ caput, & radix est, qua servata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus majori cum magnificentia recuperabis.* Unde cognoscitur, omnia esse perdenda, comparatione facta ad animæ bonum: Ergo cùm testator substituit causam piam, bonum animæ prospiciens, conjecturare convenit, velle illam præferri propriæ soboli. Cæterùm, nam quando pater filium instituit, cogitavit de descendentibus, idque præsumitur respectu causæ piæ, Bart. *in l. Titia Seio, §. Imperator, ff. de legat.2. n.6.* Ergo cùm de illis cogitando, adhuc substituit causam piam, videtur velle illam conditionem excludere, ut immediatè hæreditas perveniat ad illam, Farinac. *d. q.36. n.18.*

23 Hanc sententiam admitto, & explico tantùm intelligendam esse in his bonis, quæ extra legitimam supersunt. Ergo, ut diximus, non consideratur eadem ratio pietatis, & affectionis, prout in illa: quapropter ex conjecturis facilè percipiemus, filios instituti exclusos esse, ut diximus in donationibus piis *lib.1. cap.2.* & ita substituta causa pia, ex qualibet conjectura bonum animæ testatoris respiciente, non intelligetur conditio illa, *si sine liberis decesserit*. Et confirmatur, nam ut docuerunt Decius *cons.426. num.3.* Spino *de testament. gloss.14. num.126.* in bonis quæ supersunt ultra legitimam, magis favetur causæ piæ, quàm filiis. Quapropter præsumendum est, velle patrem absque illa conditione substituere causam piam. Denique hæc conditio tacitè posita intelligitur ex mente defuncti, Gomez *d. cap.5. num.32. versic. Cujus ratio*, Gratian. *discept. forens. cap.306.* Vela *dissert.11. num.101.* Osuald. ad Donell. *lib.8. Comment. cap.3. litt. I.* Quare contrariis conjecturis tollitur, Farinac. *d. q.36. n.28.* quæ enim fortior conjectura quàm animæ bonum, unde tanta incrementa spiritualia percipiuntur? Ergo talis conditio subaudiri nequit, quando causa pia est substituta.

24 Illud communiter admittunt Doctores, ut hæc conditio minimè subaudiatur, quando causa pia in aliqua re particulari, & non multi valoris substituitur; quia res ista parum refert ad conservandam, & ditandam propriam prolem, & consideratur ut parva eleemosyna relicta causæ piæ, Menochius *lib.4. præsumpt.89. num.124.* Sanchez *d. cap.16. num.85.*

Deinde disceptatur, an quando pia causa substituitur ea conditione, *si sine liberis decesserit*, & institutus tantùm habeat filias legitimas, excludatur, necne? Et plurimi asseruerunt, non excludi, quin potiùs contra filiam valebit substitutio causæ piæ; nam fœminæ non comprehenduntur sub nomine filiorum, nisi impropriè, & per extensionem, Peregr. *de fideicomm. art.25. n.4.* Alex. Trentacinq. *de substit. 4. part. cap.7. n.12.* Intrigliol. *de substit. cent.3. q.38. n.2.* quæ quidem extensio nequit fieri contra causam piam, quæ magis dilecta videtur, quàm filia. Ergo filia nequit excludere causam piam, cùm non sit comprehensa in illa conditione, Rusticus *in d. l. Cum avus, lib.6. cap.8. n.18.* Bertrand. *lib.8. cons.138. col.2.* Menochius *cons.651. n.13.* Fusarius *de substit. q.311. n.97. versic. fin.* Barbosa *appellat.99. n.74.* 25

Sed contrarium tenent alii, Pinell. *in l.2. C. de bon. matern. n.26.* Covarr. *in cap. Raynaldus, de testam. num.4. & 5.* Peregrin. *de fideicomm. art.25. n.20.* Fusar. qui dicit sibi placere, *de substitut. q.402. n.104.* Et rationem dant, quia filia semper inclusa videtur in illa conditione, nisi aliàs clarè excludatur, *l.1. C. de condit. insertis*, & ex communi usu loquendi idest admissum, Barbosa *d. appellat.99. n.56.* Quare si illa conditio apponatur, fœminæ intelliguntur, & causa pia substituta excludetur. Cæterùm est æqualis dilectio, tam filiorum, quàm filiarum: itaque comprehensæ videntur in illa conditione. 26

Hæc ultima sententia est admittenda, si filia legitima sit; nam in meliori sententia, ex proprietate verbi, sub nomine filiorum, etiam fœminæ comprehenduntur, ut tenent plures apud Barbosam *d. appellat.99. num.50. ad fin.* & insimul est communis usus loquendi, à quo mens testatoris est capienda. Cæterùm, nam ut scripsit Mantica *de conject. lib.10. tit.8. num.10.* ut fœmina non excludat substitutum, necessarium est ut expressè masculi vocentur: unde sentit, ut si absolutè dicatur, *si sine liberis decedat*, utique fœminam substitutum excludere ex mente testatoris. Quod quidem observandum est, licèt substituta sit causa pia, nec erit locus conjecturis dilectionis, aut affectionis, dum constet de voluntate testatoris, Tond. *2. part. qq. civil. q.183.* 27

Prorsus disquiramus, an causa pia directè substitui possit post aditam hæreditatem, quando pubes est institutus? Et ad rei intelligentiam animadverto id jure prohibitum esse, *l. Post aditam 5. Cod. de impuber. & aliis substitut. leg. Si legata 6. Cod. de legat. l.4. tit.5. part.6.* duabus rationibus; nam hæres, qui hæreditatem adivit, nequit desinere esse hæres. Tum bona testatoris per aditionem fiunt hæredis, & ipsius proprium patrimonium, idcircò nequit sustineri directa substitutio, utpotè facta in re aliena, Spino *de testam. gloss.22. n.23.* Petr. Gregor. *syntagm. lib.42. cap.16. n.11.* Mantica *de conject. lib.5. tit.6. n.1.* Gratianus *discept. forens. cap.288. n.10.* Molina *de iustit. tract.2. disp 183. num.7.* 28

Hoc ergo supposito, inquirimus an id procedat quando directò causa pia substituitur, adita hæreditate? Et Bald. *in l.1. Cod. de Sacrosanct. Eccles.* quem refert Tiraquellus *privileg.21.* Lancell. Polit. *de substit. tit. de compend. substit. quæst.5.* negarunt fieri posse, *ex cap. Si pater 1. de testam. in 6.* quem textum id probare negat Tiraquell. *d. privileg.21. ad fin.* quia loquitur quando altera causa pia erat instituta, comparatione cujus nequit causa pia substituta privilegium habere. Sed adhuc ratione probant; nam licèt miles directò substituere possit adita hæreditate, *l. Centurio 15. ff. de vulg. & pupill. substitut.* non est bona comparatio ad causam piam, quia nullo jure probatur: quapropter licèt miles id facere valeat, non tamen paganus substituendo causam piam. Prætereà, licèt in dispositionibus piis non observentur juris solemnitates; attamen observatur jus naturale: sed de jure naturali nequit quis disponere de re aliena, *l. Filius 7. ff. de donat. cap. Non est putanda 471. qu.1. & 14. q.5. per tot.* quod faceret, si quis adita hæreditate alium substituisset. Ergo nec directò adita hæreditate potest quis substituere causam piam. 29

Sed contrarium tenent cum Bartol. Abbas *lib.2. cons.32. num.1.* 30

num.1. Jason *in d. l. Centurio, n.9.* Tiraquell. *d. privil. 21.* Gulielmus Benedict. *in cap. Raynutius, verbo Si absque liberis moreretur 2. num.125. vers. Quinto fallit.* Grassus *de success. tom.1. §. Substitutio, quæst.70.* Gregor. *in l.4. tit.5. p.6. gloss.1. in fin.* Thesaur. *quæst. forens. lib.4. quæst.37. n.6.* Ducuntur *ex d. leg. Centurio*, ubi id militi conceditur: ergo etiam pagano, qui vult substituere causam piam. Et comprobatur, nam interdictum istud prohibens pagano, ne directè substituat adita hæreditate, est de jure civili; nam si de jure naturali fuisset, militi minimè concederetur. Cùm ergo in dispositionibus piis hæ juris solemnitates ablegentur, si paganus directò substituerit adita hæreditate, sustinebitur substitutio.

31 In hoc dubio resolutio difficultatis pendet à modo explicandi hanc directam substitutionem adita hæreditate, & in milite eam explanabo, ut ad nostrum casum adaptemus. Miles igitur valet directò substituere, quia valet ad tempus hæredem instituere, ita ut illo transacto alius sit hæres, *leg. Quærebatur 19. §. fin. de testam. milit.* quare valet directò substituere adita hæreditate, quia perinde est, ac si unum hæredem nominasset ad tempus, quo decurso, substituisset, ut alius hæres admittatur, *leg. Militis 5. ff. de testam. militis*, Gomez *tom.1. variar. cap.3. nu.33. in fin.* Pichard. *princip. Instit. de vulg. subst. num.34.* Quod idem dicendum est, quando paganus directò causam piam substituerit, adita hæreditate; nam perinde est ac si hæres institutus fuisset ad tempus, & illo transacto, causa pia institueretur: hujusecemodi rectè id fieri valet, nam de jure naturæ id prohibitum non est, quod in causis piis prospicitur. Thoro *privil.90.*

32 Ex quo quidem explicandi modo secunda sententia tenenda est, & fundamenta prioris dilabuntur; nam non est necessarium, ut aliquo jure probetur comparatio militis, & pagani substituentis directò causam piam; sufficit enim, ut de jure naturæ possit id facere. Ad secundum facilè respondetur; nam hæc directa substitutio, non est dispositio de re aliena, cùm primus hæres institutus ad tempus, illo transacto desinat esse hæres, & intrat substitutus accipiens bona sibi relicta à testatore.

33 Sed dices: In testamento inter liberos observatur jus naturale, *d. l. Hac consultissima, §. Ex imperfecto, C. de testam.* Clarus *verb. Testamentum, q.8. a n.1.* Farinacius *in Repert. ultim. vol. q.37. n.2. & 3.* & tamen adita hæreditate directò, non admittitur substitutio: Ergo nec in testamento pio. Sed respondet Tiraquell. *d. privil.21. in fin.* id intelligendum, quando pater extraneum substituerit, quia respectu illius solemnitates juris sunt necessariæ; secus autem si substitutio fieret inter ipsos liberos, inter quos nullæ solemnitates requiruntur, ut in testamentis piis: quapropter sicut inter liberos valeret directa substitutio adita hæreditate, similiter in testamento pio. Thoro *privil.177.*

34 Illud tamen animadvertas, quod si pia causa fuerit instituta, & altera pia causa substituta, minimè directa substitutio admittetur; non enim creditur velle testatorem ad tempus instituere causam piam, quia hæc consideratio fit quando persona profana est instituta. Benedict. *num. 30.* relatus. Est ad id textus *in cap. Si pater, de testam. in 6.* ut attigimus *num.29.*

35 Est alter casus non prætermittendus in substitutione pia, si pater universaliter instituat filium hæredem, & sub hac conditione, *si sine liberis decedat*, substituat causam piam, & insimul habeat filiam in certa quantitate institutam; ipsa tamen decessit, relicto filio patris nepote, an locus sit causæ piæ? Et plures Doctores Bononienses abnegarunt, quia videbatur propriam sobolem voluisse anteferri, quando illam conditionem apponit, & insimul prospexisse favorē descendentium. Tiraq. *in l. Si unquam, C. de revoc. don. verb. Liberis, n.80.* Tusch. *lit. S, concl.843. n.7.* Ergo non erit locus piæ causæ in præsentiarum, ex traditis à Fusar. *de subst. q.413.*

36 Sed contrarium est tenendum cum Paul. Castrens. *in l. 1. Cod. de condit. insert. n.9.* Thoro *in Sum. privil.107.* Nam illa conditio tantùm apposita est in persona filii, quæ non adimpletur, si sine liberis moriatur; itaque statim erit locus causæ piæ. Nec fundamentum contrarium aliquid probat; nam si testator vellet prospicere soboli ex parte filiæ, eandem conditionem apposuisset respectu illius: ergo ex eo quod non apposuit, videtur tantùm descendentibus filii voluisse consulere, favore piæ causæ.

37 Cæterùm scire oportet, quando hæc conditio apponitur instituto, *si sine liberis decedat*, quomodo deficiat, aut adimpleatur, ut detur locus substitutioni causæ piæ. Sed in hac re certum est deficere hanc conditionem inspiciendo tempus mortis ipsius instituti, quo si habeat filios, deficit conditio, nec admittitur causa pia; secus si illos habuerit, & decesserint ante mortem instituti, *l. Ex facto 17. §. Si quis autem susceperit, ff. ad Trebell.* Idque aperta ratione; nam illa verba, *si sine liberis decesserit*, tempus mortis designant, *l. Hæredibus 77. ff. ad Treb.* Mant. *de conject. lib.11. tit.6. n.3.* Quod ita certum, ut si tempore mortis habeat filios, qui statim moriantur, deficiat conditio, ita ut reviviscere nequeat, etiamsi substituta sit causa pia. Fulgosius *cons.46.* Gabriel *commun. lib.4. tit. de fideic. concl.7. n.2.* Alex. Trentacinq. *de substit. 4. part. cap.7. n.70. vers. Hæc conclusio.* Covarruv. *in c. Raynaldus, de testam. n.5.*

Erit tamen dubium quando hæc conditio apponeretur, 38
si filios habuerit; vel, *si filios susceperit*: quo quidem casu plurimi asseruere, deficere conditionem, si tantùm eos habuerit, licèt ante institutum moriantur. Alteri verò inquiunt, similiter inspiciendum esse tempus mortis: quam rem latè discutit Peregr. *de fideic. art.29. n.21.* Mantica *d. lib.11. tit.6. n.5.* Fusar. *de substit. quæst.414. n. 2.* Castill. *controvers. lib. 5. c.89. à n.17.* Verùm admitto tempus mortis inspiciendum esse, etiam in hac conditione; nam ut ait Fusar. *n. 3.* liberi appositi sunt in conditione ad excludendum substitutum, quod faciendum est tempore mortis instituti, aut gravati: itaque in eodem tempore prospiciendum est, an adsint liberi, necne, quod observandum est etiamsi causa pia sit substituta. Castillo *d. c.89. n.21.*

CAPUT IX.

Prosequitur materia substitutionum, & elucidatur textus *in capit. In præsentia 8. de probation.*

SUMMARIUM.

Elucidatur textus in c.8. de probat. *cum aliis, n.1. Datur ratio decidendi, dicendo Monasterium haberi loco filii, à n.2.*

An hæc decisio habeat locum in foro conscientiæ? aliqui dicunt in conscientia locum non habere, n. 4. sed contrarium tenendum, n.5.

Est quæstio, an decisio textus in d.c.8. *sit observanda contra voluntatem expressam, aut conjecturatam testatoris? tres sunt sententiæ, prima affirmat, secunda distinguit, tertia negat, à n.6. sed resolvitur, à n.9. & defenditur n. 13.*

Quando causa pia est substituta, an Monasterium, in quod ingreditur institutus, illam excludat, n.11.

An hæc decisio extendatur ad aliam causam piam? negant aliqui, n.12. Sed contrarium tenendum, n. 13. Extenditur etiamsi causa pia sit mediate substituta, n.14.

Sed quid si causa pia sit pro parte substituta, & persona sæcularis pro altera parte, & institutus Monasterium ingrediatur, an ad illam partem persona sæcularis debet admitti Monasterium: distinguunt DD. n. 15. sed probatur illam partem ad substitutum sæcularem pertinere, n.16.

Argumentatur, & respondetur, n.18.

Est dubium quando pater filium instituerit, & alterum filium substituat, si institutus sine filiis decesserit, & Religionem ingrediatur, an Monasterium excludat alterum filium substitutum? aliqui affirmant, n.19. & 20. negant alii, n.21. resolvitur à n.22.

Est alia difficultas, an excludatur substitutus à Monasterio, si dicat testator, substituere institutus decedat absque liberis legitimis, naturalibus, ex corpore procreatis, *à n.24.*

Prima sententia dicit non excludi, num.26. Alii contrarium tenent, n.27. Utraque sententia probabilis est, n. 28. Explicatur, & resolvitur pro prima sententia, à n.29. & seqq.

Inquiritur, an decisio dicti capitis 8. habeat locum quando institutus sit Clericus Ecclesiæ Sæcularis. Prima sententia negat, n.32. Secunda affirmat, n. 33. Explicatur à n.34.

De Clericis viventibus olim in communitate, cum voto paupertatis, & absque eo, à n.37. resolvitur pro secunda sententia, ibidem.

Ad excludendum substitutum, requiritur ut Monasteriū sit capax bonorum, ut professio habeat effectum, nec obstabit si post professionem fiat apostata, nec sufficiet esse oblatū requiritur etiam ut ante professionē aliquem hæredē non instituat, n.38

Sed de oblatis est quæstio. Variè intelligitur textus in d.c.8. *resolvitur de oblatis bona ad Monasterium deferentibus, n.39. & 40.*

Quid si animo fraudandi substitutum institutus Religionem ingrediatur. Prima sententia asserit non excludere, n.41. & fraus conjecturis valet probari, n.42. Secunda tenet contrarium, n.43.

In dubio fraus non præsumitur, num. 44. defenditur secunda sententia, n.45.

An per statutum fieri valeat, ut Monasterium excludatur à substituto? aliqui affirmant, n.46. negatur, n. 47. Admittitur vero quando per consuetudinem Monasterium factum fuerit incapax successionis, n.48.

Numerantur aliqui casus, in quibus substitutus non excluditur à Monasterio, a n.49.

Decisio textus in d.c.8. de probat. *an habeat locum in contractibus, disquiritur n.51. In onerosis decisio illa non admittitur, est vero dubium in gratuitis: aliqui negant, n.52. Alteri affirmant, n.53. & respondetur contrariis, a n.54.*

Monasterium capax bonorum, casu quo bona pertineant ad substitutum, interim quod ingressus vivit, habet bona; si vero incapax, est gravis difficultas, à nu. 57. In qua tres sunt sententiæ, sed explicatur, a n. 60. Et asseritur a die professionis bona transire ad substitutum, a n.61.

1 DEinde in hac materia obliviscenda non est decisio textus *in c. In præsentia* 8.*de probat.* ubi decisum est, quod si aliquis fuerit institutus, & ei datus substitutus ea conditione, *si sine liberis decesserit*, & institutus ingrediatur Monasterium, substitutus excluditur, & Monasterium hæreditatem cap. *Auth. nisi rogati, C. ad Treb. Auth. de Sanct. Episc. §. Sed si hoc præsenti, collat.9. l.17. tit.1. p.7.* Ratio enim decidendi non facilè redditur. Nonnulli dixerunt substitutum excludi; nam Monasterium habetur loco filii, unde deficiente conditione, substitutus non admittitur. Alteri dicunt, excludi substitutum ex præsumpta voluntate testatoris; nam existimatur testatorem dilexisse Monasterium, sicut si verè fuisset filius, & ita substitutus excluditur. Alii dixerunt, instituto Religionem profitente, conditionem illam reddi turpem, & pro non adjecta, *leg. Obtinuit* 4. *ff. de cond. & dem.* latè prosequuntur Covarr. *lib.1. variarum, c.19. n.7.* Mant. *de conject. lib.11. tit.7. n.7.* Tusch. *lit. M, concl.* 344. Fusar. *de subst. q.429. a n.8.* Genuens. *in prax. tricen.5. q.147.* Balboa *in d.c. In præsentia, n.*30. Castillo *lib.1. controv. c.65. n.4.* Sanch. *in Decal. lib.7. c.16. a n.1.* Palao *tom.3. de obl. just. tract.16. disp.3. p.4. §.4. n.5.* D. Gonzal. *in d.c. In præsentia, n.14.*

2 In hoc Doctorum dissidio antiquorum sententiam admitto, asserentium in præsentiarum Monasterium loco filii haberi, idque explicatum conformum rationi videtur. Quando ponitur hæc conditio, *si sine liberis decesserit*, semper filius verus intelligitur, non fictus, id est ille, qui a lege fingitur, *l. Si ita quis* 51. §. *Is cui, ff. de legat. 2. l. Fideic.*76. *ff. de cond. & dem.* Balb. *in d.c. In præsentia, n.*31. Menoc. *lib.4. præs.*83. *nu.*29. Gutierr. *Canon. qq. lib.1. q.32. n.49.* Ast illud favore Monasterii, & Religionis decretum est, ut sufficiat fictus ad excludendum substitutum; non enim repugnat, ut à lege id fiat quando expressè non constat de voluntate contraria testatoris, ut benè Grat. *Discept. For. c.305. n.4.* Quin potiùs quoties testator aliud non expresserit, videtur se conformem reddere cum dispositione juris: itaque Monasterium loco filii habetur, sufficientis ad excludendum substitutum, quamvis sit fictus ex juris dispositione. Tuschus *d. lit. M, conclus.* 344. *num.*8. Osasc. *decis. Pedemont.*126. *n.5.* Gom. *tom.1. variar. c.5. n.34. vers. Extende,* Farinac. *in Repert. ultimar. vol. q.76. n.2.* Parlador. *diff.*147. §. 1. *num.*8. Molina *de just. tract.* 2. *disp.190. n.24.* Faria *ad Covarr. lib.1. c.9. n.46.* Marant. 4. *part. resp.72. n.6.*

3 Sed dices cum Menoch. Balb. & aliis recensitis, hanc rationem decidendi admitti non posse, *ex d. Auth. de Sanctis. Episcop. §. Sed hoc præsenti*, ubi dicitur, quod si institutus ingrediatur Monasterium, conditio illa pro non scripta habetur: ast si Monasterium habetur loco filii, pro completa habebitur, & non pro non scripta: ergo Monasterium nequit haberi loco filii. Sed Gloss. *in d. §. Sed hoc præsenti*, respondet talem conditionem invalidam, & pro non scripta haberi, quando institutus ingreditur Monasterium, quia exclusus remanet substitutus, & institutio pura remanet, nam habetur loco filii: non verò quia tanquam turpis pro non scripta habeatur. Et si hæc responsio tibi non placet, dico de jure stricto in hac conditione intelligi verum, & proprium filium, ut diximus *n.* 2. Cum ergo per ingressum Monasterii, ex æquitate, & favore Religionis admittatur filius fictus, pro non scripta habetur talis conditio, ac perinde est, ac si apposita non fuisset; quia non jam verus, sed fictus filius admittitur, excluso substituto: unde probatum manet, Monasterium loco filii haberi, quamvis ficti.

Istinc aliqua sunt discutienda ad hunc pium favorem explicandum: & in primis, an hæc decisio habeat locum in foro conscientiæ? Et Joan. Andreas, Alciat. & alii apud Mant. *lib.11. tit.7. n.2.* Vincentius de Franchis *decis.29. n.4. part.1.* Rebellus *de just.2. part. lib.*18. *q.16. conclus.2.* asserunt in foro conscientiæ non procedere; nam lex ista nititur in præsumptione voluntatis tacitæ testatoris. Sanch. *d. cap.16. n.8.* lex verò, quæ in præsumptione fundatur, non obligat in conscientia, ut latè per Sanchez *in Decal. lib.1. c.10. n.13.* Ergo non obligabit in conscientia. 4

Sed non est admittenda hæc sententia, quin contraria; nam lex quæ præsumptione nititur, non obligat in conscientia, si de veritate constet: verum in præsentiarum non constat de veritate, & quid senserit testator. Itaque necessariò standum est juris dispositioni in utroque foro. Cæterùm decisio ista Jure Canonico comprobata est, quod totum se habet ad ducendas animas ad Deum, nihilque admittit cum peccato, *cap. Vigilans* 5. *cap. fin. de præscript. cap. Quamvis pactum, de pact. in 6.* ubi Scribentes. Ergo dicendum est, similem decisionem obligare in foro conscientiæ. Mantica *d. n.* 2. Peregr. *de fideicom. art.28. n.91.* Balb. *in d. c. in Præsentia, n.39.* Gutierr. *Can. lib.1. q.32. n.4.* Barbosa *d. appell.99. n.124.* Sanchez *d.c.16. n.1.* 5

Est tamen grave dubium, an quando testator expressè Monasterium excluserit, aut conjecturalibus verbis, veluti si dicat, *Sine veris filiis, aut ex suo corpore procreatis*, Monasterium excludat substitutum? Prima sententia asserit, adhuc excludere: ad id expendit textum *in d. §. Sed & hoc præsenti*, ibi: *Tales conditiones invalidas, & pro non scriptis esse.* Includunt enim turpitudinem, quatenus institutum à Religione retrahunt, itaque pro non scriptis habentur, *l. Conditiones* 9. *leg. Quæ sub condit.* 8. *ff. de condit. instit.* Quapropter etiamsi expressè ponatur talis conditio excludens Monasterium, adhuc servabitur decisio *in d. c. In præsentia*. Cæterùm conditio apposita matrimonio carnali, ut quis ab eo abstineat, rejicitur contra expressam voluntatem testatoris, *l. Sed si hoc* 62. §. *fin. ff. de condit. & demonstr.* Ergo multò magis apposita matrimonio spirituali: tenent plures, quos ad satietatem refert Sanchez *d.c.16. n.11.* quibus assentitur Palao *d. §.4. n.* 6. & 7. Fachin. *controv. lib.4. c.56.* 6

Secunda sententia inquit, id tantùm admittendum, quando testator expressè posuisset conditionem directè retrahentem ab ingressu Religionis; tunc enim pro non adjecta habetur, utpote facta in odium Religionis, aliàs semper expressa voluntate testatoris excluderetur Monasterium, *ut in d. c. In præsentia*, Dec. *n.* 198. Felin. *num.* 37. Peregr. *de fideic. art.28. n.75.* Tap. *in Auth. Ingressi, Cod. de Sacros. Eccles. Verbo sua, c.13. n.24.* 7

Tertia sententia absolutè tenet, ut si expressa sit voluntas testatoris excludendi Monasterium, aut verbis conjecturalibus, id demonstret, admittetur substitutus: & ratio est, nam decisio ista tota pendet à voluntate præsumpta testatoris, quæ si in contrarium expressa sit, erit observanda, *l. In conditionibus, ff. de condit. & demonstr.* Cæterum, nam ex hac posita conditione, institutus non retraheretur à Religionis ingressu, licèt diceret, quod si illam ingrederetur, non excluderetur substitutus; quia ut benè scripsit Covarr. *in c. Quamvis pactum*, 3. *p.* §. 1. *n.4.* temerarium judicium esset opinari, ut institutus à Religione averteretur ex eo quod Monasterium hæreditatem non perciperet. Præterea, si ea conditio pro non scripta haberetur, substitutio remaneret pura, & nunquam Monasterium haberet illa bona, nisi pro vita instituti: quod est contra decisionem illorum jurium. Ergo dicendum est excludi Monasterium, si expressa sit voluntas testatoris, ita ut per illud non excludatur substitutus. Tusch. *lit. M, concl.*349. *n.39.* Marzar. *de fideic. q.31.* Menoc. *lib.4. præs.83. n.2.* Fusar. *de subst. q.429. n.18.* Farin. *d. q.76. n.3.* Franch. 1. *part. decis.29. n.7.* Molin. *d. tract.2. disp.190. n.25.* Sanch. *d.c.16. n.12.* Staiban. *centur.1. resol.97. n.2.* 8

In hoc dubio ut clarè procedamus, ponamus casum, putà testatorem dixisse, quod si institutus Religionem ingrederetur, nolle quod bona sua ad illum perveniant, sed ad substitutum, vel aliis verbis æquipollentibus petentibus in conditione legitimos filios, veros, aut de suo corpore procreatos Farin. *d. q. 76. n.4.* Hic est casus propositæ difficultatis, in 9

quo

quo considerandum est, posse malevolum aliquem testatorem in odium Religionis excludere Monasterium, idque constare ex aliquibus verbis dispositionis: & in hoc casu conditio illa, utpote turpis, rejicienda est, & pura relinquetur substitutio, nec Monasterium aliquid percipiet, nisi pro vita instituti, ut benè Sanchez *d.c.16.n.12.*

10 Verumtamen si id non constaret, sed tantùm simplicem dispositionem fecisset excludendo Monasterium expresse, vel tacitè, id erit observandum, quia liberum est testatori Monasterio sua bona relinquere, necne: quapropter rectè valet illud excludere, ut eum Rip. ait Spin. *de test. gloss.12. n.30.* Molina *de prim. lib.2. cap.12. n. 54.* Mier. *de majorat. 2. p. quæst. 3. a n. 3.* Et indignum est homini Christiano existimare per hanc conditionem institutum ab ingressu retrahi, ut ait Mantica *de conject. lib.11. tit. 7. n. 4.* Ergo erit observanda talis dispositio. Cæterùm, nam licèt Monasterium habeatur loco filii, est juris interpretatio voluntatis testatoris, eo nempe, quia intelligit, quod si cogitasset de Monasterio, illud tanquam filium admitteret, quod non minùs dilexisse præsumitur. Spino *d.gloss.12. n.29.* Mantica *d.tit.7.n.7.* Ergo si constet de ejus voluntate contraria, similis interpretatio nequit fieri. Denique licèt favor Monasterii, & Religionis sit publicus, *l.fin.Cod.de Sacros.Eccles.* & non possit à privatis derogari, *cap.Si diligenti 17. de for. compet. l. Nemo potest, ff.de legat. 1.* cùm tamen hæc dispositio tota pendeat à voluntate testatoris, licèt adsit favor publicus Religionis, valet per eandem voluntatem mutari, ut benè notat Sanch. *d. n. 12. ad med.* Ergo quoties constiterit velle testatorem Monasterium excludere, ut substitutus admittatur, id erit observandum, licèt tantùm fiat conjecturalibus verbis, Farinacius *dict.quæst.76. n.4.* Mantica *dict. tit. 7. num. 20.* Spino *dict. gloss. 12. n.31.* Fusar. *q. 429. num.31.* Thoro *ad Tiraq. privileg. 95.*

11 Istinc disquirimus quando causa pia est substituta, an Monasterium in quod ingreditur institutus, illam excludat? In qua disquisitione adest textus *in Authent. de Sanct. Episcop. §. Sed & hoc in præsenti*: ubi decisum est, quod si causa alimentorum, aut redemptionis captivorum sit substituta, licèt institutus Religionem ingrediatur, minimè illas duas causas substitutas excludet: & ratio est, quia nequit Monasterium haberi loco filii, contra conjecturatam mentem defuncti, qui causas illas pientissimas similiter dilexit ut Monasterium. Decius *cons.426. n.10.* Tiraquell. *privil.95.* Mantica *d.lib.11. tit.7. n.12.*

12 Est tamen dubium, an textus iste extendendus sit ad omnes causas pias. Barbat. *in d. cap. In præsentia, n. 114.* Ascanius Clem. *de patr. potestat. c. ult. n. 72.* scripserunt non esse extendendum; nam illæ duæ causæ piæ appositæ sunt, non ut exemplum, quod regulam non coarctat, *l. penult. §. ult. ff. de jur. & fact. ignor. l.1. §. Quod vulgo, ff. de vi, & viarm.* Flam. *de confident. quæst.9. num.75.* Gratian. *discept. c.563. n.73.* sed tantùm hic favor eis datus est, quia magis sunt piæ, quàm alteræ causæ. Sed hoc fundamentum debile est, leges enim extensionem recipiunt ex identitate rationis, non tantùm per extensionem, verùm per inclusionem, *§. Pari ratione, Inst. quibus mod. patr. potest. solvitur, leg. Quidam Nummularius, ff. de edend.* Cæsar Argel. *de contradict. legit. q.50. n.115.* Quapropter licèt aliæ causæ non ita piæ fuissent, cùm tamen adsit voluntas conjecturata defuncti, ad illas debet extendi decisio illa.

13 Quamobrem admitto contrariam sententiam; nam in qualibet causa pia versatur salus animæ testatoris, & pietas illius: itaque cùm causam piam substitutam nominaverit, ostendendo affectionem ad illam, etiamsi minus piam, excludet Monasterium, in quo institutus professus est. Cæterùm, nam ut docet Beroi. *in d.cap. In præsentia, n.455.* quoties dispositio reducitur ad jus commune, prout est quando admittitur substitutus, potest fieri extensio ad similes casus habentes sufficientem rationem, licèt non tanta sit, quanta in aliis causis reperitur. Ergo cùm in hoc casu agatur de admittenda causa pia substituta secundùm jus commune, sufficit ut similis sit causa, licèt non habeat tantam pietatem, sicut si relinqueretur Monasterio. Tenent Tuschus *d. lit. M, concl.344. a n.35.* Spino *de test. gloss.14. n.124.* Gutierr. *Canon. lib.1. q.32. n.39.* Tapia *in d. Auth. Ingressi, verb. Sua, c.13. n.29.* Fusarius *d.q.429. n.56.* Farin. *d.q.76. n.14.* Barbosa *d. appell. 99. n.138.* Sanch. *d.c.6. n.34.* Molina *de just. tract.2. disp.190. n.26.* Lessius *eod. tract. lib.2. c.41. dub.10. n.84.*

14 Quod idem admittendum, etiamsi causa pia mediatè sit substituta, veluti quando aliquis est substitutus, & substitueretur causa pia; tunc enim deficiente conditione, *si sine liberis*, aut si substitutionem repudiasset, excluditur Monasterium; nam deficiente prima substitutione, perinde est ac si primus fuerit substitutus. Gutierrez *d.q.32. n. 40.* Peregr. *de fideic. art.28. n.84. vers. Amplia etiam*, Barbosa *d. appell. 99. n.140.* Fusarius *d.q.429. n.58.*

15 Si verò causa pia sit substituta in parte hæreditatis, & in parte persona profana, an Monasterium excludatur, variis distinctionibus respondetur? Et in primis quando privatus, & causa pia, nec re, nec verbis sunt conjuncti, quia ad diversas partes sunt substituti, tunc Monasterium suscipiet partem substituti privati, & causa pia suam. Si verò re, & verbis conjuncti sunt, aut re, vel verbis tantùm, licèt quilibet pro parte substitutus censeatur, *l. Re conjuncti 80. ff. de legat. 3.* ex hac conjunctione pars substituti profani non ad Monasterium pertinet, sed ad causam piam, per jus accrescendi, aut non decrescendi, ex regula *in l.1. §. Sin autem, Cod. de caduc. tollend.* Ratio, nam ut expendit Corneus *cons.18. n.10.* causa pia tunc admittitur ex jure communi exponente consensum, & mentem testatoris per conjunctionem, ut illi accrescat, quæ fortior est ratio quàm Monasterii, quod tantùm succedit ex jure speciali, & tantùm favore Religionis. Peregrin. *d. art.28. n.86.* Fusarius *d.q.429. n.41.* Barbosa *d. appell. 99. n.141.* Sanchez *d.c.16. n.37.* Intrigliol. *de substitut. cent.3. q.63. num.48.*

16 Vereor tamen in hac specie illã partem substituti profani, nec Monasterium, nec causam piam percipere posse, verùm ad privatum substitutum pertinere: & probatur ex conjecturata mente testatoris; nam ex eo quod privatum substitutum dedit simul cum causa pia, ostendit velle illum privatum comparatione causæ piæ partem hæreditatis habere. Ergo sicut si institutus non intrasset Monasterium, semper habebit illam partem simul cum causa pia substituta: similiter habebit, si intrasset. Confirmo discursum: Monasterium, & causa pia invicem se excludunt, quin potiùs causa pia substituta remanet in bonis relictis Monasterio, ut diximus *n. 13.* Peregr. *d. art.28. n.84. circa finem.* Ergo si respectu causæ piæ insimul substitutæ, non excluditur privatus substitutus, ex expressa voluntate testatoris, si non intrasset Monasterium; si intrasset, ex eadem voluntate substitutus privatus retinebit suam, excluso Monasterio. Cæterùm supposito ingressu Monasterii, privatus, licèt incapax redderetur, ex eo quod sit socius simul cum causa pia excludente Monasterium, similiter substitutus privatus excludet, *l. Si is qui duos 29. ff. de lib. legat.* ubi adnotarunt Dinus, & Bart. quæ regula licèt intelligatur quando plenissimè sunt socii, Tiraquell. *de retract. §.16. gloss.11. n.33.* Hippolyt. *singul.80.* Peregr. *d. art. 28. n.89. ad finem*; & in præsentiarum causa pia, & privatus hæredes plenissimè non sint, sed quilibet ex sua parte: attamen sunt plenissimi socii ex voluntate testatoris respectu Monasterii excludendi. Et ratio est, nam si ratione pietatis, & religionis vellet admittere Monasterium, melius fecisset in principio substitutionis substituendo causam piam plenè in omnibus bonis: verùm quia id non fecit, sed disposuit ambos substitutos pro parte, voluit ut pars hæreditatis pro anima expenderetur, altera verò pars privato sæculari relinqueretur. Ergo cùm constans sit ejus voluntas, excludetur Monasterium, ut suprà diximus *n.8. & 10.*

17 Si verò conjunctim sint substituti, adhuc retinebit privatus suam partem; nam jus accrescendi non admittitur, nisi quando deficit portio, *l. Si in metallum 3. ff. de his quæ pro non script. habent. l.1. §.1. Cod. de caduc. tollend.* Gomez *var. tom. 1. c.10. n.29.* Verùm in hoc casu non deficit, quia est alius substitutus ex voluntate testatoris, & ipse acceptat (ut supponimus.) Ergo causa pia nequit per jus accrescendi partem substituti admittere. Cæterùm Monasterium non habetur loco filii, nec simile privilegium habet, nisi quando sibi acquirit, ut patet *in dict. Auth. de Sanctiss. Episc. §. Sed si hoc præsenti, dict. cap. In præsentia*: non verò favore alterius, quia conceditur solùm strictè, & in suo casu. Felin. *in d.c. In præsentia, n.42.* Grat. *discept. for. c.305. n.5.* Gutierr. *d.q.32. n.56.* Sanchez *d.c.16. n.3.* Molina *de primog. lib.2. c.9. n.45.* Ergo minimè dicendum est deficere illam portionem, & consequenter locum non esse juri accrescendi, ut causa pia percipiat partem substituti privati.

18 Sed dices cum Sanchez *dict. cap.16. n.37. vers. His non obstantibus*, non esse novum in jure, ut vincenti non prosit victoria sua, *l. Filius 22. ff. de inof. test. l. Posthumus 6. §. Si quis ex*

bis, ff. eodem tit. Itaque licet Monasterium vincat substitutum privatum, nihil mirum, si causa pia per conjunctionem consequatur partem substituti. Sed respondetur conjunctum percipere illam portionem quando est secundùm voluntatem defuncti, *l. Mulieri & Titio 74. ff. de condit. & demostr.* ubi Bart. Immol. Baldus, & Socin. Peregr. *d. art. 28. nu.* 86. Non verò contrà, ut in præsentiarum demonstratum est præcipuè cùm non deficiat portio, nec Monasterium faciat, illam deficere, cujus privilegium in suo casu strictissimè interpretandum est, *c. 1. & 2. de filiis Presb. c. Cui de Sacerdotali, de Prabend. in 6.* Covarr. *in 4. 2. part. cap. 8. n. 11.* Girond. *de privil. n.* 304.

19 Præterea est gravis quæstio exagitanda, quando pater filium instituerit hæredem, & alterum filium substituerit ea conditione, si institutus absque libet is decesserit, an tunc excludatur Monasterium, si filius factus hæres Religionem ingrediatur? Prima sententia docuit, admittendum Monasterium, excluso filio substituto, ex *d. c. In præsentia*, ubi filius fuit institutus, & duo fratres substituti, & admittitur Monasterium, exclusis substitutis. Ast textus ille assumptum non probat; nam ex littera constat, fratres illos non fuisse filii institutti, sed testatoris: quapropter Monast. rectè eos exclusit.

20 Cæterùm ratione probatur, nam in institutione filii duo sunt consideranda, legitima, & alia bona, quæ ultra eam superfunt. Et licèt in legitima filii magis dilecti existimentur, in aliis tamen bonis magis dilectum existimatur Monasterium ratione pietatis, & religionis. Menoch. *lib. 4. præsump.* 83. *n.* 44. & ita Monasterium excludet filium substitutum, Menoch. *d. præs. 83. n. 38.* Costa *in cap. Si pater, de testam. in 6. 1. part. verb. Absque liberis, n. 64.* Gregorius *in l. 4. tit. 4. part. 6. verb. Dex asse hijos,* Spino *de test. gloss.* 14. *n.* 126. dicit veriorem Molina *de just. tr. 2. disp.* 190. *n.* 28. Palao *d. § 4. n. 9.*

21 Secunda sententia contrarium tenet *dict. Auth. de Sanct. Episc. §. Sed hoc præsenti*, ubi excluditur Monasterium, si causa pia sit substituta. Ergo similiter si filius fuerit substitutus; non enim minus dilecti filii censentur, quam causa pia. Cæterum quando filius est institutus, & pia causa est substituta, si liberos habuerit, excluditur causa pia ex tacita conditione, si liberos susceperit, ut tenent plures recensiti *c. 8. n.* 17. Ergo multò magis quando expressa est illa conditio. Gutierr. *d. q. 32. n. 35.* Mantica *de conject. lib. 11. tit. 7. nu.* 13. Fusar. *d. q.* 429. *n.* 48. qui *n.* 50. dicit contrariam temerariam in judicando, & consulendo. Farin. *d. q.* 76. *n.* 6. Barb. *appell. 99. n.* 142. Sanchez *d. c.* 16. *n.* 39.

22 In hac difficultate dico in primis, quæstionem esse dubiam, an in bonis ultra legitimam causa pia Monasterii, aut filii magis dilecti censeantur? Nonnulli dicunt Monasterium. Nevizan. *in Sylv. Nupt. lib. 6. n. 47. vers. Item limita*, Craveta *cons.* 296. Tiraq. *in l. Si unquam, Cod. de revocand. donat. verb. Liberi, n. 64.* Covarr. *lib. 1. variar. cap. 19. n. 11. vers. Hactenus.* Alii verò negarunt, ut Dec. & alii relati à Gutierrez *d. q. 32. n.* 36. Quod alteri distinguunt, quando aliquid relinquitur pro exoneratione conscientiæ, & quando non, ut per Novarium *de incert. & ablat. privil. 8.* Itaque cùm res incerta sit, certam resolutionem capere non est facilè: nos verò amplexi sumus illam sententiam, ut in causis piis magis dilectæ censeantur piæ dispositiones, quàm filii, in his bonis legitimam excedentibus: sed adhuc in specie nos resolvimus pro Monasterio, ut statim dicam.

23 Secundò dico, in præsentiarum maxima consideratione investigandam esse voluntatem testatoris. Si enim filii ex sola legitima divites relinquantur, aut saltem secundùm statum decenter compositi, tunc credo favendum esse Monasterio, excluso filio substituto, quia naturalis propensio, & commune votum parentum ad prospiciendam propriam sobolem satisfacta videtur ex sola legitima: itaque in aliis bonis, quæ supersunt, conjectura est, ut si filius institutus ingrederetur Monasterium, velle ad illud ea pervenire ob bonum suæ animæ, & similiter ipsius filii, & insimul cultum, & honorem Dei.

24 Quod idem dicendum censeo, quando res, in qua facta est substitutio, parva fit, ut diximus *cap. antecedenti, n.* 24. Secus quando illa bona sunt filio necessaria ad statum, aut quando vellet testator prospicere pro agnatione, & familia; unde receptum est, quemlibet consanguineum excludere Monasterium: aut quando diceret, quod illa bona perpetuò in familia remaneant. Gutierrez *d. q. 32. n.* 29. Cevallos *commun. q. 193. n. 11.* Cabed. *1. p. decis. 133. n. 9.* Fusar. *dict. q. 429. n. 54.* ubi *n.* 55. idem asserit si substitutio facta sit ea conditione, ut filius substitutus, aut alter consanguineus portet nomen, & insignia familiæ. Barbosa *d. appell. 99. nu.* 144. aut quando in dispositione Monachus, aut Clericus excluditur. Balb. *in d. c. In præsentia, n.* 48.

In dubio verò quando ex his regulis capi non valet mens 25 testatoris, & expressa sit conditio, *si sine liberis decesserit*, si filius substituatur, admitto ut probabiliorem sententiam asserentem excludi Monasterium: & ratio est, nam ut animadvertit Menochius *d. præsumpt. 83. n. 44.* ex hac expressa conditione substituendo filium, præsumitur velle testatorem, ut bona illa de familia non exeant: itaque excludetur Monasterium, & filius substitutus capiet bona, ut voluntas testatoris exequatur. Staiban. *cent. 1. resol. 56. n. 15.*

Deinde est alia difficultas, an si testator dicat, *si sine liberis* 26 *legitimis, naturalibus, aut ex corpore procreatis decedat*, Monasterium excludat substitutum? Prima sententia affirmat, non excludi: ducitur, nam decisio *d. c. In præsentia*, nequit subsistere contra voluntatem testatoris, quæ cùm sit expressa, nequit præsumptionibus subjici, *l. 26. §. Cùm in verbis, ff. de legat. 3.* Ergo cùm ex illis verbis sit expressa voluntas testatoris, ut conditio illa in veris filiis verificetur, excludetur fictus, ut est Monasterium. Mantica *d. lib. 11. tit. 7. n. 20.* Menoch. *d. præs. 83. n. 27.* Mier. *de majorat. 2. par. q. 3. n. 22.* Argel. *de acquir. possess. q. 8. art. 28. per tot.* Cancer. *1. part. var. c. 24. n. 25.* Farinac. *d. q. 76. n. 4.* Genuens. *d. q. 147. n. 7.* Balboa *in dict. cap. In præsentia, num.* 40. Barbosa *dict. appellat. 99. num.* 146. Petrus *de interpret. ult. volunt. lib. 2. interpr. 2. dub. 2. solut. 2. n.* 109.

Secunda sententia contrarium tenet; nam conditio illa 27 turpissima redditur, & pro non scripta; illicitum enim est, ut qui Monachus factus est, liberos veros procreet: ergo tanquam non adjecta, non excludet Monasterium: tum, nam adhuc illis adjectis verbis, dubia remanet voluntas testatoris, quapropter pro Monasterio calculus ferendus est, ut *in d. c. In præsentia.* Abbas *n.* 48. Felinus *n.* 36. Ferretus *n.* 104. Afflictis *decis. 320. n. 4.* Ascanius Clemens *de patr. potest. c. ult. n.* 72. Molina *de just. tract. 2. disp. 190. n. 24. in fin.* Rebellus *de oblig. Just. tract. 2. l. 4. l. 18. q. 16. n. 3.*

In hoc dubio animadvertendum, utramque sententiam 28 probabilem esse, ut sentiunt communiter DD. Spino *de test. gloss. 12. n. 31.* Barbosa *d. appell. 99. n. 147.* Faria *ad Covarr. lib. 1. cap. 10. n.* 85. Cæterùm sciendum, excludi Monasterium, si simul cum illa conditione adjiciat aliqua verba, unde perpendatur velle testatorem Monasterium excludere, & bona illa apud substitutum remanere, ut tradunt Spino, Cancerius, & Angelus allegati. Petrus Gregorius *syntag. lib. 42. c. 28. n. 26.*

Tota igitur concertatio est, quando simpliciter ponitur 29 conditio illa, *si sine liberis legitimis, naturalibus, aut ex corpore procreatis decesserit*, an tunc expressè constet de voluntate testatoris, velle excludere Monasterium, necne? Sanch. *d. c. 16. n. 53.* asserit ex hac simplici conditione non constare de voluntate testatoris, quin potiùs dubia relinquitur. Ratio, nam licèt illa verba apposuit, nihil de Monasterio cogitavit, cùm nesciret institutum Religionem ingressurum; nam si cogitasset, fortè illud non excluderet, utpote causam piam, animæ substituentis consulentem.

Gutierrez verò *d. lib. 1. Can. q. 32. n.* 46. contrarium cen- 30 set, asserens per illam adjectionem legitimitatis, & naturalitatis, aut si ex corpore procreentur, clarè constare de voluntate testatoris; nam petendo filios veros, exclusit fictum, prout est Monasterium.

Admitto hanc sententiam ut veriorem, & magis confor- 31 mem verbis conditionis, ut facit etiam Spino *d. gloss. 12. n. 31.* Præterea ignorantia juris non præsumitur, *l. Leges Sacratissimæ 5. Cod. de legibus, leg. Juris ignorantia 6. Cod. qui admitti ad bon. poss.* Surdus *cons. 349. n.* 50. Cùm ergo testator filios legitimos, naturales, & ex corpore procreatos dixerit, necessariò excludit fictos, qui de jure sub illis nominibus non intelliguntur. Cæterùm nam Monasterium non solùm excluditur verbis expressis, verùm conjecturalibus, ut multis citatis comprobat Faria *d. lib. 1. c. 19. n.* 82. quæ enim magis præmens conjectura, quàm vocare filios legitimos, naturales, & ex corpore procreatos, ut fictos excludat? Ergo ex his verbis exclusum esse Monasterium censebitur, & bona ad substitutum pervenient, ut ultra allegatos *n.* 26. tenent Cevallos *d. q. 193. n. 3.* Fusar *d. q. 429. n.* 75.

Prorsus dimicant DD. an textus *in d. cap. In præsentia*, 32 habeat locum quando institutus fiat Clericus Ecclesiæ secu-

fæcularis; poteſt enim accidere, ut aliquis Clericus ſacris initietur, & perpetuo Eccleſiæ ſervitio deputetur? Inquirimus ergo, an per hanc deputationem ſubſtitutus excludatur? Et nonnulli negarunt excludi; nam jura quæ hoc privilegium concedunt, loquuntur de his, qui Religionem ingrediuntur, & profitentur; non verò de aliis Clericis, quamvis ſervitio alicujus Eccleſiæ deputentur. Itaque ad Clericos extendi non valet, precipuè cùm privilegium hoc ſtrictè interpretetur. Gloſſ. & Abbas *in c. in præſentia, n.* 43. Boerius *deciſ.* 354. *n.* 11. Sfortia *lib.* 2. *conſ.* 19. *n. ult.* Farinac. *d. q.* 76. *n.* 5.

33 Contrarium tenent plurimi ex deciſione textus *in d. §. Sed & hoc præſenti*, ibi: *Monaſterium ingrediantur, vel Clerici fiant.* Illa enim dictio *vel*, eſt disjunctiva, & verificatur in utroque ex duobus, *leg. Ubi autem* 75. §. *Qui illud* 8. *ff. de verb. oblig.* & ex ſui natura non ponitur niſi inter diverſa. Barb. *d.* 415. *n.* 1. Unde *Auth. illa*, caſum Monachi extendit ad caſum Clericatus, quando quis factus fuerit Clericus ſæcularis. Cæterùm illud verbum *Clerici*, reduci non valet ad Monachos, licèt Clerici ſint; nam ſimpliciter loquendo intelligitur de Clericis ſæcularibus, *l. Deo nobis* 56. *C. de Epiſc. & Cleric.* quapropter Authentica illa nequit intelligi niſi de Clericis, & conſequenter illa deciſio in ſæcularibus tantùm Clericis capienda eſt. Menoc. *d. præſump.* 83. *n.* 65. Puteus 1. *p. deciſ.* 55. *n.* 2. qui id extendit ad illum, qui factus eſt Epiſcopus. Gutierrez *d. q.* 32. *n. ult.* Alex. Trentacinquius *de ſubſt.* 4. *part. c.* 7. *n.* 21. Barboſa *d. appell.* 99. *n.* 127. Sanchez *d. cap.* 16. *n.* 32. Cancerius *d. part.* 1. *c.* 24. *n.* 33.

34 In hoc dubio illud eſt certum, ſubſtitutum non excludi per Clericos, qui tantùm minoribus ordinibus initiantur. Berojus *in d. c. In præſentia*, *n.* 498. Mantica *de conjectur. lib.* 11. *tit.* 7. *num.* 22. Menochius *d. præſumpt.* 83. *n.* 68. Erit concertatio in Clericis, qui ſacris ordinibus condecorantur, & ſervitio alicujus Eccleſiæ deputantur. In quo animadvertendum, textum *in dict. §. Sed hoc præſenti*, aſſumptum plenè non probare; nam ſi priſcæ Eccleſiæ monumenta revolvamus, inveniemus Clericos in communitate vixiſſe, quorum aliqui voto paupertatis ſe aſtringebant, ut eſt optimum decretum Urbani *in cap. Scimus* 9. 12. *quæſt.* 1. Hi enim, nec aliqua bona, nec prædia Eccleſiæ, ſed meram ſtipem habebant. Epiſcopus enim erat œconomus, qui rectè omnia miniſtrabat, *Can.* 39. *Apoſt. cap. Epiſcopus* 22. 12. *q.* 1. unde Clerici ſportulantes dicebantur: ſcripſit Lantmet. *de vet. Clericorum vit. & diſciplina, lib.* 2. *cap.* 41. *verſ. Dico ergo*, qui aſſeruit tempore Caroli Magni ita in aliquibus Eccleſiis adſervatum: quapropter de his Clericis textus ille valet intelligi, qui cùm in communitate vixiſſent, & abſque proprio, bona illa hæreditatis ad Eccleſiam pertinebant, prout hodie ad Monaſterium pertinent.

35 Sed dices ex eodem textu, Clericos iſtos in opera pia convertere debere bona hæreditatis, ut excludatur ſubſtitutus; Ergo bona illa non ad Eccleſiam, ſed ad ipſos pertinebant. Et comprobatur *in cap. Manifeſta* 20. 12. *quæſt.* 1. Bellarmino *de Clericis, lib.* 1. *cap.* 2. Ergo nequit textus ille intelligi de Clericis in communitate viventibus, abſque proprio voto paupertatis emiſſo. Sed reſpondeo, non omnes Clericos in communitate viventes votum paupertatis feciſſe, ſed quibus erat placitum; quippe alii proprium retinebant, & habebant activam teſtamenti factionem, ut conſtat *ex d. c. Manifeſta*. Lantmeterius *d. c.* 41. In his ergo Clericis adhuc habere locum noſtram deciſionem exiſtimo, quia licèt bona retinebant, in opera pia ea debebant convertere: unde per identitatem rationis in ea includebantur.

36 Hac interpretatione admiſſa, tota concertatio verſatur in aliis Clericis, qui hodie domi vivunt, habent proprium, ac de eo liberè diſponere poſſunt. Et ſubſtitutum excludere negarunt DD. primæ ſententiæ.

37 Sed in his admitto ſecundam, duobus concurrentibus. Primum, ut ſacris Ordinibus ſint initiati, & bona illa, in quibus ſunt inſtituti, in operibus piis collocentur. Fuſarius *d. quæſt.* 429. *n.* 3. Benedictus Ægidius *in l. Titia, ff. de ſolut.* 1. *part. num.* 45. & rationem do; nam priſcis temporibus, non ſolùm erant Clerici in communitate viventes, ſed etiam domi, ut ex Concilio Gangrenſi, & Proſpero ſcripſit Lantmet. *d. cap.* 41. *verſ. Tertiò non cogebantur.* Cùm ergo textus ille abſolute de Clericis agat, omnes comprehendit, non ſolùm qui in communitate vivebant, verùm qui domi: quod licèt non perfectè probet, ob interpretamenta ſuprà relata, ſaltem probabiliter comprobat. Cæterùm, nam ex eo quod Clericus teneatur illa bona ad pia opera divertere, adeſt eadem ratio, ac ſi Monaſterium perciperet, cùm adſit ſimilis cauſa pietatis, & Religionis. Ergo ſicut quando Monaſterium percipit illa bona, excluditur ſubſtitutus, ſimiliter ſi inſtitutus factus fuerit Clericus, cum obligatione convertendi illa bona ad opus pium. Denique fundamentum contrariæ ſententiæ nullius eſt ponderis; nam non loquimur de extenſione privilegii ad alterum caſum, ſed de caſu comprehenſo in illo, non ſolùm per tacitam, ſed etiam per expreſſam comprehenſionem, vel ſaltem per identitatem rationis, *l. Iam hoc jure* 4. *ff. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Pariſius *lib.* 3. *conſ.* 66. *n.* 62. Molin. *de rit. nupt. lib.* 3. *quæſt.* 36. *n.* 22. Surdus *conſ.* 294. *n.* 11. Ergo nullius erit roboris.

Sunt deinde aliqua requiſita neceſſaria, ut Monaſterium excludat ſubſtitutum, nempe ut ſit capax bonorum, aliàs ſi incapax fuerit in communi, & in particulari, neutiquam illud excludet: tum ſi capax fuerit, ut nec repudiet: deinde ut profeſſio habeat effectum; nam ſi intra annum probationis novitius exierit, locus non erit deciſioni huic. Non tamē obſtabit ſi poſt profeſſionem apoſtata fiat. Non excludetur ſubſtitutus, ſi profeſſio irrita fiat aliqua legitima ratione, aut Monaſterium intraverit ad agendam pœnitentiam tantùm, aut ſi fuerit oblatus, & non profeſſus. Requiritur etiam ut gravatus antequam Religionem ingrediatur, aliū hæredem non inſtituerit: congeſſerunt Cancerius 1. *par. var. c.* 24. *à n.* 22. Fuſarius *d. quæſt.* 429. *à n.* 69. Barboſa *d. appell.* 99. *à n.* 129. Staiban. *cent.* 1. *reſol.* 97. *n.* 3. 38

Verumtamen quoad oblatos deciſio *in d. c. In præſentia*, in contrarium eſt, ibi: *Obtulit ſe, & ſua.* Quæ quidem verba apertiſſimè in oblatis loquuntur, qui ſe, & ſua Monaſterio obtulerunt. Illum tamen textum non benè perceperunt Ancharanus *ibidem*, *num.* 7. Mynſing. *num.* 14. quatenus dixerunt, oblatos iſtos propriè eſſe Religioſos. Quapropter rectè excluſerunt ſubſtitutum. Sed D. Gonzalez *n.* 1. eos rectè refellit, & animadvertit in quacumque Congregatione religioſa, Religioſos in triplici eſſe differentia. Alii enim dicuntur *Converſi*, vulgò dicti *Legos*, qui ſi profeſſi fuerint, verè ſunt Religioſi. Alii *Religioſi*, & Monachi propriſſimi: ac denique *Oblati*, qui ſe & ſua Monaſterio dederunt, & tradiderunt ad ſerviendum Deo, qui in ſua profeſſione promittunt obedientiam Prælato, & fidelitatem Monachis; votum autem paupertatis, & caſtitatis non emittunt, ſed tantùm monentur, quod in virtute obedientiæ præſtandæ, perpetua etiam continentia, & carentia proprii eſt eis injungenda; reſignantque in manu Prælati quidquid habent. Aſt non ſunt propriè Religioſi, *cap. Per exemptionem* 9. *de privileg. in* 6. *Clement.* 1. *de decimis*, ubi Gloſſ. *verb. Oblatos*. Carolus Maranta *tom.* 3. *reſp.* 62. & 64. Barboſa *de univ. jur. lib.* 1. *c.* 39. §. 2. *n.* 44. 39

De his ergo oblatis intelligendus eſt textus *in d. cap. In præſentia*, ut intelligit Dominus Gonzalez. Et ratio eſt, nam illi oblati omnia bona ſua tradiderunt Monaſterio, ad quod tranſeunt per oblationem, & eorum traditionem, cùm id totum pendeat à ſua voluntate: vel obtulerunt partem, aut omnia bona. Boerius *deciſ.* 20. *n.* 7. Tapia *in Auth. Ingreſſi, Cod. de Sacroſanct. Eccleſiis, verb. Sua, e.* 10. Itaque Monaſterium excludet ſubſtitutum. Et confirmatur, quia ideo Monaſterium excludit ſubſtitutum, ſi inſtitutus ingrediatur illud, & profiteatur: nam bona illa ad Monaſterium pertinent. *Auth. Ingreſſi, Cod. de Sacroſ. Eccleſiis.* Ergo idem dicendum eſt, quando quis eſt oblatus, & omnia bona ſua Monaſterio tradiderit. Sanchez *d. c.* 16. *n.* 28. Barboſa *d. appellat.* 99. *n.* 137. 40

Quid verò dicendum, ſi inſtitutus animo fraudandi ſubſtitutum Religionem ingrediatur? Et plures aſſeruere, minimè ſubſtitutum excludi; non enim dolus, & fraus cuiquam patrocinari debet in damnum alterius, *cap. de his, de ſepult. cap.* 2. *de renunc. in* 6. Quapropter ex fraude inſtituti nequit ſubſtitutus excludi. Menochius *d. præſumpt.* 83. *n.* 76. Mantica *d. tit.* 7. *n.* 15. Gomez *in l.* 9. *Tauri, n.* 58. Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 29. Peregrinus *de fideicomm. art.* 28. *n.* 94. Garcia *de nobilit. gloſſ.* 21. *n.* 60. Barboſa *d. appell.* 99. *nu.* 148. Sanchez *d. c.* 16. *n.* 55. Fuſarius *d. q.* 429. *n.* 73. 41

Addunt tamen DD. iſti, conjecturas fraudis conſiderandas eſſe, quando inſtitutus minatus fuerit ſubſtituto ſe Religionem ingreſſurum, ut ab hæreditate excludatur; eandemque conjecturam capiendam eſſe, ſi in articulo mortis ingrediatur, aut quando ſenio confectus fuerit. Farinacius *d. q.* 76. *n.* 11. Fuſarius *d. q.* 429. *à n.* 76. qui rectè has duas ultimas conjecturas refellit. 42

43 Contrarium tenent Sfortia Oddus *de compend. subst. p.6. art.6. dub.2. n.2.* Palao *d. §. 4. num.* 10. nam Monasterium non est in dolo, & fraude, sed solus ingrediens. Itaque ex alieno dolo nequit damnum percipere. Cæterùm qui matrimonium fraude contraxit ad excludendum substitutum per legitimationem filiorum, adhuc excludit illum, & validum est matrimonium. Sanchez *de matrim. lib.7. disp.*105. *n.*10. Ergo similiter excludetur in hac specie, licèt fraudandi animo Monasterium ingrediatur.

44 In hac difficultate assero, in dubio fraudem minimè præsumi posse in ingrediente Religione; nam in his qui jure proprio utuntur, nec fraus, nec dolus præsumi valet, *leg. Generaliter* 78. *l. Nemo* 151. *ff. de reg. jur.* Ast verò quando constaret id fecisse expressè, aut concludentibus conjecturis, fraus probaretur, de quo Menochius *d. præsumpt.*83. *n.* 83. Barbosa *d. appellat. 99. n.*194.

45 Adhuc in illo casu Palai, & Sfortiæ Odd. sententiam admitto contra communem, pro qua expendi valent textus *in l. Qui autem* 6. §.1. *ff. de his quæ in fraud. leg. Verùm, ff. si quid in fraudem patroni*, ut expendit Sanchez *d. disp.* 105. *n.*10. Cæterùm, nam Monasterium illa bona non percipit ex voluntate ingredientis Religionem, sed ex dispositione legis, fundata in præsumpta voluntate testatoris. Cùm ergo hoc non pendeat à voluntate illius, consequenter non valet ex malitia, vel fraude ejus pendere, ne Monasterium acquirat bona, unde excludatur substitutus. Denique quidquid resistat Garcia *d. gloss.*21. *n.*60. Sanchez *ubi suprà, n.*11. nulla ratio disparitatis dari valet, quando quis contrahit matrimonium carnale fraude ad excludendum substitutum, legitimata prole, prout quando fraude ingreditur Religionem, ut illum excludat. Ergo sicut in illo casu substitutus non admittitur, similiter in isto.

46 Si verò adsit statutum in contrarium, ne Monasterium excludat substitutum, id erit observandum. Menochius *d. præsumpt.*83. *n.*48. Sarmiento *lib.*1. *Select. cap.6. vers. Prætereà*. Barbosa *d. appellat. 99. n.*154. Fusarius *d. quæst.*429. *n.*82. Peregrinus *de fideicommiss. art.* 28. *num.* 92. Idque duobus modis valet accidere, nempe quando statutum istud decrevisset, ut conditio, *si sine liberis decesserit*, ad litteram intelligatur; aut si illud esset statutum, ne Monasterium succedat ingresso: quibus quidem in casibus substitutum non excludi communiter asseritur, & rationem dant DD. nam cùm hæc statuta (licèt à Pontifice non sint confirmata) ad praxim trahantur, videtur testatorem se cum illis conformare: itaque ex ejus voluntate non excluditur substitutus, ut explicat Peregrinus *d. n.*92.

47 Sed quando statuta ista confirmata non sunt à summo Præsule, non admitto hanc sententiam; nam cùm similia statuta contra immunitatem sint Ecclesiarum, & consequenter nulla, non censetur testatoris mentem cum illis se conformem reddere: itaque Monasterium non excluditur à substituto. Baldus *in d. cap. In præsentia, n.*11. Felinus *n.* 36. Jason *in Auth. si qua mulier, C. de Sacros. Ecclesiis, num.* 20. Mantica *d. tit.7. n.*16. Sanchez *d. c.16. n.* 19. qui ad finem limitat, nisi statutum hoc legitima consuetudine fuerit præscriptum; sed hoc est dubium.

48 Illud tamen citra dubium admissum est, ex legitima consuetudine substitutum Monasterium excludere, quia per legitimam consuetudinem Monasteria in aliquibus casibus fiunt incapacia successionis, ut sunt alia Minorum Monasteria, idcircò à substituto excluduntur. Mantica *d. tit.7. n.9.* Intrigliolus *de subst. cent.3. q.65. n.*56. Fusarius *d. q.429. n.*23. Barbosa *d. appell.99. n.*156. Sanchez *d. c.16. n.*18.

49 Cæterum sunt aliqui casus breviter percurrendi, in quibus Monasterium non excludit substitutum. Et in primis quando institutus grederetur Religionem suasionibus, ac blanditiis Prælati: & ratio est, nam in hoc casu Monasterium nulla bona professi consequitur, *cap. Constituit* 5. 20. *quæst.*3. sed ad hæredem revertuntur: Ergo ad substitutum pervenient. Peregrinus *d. art.28. n. fin.* Sanchez *d. c.16. n.*62. Idem dicendum quando gravaretur alia conditione, quæ liberorum, ac nuptiarum non fuisset. Fusarius *d. q.* 429. *n.*89. Similiter asserendum, quando institutus haberet filios, & defuncta uxore Monasterium ingrederetur, quia verè habet filios. Fusarius *n.*86. Cavalcanus 3. *p. decis.* 1. *nu.* 42. Barbosa *d. appell. 99. n.*167.

50 Eodem modo dicendum est, si testator aliquid reliquerit hæredi instituto, si Monasterium ingrediatur. Sanchez *d. cap.* 16. *num.*72. Barbosa *d. appellat. 99. num.*168. qui *n.*169. similem resolutionem scripsit, quando institutus vivo testatore Religionem ingrediatur post conditum testamentum; quia ex eo quod non mutavit testamentum, ac professus fuerit, videtur Monasterium excludere. Cavalcanus *d. decis.*1. *n.*43. & cum eo Sanchez *d. cap.* 16. *n.* 71. Idem asserendum in pure gravato, aut in diem restituere. Menoch. *dict. lib.4. præsumpt.*83. *n.*56. Fusarius *d. quæst.*429. *num.*47. Barbosa *n.* 171. qui *n.* 174. tenet Monasterium excludi in sententia & laudo, ubi mandaretur, quod Titio decedente sine filiis, succedat Cajus: & *n.* 173. Monasterium excludit, quando promisisset contentari, quod bona remanerent substituto, & propter hoc facta fuisset professio. Gamma *decis.*316. *in fine*. Fusarius *d. q.429. n.*87.

51 In contractibus verò non habere locum hanc decisionem communiter asseritur, quod in onerosis libentissimè accipio; quia strictè sunt interpretandi, ne inde contrahentes damnum percipiant, *l. Quidquid astringendæ* 49. *ff. de verb. oblig.* Tum quia contrahentes deliberatiùs pacta ineunt, quàm qui testamentum conficit in casu, de quo specificè non cogitabat, ut optimè animadvertit Abbas *in c. Per venerabilem, qui filii sint legitimi n.* 13. Afflict. *decis.* 85. *nu.*13. Farinacius *d. q.76. n.9.* Sanchez *d. c.16. n.68.*

52 Est autem dubium in donationibus inter vivos, aut in aliis lucrativis dispositionibus, an Monasterium excludat substitutum, si sine liberis decesserit? Et plures asseruere minimè excludere; nam dispositio *in d. cap. In præsentia*, tantùm habet locum in ultimis voluntatibus. Covarr. *lib.1. variar. c.19. n.6.* Plaza *in epitom. delict. lib.1. c. 42. n.16. &* 17. non enim extendenda est ad donationes inter vivos, aut alias quaslibet dispositiones, quarum verba magis propriè accipiuntur, ut intelligantur de veris filiis. Cæterùm Monasterium non habetur loco filii; quando revocatur donatio omnium bonorum per supervenientes filios: Ergo nec quando donator ingrederetur Religionem, ut asserunt plures tenentes hanc sententiam, Aretinus, Felinus, Ripa, Curtius Junior, Tiraquellus, & alii apud Manticam *de tacit. & amb. conject. lib.13. titul.46. n.4.*

53 Verùm in his donationibus, & liberalibus dispositionibus contrarium tenendum est cum eodem Mantica *n.*6. cui addendi sunt Fusarius *de substit. quæst.429. n. fin.* Sanchez *d. c.16. n.68.* Tuschus *lit. M, conclus.*344. *n.*12. *&* 30. Farinac. *d. quæst.76. num.*13. & ratio est, nam licèt jura *in d. c. In præsentia, & §. Sed si hoc præsenti*, loquantur in ultimis voluntatibus, eadem est ratio in donationibus, & liberalibus dispositionibus inter vivos, & versatur idem favor Religionis: tum ratio est eadem interpretandi, ut magis diligeret Monasterium, quàm donatarium, eo casu, quo donator Religionem profiteretur: Ergo decisiones illæ extendendæ sunt ad casum donationis, aut alterius dispositionis liberalis inter vivos, ut benè ratiocinatur Mantica *d. art. 46. n.* 8. Cæterùm in aliis contractibus onerosis nequit fieri interpretatio, ne damnum contrahentibus sequatur: quæ ratio cessat in his donationibus, in quibus agitur de lucro captando, *c. Cùm dilecti 6. de donation. l. Si tibi, ff. si certum pet.*

54 Rationes verò contrariæ sententiæ debiles sunt; nam, ut diximus *n. antecedenti*, decisiones illæ non solùm in ultimis voluntatibus intelliguntur, sed in donationibus, & liberalibus dispositionibus inter vivos, in quibus est eadem ratio Religionis, & interpretationis. Secundò respondet Mantica *d. art.46. n.9.* ut conditio illa tacitè intellecta, *in l. Si unquam*, ad revocandas donationes si nova proles superveniat, intelligatur de veris filiis, non autem de fictis, prout est Monasterium: quapropter nequit revocare donationem omnium bonorum. Sed hoc interpretamentum solidum non est, ut agnoscit ipse Mantica; nam favore Religionis Monasterium, licèt filius fictus sit, pro vero habetur; itaque poterit revocare donationem.

55 Ast melius erit responsum, *d. l. Si unquam*, includere illam conditionem tacitam, si filios non habuerit. Unde duo specialia concurrent. Primum, ut illa conditio tacitè subaudiretur: secundum, ut Monasterium loco filii veri subaudiretur, quæ quidem nequeunt concurrere, ex vulgari textu *in l.1. C. de dot. promiss.* quod non ita est, quando donatio fit sub conditione expressa, *si sine liberis decesserit*, dum in eo casu duo specialia non concurrunt. Mant. *ubi proxime.*

56 Denique inquiramus de casu quo institutus ingrediatur Religionem, & admittatur substitutus, an statim post professionem admittetur, an verò post mortem naturalē ingredientis. Et in hac disquisitione distinctio facienda est, quādo

Mona-

Monasterium est capax bonorum, & quando non; si enim est capax bonorum, non statim admittitur substitutus, sed quando Monachus morte naturali morietur, & interim Monasterium emolumenta percipiet: in his ergo nequit substitutus impedire Monasterium, argumento legis *Statius Florus* 48. §. *Cornelio, ff. de jur. fisci*, & est concors DD. sententia. Spino *de test. gloss.* 27. *n.* 28. Peregrinus *de jur. fisci, lib.* 3. *c.* 14. *& de fideicom. art.* 28. *n.* 81. Cancer. 1. *part. c.* 24. *n.* 31. Gamma *decis.* 316. Fusarius *de substit. quaest.* 430. *à n.* 1. qui nonnullas exceptiones apponit, & inter eas illa non est obliviscenda, cùm ad nostrum tractatum pertineat, nempè quando substituta est causa pia. Tunc enim facta professione, ad ipsam pertinent, cùm Monasterium adversus ipsam nullum habeat privilegium: sic tenet *n.* 7. qui adducit Decianum *lib.* 5. *cons.* 61. *n.* 5.

57 Concertatio ergo erit, quando Monasterium est incapax bonorum. Et prima sententia dicit professione facta substitutionem evanescere; nam licet Monasterium propter incapacitatem habendi bona, in illis non succedat, tenetur Monachus in alia pia opera convertere, prout Clericus, qui sacris initiatur: itaque nec ad substitutum, nec ad Monasterium pertinebunt. Angelus, Corn. Guillelmus Benedictus, Sylvester, & Tabiena, quos pro hac sententia refert Sanch. *d. c.* 16. *n.* 14.

58 Secunda sententia asserit, bona illa interim quod Monachus moritur, non pertinere ad substitutum, sed ad hæredes ejus legitimos, quando Monasterium est incapax. Ratio est, nam durante vita instituti, non venit casus substitutionis, quia in qualibet dispositione, ubi fit mentio mortis, non intelligitur civilis, sed naturalis, *leg. Ex ea parte* 121. §. *Insulam, ff. de verb. obligat.* Alex. *lib.* 2. *cons.* 139. *n.* 3. Grassus *lib.* 1. *cons.* 2. *num.* 42. Ergo cùm casus substitutionis non advenerit, interesse illorum bonorum ad hæredes legitimos pertinebit. Cæterùm mors civilis æquiparatur naturali, quoties omnes effectus producere, prout naturalis, ut scripserunt Baldus, & alii Doctores *in leg. Deo nobis* 56. *Cod. de Episcop. & Clericis.* Parisius *lib.* 4. *cons.* 5. *num.* 150. Ast in præsentiarum non habet eosdem effectus; nam naturalis tardiùs operatur, ut substitutus petat bona illa: Ergo fructus illius medii temporis pertinebunt ad hæredem legitimum. Romanus *sing.* 434. Menchaca *de success. lib.* 3. §. 21. *nu.* 171. Spino *de test. gloss.* 27. *n.* 24. Suarez *alleg.* 20. Caldas *de nominat. Emph. quaest.* 6. *n.* 19. Fusarius *d. quaest.* 430. *n.* 20.

59 Tertia sententia asserit, à die professionis admittendum esse substitutum: & ratio est, nam voluntas testatoris illa fuit, ut substitutus præferretur omnibus suis hæredibus, quapropter nec ipse institutus valet illa bona habere post professionem, *c. Non dicatis* 11. 12. *q.* 1. nec Monasterium, quia est incapax: Ergo bona illa pervenient ad substitutum, exclusis hæredibus legitimis. Covarr. *in c. a. de testam. n.* 6. Franchis *part.* 1. *decis. Neapolit.* 14. *n.* 7. Gutierrez *can. lib.* 1. *quaest.* 32. *n.* 25. Mantica *conjectur. lib.* 11. *tit.* 7. *n.* 8. Parlad. *diff.* 147. §. 1. *n.* 12. *&* 13. Ludovicus Casanate *vol.* 1. *cons.* 26. *n.* 1. Azor. *tom.* 1. *Inst. Mor. lib.* 12. *c.* 8. *q.* 6.

60 In hac difficultate recolenda est prima sententia asserens, posse ad opera pia Monachum Monasterii incapacis bona illa divertere, excludereque substitutum, quod quidem nequit facere professione emissa: & ratio est, nam ut asserunt Azorius *dict. quaest.* 6. Peregrin. *de fideicommiss. art.* 28. *n.* 63. statim ac fit professio, substitutio committitur, quapropter in damnum tertii nequit ad opera pia illa bona divertere. Admittunt tamen aliqui Doctorum hanc sententiam, si ante professionem institutus bona illa inter pauperes, aut in alia pia opera distribuisset, *ex Authent. de Sanctis. Episcop.* §. *Sed & hoc praesenti*, ubi si hæres Clericus fit, nec Ecclesiæ bona illa acquirantur, & inter pauperes hæreditatem distribuat, excluditur substitutus: & ita tenent Berojus *in d. c. In praesentia, n.* 491. Tapia *in Auth. Ingressi, verb. Sua, c.* 13. *n.* 27. *Cod. de Sacros. Ecclesiis.* Sanch. *d. c.* 16. *n.* 17.

Quorum quidem doctrinam admitterem, si ante pro-
61 fessionem sacro ordine fuerit insignitus, & distribuat bona illa inter opera pia, prout Clericus; non autem ratione subsequentis professionis, si Clericus non sit: nam tunc non excluditur substitutus, nisi Monasterium bona acquisierit. Decius *cons.* 259. *col. ultim.* Menoch. *lib.* 4. *praesumpt.* 83. *n.* 64. *ad finem.*

Quantum verò attinet ad secundam & tertiam senten-
62 tiam, ultimam admitto; nam præter ejus fundamentum, quod validum est, secunda sententia debili nititur: nam ut benè advertit Peregr. *d. art.* 28. *n.* 63. quando Monasterium est incapax acquirendi bona, mors civilis, & naturalis non distinguuntur, quia ad bona illa eosdem habent effectus: nec in consideratione est, ut per mortem naturalem tardiùs bona ad substitutum perveniant; quia id est intelligendum, quando institutus illa potest habere, vel transferre per caducitatem ad alios hæredes: quod utrumque nequit fieri à Monacho Religionis incapacis habendi proprium, quia statim ac profitetur, à se abdicat bona, & insimul Monasterium, ut benè docet Fusarius *dict. quaest.* 430. *n.* 14. *versic. Respondetur.* Quapropter asserendum est, in præsentiarum à die professionis bona ad substitutum transire, ut etiam tenent Boerius *decis.* 354. *n.* 11. Bossius *in praxi crimin. tit. de public. bonorum, n.* 35. Sanch. *d. c.* 16. *n.* 16. Octavianus *decis. Pedemont.* 126. *ad finem.*

C A P U T X.

De fideicommissis piis; & elucidatur Authentica *Res quae, Cod. de legat.*

S V M M A R I V M.

Fideicommissum quid sit? Dividitur in universale, & particulare, num. 1. *Non est propria substitutio, sed impropria, n.* 2.

Fideicommissum espirat mortuo herede instituto, vivo testatore, nisi hereditas sit restituenda causa piae, n. 3. *Idem dicendum si heres hereditatem non adierit, n.* 4.

Fideicommissum relictum causa pia, an consequatur jura, & actiones, absque verbali, seu reali traditione, prout in aliis requiritur, n. 5.

Prima sententia asserit, requiri restitutionem, & esse necessariam de jure canonico, n. 6.

Secunda sententia negat esse necessariam restitutionem de jure canonico, num. 7. *admittitur hec sententia & defenditur, num.* 8.

Sed an saltem sit necessaria agnitio hereditatis, prout in aliis substitutis fideicommissariis? Ponitur ratio dubitandi, n. 9. *resolvitur contrarium, n.* 10. *& respondetur rationi dubitandi, n.* 11.

Fructus fideicommissi, à quo tempore pertineant ad causam piam substitutam, n. 12. *Si dicat testator,* A tali die restituat, *medii temporis fructus ad heredem pertinere dicunt plures, n.* 13. *Sed quid si substituta sit causa pia? Et aliqui affirmant ad heredem pertinere, n.* 14. *Sed contrarium defenditur, n.* 15.

An ex fideicommisso pio universali deducenda sit quarta Trebellianica? Prima sententia affirmat, num. 16. *Secunda negat, num.* 17. *Admittitur, & defenditur hec sententia, prout de jure Regio, n.* 18. *Quod asserendum, si hereditas est restituenda Hospitali fundato absque authoritate Episcopi, seu Confraternitati, n.* 19.

Si filius est gravatus restituere bona ultra legitimam causa pia, an deducere possit quartam Trebellianicam? Ponitur status quaestionis, n. 20. *Prima sententia affirmat, n.* 21. *Secunda negat, num.* 22. *Admittitur hec sententia in descendentibus inferioris gradus, sed in primis affirmant aliqui, n.* 23. *Sed contrarium statuitur, n.* 24. *& absque dubio de jure Regio, n.* 25.

Quarta Trebellianica non deducitur, quando causa pia est mediate substituta, nisi sit sub conditione incerta, & heres gravatus recipiat sub cautione, n. 26.

Sed an cautio danda sit de restituenda integra hereditate, negant aliqui, n. 27. *Sed contrarium, n.* 28.

Substituta causa pia, si bona fideicommissi in dotem dentur, defuncta muliere sine liberis, an debeant pervenire ad causam piam? Affirmandum videtur, num. 29. *Sed aliqui tenent contrarium, n.* 30.

Explicatur lex Mulier 2. §. Cùm proponeretur, ff. ad Trebell. *num.* 31.

Fundans fideicommissum, si non fuerit qui dotare tenetur, asserendum muliere defuncta absque filiis, bona ad causam piam deventura, num. 32. *fit instantia, n.* 33. *Et respondetur, num.* 34.

Explicatur Authentica Præterea, Cod. de legatis, *& extenditur ad donationes propter nuptias, & ad matrimonium spirituale, ad construendam Ecclesiam, vel dotandam, à n.* 35.

Sed an extendatur ad causam alimentorum, negant aliqui, n. 37.

affirmant alii, n.38. Sed sub dictione resolvitur affirmative, num.39.

Explicatur Authentica De restitutione, §. Nobis ergo, *num.40. & comprobatur, n.41. Et extenditur non solum ad alimenta fideicommissarii, sed liberorum, nisi fundator excludat alimenta, n.42. Prohibitio non alienandi ex his causis, debet esse specifica, non generalis, n.43.*

An dicta Authentica procedat pro restituenda dote, referuntur sententia, n.44. Resolvitur, n.45.

Explicatur Authentica De restitutione, Novell.39. in princ. *n.45. & 46. & defenditur bona fideicommissi alienari non posse ad restituendam dotem, n.47. 48. & 49.*

Fideicommissi bona possunt alienari ad redimendos pauperes captivos descendentes, n.50. Item ad excarcerandum, quando descendens casu debita contraxerit, non eo fine, ut evertat fideicommissum, n.51. & 52.

Si verò ex culpa debita contraxerit, & incarceretur, an possint alienari bona fideicommissi? negant plures, num.53. Alteri affirmant, n.54. succurri potest per eleemosynam, n.55. & bona fideicommissi possunt alienari, cum culpa non ordinatur ad pauperiem, n.56.

Si culpa est ordinata ad casum, adhuc defenditur, bona fideicommissi alienari posse ad eum exarcerandum, sive filius sit, sive alius descendens, n.57. & 58. & respondetur contrariis, n.59.

An possint alienari ad filii studia? Aliqui affirmant, & alteri negant, à n.60. Resolvitur, n.62.

Ad hanc alienationem observandum, ne alienans necessitatem excedat: nec alienetur proprietas, si fructus sufficiant. In majoratibus vero Hispaniæ nunquam admittitur alienatio, n.63.

1 IN antecedenti capite plura de substitutione dicta sunt, quæ fideicommissariæ conveniunt: verumtamen aliqua de fideicommissis piis hic inserere censui, ut clariori methodo procedamus. Est enim fideicommissum, quando aliquis instituitur hæres, eo gravimine adjecto, ut Titio hæreditatem restituat, fideique illius restitutio committitur. Ulpianus *in fragment. tit.* 25. Pich. *in rubr. Inst. de fideicom. à num.*1. Donellus *comment. lib.8. cap.* 20. Quod dicitur fideicommissum universale, sicut & quando committitur in aliqua parte hæreditatis, aut bona enumerantur, non aliis bonis relictis. Aliud verò dicitur particulare, quando singulæ res per fideicommissum relinquuntur, aut in aliis casibus, de quibus Mantica *de conjectur. lib. 7. tit.* 2. Fusarius *de fideicommiss. substit. quæst.268. per tot.*

2 Animadvertendum, fideicommissariam substitutionem propriè non esse substitutionem, verùm impropriè; nam fideicommissarius non est propriè institutus, aut hæres, *l. Lucius* 93. *in fin. ff. de legat. 3. leg. Postulante 44. ff. ad Trebell.* Nec fideicommissum est hæreditas, *leg. Si Titius 96. ff. de legat.* 3. Quare non propriè dicitur substitutio. Petrus Gregorius *syntag. lib. 42. c.28. n.2.*

3 In his ergo fideicommissis (ad rem deveniendo) scire oportet, quod si hæres institutus moriatur antequam testator decedat, fideicommissum espirat, etiam sciente hæredis mortem testatore, & non revocante testamentum; nam cùm caduca fiat institutio, *leg. 1. §. Pro secundo, Cod. de caduc. tollend.* consequenter fideicommissum evanescit, *l. Tractabatur 14. ff. de testament. milit.* Peregrin. *de fideicom. art.2. n.9.* Molina *de justit. tract.2. disp.189. num.6.* Sed hæc doctrina non admittitur, quoties causa pia est substituta: ratio est, nam solemnitas illa, ut necessariò subsistat institutio, & ut valeat fideicommissum, est de jure civili, quæ exploditur si causæ piæ restitutio facienda est, cujus dispositio ex solo jure naturali regulatur. Denique voluntas testatoris, eo quod non revocavit testamentum, durat, ac de ea constat, quæ sufficiens est, ut sustineatur fideicommissaria substitutio pia, ut cum Baldo tradit Tiraquellus *privileg.* 76. Tuschus *lit. L, conclus.117. & 118.* Medicis *opusc. 4. sub num.22.*

4 Idem dicendum est, si mortuo testatore hæres gravatus hæreditatem non adjerit; nam licèt ex communi regula, non adita hæreditate fideicommissum espiret, *leg. Ille à quo 13. §. Si de testamento, in fin. ff. ad Trebell.* Gomez *variar. tom.1. cap.5. n.8.* Grassus §. *Fideicommissum, quæst. 66.* Peregrinus *de fideicom. dict. art.2. n.10.* Fusarius *de substit. quæst.566. à num.1.* Attamen contrarium tene, si causa pia sit fideicommissariæ substituta, quia ut diximus, in causis piis non est necessaria aditio hæreditatis; itaque nec ad valorem fideicommissi pii. Peregrinus *dict. art.2. n.33.* Fusarius *d. quæst.566. n.23.* qui *nu.* 24. refert aliquos contrarium sentientes, sed immeritò.

5 Est tamen dubium non prætereundum, an quando fideicommissum relinquitur causæ piæ, consequatur jura, & actiones absque verbali, aut reali restitutione? Et jure illud est prænotandum, ad substitutum minimè transire jura, & actiones in universalibus fideicommissis, nisi restituta hæreditate, §. *Restituta 2. Instit. de fideicomm. leg.1. §. Et quoties 9. leg. Recusare 6. leg. Restituta 37. ff. ad Trebell.* Gomez *to.1. variar. cap.5. n.13. & tom.2. cap. 2. n. 5.* Gratianus *Discept. forens. cap.47. n.1.* Fusarius *de substit. quæst.603. n.1.* D. Olea *de cess. jur. tit.3. quæst.9. n.13.*

6 Hoc ergo supposito, dubitatur quando est causa pia substituta fideicommissaria, an ad id sit necessaria verbalis, aut realis restitutio. Prima sententia asserit necessariam esse restitutionem; nam privilegium quod absque traditione transeant jura, & actiones in causam piam, *ex leg. ult. Cod. de Sacros. Ecclesiis*, incertum est: textus verò ille plura admittit interpretamenta, unde nequit sufficienter probari, absque restitutione transire jura, & actiones ad causam piam. Cæterum restitutio in fideicommissis eo potissimè introducta est, ut æs alienum persolvatur; potest enim accidere, ut illo soluto, nihil restituendum restet. Gratianus *d. c.47. n.* 4. Att hæc ratio similiter consideranda est respectu causæ piæ, quia minimè habet privilegium contra debita testatoris: Ergo absque aliqua restitutione minimè jura, & actiones transibunt ad causam piam substitutam. Denique, nam de Jure Canonico similis restitutio est necessaria. Berojus *in cap. In præsentia, de probat. n.27.* dicit veriorem Peregrinus *de fideicomm. art.2. num.62. vers. Sed contra.* Quapropter causa pia indigebit restitutione ad consequenda jura, & actiones, cùm Jure Canonico reguletur. Ita plures, quos refert Tiraquellus *privileg. 39. num.*2. Fachineus *lib.8. controv. cap.* 38.

7 Secunda sententia contrarium tenet: præcipuum fundamentum sumit *ex d. leg. ult. Cod. de Sacros. Ecclesiis*, ubi absque aliqua traditione jura, & actiones ad Ecclesiam transeunt, & similiter ad aliam quamlibet causam piam, ut cum multis assentitur ibidem Barbosa *num.* 7. Thoro *privileg.* 108. ubi id extendit ad solam animi destinationem. Cæterùm fundamenta adducta pro parte contraria parum urgent, non enim creditores aliquid ex suo credito deperdent, siquidem à causa pia satisfactionem percipient, prout ab hærede gravato: quin potiùs ambages illæ necessariæ non sunt ad solutionem, verum confusionem pariunt. Idcircò aliqui æquitatem Juris Canonici prospicientes, in fideicommissis non esse necessariam restitutionem asseruere, ut Boerius, Riminaldus, Rolandus, & Hondedeus, relati à Peregrino *dict. art.2. num.* 62. Tenent hanc sententiam Tiraquellus *dict. privileg.* 39. ubi Riccius, Genuensis *in praxi, quæst.* 271. Peregrinus *dict. art.2. num.*61. Hondedeus *cons.26. à num.18.* Fusarius *de substitut. quæst.603. n.13.* Suarez *in thesaur. recept. opin. verb. fideicommissum universale.* Aylion *ad Gomez. tom.1. cap.5. nu.15. vers. In Ecclesiam.* Thoro *privileg.*189.

8 Hanc ultimam sententiam admitto; nam restitutio illa, quæ facienda est ab hærede gravato, pendet à juris civilis dispositione, quæ licet poterat hæredem gravatum pro non hærede habere, quin recta via ad substitutum hæreditatem transmittere; attamen non ita disposuit, sed voluit hæredem illam adire, & ex eo quod quis hæres est, amplius hæres esse non desinit, *leg. In substitutione* 31. juncta Glossa *verb. Fortè, ff. de vulg.* Quapropter ut actiones passivæ & activæ transeant ad substitutum, restitutio requiritur. Pichard. *in §. Restitura 2. Instit. de fideicomm. a num.5.* Mantica *de tacit. lib. 4. tit. 10. num.22.* Valenz. *illust. ad leg. 1. ff. de legat.1. num.22.* Hæc enim juris solemnitas in causis piis, ut sæpè repetitum est, minimè consideratur, sed tantùm ut voluntas adimpleatur, cui satisdatur statim transeundo jura, & actiones ad causam piam, quæ in effectu hæres est, *leg. Si filius 5. §.1. ff. quod cum eo*, ibi: *Effectu enim quodammodo hæres est l. Postulante 44. §.1. leg. Si hæres 68. ff. ad Trebell.* expendit Pich. *in d. §. Restituta, n.* 12. Et confirmatur; nam cum causæ piæ à Jure Canonico regulentur, illa est aptior opinio, & praxi accommodatior, ut de jure isto restitutio non requiratur, quin statim jura, & actiones, ac bona illa ad substitutum transeant, ut cù multis docet Fusar. *d. quæst.*

d. quæst. 603. *nu.* 15. quod urgentiori ratione in causis piis (quarum privilegium est, absque aliqua traditione dominium acquirere, ut cum Barbosa, & Thoro diximus *n.* 7.) dicendum est.

9 In illo verò restat disquirere, an saltem agnitio fideicommissi debeat fieri à causa pia, vel ab ejus administratore, ut jura, & actiones transeant? Et necessariam esse, quoties absque restitutione ipso jure transeunt bona ad fideicommissarium substitutum, tenent plures, quos sequitur Peregrinus *dict. art.* 2. *num.* 63. nam sicut in hærede requiritur, ut ad eum transeant actiones & jura, ut se gerat pro hærede, *leg. Pro herede* 20. *ff. de acquir. heredit.* quia per actum istum quasi contrahere videtur: sic erit necessaria agnitio in substituto, qui pro hærede habetur, *leg. Ex maleficiis* 4. aliàs *leg. Si quis absentis* 5. §. *Heres*, *ff. de obligat. & act.* Quapropter, nisi causa pia agnoverit fideicommissum, nec jura, nec actiones ad illam transeunt.

10 Sed tamen contrarium dicendum est, nempe ipso jure, absque aliqua agnitione jura, & actiones transire, sicut & transeunt ad Monasterium, quando quis Religionem profitetur, *cap. Quia ingredientibus* 19. *quæst.* 3. & statim potest convenire, & conveniri; quia ipso jure transeunt ad illud bona, jura, & actiones. D. Olea *de cess. jur. tit.* 3. *q.* 9. *num.* 34. quod idem dicendum est in nostro casu. Cæterùm agnitio illa non est necessaria, ut transeant jura & actiones, quæ jure ipso transeunt; sed ut transitus sit irrevocabilis, & ne valeat repudiari. Surdus *decis.* 25. *à num.* 25. Ergo in præsentiarum agnitio non erit necessaria. Mantica *de conject. lib.* 7. *tit.* 10. *n.* 31. Cancerius 1. *part. var. cap.* 2. *n.* 63.

11 Istinc fundamentum contrariorum eliditur; nam aliud est transire jura, & actiones ipso jure ad substitutum revocabiliter, aliud fideicommissum agnoscere, & quasi contrahere, ut irrevocabiliter maneat obligatus: illud enim fieri valet absque aliqua agnitione, secus secundum.

12 Similiter sequitur investigandum, à quo tempore fructus pertineant ad causam piam substitutam: In qua disquisitione aliqua sunt tempora animadvertenda: alii enim sunt fructus, qui colliguntur ante mortem testatoris, alii qui percipiuntur post tempus mortis, hæreditate jacente, & hi omnes veniunt in restitutione; nam cùm ad hæreditatem pertineant, restituendi sunt, *l. Ita tamen* 37. §. 1. *ff. ad Treb.* Gomez *tom.* 1. *cap.* 5. *num.* 15. Fusarius *de substit. quæst.* 626. *num.* 4. Licèt aliqui contrarium sentiant in his fructibus qui percipiuntur à tempore mortis testatoris: verùm opinionem Gomezii communiorem, & meliorem dicit Fusarius, & comprobant DD. asserentes fructus legati à die mortis testatoris legatario deberi. Gutierrez *in l. Nemo potest*, *ff. de legat.* 1. *num.* 367. *& lib.* 2. *pract. quæst.* 33. Mathienzo *in leg.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil. gloss.* 14. *num.* 22. quorum sententiam de jure Regio comprobant plures. Ayllon *ad Gomez tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. *vers. Fructus perceptos*.

13 Aliud denique tempus est, quando testator dixerit, *A tali die restituat hereditatem*; & in hoc casu fructus illius temporis ad hæredem gravatum pertinent, etiamsi causa pia sit substituta: nam illos percipit judicio testatoris. Gomez *dict. num.* 15. Mathienzo *in dict. leg.* 1. *gloss.* 19. *num.* 25. Mantica *de conject. lib.* 7. *tit.* 10. *à num.* 6. Menoch. *de arbitr. casu* 256. Fusarius *d. quæst.* 626. *num.* 7.

14 Hoc ergo supposito, quæstio nostra exagitanda est, an à tempore mortis testatoris, vel à die quo gravatus tenetur restituere, fructus pertineant ad causam piam. Et Costa *in cap. Si pater* 1. *de testament. in* 6. 2. *part. verb. Ipsis pauperibus*, *num.* 9. asseruit non deberi, nisi à die restitutæ hæreditatis; nam ad causam piam non transeunt jura, & actiones ipso jure: itaque nisi à die restitutionis fructus non percipiet. Cæterùm, nam hæres gravatus, adita hæreditate consequitur dominium rerum hæreditariarum, & ad illum pertinent fructus ob negligentiam substituti non petentis, *leg. Mulier* 22. §. *Si heres* 2. *leg. Postulante* 44. *ff. ad Trebell.* ad tradita per Fachineum *lib.* 12. *controv. cap.* 67. Ergo.

15 Sed ex dictis suprà contrarium tenendum est; nam quoties jura, & actiones transeunt ipso jure ad substitutum, statim transeunt fructus, sive à die mortis, sive à die quo restituenda est hæreditas. Surdus *dict. decis.* 25. *n.* 19. Gutierrez *can. lib.* 1. *quæst.* 33. *num.* 2. *&* 30. Cancerius *d. cap.* 2. *num.* 59. Ast, ut probatum est, ad causam piam jura, & actiones transeunt ipso jure, nec est necessaria aditio hæreditatis, nec illius restitutio: Ergo à morte testatoris, vel à die restitutionis fructus ad illam pertinebunt. Cæterùm in causa pia nulla negligentia valet considerari; nam hæres absque aliqua interpellatione moram committit. Peregrinus *de fideicommiss. art.* 49. *num.* 87. Cancerius *d. cap.* 2. *n.* 59. *ex l. In minorum* 3. *Cod. In quibus casibus in integrum restit.* Ergo semper fructus à die mortis testatoris, aut à die restitutionis piæ causæ competunt. Benedictus Capra, Alciatus, & alii apud Costam *ubi suprà*. Menoch. *dict. casu* 256. *n.* 29. Surdus *decis.* 25. *num.* 7. Molina *de justit. tract.* 2. *disp.* 187. *num.* 8.

Cæterùm aliud est dubium, an ex fideicommisso universali pio deducenda sit quarta Trebellianica ab hærede gravato? Prima sententia affirmat detrahendam, *ex cap. Si pater* 1. *de testam. in* 6. ubi graviter disquiritur à Pontifice, an substitutio fuerit directa, an fideicommissaria, ut cesset, necne quarta Trebellianica in causis piis? Unde ostendere videtur, etiam in causis piis illam deducendam esse. Sed textus ille nihil probat, quia à contrario sensu invalidè argumentatur, quando pravus intellectus resultat, ut in specie notat Peregrinus *de fideicommiss. art.* 3. *n.* 63. *vers. Contrà tamen*. Ratione probare tentat, nam quarta Trebellianica inducta est favore substitutorum, ut adita hæreditate fideicommissum valeat; quod enim favore causæ piæ introductum est, non debet in illius damnum retorqueri, *ex leg. Favore* 6. *C. de legibus*. Ergo etiam in causis piis deducenda est quarta Trebellianica. Gloss. Archidiaconus, Joan. Andreas, & alii *in cap. Si pater*, *verb. Trebellianica*, *de testament. in* 6. Oldradus *cons.* 248. *num.* 6. Jason dicens veriorem *in leg. Marcellus*, *ff. ad S.C. Trebell. num.* 30. Fachin. *lib.* 8. *controv. cap.* 17. & alii relati à Tiraquello *privileg.* 27. *num.* 2. 16

Secunda sententia tenet contrarium; nam in causis piis non detrahitur Falcidia, *leg. Si quis ad declinandum* 49. ibi: *Nulle Falcidie*, *Cod. de Episcopis, & Clericis*, *Auth. de Ecclesiast. tit.* §. *Sin autem*, *Auth. Similiter*, *Cod. ad leg. Falcid.* Ergo similiter Trebellianica. Et confirmatur, quia sub eodem nomine comprehenduntur, nec disparitatis ratio inter utrasque valet constitui. Tiraquellus *dict. priv.* 37. Moneta *de commut. ultim. volunt. cap.* 9. *num.* 305. Mantica *conject. lib.* 8. *tit.* 3. *num.* 4. Mareicot. *variar. lib.* 2. *cap.* 72. *à num.* 11. Rubeus *pract. cap.* 64. *num.* 17. Barbosa *de univers. jur. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 84. de Lugo *de justit. disp.* 24. *sect.* 8. §. 1. *n.* 155. Fusar. *de subst. qu.* 299. *num.* 7. 17

Hæc sententia admittenda est, prout in omnibus tribunalibus est admissa, & testatur Rubeus *dict. cap.* 64. *à n.* 34. Et eam confirmo ex his, quæ scripta relinquimus, nempe in causis piis aditionem hæreditatis non esse necessariam ad valorem fideicommissi: tum rectà via ad causam piam transire jura, & actiones. Ergo cùm aditio non sit necessaria, nec aliqua restitutio, nequit deduci quarta Trebellianica: quod idem ex eadem ratione tenent aliqui de jure Regio, qui nec Trebellianicam, nec Falcidiam admittunt, *ex leg.* 1. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopilat.* de quo Gomez *tom.* 1. *variar. cap.* 12. *num.* 11. ubi Ayllon *num.* 13. Castillo *de usufruct. cap.* 60. *à num.* 6. idem *de aliment. lib.* 8. *cap.* 9. *n.* 13. Alvarad. *de conjectur. ment. lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 22. Cæterùm probatur ex voluntate testatoris; nam contra eam, licèt conjecturatam, non detrahitur Falcidia, nec Trebellianica. Mantica *de conject. lib.* 7. *tit.* 12. *num.* 2. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 4. Cùm ergo causa pia substituta sit, facilè conjecturatur, velle totam hæreditatem ad illam transferre, ob bonum suæ animæ. Ergo in causis piis non est detrahenda Trebellianica. Cevallos *commun. quæst.* 27. *num.* 4. Genuensis *in praxi*, *tricen.* 20. *quæst.* 571. *num.* 3. Riccius *collect.* 220. *vers. Duodecimum*. 18

Qui asserit idem esse dicendum, si Hospitale sit substitutum, sine auctoritate Episcopi fundatum; quia id conceditur piæ causæ, quæ ibi exercetur, non loco. Peregrinus *de fideicommiss. art.* 3. *num.* 63. *vers. Nota*. Joseph. Ludovisius *decis.* 30. *num.* 9. Rubeus *pract. cap.* 65. *à num.* 1. Itidem observandum quando hæreditas fuisset restituenda Confraternitati, quo quidem casu licèt aliqui asserant deducendam esse Trebellianicam, attamen si in opera pia se exerceat, non deducitur. Gutierrez *canon. lib.* 1. *quæst.* 35. *n.* 11. Cancer. 1. *part. variar. cap.* 2. *n.* 12. *in fin.* Mareicot. *lib.* 2. *variar. cap.* 72. *à num.* 16. Rubeus *d. cap.* 65. *à n.* 100. 19

Quid verò dicendum, si filius gravatus sit restituere causæ piæ bona ultra legitimam, an ex his deducet quartam Trebellianicam? Hæc quæstio ut clarè procedat, præmitto plures DD. asseruisse, filium deducere non posse Trebellianicam, 20

nicam, quin potiùs legitima contentus, alia bona debet integrè substituto restituere: quam sententiam probare videtur *l.1. tit.11. p.6.* ibi: *Estonce debe aver su parte legitima.* In hac sententia difficultas non procedit. Totum igitur dissidium erit in alia sententia asserente filium hæredem gravatum duas quartas deducere posse, nempe legitimam, & quartam Trebellianicam ex aliis bonis, quam defendunt Covarruvias *in cap. Raynutius, de testam.* §.11. *n.*5. Gregor. *in d. l.1. part. gloss.*3. Acost. *in dict. cap. Si pater, 2. part. verb. Absque deductione, num.*3. & 4. Gomez *in l.*3. *Tauri, num.*83. Molina *de primogen. lib.*1. *cap.*17. *num.*4. ubi Add. Quod explicant, ut si purè sit rogatus restituere, non detrahat nisi legitimam; secus si in diem, aut sub conditione: nam adimpleta conditione, aut adveniente die, jure institutionis ultra legitimam quartam Trebellianicam deducet. Molina *de justit. tract.*2. *disp.*187. *num.*7.

21 In hac opinione plures, quos congerit Cagnol. *in leg. Papinianus, §. Manumisisse, ff. de inoffic. testam. num.*218. asseruere posse filium detrahere quartam Trebellianicam, & reliquum causæ piæ restituere; nam filius respectu causæ piæ non consideratur ut extraneus, sed majori privilegio gaudens dilectionis, & amoris: quapropter fructus non computantur in quartam, *l. Jubemus 6. in princip. Cod. ad Trebell.* Ergo filius gravatus detrahet quartam Trebellianicam in bonis ultra legitimam, & reliquum restituet causæ piæ. Et comprobatur; nam ex illa majori dilectione, & affectu præsumitur velle testatorem patrem, ut illam detrahat, etiam contra causam piam.

22 Sed contrarium tenent plures *in l. Marcellus, ff. ad Trebell.* Decius *consult.*299. *num.*4. Peregrinus *de fideicommiss. art.*3. *num.*63. Peregrinus *decis.*85. *num.*10. Rubeus *pract. cap.*64. *a num.*48. Rationem dant, quia filius in bonis quæ sunt extra legitimam respectu causæ piæ, quasi extraneus habetur; nam magis diligere videtur animam propriam, quàm filii commoditatem, *l. Sancimus 17. Cod. de Sacros. Eccles.* Præterea argumentum quod sumitur *ex dict. leg. Jubemus*, efficax non est; nam illi optimè respondet Rubeus *à num.*74. Inter alia illud est melius responsum, legem illam conditam fuisse ab Imperatore Zenone, quando filius gravatus hæreditatem restituere, legitimam non percipiebat, quod postea fuit statutum à Justiniano: quare Zeno liberaliter filiis concessit ne fructus ex hęreditate paterna in quartam imputarentur, quod post Justiniánum admittendum non est, ut animadvertit Fachineus *controv. lib.*5. *cap.*9. *vers. Non obstat.*

23 In hac igitur difficultate distinctio facienda est, quando sunt filii primi gradus, aut quando non; si enim sunt descendentes inferioris gradus, admittetur hæc ultima sententia: & ratio est, nam in his valet testator, ne quartam Trebellianicam percipiant, rectè disponere, quod sic dispositum præsumitur ex conjecturata ejus mente, quando causam piam substitutam fecit. Tota igitur difficultas erit in filiis primi gradus, in quibus sapientissimi viri scripserunt, minimè patrem disponere posse, ne quartam detrahant, ut cum multis Clarus *verb. Testamentum, quæst.*63. Covarr. *in cap. Raynutius, de testament.* §.11. *num.*12. Camill. Borrell. *cons.*51. *num.*8. & 9. Marc. Anton. Eugen. *cons.*33. Idque dicunt Doctores isti favore agnationis, & quod pater velit magis prospicere, quàm pro altera causa, quantumvis pia. Gratianus *discept. for. cap.*983. *n.*12.

24 Sed adhuc in filiis primi gradus gravatis causæ piæ restituere, assero quartam Trebellianicam non esse deducendam; quia doctrina horum DD. impugnatur ab aliis excellentiori ratione, nempe quia in aliis bonis extra legitimam, filius ut extraneus existimatur, ut aliquibus allegatis docet Peregrinus *de fideicommiss. art.*3. *num.*107. dicit veriorem Molina *de primog. lib.*1. *cap.*17. *à num.*12. Rubeus *pract. cap.*64. *num.*57. Castillo *controvers. lib.*5. *cap.*86. *n.*48. Rota apud Seraphin. *decis.*552. *num.*8. Quapropter ex ejus conjecturata mente non detraheretur Falcidia, seu Trebellianica, prout in majoratibus tenet Molina *à dict. num.*12. Castillo *num.*48. Cæterùm contraria sententia non loquitur quando causa pia est substituta, sed quando aliquis extraneus, respectu cujus est gravis ratio agnationis; non verò comparatione causæ piæ, quia in Jure, quando non est expressa voluntas testatoris, jus agnationis non prævalet, sed animæ salus: idcircò etiam stando in contraria sententia ista erit sustinenda, ut tenent allegati *num.*19.

25 De jure nostro Regio cessat hæc quæstio, quia legitima filiorum sunt omnia bona, præter quintum, de quo liberè valet testator disponere, sive in causas pias, sive alias, *leg.*12. *tit.*6. *lib.*5. *Recopil.* Mathienzo *in l.*1. *tit.*4. *lib.*5. *gloss.*19. *num.*22. Itaque filius totum quintum causæ pię restituere tenetur, absque aliqua deductione quartæ: deserviunt verò dicta ad jus commune, prout loquuntur Doctores suprà citati.

26 Nec deducenda est quarta Trebellianica, quando causa pia mediatè fuerit substituta. Cravet. *cons.*137. *n.*13. Bursat. *lib.*1. *cons.*48. *num.*16. Joseph. Ludov. *decis.*30. *n.*10. Quod ita intelligendum, ut certum sit, fideicommissum perventurum ad causam piam. Si tamen sit sub conditione incerta, ita ut deficere valeat, tunc Trebellianica ab hærede gravato deducitur, præstatque cautionem de restituendo fideicommisso, quoties conditio adimpleatur, & ad causam piam pervenerit, *ex leg. Falcidia 45. ff. ad leg. Falcid. juncta l.1. ff. ut legat. nomine caveat.* Peregrinus *de fideicommiss. art.*3. *num.*66. Cancer. 1. *par. cap.*2. *n.*12. *vers. Prior tamen opinio,* Marescotus *variar. lib.*2. *cap.*72. *n.*15. Rubeus *pract. cap.*65. *a num.*105. Castillo *controv. lib.*4. *cap.*22. *nu.*12. Rota apud Farinac. 1. *part. decis.*373. *num.*7.

27 Sed discutiamus, an cautio præstanda sit in præsentiarum de restituenda integra hæreditate, absque deductione quartæ? Et asserendum videtur, cautionem non esse dandam de restituenda quarta ipsi causæ piæ; nam quando ex legis dispositione ab hæreditate aliqua pars abstrahitur, non venit in restitutione. Ergo minimè erit necessaria cautio. Bald. *volum.*1. *cons.*407. *num.*2. *ad fin.* Castrens. 2. *p. cons.*321. *num.*2.

28 Sed tamen cautio debet dari de restituenda integra hæreditate causæ piæ, absque quartæ deductione, ut tenent allegati *num.*23. Decian. *lib.*3. *cons.*44. *num.*90. Honded. *lib.*1. *cons.*64. *num.*70. Ratio, nam hæres gravatus tenetur cavere de restituenda hæreditate, adveniente die, seu conditione impleta, prout debetur, *leg.1. cum leg. sequent. ff. ut legat. seu fideicommiss. nomin. caveatur, l. Inter omnes,* ubi Scribentes, *ff. qui satisd. cog.* Peregrin. *de fideicommiss. art.*41. *num.*10. Molina *de primog. lib.*1. *cap.*15. *n.*1. Sed hæreditas debetur causæ piæ, absque deductione quartæ, licèt mediatè substitutæ: Ergo donec dies veniat, aut adimpleatur conditio, debet cavere etiam de restituenda quarta. Cæterùm detractio quartæ non fit de hæreditate, ex pura legis dispositione, sed dependenter à voluntate testatoris, quia illam valet prohibere. Gutierrez *in l. Nemo potest, ff. de legat.*1. *num.*323. Mathienzo *in d. l.*1. *tit.*4. *lib.*5. *gloss.*19. *n.*12. Cùm ergo ex mente testatoris, quando causa pia est substituta, non detrahitur Trebellianica, inde est ut gravatus debeat cavere de restituenda hæreditate, absque quartæ deductione: qua ratione dissolvitur fundamentum contrarium.

29 Cæterùm si bona fideicommisso subjecta, & postea restituenda causæ piæ ob causam dotis, alienentur ad dotandam pauperem descendentem, *ex Authentica res quæ, C. de legat.* si mulier dotata, absque liberis, vel reliquiis matrimonii decesserit, an restitutio facienda sit causæ piæ? Et asserendum videtur, bona illa ad substitutam causam piam reverti debere, ex decisione textus *in l. Mulier bona 37. ff. de jur. dot.* ubi bona in dotem data transeunt cum suo onere. Ergo etiam cum onere fideicommissi, ita ut soluto matrimonio absque aliqua reliquia illius, debeat ad causam piam pervenire. Cæterùm probatur doctrina Baldi *lib.*4. *cons.*77. ubi scripsit, bona ex fideicommisso data in dotem, cessante matrimonio, & reliquiis illius, ad fideicommissarium pervenire debere. Castrensis *in l. Mulier 22. §. Cum proponeretur, ff. ad Trebell. num. fin.* Curt. Junior *in dict. Auth. Res quæ, n.*48. Menoch. *lib.*1. *cons.*33. *n.*9. & *lib.*4. *præsumpt.*189. *num.*189. Peregrin. *de fideicommiss. art.*42. *n.*28. Marescot. *variar. lib.*2. *cap.*69. *num.*34. Ergo fortiori ratione id tenendum quando hæreditas, aut bona fideicommissi ad causam piam essent devolvenda.

30 Sed in specie tenuit contrarium Rot. quam refert, & sequitur Rubeus *practic. cap.*65. *n.*129. Marescot. *d. cap.*69. *num.*10. Nam quoties ex causa dotis, aut altera legitima, bona ex fideicommisso extrahuntur, libera remanent, & tanquam si de illo nunquam fuerint, ut tenent relati à Peregrino *dict. art.*42. *num.*19. Rota 6. *part. recent. decis.*312. *num.*46. Gomez *in l.*40. *Tauri, n.*87. Molina *de justit. tom.*3. *disput.*648. *n.*7. Quare nec sunt restituenda causæ piæ. Præterea Rub. *n.*132. pro hac opinione adducit textum, quem dicit expressum *in l. Mulier 22. §. Cum proponeretur, ff. ad Trebell.*

Trebell. ubi dos data non restituitur substituto, quin potiùs alienata remanet penes maritum.

31 Ast in hoc dubio animadverto textum *in d. §. Cùm proponeretur*, non probare sententiam Rubei, quia loquitur quando pater filiam hæredem instituit, rogavitque alteri hæreditatem restituere. Ipsa verò maritum duxit, cui dotem ex bonis patris constituit: quo quidem casu inquit Ulpianus, rectè maritum in ipsa dote hæredem instituisse, relictis aliis bonis fideicommissario. In hac specie certum est, quod ait Ulpianus; nam pater tenebatur filiam dotare, idcircò potuit liberè de dote disponere, ut de re propria, nec ad fideicommissum devolvetur, ut cum communi explicat Castillo *lib.8. controv.cap.36. num.*12. unde textus ille pro Rubeo non militat.

32 Quare explosa Rom, & Rubei sententia, in aliis qui non sunt patres, nec dotare tenentur, ut sunt fratres, aut alii descendentes ab institutore fideicommissi, qui præcisè dotant ex bonis fideicommissi, de quibus Molina *de primog. lib.4. cap.6. num.6.* Gratian. *disceptat. forens. cap.*301. *n.*5. Castillo *dict. cap.36. num.5.* assero quod si mulier absque reliquiis matrimonii decesserit, bona ad causam piam substitutam debent pervenire: & ratio est, nam tota illa Authentica *Res quæ*, fundamentum sumit à præsumpta voluntate testatoris, ac favore matrimonii. Gratianus *dict. cap.* 301. *num.*7. Castillo *dict. cap.36. num.*8. Fusarius *de substit. quæst.*531. *à num.*1. Quia si vidisset aliquam descendentem pauperem, eam dotasset, ut virum invenisset. Ast quoties causa pia est substituta, prospicitur alia præsumpta voluntas consulendi animæ suæ, quæ charior est aliis descendentibus. Cùm tamen dotando descendentem, si sine successoribus decedat, revertendo illa bona ad causam piam, utrique præsumptioni satisfiat, dicendum est in proposita specie, bona illa ad causam piam esse revertenda. Præterea si testator disposuerit, ut bona fideicommissi nec ex causa dotis alienentur, in meliori sententia id erit observandum. Gomez *in l.40. Tauri, n.87. ad fin.* Covarr. *lib.3. variar. cap.6. n.10. versic. Cæterum*, plures Peregrin. *dict. art.* 42. *num.*5. Molina *dict. cap.6. n.*11. Marescot. *d. cap.*69. Ergo cùm saltem ex præsumpta voluntate testatoris cognoscatur, quod si mulier dotata absque successione decedat, bona illa ad causam piam devolvantur, id erit observandum. Denique in dubiis favendum est causæ piæ, *l. Proxime, ff. de his quæ in testament. del. l. Cum creditor* 55. *ff. de furt.* ubi Scribentes, Novar. *de privileg. miser. person. privileg.*20. *n.*9. Riccius *ad Tiraquell. privileg.*35. quare favere oportet causæ piæ magis quàm extraneo, cui mulier successorem elegerit, aut aliis hæredibus, Thoro *privil.* 151.

33 Sed dices, in hac difficultate falsum sopponi, nempe ex bonis fideicommissi dotari posse mulierem, causa pia successore existente: nam ut plurimi tenent, quoties fideicommissum restituendum est causæ piæ, Authentica *Res quæ*, non habet locum, idque ex voluntate testatoris prospiciente pro sua anima, sicut pro aliis descendentibus, ut tenent Curt. Jun. & Senior, Loazes, & alii apud Fusarium *de substit. quæst.*531. *n.*35. quod quidem admittit Molina *lib.4. de primogen. cap.6. num.*23. quoties causa pia pertineret ad causam publicam, veluti si fideicommissum ad construendam Ecclesiam relinqueretur, ubi Ecclesia non erat, vel pro ea amplianda, ubi erat stricta, ita ut populus divina officia audire non posset: secus quando restitutio facienda foret causæ piæ prospicienti utilitatem privatam, veluti capellæ, seu sepulturæ.

34 Sed suppositum oportet admittere, ut etiam quando causa pia fideicommissum est perceptura, adhuc locus sit dictæ Authenticæ *Res quæ*; nam hæc dispositio fundatur in summa pietate, nempe in dotanda descendente pauperrima ex bonis fideicommissi, quando pater non habet unde illi dotem conferat. Menochius *de præsumpt. lib.4. præsumpt.*189. *num.*24. Molina *de justit. tom.3. disput.*648. *num.*3. aut saltem non decentem habet legitimam, ut loquuntur jura id concedentia, *l. Mulier* 22. *§. Cùm proponeretur, l. A filia* 62. *ff. ad Trebell. dict. Authent. Res quæ*. Quæ per se pientissima est causa, insimul cum affectione sanguinis: quapropter causa pia, quæ in bonis fideicommissi est successura, nequit excludere hanc pientem causam dotandi descendentem: præterquam quod si concurrant duæ causæ privilegiatæ, illa prævalet, quæ tractat de damno vitando, ut est descendens pauper, & non causa pia agens de lucro captando. Marsil. *sing.*99. Sfortia *de restit. in integrum*, q.18. *num.*33. Ergo in præsentiarum dabitur locus dictæ Authenticæ *Res quæ*. Cæterùm licèt testator defunctus non teneatur dotare descendentem, quæ post multos annos concepta est; cùm tamen causa paupertatis adveniat, à jure tanquam vivus fingitur ad hanc dotem dandam, & perinde quasi obligatus. Menoch. *d. præsumpt.*189. *n.*24. quando enim consideratur aliqua obligatio, excluditur causa pia, ut patet in legato pro malè ablatis, & in alia simplici causa pia; legatum enim prævalet, utpote includens obligationis speciem. Novar. *de incert. privil.*9. quapropter similiter in nostro casu ratio dotis non excludetur à causa pia, quin contrarium eleganter tenet Menochius *d. præsumpt.*189. *n.*120. Tiraquell. *privileg.*102. Petra *de fideicommiss. quæst.*8. *n.*445. Medicis *opusc.*4. *n.*2. Amat. *decis. March.*46. *n.*37. Anton. Faber *diffinit.*7. *C. de Sacros. Eccl.* Fusarius *d. qu.*531. *n.*34. Bossius *d. §.7. num.*333. Unde objectio diluitur.

Istinc alia explicabimus ex dicta Authentica *Res quæ*, concernentia ad causas pias: & ultra ea quæ dicta sunt de dote in paupere descendente, idem est asserendum de donatione propter nuptias, quando legitima portio ei non sufficiet, *d. Auth. Res quæ*, Molina *d. lib.4. cap.6. n.*2. Cancer. 1. *part. cap.9. num.*164. Fusarius *d. q.*531. *num.*2. Marescot. *lib.*2. *variar. cap.69. num.*1. Molina *dict. disput.*648. *num.*2. Quod non solùm intelligas de dote ad matrimonium carnale, sed ad spirituale, utpote quando mulier Religionem ingreditur, cùm major sit ratio pietatis. Menochius *dict. præsumpt.*189. *num.*90. Sanchez *de matrimon. lib.4. disput.*26. *num.*7. Marescot. *d. cap.69. num.*9. Idque etiam extendunt alii, quando quis construxerit Ecclesiam ad illam dotandam. Padill. *in d. Auth. Res quæ, num.*55. *in fin.* Fusarius *d. qu.*531. *n.*31. Bossius *dict. tit.*12. *§.7. num.*331. 35

Sed est quæstio, an decisio dictæ Authenticæ *Res quæ*, extendatur ad alimenta necessaria? Et negatunt aliqui: ducuntur, nam ex duobus capitibus sustinetur ista decisio, nempe ex præsumpta voluntate testatoris, & favore publico matrimonii: quæ quidem defficiunt in causa alimentorum, in qua solùm agitur de causa particulari illius individui. Ergo minimè decisio illa extendenda est ad causam alimentorum. Præterea Authentica ista restringenda est ad causam specialem illius, quia à jure exorbitat contra vocationes fideicommissi. Petra, & alii relati à Cancer. *d. cap.9. n.*164. Carol. Bardell. *conf.*8. *n.*22. Rota apud Seraphin. *decis.*374. *num.*2. quare nequit ad alias causas præter dotes, & donationes propter nuptias adduci, etiamsi sint alimentorum. Gloss. *in dict. Authentica Res quæ, verb. Obligationem, in fin.* ubi etiam Bald. *in lect. antiqua*. Salicet. *n.*3. Corneus *n.*4. Odofred. *in præf. n.*5. & alii apud Fusar. *quæst.*536. *n.*2. 36

Sed Doctores communiter tenent contrarium; nam causa dotis, & alimentorum de jure æquiparantur, & de una ad alteram valet argumentum. *Authent. Contra rogatos, in fin. Cod. ad Trebell.* Vivius *tom.1. comm. opin. lib.5. tit.7. num.*120. Rota apud Seraphin. *decis.*447. *n.*7. Molinus *de rit. nuptiar. lib.3. quæst.46. num.*10. Itaque quod dispositum de dote, & donatione propter nuptias in alienandis bonis fideicommissi, idem est dicendum de alimentis. Cæterùm, nam onus alimentorum transit cum onere bonorum, *l. Si quis à liberis* 5. *§. Item rescriptum, ff. de lib. agn.* ubi Bartol. Quapropter ipse fideicommissarius tenetur illa alimenta præstare, & bona alienare, ut onera illorum. Menochius *lib.4. præsumpt.*191. *à nu.*1. Peregrinus *de fideicommiss. art.42. num.*86. Molina *de primogen. lib.4. cap.6. num.*8. Ponte *decis.*39. Surdus *de aliment. tit.8. privileg.* 19. Pat. Molina *d. disput.*648. *n.*7. Fusarius *de substit. quæst.*536. *à num.*1. Castillo *dict. lib.8. cap.36. n.*16. 37

In hoc dubio præmitto Doctores confusè loqui. Distinguere oportet quando fundator fideicommissi tenebatur alere descendentem, qui propter necessitatem alimenta petit: & in hoc casu certum est, bona illa esse alienanda ad eorum præstationem; nam alimenta sunt debita testatoris, ad quorum solutionem bona fideicommissi sunt alienanda, *leg. Filius* 114. *§. Divi* 14. *ff. de legatis* 1. *l. Peto* 69. *§. Prædium, ff. de leg.2. l. Pater filium* 38. *ff. de legat.*3. Fusar. *de substit. quæst.*541. Ergo certum est, propter hæc debita alimenta, bona illa fideicommissi alienari posse: quo in sensu loquuntur Menochius & Surdus nuperrimè citati. 38

Sed cùm Authentica ista non solùm loquatur quando fundator erat debitor alimentorum, sed in aliis descendentibus, ut dictum est, Rota apud Farinacium *in noviss. decis.* 423. *num. fin.* Castillo *n.*39. tota versabitur quæstio, quando 39

defun-

defunctus erat testator, nec tempore mortis talia alimenta debebat; & in hoc casu adhuc assero, bona fideicommissi ad illa præstanda alienari posse. Id probant Menoch. *num.* 5. Castillo *num.* 18. *ex Authent. de restit.* §. *Nobis ergo* (est Novella 108.) ibi: *Si verò contigerit, nec ipsum habere, ex aliquibus causis, unde faciat expensas, ex tali restitutione etiam has facere, damus ei licentiam.* Sed Moneta *de commut. ultim. volunt. cap.* 9. *n.* 181. asserit textum hunc assumptum non probare, quia loquitur quando testator tantùm rogaverit restituere quidquid ex hæreditate supersit: quo quidem casu, ex tacita voluntate testatoris concessum est pro alimentis, aut aliis necessariis expensis bona fideicommissi alienare.

40 Ast Moneta textum illum non benè percepit, nam non loquitur præcisè quando testator mandaverat restituere quod de hæreditate superesset, sed in simplici fideicommisso. Interpretatur verò voluntas illius, ut quoties causa dotis, donationis propter nuptias, aut alterius necessitatis adest, tunc ex tacita ejus mente bona fideicommissi alienari possint.

41 Cæterùm ex alio fundamento comprobo hanc sententiam, quia non solùm in præsentiarum adest tacita voluntas fundatoris, sed etiam publica causa, major quàm in matrimonio; nam licèt matrimonium contineat favorem publicum, id potissimè est ad propagandam sobolem, ut civitas multis civibus condecoretur, *l.* 1. *ff. de jur. dot.* Lara *de Ann. vers. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 1. Ast hæc utilitas publica majori ratione consideratur in alimentis, quæ cives conservant procreatos & in esse, quàm quæ per matrimonium in fieri, *l.* 1. & 2. *C. de patr. qui filios suos distrax. l. Necare* 4. *ff. de lib. agnoscend.* Ergo cùm eadem ratio versetur, aut major in alimentis, quàm in dote, sicut ratione dotis bona fideicommissi valent alienari, similiter ob causam alimentorum. Denique Authentica *Res quæ*, quatenus continet utilitatem publicam, minimè strictè est interpretanda, sed ut favorabilis extendenda: tenent relati à Cancer. *dict. cap.* 9. *n.* 164. Castillo *d. cap.* 36. *n.* 3. Fusarius *d. q.* 531. *num.* 5. Quapropter extenditur de dote ad alias causas similes, prout sunt alimenta pauperis descendentis. Leoncillus *de privileg. pauper.* 2. *part. privil.* 18. *num.* 7.

42 Idque non solùm intelligas de propria persona fideicommissarii, verùm etiam de omnibus personis, quas alere tenetur, utpotè liberos, etiam spurios. Molina *dict. cap.* 6. *num.* 8. Fusarius *d. quæst.* 536. *n.* 4. Surdus *de aliment. tit.* 8. *privil.* 19. *n.* 9. Fusarius verò aliquas limitationes adducit *à num.* 6. nempe quando fundator expressè prohibuerit, ne ob alimentorum necessitatem bona fideicommissi alienentur, aut quando filius gravatus consumpserit legitimam, & Trebellianicam malè utendo, vel quando fideicommissum non esset constitutum ab ascendente: quibus limitationibus assentitur Lima ad Molin. *d. n.* 8. Moneta *de commut. ultim. volunt. cap.* 9. *n.* 186. Castill. *d. cap.* 36. *n.* 19.

43 Verùm illud observare convenit circa primam limitationem, ut sit necessarium, quod specificè testator ponat causam, ex qua voluerit bona illa non alienari, veluti alimentorum, aut dotis, vel redemptionis; nec tamen sufficiet generaliter prohibere ne alienentur, ut locus non sit dictæ Authenticæ: nam casus isti fundantur in voluntate testatoris, qui si vidisset tam urgentiores necessitates suorum descendentium, illis providisset, *l. Cum servus* 82. §. *ult. ff. de condit. & demonstrat.* non obstante generali prohibitione, quapropter etiam ejus hæres ad id teneretur. Præterea in generali prohibitione non comprehenduntur causæ, quæ pietatem includunt, *l. Libertis* 18. §. *Posthumi* 3. *de aliment. legat.* ut sunt ista, quæ necessariò præstanda sunt personæ pauperi, quæ non habet unde alimenta, aut dotem percipiat. Castillo *d. cap.* 36. *n.* 45. idcircò nisi in specie alienationem prohibeat, adhuc dispositio dictæ Authenticæ procedet etiam quoad alimenta. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 189. *à num.* 96. Covarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 6. *n.* 10. *vers. Secundo*, Marescotus *dict. lib.* 2. *cap.* 69. *n.* 7. & 8. Castillo *d. cap.* 36. *num.* 54. licèt aliqui penes ipsos contrarium teneant.

44 Est tamen gravissimum dubium, an detur locus dictæ Authenticæ quando agitur de dote restituenda, velut quando fideicommissarius suis bonis amissis restituit dotem mulieri. Hanc quæstionem latissimè agunt Doctores multis pro utraque parte discussis argumentis, ut videre est apud Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 190. Covarr. *dict. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 10. Molina *de primog. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 7. Giurba *ad consuet. Messan.* 1. *part. cap.* 13. *gloss.* 1. Fusar. *de substit. quæst.* 532. Sunt qui negent; verumtamen communior sententia est affirmans, quam sequuntur suprà relati, & innumeri, quos refert, & sequitur Castillo *dict. cap.* 36. *à num.* 48. Molina *d. disp.* 648. *n.* 2. Cancer. 1. *part. var. cap.* 9. *nu.* 168.

45 In difficultate ista, ubi tanta coacervarunt Doctores, meum tantùm referre judicium decrevi, ut resolutio facilè capiatur. Et in primis animadverto, textum non esse certum, qui hanc decidat quæstionem: nam Authentica *de restit. & ea quæ parit in undecim. mense*, *Novell.* 39. *in princ. vers. Moriente*, unde Doctores allegati probant, ad restitutionem dotis fideicommissi bona alienari posse, certum non habet interpretamentum; involvit enim non solùm dotis restitutionem, sed constitutionem; quapropter responsio illa non ad restitutionem, sed ad dotis constitutionem adaptatur, & ita quoad restitutionem negatur alienatio; nam quando duæ dubitationes in interrogatis apponuntur, si uni affirmativè respondetur, altera negativè resolvitur, *cap. Nonne* 5. *de præscr. leg. Etsi sine* 8. aliàs *ait Prætor* 7. §. *Sed quod Papinianus* 10. *ff. de minoribus*, *l. Bona fides* 31. *ff. deposit.* quo in sensu textum illum explicat Socinus *lib.* 2. *consil.* 150. *n.* 32. Fachineus *lib.* 4. *controversiarum*, *cap.* 47. *vers. Respondeo*.

46 Alii verò intelligunt textum illum specialiter, quando pater fideicommissum instituit, & filius tenebatur ad dotem restituendam: quo quidem casu asserunt, debere bona fideicommissi alienari; nam videtur patrem ad alienationem consentire, qui si viveret, ad illam cogi poterat. Bartol. *in l. Si cùm dotem*, §. *Transgrediamur*, *ff. solut. matrim. n.* 7. Sed hoc interpretamentum non minùs incertum est. Menochius *dict. præs.* 190. *num.* 15. Illud verò magis certum videtur in proposita specie, patrem omnia bona restituere jussisse, in quibus erat filii legitima: quapropter bona illa alienata sunt ad dotis restitutionem, ut propria ipsius filii, non autem fideicommissi, ut suprà diximus *num.* 26. *ex l. Mulier* 22. §. *Si cùm proponeretur*, *ff. ad Trebell.* Fusar. *de substit. quæst.* 543. *à num.* 1.

47 Quapropter cùm nihil certum probet textus ille, mihi magis arridet sententia asserens, ad restitutionem dotis minimè bona fideicommissi alienari posse. Ducor, nam ut suprà diximus, Authentica ista solùm in descendentibus intelligitur ab ipso institutore, non verò in extraneis, aut transversalibus illius. Aloysius à Leone *in dict. Auth. Res quæ*, *num.* 14. Petra *de fideicommiss. quæst.* 8. *n.* 411. Peregrinus *eodem tract. art.* 42. *num.* 49. Cùm ergo mulier extranea sit, quantumvis nupta cum descendente instituentis, minimè hoc beneficio valet potiri, ut dos sibi restituatur. Sed dices, hoc esse beneficium descendentis qui dotem restituere tenetur. Ergo sufficiet, ut detur locus *dictæ Authenticæ*. Verùm facilè respondetur, illam intelligendam esse quando commodum alienationis remanet penes descendentem, non verò si remaneat penes extraneum, ut in restitutione dotis.

48 Præterea Authentica ista fundatur in favore publico matrimonii, & insimul in voluntate instituentis volentis necessitati descendentis providere, ut diximus *num.* 27. Bossius *dict.* §. 7. *num.* 332. Et licèt in restitutione dotis versetur favor publicus matrimonii, deficit tamen voluntas testatoris, quæ tantùm vult inopiæ descendentis providere, non autem mulieri extraneæ, ut ei dos restituatur. Cæterùm nostra quæstio non versatur quando legitima, aut alia portio debetur filio; tunc enim certum est alienari posse bona fideicommissi, ut debita instituentis. Surdus *decis.* 316. Peregrin. *art.* 39. *n.* 2. & 3. Nec quando pater obligatus fuerit ad dotem restituendam, sed in bonis ultra legitimam fideicommissum fecisset, aut fuerit ab aliquo antiquo ascendente institutum; & in hoc casu nihil proponitur, ut bona fideicommissi alienentur ad restituendam dotem, ut scripsit Fachineus *d. lib.* 4. *cap.* 47. *vers. Fundamentum verò*.

49 Denique lex non favet illi, qui ex sua culpa, seu negligentia in necessitate se posuit, *l. Si fidejussor*, §. *Si necessaria*, *ff. qui satisdar. cogantur*: mulier verò ex sua negligentia in illa necessitate se constituit, non quia negligenter providit conditionem mariti, ut non rectè pensitarunt Doctores, quos reprobat Menoch. *d. præsumpt.* 190. *à n.* 23. sed quia prospiciens maritum ad inopiam pervenire, dotem non repetivit, *ex leg. Si constante* 24. *ff. solut. matrim. leg. Ubi adhuc* 29. *C. de jur. dot. Authent. de æqualit. dot.* §. *Illud quoque*, *collat.* 7. *cap. Per vestras* 7. *de donat. inter*, *l.* 8. *tit.* 29. *par.* 3. *l.* 29.

l.29. tit.11. par.4. Ergo bona fideicommissi nequeunt alienari ob dotis restitutiooem, ut cum Jasone, Alexandro, & Alciat. tenet Fachineus *dict. cap.47.* Parisius *lib.2. cons.63. num.46.* Federicus Scotus *lib.4. respons.17. n.4.* Riminaldus, & alii apud Fusar. *dict. quaest.352. n.2.*

50 Ex causa verò redemptionis captivorum, quando descendens ab infidelibus caperetur, rectè alienantur bona fideicommissi; est enim interpretativa voluntas testatoris, & insimul favor publicus, ut Cives à captivitate Barbarorum eatrahantur. Padilla *in d. Authent. Res qua, num.93.* Molina *dict. lib.4. cap.6. num.9.* Gratianus *discept. forens. cap.108. n.30. & 37.* quod extendendum etiam ad captum ab hostibus Christianis. Menoch. *lib.4. praesumpt.192. n.6.* Fusarius *de substit. quaest.554. num.2.* nam licèt propriè captivi non sint, interest tamen Reipublicae, ut Civis ad Civitatem perveniat. Moneta *d. cap.9. num.189.*

51 Praeterea disquiramus quando descendens pauper sit, & carceri mancipatus, an pro illo excarcerando bona fideicommissi alienari valeant? Et ut clarè procedamus, noto id duobus modis posse accidere, aut quando manet in vinculis propter aes alienum, aut propter delicta. Quoad primum certum est, quod si filius carceri mancipetur ob debita contracta à suo patre fideicommissum instituente, bona illius alienari possunt, quod dubium non recipit. Menoch. *d. praesumpt.192. num. fin.* Intrigliolus *de substit. cent.3. q.73. num.416.* Fusar. *eodem tractat. quaest.535. num.7.*

52 Si verò filius, aut alius descendens casu & absque culpa aes alienum contraxerit, conveniunt Doctores, ad illum eacarcerandum bona fideicommissi alienari posse. Secus si data opera ad evertendum fideicommissum ęs alienum contraxerit; non enim ea suo dolo commodum percipere valet, ut cum aliquibus docet Fusar. *dict. quaest.353. num.14.* Moneta *dict. cap.9. num.192.* Menoch. *de arbitr. casu 182. num.39.*

53 Est tamen dubium, quando non ex culpa ordinata ad subvertendum fideicommissum, verùm quando luxu, aut alea juvenili debita contraxerit, ob quae gravi praemitur necessitate, aut carceri mancipatur, an alienanda sint bona fideicommissi? Et plurimi asseruere, minimè alienanda, quia jus minimè succurrit illi, qui sua culpa ad egestatem pervenerit, *l. penult. ff. de jur. dot. l. ult. ff. quae in fraud. credit.* quin potiùs omnibus privilegiis paupertatis pauperem privat. Covarr. *lib.2. variar. cap.16. num.9.* quod hic maaima ratione admittendum, cùm sit in damnum tertii, nempe illius qui necessariò in fideicommisso succedit. Cancerius *2. part. variar. cap.9. num.48.* Sola *ad constit. Sabaud. gloss.2. num.3.* Quapropter in praesentiarum nequeunt alienari bona fideicommissi ad eum excarcerandum, qui sua culpa in necessitatem inciderit. Jason *in d. Auth. Res quae, num.33.* Padilla *num.102.* Menochius *dict. casu 182. num.45. & lib.4. praesumpt.192. n.10.* Peregrinus *de fideicom. art.42. num.191.* Moneta *dict. cap.9. num.192.* Fusarius *dict. quaest. 535. num.10.* Menochius *dict. casu 182. à num.45. & dict. praesumpt.92. num.10. vers. Secundum*, Leoncill. *2. par. privil.18. num.16.*

54 Alteri contrarium tenent, nam duobus modis res ista valet considerari: aut haec alienatio facienda est, ut per modum eleemosynae inopiae descendentis succurratur; aut per veram causam necessitatis petentis venditionem bonorum fideicommissi. Primo modo nequit fieri; nam bona fideicommissi prohibita alienari, nequeunt ad dandam eleemosynam venundari. *Auth. Nisi Rogati, Cod. ad Trebell.* quia esset dare eleemosynam de re aliena, *c. Eleemosynam 7. 14. quaest.5. cap. Sicut dignum 7. §. Eos, de homicid.* Verùm ex causa oecessitatis venundari valent, etiamsi descendens sua culpa in eam inciderit; nam quoties non est ordinata ad casum, considerabilis non est, *cap. Quia diversitatem 5. de concess. Praebend. l. Non omne, ff. de statu lib.* Bartol. *in l.2. §. ult. ff. si quis caut.* Felinus *in cap. Cum inter, de except. n.20.* Quapropter in praesentiarum poterunt alienari bona fideicommissi ad succurrendum huic necessitati. Caeterùm licèt quis sua culpa in pauperiem inciderit, adhuc privilegiis pauperum non privatur; lex enim tunc non prospicit, nisi urgentissimam oecessitatem illius, oec vult afflictum affligere, exemplo Prodigi, *Lucae cap.5. versic.11.* ut cum aliquibus notat Velascus *de privil. paup. 1. part. quaest.54. n.7.* Faria *ad Covarruviam dict. lib.2. cap.16. num.881.* Carleval. *de judic. tom.1. disput.2. quaest.6. sect.7. num.616.* Itaque cùm istud remedium pauperi descendenti conferatur, etiamsi sua culpa ad paupertatem perveniat, bona fideicommissi valent alienari. Felinus *in d. cap. Cum inter, num.2. & in cap. Si quis testium, de testibus, in fin.* Decius *in cap. Cum Ecclesiarum, de constit. num.30.* Pinell. *in Authent. Si de triennali, Cod. de bon. matern. num.46.* Velascus *d. quaest.54. num.17.*

In hoc dubio conveniunt Doctores, huic descendenti qui sua culpa ad paupertatem pervenit, ex bonis fideicommissi tantùm per eleemosynam succurri debere, idque officio judicis implorato, ut prospecta ejus necessitate, prout videbitur, eleemosynam applicet: quod licèt pauci negent, admittenda est doctrina ista; nam eleemosyna non respicit nisi necessitatem pauperis, non considerata causa à qua processerit. Covarruvias *dict. cap.16. n.9.* Menochius *d. casu 182. à n.42.* Fusarius *d. q.535. n.21.* Leoncill. *d. privil.18. n.16. vers. Limitatur etiam.* 55

Concertatio verò est, an ea causa hujus necessitatis, ex dicta Authentica *Res quae*, bona fideicommissi valeant alienari? Et distinctionem faciunt DD. quando culpa respexit ad casum, veluti quando aes alienum contraxit, ut prodigè, & luxuriosè viveret bona dilapidando; aut quando delictum commiserit, ex quo multa debita contraxit, ast immediatè casum paupertatis non determinabat. In hoc secundo casu admittunt facilè bona alienari posse fideicommissi, quia non ordinabatur ad pauperiem, ut cum Paulo Castrensi, Alexandro, & aliis advertit Fusar. *dict. quaest.535. num.12.* 56

Pondus enim difficultatis est in primo casu, quando culpa erat ordinata ad casum paupertatis, & io eo admitto secundam sententiam, quando pater fideicommissum instituisset, & filius esset, qui in tam urgenti necessitate ex tali culpa remaneret constitutus: idque ex conjecturata mente illius, qui propter paternum amorem, adhuc in hoc casu libentissimè succurreret, etiam sua bona alienando. Menoch. *dict. casu 182. num.64.* Fusarius *d. quaest.531. num.13.* Leoncill. *d. privil.18. num.16. vers. Limitatur tamen*, qui refert Rotam idem decidentem. 57

Quod idem teneo in aliis descendentibus, qui filii non fuerint: idque à simili probo. Nam bona Ecclesiae nequeunt alienari; attamen ob gravem pauperum necessitatem alienantur, etiamsi sua culpa in paupertatem inciderint. Gloss. *in cap. Sacrorum 12. quaest.2.* & cum multis Velascus *d. q.34. num.6.* Faria *dict. cap.16. num.59.* quod idem dicendum est in bonis fideicommissi, licèt descendens sua culpa ordinata ad necessitatem perveniat, & in vinculis detineatur. Caeterùm culpa ordinata ad casum duobus modis potest considerari. Primò quando ordinatur praecisè ad pauperiem, animo illa via evertendi fideicommissum; & in hoc modo jam diximus, bona fideicommissi alienanda non esse, *num.47.* Secundò quando noo eo animo culpa ordinatur ad pauperiem, sed tantùm luxuriandi, aut ludendi, ex quo aes alienum contraxit, & ob id carceri mancipatus est: & in hoc casu oequit dici culpam istam praecisè ordinari ad casum paupertatis; nam principalis animus erat luauriandi, & ludendi, & per accidens evenit pauperies, & carceri mancipatio. Ast quando casu, & per accidens evenit necessitas, facilè conceditur alienatio bonorum fideicommissi, ut diximus *num. 52.* Ergo in praesentiarum similiter est dicendum. 58

Caeterùm dicta Authentica *Res quae*, fundatur in interpretativa voluntate testatoris, quae quidem non solùm affectione sanguinis permittit bona fideicommissi alienari in causa gravissimae necessitatis; verùm etiam ex ratione pietatis, & misericordiae succurrendi illi vinculis mancipato. Ast quando ex misericordia aliquid conceditur, non consideramus, an sua culpa in paupertatem inciderit, sed urgentem necessitatem, ut diximus *n.50.* Giurba *decis.43. n.27.* Graffis *par.1. decis. casuum conscient. lib.2. cap.96.* Ergo etiam quando descendens sua culpa ordinata ad casum in paupertatem inciderit, adhuc ad sui eacarcerationem bona fideicommissi alienabit. Deinde licèt aliqua jura dicant non esse favendum in necessitate ei, qui ea sua culpa ad illam pervenerit, id intelligendum in suo casu; nam propter delictum vult lex, nt vivat in necessitate, & egestate, ut benè Velascus *d. quaest.54. n.10.* quod in praesentiarum non est definitum. Ergo nec regula illa admittenda. 59

Restat verò respondere fundamento, quod pro contraria senteotia rejecimus *num.48.* probanti, in damnum tertii pauperem uti non posse privilegio paupertatis: intelligenda 60

est

est enim doctrina illa, quando quis in paupertatem devenerit dolosè, ut tertium fraudaret, veluti si in fraudem creditorum bona dilapidasset, quo in sensu loquuntur textus *in leg. penulti de jur. dot. l. fin. §. fin. ff. quod in fraud.* cui nec cessio bonorum conceditur, ut cum aliquibus docet Cancerius *dict. 2. part. cap.9. num.*47. quod est minime dicendum, quando non dolosè, sed ex sua culpa ad pauperiem pervenerit. Stracc. *de decoct.* 3. *part. num.*12. *&* 13. Mausonius *de causis executiv. lib.*1. *limit.*5. Heting. *de fidejuss. cap.*5. *num.*107.

61 Istinc resolvendum est aliud membrum difficultatis, nempe quando fuerit vinculis adstrictus ob aliquod commissum delictum, quo quidem casu aliqui recensiti à Fusario *d. quæst.*535. *num.*1. asseruere, minimè ad illum excarcerandum bona fideicommissi esse alienanda. Sed opinio contraria est admittenda, cùm ex affectione sanguinis, & insimul pietatis institutoris, id interpretandum relinquatur. Fusarius, qui plures refert *dict. quæst.*531. *n.*2. Leoncil. *d. privil.*18. *n.*15. *vers. Declaratur*.

62 De studiis præstandis à patre, qui fideicommissum retinet, an ad id possit alienare bona fideicommissi, disceptatio est. Negarunt plures, quos refert Fusar. *de substit. q.*540. *num.*1. Alii verò justam esse causam alienandi asseruere; nam educatio liberorum ad eandem necessitatem pertinet, prout alimentorum, *cap. Si quis dereliquerit* 14. *distinct.*30. *leg. Si quis à liberis* 5. §. *Non solùm*, *ff. de liber. agnoscend.* Ergo sicut ad alimenta licet bona fideicommissi alienare, similiter ad studia. Menoch. *lib.*4. *præsumpt.*191. *à num.*58. Paleotus *de noth. & spuriis, cap.*47. Fusarius *d. q.*540. *n.*2.

63 Hanc sententiam facilè admittunt plurimi, quando pater instituisset fideicommissum, & jam cœperat studia filio concedere, aut si non ad id cogi poterat. Menoch. *d. præsumpt.* 191. *n.*12. Fusar. *n.*3. Sed hanc sententiam in omnibus descendentibus admitterem, quando fuisset persona adeò gravis, ut manum decenter ad laborem præstare non posset, aut officium exercere: aliàs bona fideicommissi alienanda non sunt.

64 Est tamen advertendum, ut in his casibus, quibus alienatio permittitur, minimè necessitatis limites transgrediatur alienans. Fusarius *d. quæst.*535. *n.*22. Leoncil. *d. privil.* 18. *n.*18. Nec tamen ad alienationem proprietatis transeundum, si fructus fideicommissi ad succurrendam necessitatem sufficiant. Peregrin. *de fideicom. art.*42. *n.*71. Intrigliol. *de substit. cent.*3. *quæst.*73. *n.*318. Castillo *d. cap.*36. *num.*42. Velasco *de privil. pauper.* 1. *part. quæst.*22. *n.*60. In majoratibus an idem procedat, res dubia est, de qua latè Castill. *d. cap.*36. *à n.*56. Sed in Hispanorum primogeniis has alienationes non esse admittendas, communi calculo recipitur, nisi Regia facultate interveniente. Molina *lib.*4. *cap.*6. *n.*25. P. Molina *d. disp.*648. *n.*4. Covarruvias *lib.*3. *variar. cap.*6. *n.*10. Mieres *de majorat.* 4. *part. quæst.*1. *limit.*2.

CAPUT XI.

De legatis piis.

SVMMARIVM.

*Quid sit legatum, & quando dicatur pium, num.*1.

*Legatum pium relictum in minùs solemni testamento, valet, num.*2. *Quod idem asserendum, etiamsi persona profana sit hæres instituta, contra aliquos, à num.*3.

*Legatum pium an peti possit ante aditionem hæreditatis, casu quo adeunda sit, num.*7.

*An legata pia possint peti ante aditionem hæreditatis, à num.*8. *Negant aliqui, sed contrarium tenendum, à n.*11. *& ante confectionem inventarii, num.*12.

*Incertitudo etiam in ultima voluntate vitiat dispositionem, num.*13.

*Sed legatum pium incertum valet, num.*14. *& quid quando legatur Ecclesiæ Parochiali, de qua non constat? Contra Cinum asseritur valere legatum, à num.*15. *Explicatur textus* in l.8. §. Inter duos, ff. de legat.2. *Sed cui Parochiali Ecclesiæ debeatur, tres sunt sententiæ, sed resolvitur à num.*16. *usque ad* 21.

*Si legatum relinquatur Ecclesiæ S. Mariæ, aut Carmelitis, & sint duo Conventus, cui competat, latè differitur, à n.*22.

*Est quæstio, quando legatur Ecclesiæ Parochiali, & testator unam habebat tempore testamenti, & aliam tempore mortis, cui debeatur? ponuntur duæ sententiæ, à n.*25. *resolvitur à num.*27.

*Legata pia capi possunt propria auctoritate, à num.*30.

*De legatis piis non detrahitur Falcidia, à n.*32. *&* 33. *discutitur, an quarta, quæ non detrahitur de legatis piis, sit oneranda profanis? Resolvitur negativè contra aliquos, n.*34.

*Et quid quando causa pia fuerit hæres instituta, & legataria alia causa etiam pia? Aliqui affirmant, alii negant, à n.*35. *&* 36. *resolvitur à n.*37.

*In legatis piis detrahitur quarta canonica, nisi sit ad perpetuum cultum, vel ad Missas, aut ad pauperes, num.*40.

*Detrahitur etiam quarta Parochialis, n.*41. *Sed an detrahatur de legatis Missarum, à n.*42. *Detrahitur etiamsi legatum relinquatur Monasterio ratione loci, non vero personæ: sed non debetur quando relinquitur fabricæ, pro reparatione, aut ornamentis, num.*44.

*Quando causa pia est hæres instituta, & aliqua legata fiunt inutilia, ad causam piam pertinent, non ad hæredes ab intestate, num.*45.

*Si legatum relinquatur cum onere habitandi certo loco, & si non adimpleatur, perveniat ad causam piam, si onus non adimpletur, an transeat ad causam piam, latè disquiritur, à num.*48.

*Legata pia possunt peti adversus hæredes, aut executores testamenti, idque certum, si sint universales, n.*56. *& in causis piis, etiamsi particulares, num.*57.

*An sit necessarium, ut executor testamenti requirat hæredem advendenda bona necessaria ad adimplementum causæ piæ, sunt duæ sententiæ, à n.*59. *resolvitur à n.*61.

*Observent exequutores, ne ad creditum vendant, sed præsente pecunia, & sub hasta, n.*64. *Si tamen hæres statim pecuniam offerat, impediet venditionem, n.*65.

Ad exequenda legata pia competit remedium legis finalis, C. de edict. Div. Adrian. tollend. *non tamen executor valet substituere, nisi in causis piis, num.*66.

1 Legatum communiter definitur, *Donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda*, §. *Legatum, Instit. de legat. l. Legatum* 36. *ff. de legat.*2. *l.*1. *tit.*9. *p.*6. Quod aut est profanum, veluti quando personæ merè profanæ relinquitur; vel pium, si causæ piæ legetur. Barbosa *de univ. jur. lib.*3. *cap.*27. *à n.*2. Trullench *in Decalog. lib.*7. *cap.*18. *dub.*12. *n.*2. Non enim de profano erit noster sermo, sed tantùm de pio, circa quod plura libet disquirere.

2 Et in primis legatum pium relictum in testamento minùs solemni, validum est, & præcisè debetur, *cap. Indicante* 4. *de testam. cap. Cum dilectus* 3. *de success. ab intestat.* Nam ut sæpiùs repetitum est, nulla solemnitas requiritur ad valorem causarum piarum, sed tantùm ut constet de voluntate testatoris, de qua constat in testamento minùs solemni: itaque validum erit legatum pium relictum in minùs solemni testamento. Covarruv. *in cap. Cum esses, de testam. n.*8. Thoro ad Tiraquell. *privil.*2. *vers. Et hoc etiam*, Molina *de justit. tract.*2. *disp.*134. *n.*10. Lessius *eod. tract. lib.*2. *cap.*19. *dub.*2. *n.*2. Thoro *privil.*204. Bossius *dict. tit.*12. §.2. *n.*122. Ezpeleta *de casib. occurr. tract.*12. *resol.*10. *num.*3.

3 Sed est dubium, quando in testamento minùs solemni instituta est persona profana, & aliqua legata pia relicta sunt, an valeant, necne. Prima sententia asserit valida non esse, quia institutio hæredis est caput testamenti, à quo pendet valor legatorum, *l.*1. *ad fin. ff. de vulg. regul. Principalis, ff. de regul. jur.* Cùm ergo institutio in minùs solemni testamento valida non sit, si instituatur persona profana, consequenter legata, quamvis pia, valida non erunt: & alia ratione probatur, quia deficit aditio hæreditatis, sine qua non sustinentur legata, *leg. Si nemo* 142. *ff. de regul. jur.* Ergo nec pia substinebuntur. Denique negat hæc sententia legata pia simile privilegium habere. Salicet. Alexand. Jason, Antonius, & alii relati à Tiraquell. *privil.*80. *n.*3. Benedict. Ægid. *in l.*1. *C. de Sacros. Eccl.* 5. *part.* §.2. *n.*15. *in princ.* dicit veriorem Barbosa *d. cap.*27. *num.*25.

4 Hæc sententia admittenda non est, utpote contraria liberæ facultati disponendi ad causas pias, absque aliquibus juris solemnitatibus: tum legata pia sustinentur absque aliqua hæredis institutione. Molina *d. disp.*134. *n.*6. Rubeus *pract. cap.*54. *n.*244. *& n.*250. & absque aliqua hæredis aditione. Covarruv. *in cap. Raynutius*, §.3. *num.*11. Leoncill. *de privileg. paup.* 2. *part. privil.*212. *verb. Legatum* 11. Gomez *variar. tom.*1. *cap.*12. *num.*11. Rubeus *practicar. cap.*61. *n.*39.

*num.*39. unde fundamenta illius sententiæ dilabuntur.

5 Quapropter assero, in illo testamento pia legata valere, & esse exequenda; nam legata pia non dependent ab aliqua institutione, aut aditione hæredis, sed considerantur per se, independenter ab aliqua juris solemnitate, & a sola voluntate testatoris, de qua constat; etiamsi persona profana sit hæres instituta. Ergo in præsentiarum valida existent, *l.*21. *tit.*1.*p.*6. Rota coram Bubalo *in una Affanaten.nullit.*9.*Maii* 1580. quem refert, & sequitur Rubeus *pract.cap.*60. *a n.*40. Covarr. *in cap. Relatum, de testam. n.*3. Gamma *decis.*380. Peregrin. *de fideicommiss. art.*2. *n.*33. Capon. 4. *tom. discept.* 293. *n.*67. Riccius *collect.*215. *vers. Quartum*, Thoro ad Tiraquell. *privil.*80. *ad fin.* Expefera *d. resol.*10. *n.*3. *vers.*2.

6 De jure Regio Castellæ hæc sententia nullam dubitationem recipit, & absque dubio legata pia sustinentur, quia sustinentur legata independenter ab hæredis institutione, *ex l.*1.*tit.*4.*lib.*5. *Recopilat.* ubi Mathienzo *gloss.*14.*n.*18. Gratianus *reg.*218. Cevallos *comm. quæst.*107. *num.*3.

7 Similiter dubitatur, an legatum pium, casu quo hæreditas sit adeunda, peti valeat ante ejus aditionem. Et ad id præmitto, de jure communi minimè legata deberi, nec valent peti ante aditionem hæreditatis, *l. Si nemo* 9. *ff. de testam. tut. l. Eam quam* 14. *C. de fide.com.* Leoncill. *d. privil.*212. *num.*1. Spino *in specul. testam. gloss.*8. *in princip. num.*19. De jure nostro Regio an id sit admittendum, negarunt Covar. *in cap. Raynaldus, de testam.* §.3. *num.*8. & 11. Cevallos *comm. quæst.*103. *n.*14. Azeved. *in l.*1. *tit.*4. *lib.*5. *Recopilat. n.*136. Affirmarunt Fernandez *in l.*3. *Tauri*, *n.*11. Burgos de Paz *n.*880. Guttierrez *practicarum lib.*2.*q.*31. Mathienzo *in d. leg.*1. *gloss.*14. *ex num.*8.

8 Ex his ergo doctrinis disquirunt DD. an legata pia ante aditionem hæreditatis debeantur. Prima sententia asserit, minimè deberi, nec peti posse; nam legata pia non valent, nisi adita hæreditate, ut videre est in legato libertatis, *l.*2. *C. de testam. manumiss.* ubi libertas relicta in testamento non conceditur, nisi adita hæreditate, *l.*2. *C. Si quis omiss. causa testam. l.*4. *ff. de fideicom. libert.* Ergo legata pia, nisi adita hæreditate non debentur: tenent Salicetus, Fulgosius, Jason, Immola, & alii relati a Fachineo *lib.*6. *contr. cap.*82. Giurba *decis.*97.*n.*13. Vivius *decis.*301.*n.*7.

9 Secunda sententia tenet contrarium; nam licèt de jure dispositum sit, ne debeantur legata, nisi adita hæreditate, id fallit in legatis piis, quæ non pendent ab aditione. Bart. *in l.*1. *C. de Sacros. Eccl. n.*66. Covarruv. *in cap. Raynaldus*, §.3. *n.*2. Fachineus *d. cap.*82. *in fin.* Marta *decis.*41. *n.*7. Riccius *d. collect.*215. *vers. Debentur*, & alii quamplurimi apud Pasqualig. *de Sacrif. Miss. quæst.*983. *n.*3. Barbosa *d. cap.*27. *n.*82. Rubeus *cap.*6. *n.*16.

10 Tertia sententia est Cevallos *quæst.*107. *n.*3. asserentis de jure nostro Regio, absque aditione hæreditatis legata pia posse peti, secus de jure communi; nam de jure Regio non est necessaria aditio, prout de jure communi.

11 De hoc dubio scripsimus *lib.*1. *cap.*6. *a n.*39. ubi asseruimus cum multis, omnia pia contenta in testamento, valere absque aditione hæreditatis. Inquirimus nunc, an expectanda sit aditio hæreditatis, casu quo hæreditas adiri valeat, aut repudiari, ut legatum debeatur, & insimul petatur: Et asserendum, nec de jure communi, nec Regio id expectandum, sed statim peti valere; nam quando relinquitur legatum pium concernens utilitatem animæ, statim transit dominium ad causam piam à morte testatoris. Rota apud Seraph. *decis.*1394. ut quamprimùm anima ejus salva fiat, & à cruciatu Purgatorii liberetur: itaque mens ejus est, ut statim debeatur, & peti valeat, etiam hæreditate jacente; nec expectanda est aditio, aut repudiatio hæredis. Cæterùm illa est concors DD. sententia, ut quoties dilatio urgeret in animæ præjudicium, solvantur statim pia legata, non expectata hæredis aditione. Ausrerius *ad Capell. Tolos. decis.* 89. *vers. Limita nisi.* Gamma *decis.*308. *n.*2. Vivius *dec.*307. *num.*3. Gratianus *Discept. Forens. cap.*62. *n.*23. Sed hæc ratio currit in quolibet legato pio, nisi ipse testator temporis dilationem assignaverit. Ergo quodlibet legatum pium statim à morte testatoris debetur, & peti valet, non expectata hæreditatis aditione, ad quod competunt illæ actiones, de quibus scripsimus *d. cap.*6. *à num.*41.

12 Ex his equidem rationibus sequitur asserendum, legata pia posse peti ante confectionem inventarii, ut tenent Cevallos *comm. quæst.*103. *num.*20. Rota 2. *part. recent. decis.* 773. *num.*7. Tiraquell. *privileg.*24. *vers. Quia res*, ubi Riccius, & Thorus. Valenzuela *cons.*10. *n.*12. Rubeus *pract. cap.*62. *num.*81. Vasquez *in opuscul. de testament. cap.*8. §. 5. Pasqualigus *quæst.*985.

Cæterùm de incertitudine legatorum piorum agendum 13 est, quæ quidem evenire valet respectu quantitatis, aut rei legatæ, aut personæ cui relinquitur. Incertitudo enim vitiat dispositionem, etiamsi sit in ultima voluntate, §. *Incertis*, *Inst. de legat. l. Titia cum testamentum* 35. *ff. de legat.*2. *l.*9. *tit.*9. *par.*6. Mantic. *de conject. lib.*6. *tit.*3. *n.*36. Pichard. *princip. Inst. de verb. obligat. a n.*17. Idcircò legata incertitudinem continentia irrita sunt, *leg. Si sic legatum* 75. §.1. *ff. de leg.*1. Gomez *to.*2. *variar. cap.*11. *n.*7. & nupertimè relati.

Ab hac tamen regula excipitur legatum pium, *l. Id quod* 14 *pauperibus* 24. *l. Nulli* 28. *C. de Episc. & Clericis*, *c. Cum tibi* 13. *de testam.* nam si adsit incertitudo ex parte quantitatis, regulatur ex patrimonio, & dignitate testatoris? si vero incertitudo sit cui leget, arbitrio executorum, aut Episcopi relinquitur. Guttierrez *de juram.* 1. *par. cap.*64. *n.*10. Lara *de Anniverf. lib.*1. *cap.*10. *n.*97. Parlador. *lib.*2. *quot. cap.*3. *n.*31. Gratianus *Discept. Forens. cap.*534. *n.*16. Quapropter incertitudo non vitiat legatum pium, quin potius validum existit. Tiraquell. *privil.*55. Barbosa *in l.*1. *ff. de solut.* 3. *par. ex n.*45. Augustinus Barbosa *d. lib.*3. *cap.*27. *n.*90. Rubeus *pract. cap.*79. *a n.*1. Covarr. *in cap. Indicante, de testam. n.*2. Sanchez *cons. lib.*4. *cap.*2. *dub.*8. *num.*1. Molfesius *in Summ. tom.*2. *tract.*13. *cap.*5. *n.*177. Pasqualigius *de Sacrif. Missæ*, *quæst.*995. *per tot.* Vasquez *d.* §.5. *dub.*1. *n.*98. Thoro *privil.* 247. Bossius *d. tit.*12. §.2. *num.*82.

Ex hac verissima doctrina aliqua sunt examinanda, & in 15 primis doctrina Cini *in l.*1. *C. de Sacros. Eccl. n.*8. asserentis legatum relictum Parochiali Ecclesiæ, si non constet de qua senserat testator, minimè valere, *ex l. Si quis* 8. §. *Si inter duos*, *ff. de legat.*2. qui quidem textus ad rem non est, quia loquitur de legato profano, ut scripsit Rubeus *pract. cap.*79. *num.*417. Verùm considero in specie illius textus validum esse legatum. Testator legaverat Titio, cùm tamen duos Titios habuisset amicos, & ejusdem benevolentiæ: quærebatur cui eorum legatum erat solvendum? Et respondet Consultus, electionem hæredi competere cui solvere debeat, qui tamen se obliget ad illum defendendum. Quo quidem casu apparet, legatum validum esse: & ratio est, nam in legatis profanis incertitudo vitiat dispositionem, quia procedunt à mera liberalitate, & benevolentia testatoris: & cùm non constet circa quam personam benevolus se gerat testator, evanescit legatum. Pasqualig. *de Sacrif. Missa, q.*996. *n.*2. Ast *in d.* §. *Inter duos*, constat de benevolentia, cùm ambo Titii amici fuerint testatoris. Quapropter validum est legatum, poteritque unus alteri jus cedere, aut inter eos dividi legatum. Sarmiento *in d.* §. *Si inter duos*, *n.*4. Molina *de just. tract.*2. *disp.*197. *n.*2. ex quibus constat, validum fuisse legatum. Nec pro Cino militare textum illum, sed contra, probat Thoro *privil.*27. *in fin.*

Quamobrem si Parochiali relictum fuerit legatum, & 16 ubi habet domicilium, sit Ecclesia Parochialis, illi debetur. *Auth. de Ecclesiasticis tit.* §. *Si quis in nomine.* Riccius *ad Tiraquellum d. privil.* 55. & alibi dicemus. Erit tamen dissensio, quando ibi nulla sit Parochialis, sed inter alias dubitaretur. Prima sententia asserit electionem competere executoribus testamenti, aut si hi deficiant, arbitrio Episcopi esse definiendum, idque illis committi ex tacita voluntate testatoris, quando ipse Parochialem non designavit. Gamma *decis.*185. Lara *de Anniverf. lib.*1. *cap.*10. *num.*97. Alphonsus de Leon *de offic. Capell. quæst.*5. *sect.*2. *num.*26. Rubeus *pract. cap.*79. *n.*419. Barbosa *dict. cap.*27. *num.*93. Sanchez *dict. dub.*8. *num.*2.

Secunda sententia asserit, inter Parochiales Ecclesias, 17 de quibus dubitatur, dividendum esse legatum, argumento textus *in cap.*2. *vers. Cum ab eo, de sepult. lib.*6. ubi habetur, quod si aliquis habuerit duo domicilia, & in eis duas Parochias, & alibi sepulturam elegerit, portionem canonicam inter illas esse dividendam. Ergo similiter in hac specie. Covaruv. *in d. cap. Indicante*, *n.*2. Sylvester *verb. Legatum* 2. *num.*8. Molina *d. disput.*197. *num.*3. Leon *de offic. Capellan. quæst.*5. *sect.*2. *num.*36. Garcia *in Summ. tract.* 3. *diff.*11. *dub.*3. *num.*3.

Tertia sententia asserit, solvendum esse legatum Ec- 18 clesiæ Parochiali, in qua sepulturam elegerit; nam videtur erga eam majorem habuisse affectionem. Cavalcanus *decis.*57. *part.*3. Cancerius 3. *part. variarum*, *cap.*20. *n.*420.

*num.*120. Mantica *de conject. lib.* 8. *tit.* 6. *num.*6.

19 In hoc dubio dico hanc ultimam sententiam semper esse admittendam, nam quando in aliqua Parochiali testator sepulturam elegerit, aut circa illam affectum demonstraverit, vel quando viveret frequentarat, in dubio recipiet legatum. Riccius *in praxi* 3.*part. resolut.*159. Pasqualig.*q.*1000. *n.*4. Erit verò disceptatio, quando dubium versaretur circa duas Parochiales, quo quidem casu admitto secundam, si non est unde perpendatur voluntas testatoris magis ad unam quàm ad alteram. Est ad id aptissimus textus *in l. Si quis Titio* 17. §.*fin. ff. de legat.*2. ubi si decem uni ex libertis legarentur, nec constet cui certum legatum fuerit, inter omnes distribuuntur. Quod idem dicimus, quando posthumo legaretur, & plures nascerentur, Gomez *t.*1. *variar. cap.*12. *n.*19. Cancerius 3. *part. cap.* 20. *n.*283. & similiter observatur, si centum pro præmio assignarentur primo ingredienti arcem obsessam; nam si plures ingrediantur, centum inter eos distribuuntur. Alciatus *lib.*9. *Parerg. cap.*10. Menchaca *lib.*3. *controv. cap.*92. Ergo similiter dicendum est, quando legatur Parochiali, & duæ Ecclesiæ in dubio concurrunt ad petendum legatum. Cæterùm, nam ut diximus suprà cum Sarmiento & Molina, in simili dubio valet unus alteri cedere, ut percipiat legatum: Ergo si dividatur, ad invicem jura cedere videntur. Ergo, &c.

20 Admitterem tamen sententiam aliorum asserentium, electionem esse executorum, aut Episcopi, quando legatum esset individuum, nec admitteret separationem, utpote si testator jusserit construi Ecclesiam Parochialem, & tamen dubitaretur, quo in loco esset ædificanda, tunc erit electio Episcopi. Sanchez *cons. lib.*6. *cap.*2. *dub.*8. *n.*6. Vasquez *d.* §.5. *dub.*1. *n.*98. aut alio modo, quo separatio fieri non valeat. Et ratio est, nam ex eo quod testator legavit rem individuam, ejus est voluntas, ut uni Parochiali tribueretur, quare in dubio erit electio executorum, seu Episcopi. Rubeus *pract. cap.*79. *num.*428.

21 Sed in hoc dubio non desinas animadvertere, maxima esse consideratione prospiciendum, an ex conjecturis, aut verbis testatoris conjectetur, de qua senserit Parochiali. Cancer. 3. *par. d.cap.*20. *n.*120. Valdes *de eleemosyna* 3. *par. fol.*8. *vers. Quinto quæritur*. Rubeus *cap.*69. *n.*102. Molina *de just. dict. disp.*179. *num.*3.

22 Istinc resolvenda est alia difficultas, an quando relinquitur legatum Ecclesiæ S. Mariæ, aut (verbi gratia) Carmelitis, sintque duæ Ecclesiæ S. Mariæ, aut duo Conventus Carmelitani, cui debeatur? Si enim Ecclesia S. Mariæ sit testatoris Parochia, illi debebitur, ob affectionem quam præsumitur habere Ecclesiæ, ubi Sacramenta recepit, ac denique sepelitur, *d. Auth. de Ecclesiast. tit.* §. *Si quis in nomine, coll.*6. & ibi glossa *verb. Domicilium*. Gomez *in leg.*32. *Tauri*, *n.*4. Benedictus Ægidius *in l.*1. *C. de Sacros. Eccl.* §.1. *à n.*44. Trullench *in Decalog. lib.*7. *cap.*18. *dub.*12. *n.*13. quod ita teneas, si legatum relictum sit Ecclesiæ S. Mariæ: verùm si nulla illius nominis sit in oppido morientis, tunc etiam Ecclesiæ Parochiali illius debebitur legatum. Sanchez *d. dub.*8. *n.*3. Pasqualig. *d. qu.*1000. *n.*2. nisi alibi sepeliatur; nam ibi debebitur legatum. Pasqualig. *n.*3. Molina *de just. tract.*2. *disp.*197. *vers. Quando legatum est pium*. Rota apud Seraphinum *decis.*1149. *num.*8.

23 Si verò Ecclesiæ S. Mariæ non sint Parochiales, nec una ad id pertineat, nec in Conventu aliquo sepeliatur, nec sit aliqua conjectura, unde perpendamus cui legari voluerit, tunc inquiunt pauperiori dandum esse legatum, præsumitur enim testatorem majori necessitati providisse. Tiraquellus *privil.*56. *ad medium*. Gomez *variar. tom.*2. *cap.*11. *n.*8. *vers. Octava conclusio*. Barbosa *de univers. jur. lib.*3. *cap.*27. *n.*91. Thoro *privil.*27.

Sed meliùs existimo dicendum, legatum inter duas Ecclesias S. Mariæ, vel Conventus Carmelitanos dividendum, ex fundamentis *n.*19. perpensis: tenent Covarr. *in d. cap. Indicante*, *n.*2. Miranda *in Manual. Prælat. tom.*1. *quæst.*32. *num.*8. Layman *in Summ. lib.*3. *tract.*5. *cap.*11. *num.*8. *vers. Statuitur*.

24 Si verò testator legatum relinquat Monasterio, simpliciter loquendo, intelligitur de Monasterio patriæ ipsius testatoris. Parisius *vol.*3. *cons.*24. *n.*4. Riccius ad Tiraquellum *privil.*55. *vers. Et relictum*.

25 Cæterùm circa incertitudinem est dubium aliud disquirendum. Si testator legaverit centum Ecclesiæ Parochiali, & unam habebat tempore testamenti, & quia ad aliam transivit, alteram habebat tempore mortis, cui illarum debeatur. Prima sententia dicit deberi Parochiali, ubi mortuus est. Ratio est, quia ex eo quod Parochiam mutavit, nec tamen legatum ademit, videtur ejus esse voluntatem, ut daretur Parochiali, ubi est vita functus. Idque magis adstruitur, quoties legatum tenue fuerit; nam videtur factum fuisse pro onere sepulturæ. Quapropter cùm in alia Parochia moriatur, & ibi sepeliatur, simul legatum transtulisse videtur. Boerius qui alios refert, *decis.*176. *n.*2. Moronius *resp.*69. *num.*13. Rubeus *pract. cap.*69. *num.*130. Pasqualig. *quæst.*1002. *num.*3.

26 Secunda sententia asserit, deberi Parochiali, quam habebat tempore testamenti, quia in declaranda mente testatoris non est respiciendum tempus mortis, sed tempus conditi testamenti, *l. Si ita esset legatum* 7. *ff. de aur. & argent. legat.* Et ratio est, quia testator disponit de sua voluntate, quam habet tempore illo, licèt debeat habere effectum tempore mortis. Et confirmatur; nam relictum cognato, intelligitur de eo qui tempore conditi testamenti erat cognatus, quamvis postea desierit esse, *leg. Si cognatis* 19. *ff. de reb. dub.* ubi Bart. Alex. *lib.*2. *cons.*171. *n.*3. Ergo similiter quando relinquitur Parochiali Ecclesiæ, intelligendum est de illa, quam habebat tempore conditi testamenti. Joan. Andreas, & Dominicus *in cap. Cùm quis*, *de sepult. in* 6. Roman. *in Auth. similiter*, *C. ad l. Falcid. num.*93. Mantica *conject. lib.*8. *tit.*6. *num.*13.

27 In dubio aliquæ sunt faciendæ considerationes. Primò, quando tempore conditi testamenti habitabat in Parochia, in qua per multum temporis audierat divina, & perceperat Sacramenta, & testamento facto ad aliam se contulit: & in hoc casu existimo, legatum deberi Ecclesiæ Parochiali, quam tenebat tempore conditi testamenti: ratio, nam videtur illud reliquisse ob magnam affectionem ad illam, tum quia onera tantæ administrationis habuit, *cap. Cùm quis* 2. *de sepult. in* 6. quare nequit hoc legatum pertinere ad aliam Parochiam, ad quam postea se transtulit: tum alia ratione, nam videtur legasse remunerationis causa, *l. Nec adjecit* 9. *ff. pro soc.* quare ad illam Ecclesiam pertinebit, non ad alteram, ad quam postea se transtulit. Genuensis *in praxi*, *tricen.*14. *quæst.*398.

28 Secundò facienda est consideratio, quando legatum relictum fuerit Ecclesiæ Parochiali, sive exiguum, sive grande sit, & transcendat onus sepulturæ, idque ex aliqua conjectura demonstraverit testator; tunc enim ad Parochiam in qua moritur, etiam transfertur legatum, nam transfertur onus sepulturæ. Boetius *decis.*176. *n.*3. & 4. Mantica *d. tit.*6. *num.*13. *vers. Sed adverte*.

29 Tertiò erit consideratio facienda, quando nullæ fuissent rationes, nec conjecturæ, unde cognoscamus cui Parochiali debeatur: & in hoc casu Parochiali debetur, in qua moritur testator; nam legatum nuda voluntate adimitur, *l.*3. §.*ult. ff. de adimend. legat.* nihilque prohibet ex conjecturata voluntate testatoris, ut existimemus mutatione domicilii, legatum quod uni Ecclesiæ erat relictum, contemplatione alterius intelligi ademptum, & in aliam Ecclesiam translatum. Mantica *d. n.*13. *in fin.* Cæterùm regula illa, ad dispositionem inspiciendum esse tempus testamenti, non semper certa est, quin potius intelligenda quando verba testamenti important legati possessionem, ut *in d. leg. Si ita esset legatum*, ibi: *Vestem meam*; quod inspicit tempus præsens. Pasqualig. *d. quæst.*1002. *n.*5. aut si ex verisimili mente testatoris tempus mortis non contemplaretur, ut *in d. l. Si cognatis*, retorquetur Mantica *d. n.*13. Cùm ergo ex verisimili voluntate testatoris, & ex mutatione domicilii conjecturemus transtulisse legatum ad Ecclesiam, voluit testator non prospicere tempus conditi testamenti, sed mortis: quapropter legatum ad alteram Ecclesiam Parochialem, in qua moritur, pertinebit.

30 Cæterùm in legatis profanis illud scitum est, ut minimè propria auctoritate capi valeant, *l. unic. c. Quorum legat.* ita ut si id faciat legatarius, jus suum deperdat, *leg. Non est dubium* 5. *C. de legat.* Gomez *tom.*1. *variar. cap.*12. *nu.*10. quod intelligunt DD. adita hæreditate, & possessione ab hærede adepta; licèt aliqui etiam admittant hæreditate jacente. Alvarado *de conject. ment. defuncti*, *lib.*2. *cap.*2. §.1. *n.*86. Carpio *de execut. testam. lib.*3. *cap.*3. *à num* 29. Castillo *controv. lib.*1. *cap.*6. *n.*19.

31 In legatis verò piis id non observatur, quin legatarius valet auctoritate sua propria legatum capere. Id probant DD. quia

quia legatum pium non patitur dilationem, ob bonum animæ. Tum quia interdictum illud factum est ratione Falcidiæ, quæ cùm non debeatur in legatis piis, necessaria non est licentia heredis, quin potiùs auctoritate propria capi valent. Ast considero hanc propositionem procedere ex præsumpta voluntate testatoris; quoties enim voluntas illius fuerit, vel expressa, vel præsumpta, ut legatarius propria auctoritate legatum capiat, absq; dubio capere valet, Gomez *d.c.12.n.10.* Gutierrez *in l. Nemo potest, ff. de legat.1. à n.353.* Farinac. *de furt. q.175. n.317.* Riccius ad Tiraquellum, *privileg.45. vers. Limita primò*. Cùm ergo quoties testator legatum pium relinquit, illius mens est, ut legatarius propria auctoritate capiat, ne ob dilationem anima sua detrimentum percipiat, inde est, ut legatarius propria auctoritate capere valeat legatum pium, Tiraquellus *d. privileg.45.* Thoro *in Summa, privil.245.* Surdus *de aliment. tit.8. privil.16. n.4.* Riccius *collect.215. vers. Secundum privilegium*, Medicis *opusc.4. sub n.33.* Molfesius *in Sum. tom.2. tract.13. cap.5. num.181.*

32 In legatis piis minimè quarta Falcidia detrahitur: quarta ista in legatis profanis detrahitur, ut hæres ad adeundam hæreditatem alliciatur, *princip. Inst. de l. Falcid.* Petr. Gregor. *syntag. lib.41. cap.54. n.4.* excipe tamen in legatis piis, *Auth. Similiter, C. ad l. Falcid. Auth. de Eccles. tit. §. Sin autem, collat.9.* quod antea admissum non erat. Ethnici enim Jurisconsulti parum de bono animæ curarunt, usquedum Christiani Imperatores legatis piis hoc privilegium concesserunt, Tiraqu. *privil.26.* ubi Riccius, & Thoro, Marta *de jurisdict. 4.part. cent.2. casu* 180. Riccius *2.p. collect.329. vers. Tertiò in relictis*, Barbosa *de univers. jure, lib.3. c.27. n.84.* Rubeus *pract. c.63. n.183.* Molfes. *d. tract. 13. c.5. n.180.* Grat. *discept. forens. c.481. à n.9.* Cancerius *1.p. c.2. n.12.*

33 Tondutus verò *quest. civil. tom.1. c.73. à n.10.* praxim adducit, ut non detrahatur Falcidia de legatis piis: & in primis inquit legata pia integrè ab hæreditate esse deducenda, & ex aliis legatis quartam ab hærede detrahendam. Sed est dubium, an illa pars quartæ, quæ pro rata erat detrahenda de legatis piis, oneretur legatis profanis taliter ut hæres integram Falcidiam percipiat? Et nonnulli asseruerunt integrè deducendam, ut magis hæres alliciatur ad adeundam hæreditatem, Bart. Castrensis, & alii apud Rubeum *d.c.63. n.180.* Marta *d. casu* 180. *n.7.* Surdus *de aliment. tit. 8. privileg.18. n.2.* & quos refert D. Olea *de cession. jur. tit.4. q.5. n.26.*

34 Ast ex praxi, quam cum Tonduto retulimus, contrarium est tenendum: tum, nam Falcidia pro rata de quolibet legato detrahitur, *l. Hæreditatem 68. §. fin. l. In quantitate 73. §. fin. ff. ad l. Falcid.* Quapropter exceptis legatis piis, de aliis tantùm rata detrahenda est, cùm ad eam tantùm sint obligata. Cæterùm nam hodie Falcidia valet prohiberi à testatore. *Auth. de hæred. & Falcid. §. Si vero expressim*, ubi Bart. & alii recensiti à Mantica *lib.9. conject. tit.13. n.7.* quod factum intelligitur ex præsumpta ejus voluntate pro pio legato, in quo casu integra Falcidia non deducitur, sed tantùm rata de aliis legatis profanis, Mantica *d. tit.13. n.24. & 25.* Curreret autem doctrina aliorum DD. de jure antiquo, quando illam interdicere non poterat testator, & integra deducebatur ob publicam utilitatem testamenti, Gloss. *in d. Auth. Similiter, C. ad l. Falcid.* dicit veriorem Gratianus *discept. forens. c.59. n.6. ad fin.* Rubeus *d. c.63. n.179.* D. Olea *d. q.5. n.24.*

35 Est difficultas non obliviscenda, an id procedat quando Ecclesia est hæres instituta, & alia pia legata relinquerentur? Et plures sensere esse detrahendam Falcidiam, ob vulgare juris proloquium, privilegiatum non uti privilegio contra privilegiatum: plures quos recenset Tiraqu. *privil. 26. n.4.* ubi Riccius, & Thoro, Grassius *§. Falcidia, q.3. n.9.* Mangonius *in decis. Florent. decis.130.* Peregrin. *de fideic. art.28. n.85.* Barbosa *de univ. jur. lib.2. c.11. n.95.* Tondut. *d. q.73. n.13.*

36 Alteri verò tenent contrarium, & rationem dant; nam proloquium illud non procedit, quoties in uno est privilegium generale, & in altero speciale; sed tantum ubi est paritas privilegiorum, *l. Verum 11. §. Sciendum 3. ff. de minorib. l. Assiduis 11. C. qui pot. in pign. habeantur*, Cevallos *qu. 756. n.4.* Castillo *controv. lib.3. c.35. n.27.* In præsentiarum Ecclesia instituta, quæ vult detrahere Falcidiam, utitur privilegio generali, legataria causa pia speciali: quapropter nequit detrahere Falcidiam, refert aliquos Tiraqu. *d. priv. 26. n.5.* Cevallos *com. q.155. à n.1.* Surdus *d. lib.8. privil.18. num.7.*

37 In hoc dubio dico in primis, Ecclesia, vel alia causa pia hærede instituta, legata posse exhaurire totam hæreditatem, aliqua scilicet pia, plurima profana, unde percipi valet Falcidia: unde in hoc casu existimo, ex legatis piis non esse deducendam Falcidiam; nam privilegium ut ex legatis piis non deducatur Falcidia, *d. Auth. Similiter*, fundamentum suscipit in præsumpta voluntate testatoris, qui cùm possit illam prohibere, *Auth. Sed cum testator, Cod. ad leg. Falcid.* Surd. *d. privileg.18. num.10.* Tondutus *dict. quæst.73. num.14.* videtur ob animæ bonum velle ne detrahatur, quin potiùs ut integra legata persolvantur: quando enim causa pia hæres instituta valet ab aliis legatis profanis Falcidiam detrahere, videtur voluisse testatorem, ut illa legata pia absque aliqua deductione integrè solvantur, Confirmatur discursus doctrina Belloni *cons.84. à num.25.* Barbosæ *d. lib.3. c.28. n.84. ad finem*, asserentium filio hærede instituto, ex legatis piis non posse deducere Falcidiam: videtur enim velle pater, ut filius sua legitima contentus, legata illa absque aliqua deductione persolvat: unde dicendum est in præsentiarum voluisse testatorem, Ecclesiam, aut aliam piam causam hæredem institutam, Falcidia legatorum profanorum contentam, altera pia integrè persolvere, absque deductione quartæ.

38 Secundò dico, quod si omnia legata fuerint pia, & causa, aut Ecclesia instituta fuerit magis favorabilis cultui, Religioni, aut animæ, tunc detrahet Falcidiam ex legatis piis, quia tunc privilegium non currit contra privilegiatum, *l. Sed si miles 8. in princip. ff. de excusat. tut.* Novarius *in praxi for. q.21. n.20.* Gratianus *discept. forens. c.561. n.15.* Sfortia *de restitut. 1.part. q.18. art.4. num.52.* Et ita pia causa hæres magis favorabilis Falcidiam percipiet ex aliis legatis piis: tum etiam, quia magis proficua est animæ testatoris, præsumitur id velle testatorem contra alia pia legata.

39 Tertiò dico, quod si æquales sint causæ, tam institutæ, quàm legatariæ, licèt tunc non currat privilegium contra privilegiatum, Gratianus *Marchiæ decis.197. à num.7.* adhuc detrahenda est Falcidia de legatis piis à causa pia instituta; nam ex eo quod testator causam piam hæredem instituit, non eo animo videtur fecisse, ut sub solo onere adeundi, & solvendi id decreverit; sed ut lucrum Falcidiæ perciperet, & ideò semper erit detrahenda, etiam de legatis piis.

40 Prætereà licèt Falcidia non detrahatur de legatis piis, decerpitur tamen canonica portio, quæ Episcopo conceditur ex his, quæ leguntur Ecclesiis, aut aliis piis locis suæ Diœcesis, in recognitionem superioritatis, *cap. Conquerente 16. de offic. Ordinarii, cap. Officii 14. cap. Requisisti 15. de testam.* tenent Zerola *verb. Legatum, n 3.* Lara *de Anniversf. lib.1. cap.25 num.55.* Barbosa *de univ. jur. lib.2. cap.19. à n.2.* quod limitat in legato respiciente perpetuum cultum, & anniversarium, ipse Lara *d. num.55.* & idem asserendum in legatis Missarum, *cap. fin. de testament.* ut contra aliquos resolvit Pasqualigus *de Sacrif. Missa, quæst.1034.* & in legatis pauperum similiter dicendum, Tiraqu. *privil.28.* Medicis *opusc.4. num.5.* Barb. *in collect. ad textum in l.37. C. de Episc. & Cleric. num.13.* congerit Thoro ad Tiraquell. *privileg.28.*

41 De quarta funerali similiter disquirendum, an detrahenda sit ex legatis piis? Est enim quarta funeralis, quæ Parochiali debetur, quando alibi Parochianus elegerit sepulturam; tunc enim ne fraudetur juribus suis, ex onere administrandi Sacramenta, & Parochianos sepeliendi, quarta Parochiali debetur, aut alia pars consuetudine introducta, *cap. Relatum 2. cap. Certificari 9. de sepult. Clement. dudum, eod. tit.* Novarius *quæst. for. tom.2. quæst.22. n.8.* Riccius *in praxi, 4.part. resol.299.* Azorius *Inst. mor. 2.part. lib.9. cap.12.* Bonacina *de contract. disp.3. q.22. punct. 2. à num.1.*

42 In hac ergo disquisitione, si legatum Missarum relinquatur, aliqui deberi negarunt: sed tamen alteri in contrariam sententiam coalescunt, ut latè Pasqualig. *de Sacrif. Missa, q.1035.* Ratio est, nam legatum istud est causa, & occasione funeris, quapropter quarta debebitur Parochiali, nisi aliter consuetudo obtinuerit, Glos. *in d. Clement. dudum, §. Verùm, de sepult. verb. Funeralibus*, Sylvest. *verb. Canonica*

portio, *n.9.* Leon *de offic. Capel. d. sect.8. n.117.* Pasqualig. *d. q.1035. n.4.* Molina *de just. tract.2. disp.215. in fine*, Barbosa *de offic. Paroch. 3.part. c.25. n.43.*

43 Verum Pasqualigus nuperrimè allegatus *num.7.* asseruit consuetudine receptum esse, ne de legatis Missarum quarta funeralis detrahatur, prout etiam declaravit, & confirmavit Pius V. 17. Kalendas Julii 1657. Sed in hoc Archiepiscopatu Toletano contrarium observari semper vidi.

44 In aliis verò legatis piis, aut in eo quod jure institutionis relinquitur Monasterio, aut in aliis testamentis piis, in quibus testator sepulturam elegerit, etiamsi exemptum fuerit Monasterium, quarta funeralis debetur, *d. Clement. dudum*, § *Verùm*, Covarr. *in cap. ult. de testam. n.7.* Molina *d. disp.215. n.4.* Barbosa *d. c.25. n.51.* qui animadvertit, hoc esse admittendum, quando ratione loci legatum relinquitur, non verò si ratione personæ: quapropter si aliquid relinquitur Abbati, aut Rectori Ecclesiæ, in qua sepelitur, quarta ex hac parte non debetur, Tuschus *verb. Quarta*, *conclus.29. num.33.* Bonacina *d. punct.2. vers. Primo quartam;* sicut nec hæc quarta debetur de relictis pro Fabrica Ecclesiæ, quando indiget reparatione, aut quando aliquid relinquitur pro ornamentis, cereis, & luminaribus, Covarr. *d. cap. fin. n.8.* Barbosa *d. c.25. num.52.* Bonac. *vers. Dixi in propositione*.

45 Est dubium breviter resolvendum, an quando causa pia est instituta, & aliqua legata facta in eodem testamento inutilia fiant, ad hæredes ab intestato perveniant, an ad causam piam? Et Tiraqu. *privil.80. n.2. ad finem*, asserit legata illa ad hæredes ab intestato perventura, *ex l. Mulieri, & Titio 74. ff. de condit. & demonstr.*

46 Sed textus ille sententiam Tiraquelli non probat; nam in illa specie legatum relictum erat mulieri, & Titio sub conditione, si non nupserit, quæ quidem conditio respectu mulieris pro non scripta habetur; quin potiùs si nupserit, beneficio legis perinde est ac si conditioni pareret, *l. Sed si hac 62. §. fin. ff. de condit. & demonstr. l.1. C. de indict. vidu. tollend.* Respectu tamen Titii valet, *ex d. l.1.* quapropter deficit pars Titii in legato, quæ quidem non accrescit mulieri; & ratio est, nam mulier partem legati percipit beneficio legis, quapropter cùm non percipiat ex voluntate testatoris, non datur locus accrescendi, ut ibi Gloss. & communiter dicunt Scribentes. Illinc non probatur assumptum, quia nihil Consultus scripsit, cui pars illa legati competat, sive hæredi instituto, sive hæredibus ab intestato.

47 Quapropter in præsentiarum assero, legata inutilia ad causam piam institutam pertinere, *ex l. Hac consultissima 21. §. Ex imperfecto, Cod. de testam.* ubi testamentum imperfectum factum inter liberos sustinetur; si tamen inter eos alicui personæ extraneæ legetur, id non valet, verùm filiis accrescit: quod idem dicendum est quando causa pia fuerit instituta. Cæterùm ratione probatur, nam quoties est locus ex testamento, non datur locus ab intestato, *leg. Quamdiu 39. ff. de acquir. hæreditate*, *l. Quamdiu 89. ff. de Reg. jur.* Ergo cùm causa pia sit instituta, legata inutilia ad eam pertinebunt, non autem ad hæredes ab intestato, Magdalenus *de num. testium*, *2. part. cap.7. num.26.* Gratian. *discept. forens. c.605. n.52.* Thoro *in Sum. privil.201.*

48 Prætereà examinanda est doctrina Thori *privil.171.* ubi asserit, quod si aliquis reliquerit legatum eo modo, vel conditione adjecta, ut in certo loco habitet, aliàs legatum statim transeat ad causam piam, si non adimpleverit, statim transire legatum ad illam: & suam sententiam comprobat, nam duobus modis potest hoc onus imponi: imprimis per modum obligationis, & tunc nequit imponi, quia est species servitutis, *l. Titio centum 71. §. Titio centum 2. ff. de condit. & demonstr.* Si verò ponatur per modum conditionis, aut modi, quo spe lucri allicitur ad habitandum in certo loco, tunc talis dispositio tenet; nam legatarius relinquitur in sua libertate, ita ut si commodum velit percipere, conditionem illam admittat, Costa *Select. lib. 2. c.19. n.5.* Ergo si non adimpleat, statim legatum ad causam piam transit, Gloss. *in d. §. Titio centum*, ubi Bart. dicit veram. Cæterùm licèt conditio ista infringeret libertatem, cùm tamen liber pro pretio in servitutem se redigere valeat, cùm ad illud participandum se venundari passus est, *l.1.* cum aliis, *ff. de stat. homin. l. Imo 16. ff. de liberal. caus. l. Si ministerium 16. C. eod. tit.* ideò liber homo speciei servitutis se subjicere valet spe lucri.

Hæc fundamenta non satis probant suam sententiam; 49
quin potius eis non difficilè respondetur; nam legatum, sive habeat habitationem in certo loco per modum obligationis, sive conditionis, pro non scripto habetur, ut probatur *in d. §. Titio centum*, quem textum communiter intelligunt DD. etiam in causa appositæ conditionis. Ratio est, nam utroque modo infringitur libertas legatarii contra publicam utilitatem, *l. Hoc modo 64. ff. de condit. & demonstrat. l. Imperatores, §. fin. ff. de pollicit.* quapropter similes conditiones pro non scriptis habentur, veluti illa, *si non nupserit*, quæ non valet, tanquam damnosa publicæ utilitati, ut dixi *n.46.* Gomez *in l.14. Tauri, n.8.* itaque quolibet modo apponatur onus habitandi in certo loco, pro non scripto habebitur, & legatarius percipiet legatum, Sanchez *lib.1. de matrim. disp.40. num. fin.* Amaya *observat. lib.1. c.6. n.4.* Lara *de Anniversariis, lib.2. c.8. à n.58.* Gomez *tom.2. var. c.10. n.24* qui id extendit etiamsi spe lucri onus illud apponatur; quia in effectu infringit libertatem illius, qui ut liber valet vivere ubi voluerit, *leg.2. ff. de lib. hom. exhibend.* Iranzo *de protest. in apparat. n.106.*

Nec aliud fundamentum majoris est ponderis; nam licèt 50
olim servi efficerentur, qui non ignari suæ conditionis ad pretium participandum se venundari passi sunt, *§. Servi, Inst. de jur. person.* Osuald. ad Donellum *lib.2. comm. c.17. à num.1.* illud procedebat in odium illius, qui ad participandum pretium vendi patiebatur, & ne aliàs ignorans suam conditionem pretio defraudaretur; aliàs nunquam Romani permiserunt, ut pacto, aut venditione homines liberi à se libertatem excuterent, *leg. Liberis 7. §. Si quis sciens, l. Qui sciens 33. leg. Conventio 37. ff. de liber. causa*, *l. Liberos 10. C. eod. tit.* quare nec ex voluntate legatarii pretio allecti valet testator liber[tat]em illius infringere, Amaya *d. c.6. n.26.*

In hoc ergo dubio considero, posse testatorem hanc 51
conditionem imponere legato ob aliquam causam, quæ prospiciat alterius interesse, & utilitatem, utputà quando in majoratu apponeretur eo fine, ut familia in illo loco conservaretur ad illius splendorem, quo casu observanda est, Mieres *de majorat. 1. part. qu.57. per tot.* & in melioratione tertii, & quinti, Azevedus *in l.11. tit.6. lib.5. Recopilat. n.22.* Sanchez *d. lib.1. disp.40. n.3.* & quando residentia in certo loco afficitur Capellanus ad servitium Capellaniæ ob bonum animæ, Lara *d. c.8. n.67.* quibus quidem casibus cùm subsit causa, onus illud validum est, Gomez *d. cap.10. num.24. versic. Item etiam, ad finem*, Cancerius *3. part. variarum, c.7. n.6.* Itaque si non observaretur conditio, aut onus illud, statim ad causam piam transiret legatum.

Idem dicendum, si legatum relinqueretur, dum perso- 52
na illa in loco certo moraretur, aut habitaret; tunc enim est annuum legatum, relicta libertate legatarii, ut se transferat ubi voluerit: quo in sensu intelligendus est textus *in l. Qui concubinam 23. aliàs l. Qui quatuor 30. §. Uxori, ff. de legat.3* & ita valet, & retinet legatum per tempus, quo ibi habitaverit, ut cum Costa tenet Amaya *d. c.6. num.32.* Gomez *d. n.24. versic. Item etiam*, licèt non clarè se expediat: unde si alibi se transferat, statim legatum ad causam piam perveniet.

Erit ergo dubium, quando nulla subesset causa habitan- 53
di: & videtur conditionem illam pro non scripta haberi, quare etiamsi non habitaverit, legatum ad causam piam non transibit: & ratio est, nam in hoc onere non solùm vulneratur libertas privati, sed etiam causa publica libertatis; interest enim Reipublicæ liberos cives habere, *l. Si quis rogatus 52. ff. de fideicommiss. lib.* Amaya *dict. cap.6. num.3.* Causæ vero piæ non favetur, si damnum tertii interveniat, aut aliqua injustitia, Thoro *privileg.157. versic.4. & 5.* Ergo minime conditio illa habebitur pro scripta, ut si non adimpleatur, legatum ad causam piam perveniat.

Sed teneo contrarium; nam quando concurrunt duæ 54
causæ publicæ, illa prævalet, quæ potior est; sed favor publicus religionis causæ piæ potior est, quàm libertatis privatæ habitandi hic, aut alio loco, ut patet. Ergo quando causa pia est substituta in legato, conditio illa habitandi in certo loco pro non scripta habebitur, quæ si non adimpleatur, legatum transibit ad causam piam. Confirmo discursum ex decisione text. *in l. Titio usus fructus 96. §.1. ff. de condit. & demonst.* ubi ususfructus servi relictus est mulieri,

dum

dum vidua fuerit; si tamen nupsisset, libertas servo dabatur: quærebatur si mulier nupsisset, an libertas competeret? Ratio dubitandi erat conditio nuptias impediens, quæ pro non scripta habetur in ultimis voluntatibus, & legatum valet, *l. Quoties* 22. *l. Cum tale* 71. §. *Mævia*, *ff. de condit. & demonstr.* Molina *de primog. lib.*2.*c.*12.*n.*36. Sanchez *de matr. lib.*1.*disp.*34.*n.*3. Capponi *tom.*3.*disc.*205.*n.* 61. Itaque si mulier nupsisset, legatum usufructus valere videbatur, nec libertas competebat. Sed contrarium respondet Consultus: *Quia potior est legata libertas.* Ergo similiter dicendum est in nostro casu, minimè illam conditionem pro non scripta haberi, quin pro scripta; quia major est favor causæ piæ, & religionis illius, quàm favor libertatis habitandi, sive in illo, aut altero loco.

55 Cæterùm alia ratione probatur; nam illa conditio, ne nubat, quando substituta est causa pia, pro non scripta habetur; quia major est favor Religionis, quàm matrimonii, etiamsi virgini apponatur: quapropter si nubat, legatum transit ad causam piam, Tiraqu. *privileg.* 18. Mantica *de conject. lib.*11.*tit.*18. *n.*9. Sanchez *de matrim. lib.*1. *disp.*34.*n.*34. Guttierez *de matr. c.*21.*n.*36. Capponi *d. discept.*205.*n.*63. Ergo pariter dices in nostro casu, cùm adsit major favor religionis causæ piæ, quàm libertatis habitandi ubi voluerit, quæ minoris ponderis est, Gratianus *March. decis.*187.*n.*13.

56 Legata pia, quæ in testamento relinquuntur, adversùs hæredes peti possunt, aut adversùs exequutores testamenti: isti autem, aut sunt universales, aut particulares. Adversùs universales certum est peti posse, sicut & ipsi habent actiones ad petendum; exercent enim actiones activas, & passivas: nam ex eo, quod distributio totius hæreditatis eis conceditur, similiter hæ actiones, ut rectè adimpleatur voluntas testatoris, Spino *de testam. gloss.*28. *n.*29. Mascardus *de probat. conclus.*929.*n.*8. Parlador. *lib.*2. *quot. cap. fin.* 4.*part.* §. 2.*n.*3. Gomez *var. tom.*1.*cap.*12.*n.*12. Carpio *de execut. testam. lib.*3.*cap.*8.*n.*12. & 13. Novar. *de incert. privileg.*37.

57 Exequutores verò particulares, qui non dati sunt ad distribuendam totam hæreditatem, sed tantùm ad exequenda quæ continentur in testamento, de jure conveniri possunt pro legatis, non tamen possunt propria auctoritate capere bona, & vendere ad solvenda legata, nisi facultas data fuerit à testatore, Gomez *d. n.*12. Guttierez *allegat.*1.*n.*20. Carpio *de execut. lib.*3.*c.*3.*n.*17.

58 Sed quando legata sunt pia, contrarium dicendum est; possunt enim conveniri, & bona vendere, & debita petere ad illa solvenda, *l.*4.*tit.*10.*part.*6. plures Carpio *d. lib.*3. *cap.*8.*n.*4. Et ratio est; nam cùm ipsa legata debeantur absque hæreditatis aditione independenter ab hærede, Peralta *in l. Omnia*, *ff. de legat.*2.*n.*3. Carpio *d. lib.*3.*cap.*3. *num.*9. Sanchez *cons. lib.*4.*cap.*1.*dub.*46.*num.*17. videtur hanc facultatem datam ei fuisse à testatore, Matienzo *in leg.*14. *tit.*4. *lib.*5.*gloss.*1.*num.*32. Diana 8.*part. tract.*5. *resolut.*38. *in fine*.

59 Idem dicendum, si adita sit hæreditas, ob rationem prædictam: est tamen difficultas, an si ad solvenda legata pia adita hæreditate, vel antea, necessarium fuerit bona aliqua vendere, necesse sit requirere hæredem? Et aliqui, quos refert Novarius *de privileg. miserabil. person. privil.* 116.*n.*2. affirmant, & probari poterit; nam hæc requisitio necessaria est, ut hæredes possint offerre pecuniam ad solvenda illa legata, & ne in bonis damnum percipiant, ut tradunt plures relati à Carpio *lib.*3.*c.*3.*n.*11. quod idem observandum est in legatis piis, quorum favor non se extendit in damnum tertii, Craveta *cons.*303.*n.*6. Neguſ. *in Sylva respons. q.*492.*n.*39. Præterea adduco doctrinam Gomezii, quæ asserit hanc requisitionem esse necessariam (loquitur de jure nostro Regio) ex quo aditio hæreditatis non est necessaria ad solvenda legata, ut ex veriori sententia tradit Sanchez *d. dub.*46.*n.*17. quæ quidem ratio currit in legatis piis: Ergo similiter necessarium est requirere hæredem, etiam ad solvenda legata pia.

60 Sed contrarium tenent alteri; nam in legatis piis celeris executio desideratur independenter ab hærede. Ergo cùm nec aditio sit exspectanda, similiter nec necessarium requirere hæredem ad vendendum bona necessaria ad exequenda legata pia. Cæterùm nullum præjudicium infertur hæredibus; nam si executor malè vendiderit, aut minori pretio, ad interesse tenetur, Alex. *vol.*1. *cons.*215. *num.*10 estque textus *in l.*49.*tit.*13.*part.*5. Donellus *de pign. cap. de distract. pign. ad med.* Molina *de just. tract.*2. *disp.*583. *n.*6. Ergo non est necessarium requirere hæredes ad vendenda bona, ut solvantur, aut exequantur legata pia, Novarius *d. privil.*116. Tuschus *litt. E*, *concl.*528. *n.*9. & *conclus.*542. Spino *de testam. glos.*28.*n.*30. & 31. Thoro *privil.*170. L. concill. *part.*2. *privil.*138.*n.*4.

61 In hoc dubio animadverto, duobus modis posse procedere executorem ad adimplenda legata pia, vendendo bona. Primò quando testator deputaverit bona ad illa adimplenda: & in hoc casu existimo admittendam esse procul dubio hanc secundam sententiam, & in eo sensu loquitur Thoro *d. priv.*170. Ratio, nam ex eo quod testator illa bona designaverit ad adimplenda legata pia, eo ipso videtur dedisse licentiam ad ea vendenda ipsi exequutori: itaque non indiget requirere hæredes. Erit ergo difficultas in aliis bonis ad id non deputatis, verùm necessaria est eorum venditio ad exequenda legata pia: in quo quidem casu dubitari poterunt duo. Primò, an non requisitis hæredibus valeat venditio. Secundò, an requirere sit præcisè, non ad valorem, sed ut rectè fiat, ad effectum ut si hæres vellet offerre pecuniam, id faciat.

62 Et quoad primum gravissima quæstio est, an sit nulla venditio bonorum hæreditatis, irrequisito hærede facta ab exequutore, de qua pluribus pro utraque adductis differit Carpio *d. lib.*3.*cap.*3.*n.*11. Resolvit tamen validam esse venditionem, quia actus requirendi solùm est necessarius ad translationem dominii, & possessionis rei venditæ, quando ab hærede possidetur, aut ad agnoscendam bonam fidem, *ex leg. Creditor* 2. *C. de distract. pign. l.*1. *C. de vendit. pign.* Gratianus qui benè explicat, *discept. tom.*2. *cap.* 329. *à num.*27. quam doctrinam majori ratione admitto, quando bona venduntur ad exequenda legata pia.

63 Quoad secundam difficultatem assero, necessarium non esse requirere hæredem ad vendenda bona pro exequendis legatis piis: idque probo ex eo, nam de jure nostro Regio id non est necessarium, quia non est necessaria aditio hæreditatis, Matienzo *d. glos.*1.*n.*26. Carpio *d. cap.*3. *n.*11. *in fin.* Sanchez *d. dub.*46.*num.*21. Ergo cùm in legatis piis nulla requiratur aditio, per consequens nec hæredis citatio, seu requisitio. Erit verò aliqua difficultas, si hæres bona illa possedisset, ad translationem possessionis, & dominii: quo quidem casu si hæres renuerit ea tradere, ut emptor dominium, & possessionem consequatur, aget ex contractu contra hæredem, & mediante judice utrumque consequetur, ut cum Bald. tenet Matienzo *in d. l.*14.*glos.* 1.*num.*29.

64 Illud tamen executores observent, ut ne ad creditum vendant, sed præsenti pecunia, & sub hasta, ut pia legata exequantur, *l. Si curator*, *ff. de jur. fisc. l. à Divo Pio* 15. §. *Sed si emptor*, *ff. de re judicat.* & in terminis Gratianus *d. tom.*2.*cap.*329.*num.*34. & in aliis executoribus Gutierrez *allegat.*1.*num.*14. Carpio *d. cap.*3.*num.*19. quod extendit Gratianus *num.*35. licèt partem pretii accepisset, & fidem fecisset de minori parte. Illud verò ut certum teneret, si executori commissa sit potestas vendendi cum libera administratione, dummodò bona fide faciat, Gratianus *n.*37. Gutierrez *d. allegat.*1.*n.*15. Carpio *d. cap.*3.*n.*21. Thoro *privileg.*156.

65 Quare si hæres, quando executor bona vendere vult ad exequenda legata pia, pecuniam offerat ad illa explenda statim solvendam, rectè impediet venditionem; nulla enim est causa venditionis, cum pecunia absque dilatione conceditur ad illa adimplenda, prout in aliis causis tenent Matienzo *d. glos.*1.*n.*27. Sanchez *d. dub.*46.*n.*9.

66 Ad exequenda legata pia, ultra facultatem datam à testatore, & quam suprà expendimus, beneficium legis finalis *C. de edict. D. Adrian. tollendo*, legis 3.*tit.*14. *part.*6. legis 3.*tit.*23.*lib.*4. *Recopilat.* competit Episcopo executori testamenti, in quo pauperes sunt instituti: & ratio est, nam licèt remedium hoc competat solùm de jure communi hæredibus institutis, & de jure Regio tantùm consanguineo ab intestato, ut dicunt jura allegata, Bolanos *in Curia*, 2.*part.* §.27.*n.*3. Episcopus tamen in hoc casu, quasi hæres institutus censetur, *l. Si quis ad declinandum* 49. §. *Ubi autem*, *C. de Episcop. & Clericis*, ibi: *Hæredem ei, & jus, & nomen dedimus.* Quod idem dicendum est de executoribus universalibus, qui vicem hæredum gerunt, Genuensis *in praxi, tricen.*20. *q.*586. Farinacius *in repert. ult. volunt. quæst.*68.*n.*34.

Thoro *privil.*159. *ad finem*, qui id extendit ad quemlibet executorem testamenti ad pias causas, prout demonstrat Genuensis *n.*3. *&* 4. quod defensabile videtur ob favorem causæ piæ, quæ ut hæres quotæ hæreditatis valet fingi, cui hoc remedium competit, Fatinacius *n.*23. Sed illud animadverte, quod licet hæc facere possint executores testamentorum, non tamen hanc potestatem possunt aliis committere, seu substituere, ut notatur *in l. Nulli licere* 28. *Cod. de Episcop. & Clerici*, ibi: *Pro conscientia*, Riccius 4.*part. decis. collect.*1201. *vers. Primo*, Barbosa *in d. leg.*28. *n.*14. nisi ad pia legata, Tiraquell. *pract.*17. Leoncill. 2.*part. privileg.*141. *n.*2.

CAPUT XII.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

*An ad consequenda legata pia possit via executiva procedi? & affirmativè respondetur, a n.*1.

*An executio fieri possit ante aditam hæreditatem, disceptatur, à n.*4. *resolvitur, n.*6. *& valet fieri executio diebus feriatis, n.*7. *& est causa mixti fori, n.*8.

*Tempus ad exequenda legata pia si designetur à fundatore, id observetur, n.*9. *alias datur semestre, nisi ex causa ab Episcopo brevietur, n.* 10.

*Semestre currit à die mortis testatoris, n.*11. *& intra illud tempus sunt exequenda, aliàs poterit cogi ab Episcopo, & graviter peccabit executor, n.*12. *&* 13. *Explicatur textu in c.*3. *de testam. n.*14. *Si testator executorem non nominaverit, erunt legata pia exequenda ab herede, n.*15.

*Semestre currit contra impeditos, & ignorantes, impedimento personali, secus reali, n.*16. *& si intra id tempus fuerit executores negligentes, ab utroque judice, sive Ecclesiastico, sive sæcolari possunt compelli, n.*17.

*Si semestre transierit, aut executores mortui fuerint, devolvitur executio ad Episcopum, etiamsi testator contrà disponat, n.*18. *& an requiratur monitio, à n.*19. *resolvitur quod sic, à n.*22. *sed an duæ sint necessariæ, n.*23. *tres sunt sententiæ, & resolvitur, num.*26. *& explicatur textus in Auth. de Ecclesiast. tit. §. Si quis. Sufficiet unica monitio in legatis piis, & profanis, n.*27. *&* 28.

*Si vero Episcopus fuerit negligens, executio devolvitur ad Metropolitanum, n.*30. *explicatur lex* 33. Tauri.

*Executor universalis tenetur facere inventarium, secus particulares, & tenetur reddere rationem, num.*31. *si fuerit Monachus, coram Episcopo reddet; si Episcopus, coram Metropolitano, non coram sæculari, ut alii censuerunt, n.*32.

*Testator nequit remittere rationes, nisi aliquid secretò expendere jusserit, n.*33.

*Legata pia an diminutionem cum aliis legatis admittant, à n.*34 *referuntur tres sententiæ, & resolvitur n.*38. *& quid si omnia legata sunt pia, n.*40.

*An Prælatus possit repudiare legatum factum Ecclesiæ? tres referuntur sententiæ, à num.*41. *Ostenditur in quo stet proposita quæstio, à num.*44. *Resolvitur graviter peccare Prælatum repudiantem, num.*46. *Dantur remedia ad vindicandum seu repetendum legatum repudiatum, à num.*47.

*An id procedat in legatis Missarum, num.*50. *& causæ enumerantur excusantes Prælatum à repudiatione, num.*51. *&* 52.

*An in legatis piis possit fieri transactio absque solemnitatibus, negatur, n.*53.

*Sed quid si testator disposuerit, ut legata alienentur absque solemnitatibus, an sint necessariæ? aliqui negant, n.*54. *sed contrarium defenditur, n.*55. *& explicatur in Monasterio incapaci bonorum, n.*56.

1 CÆterùm disquirere oportet, an legata pia habeant paratam executionem, ita ut via executiva peti valeant? Et ut clarè procedamus, observo legatum pium posse esse speciei: & in hoc casu via executiva non est necessaria, sed missio in possessionem ex præsumpta voluntate testatoris, Glossa *in leg. Hæc si res*, *ff. de rei vindic.* Gomez *var. tom.*1. *cap.*12. *num.*10. Cevallos *comm. quæst.*103. *num.*38. Erit ergo dubium, quando legatum fuisse quantitatis: & asserendum videtur, legatum pium paratam executionem non habere; nam legatariis non competit beneficium legis finalis, *C. de edict. D. Adrian. tollend.* Ergo nec executio: quapropter nec causæ piæ competet, quia propriè legataria est.

2 Ad resolutionem dico, gravem fuisse quæstionem apud Doctores, an legata habeant paratam executionem? Plures negarunt, alii affirmarunt: refer pro utraque opinione Parlador. *lib.*2. *rerum quotid. cap. fin.* 1.*part.* §.9. *à num.*2. Gratianus *discept. forens. tom.*1. *cap.*62. *à n.*16. At illa sententia per consuetudinem invaluit, ut habeant viam executivam, aut per viam confessionis hæredis, qui se hæredem coram judice fassus est, aut quia recognovit legatum; illa enim praxis admittitur, ut mandatum det judex intra certum tempus solvendi legatum, quo facto clausula testamenti, in quo legatum continetur, cum capite, & fine exhibetur, unde prosequitur executio, Parlador. *d.* §.9. *n.*4. Cevallos *d. qu.*103. *n.*41. Pichard. *in manud. ad praxim*, 2.*part. precepto* 5. *num.*15. Paz *in prax.* 4.*part. tom.*1. *cap.*1. *num.*19.

3 Unde patet, legata pia posse via executiva peti, si sint quantitatis; si verò consistant in specie, missio in possessionem petitur, Gratianus *d. cap.*62. *à n.*12. Thoro *privil.* 52. Valenz. *cons.*10. *n.*11. Paz *in praxi*, *tom.*3. *c.*5. §.4. *n.*49. Castillo *lib.*8. *controv. c.*3. *n.*8.

4 Sed est dubium, an hæc executio peti valeat ante aditam hæreditatem in legatis piis? Et Jason, Romanus, Mandosius, & alii abnegarunt, quos refert Gratianus *d. c.*62. *n.*23. Verùm ipse Gratianus nuperrimè allegatus, distinctionem facit inter legata pia, quæ dilationem non patiuntur, ut sunt restitutio usurarum, & sepultura testatoris, quæ relinquuntur pro infirmis, & alimentis; in his enim asserit executionem peti posse ante aditam hæreditatem: secus si dilationem patiantur, quæ nequeunt peti, nisi adita hæreditate.

5 Guttierez *lib.*1. *practic. quæst.*80. *num.*2. *vers. Supradicta*, indistinctè asserit, legata pia posse peti via executiva ante aditam hæreditatem: & ad praxim scripsit, in primis interpellandum esse hæredem, ut intra certum tempus adeat: quo termino finito, si adire renuerit, datur curator bonis, contra quem prosequitur via executiva.

6 Admitto verò doctrinam Gratiani addita explicatione. Non enim quælibet legata pia dilationem patiuntur, sed tantùm illa, quæ ex voluntate testatoris adimplenda sunt à certo tempore, aut quæ sui natura non impleri valent, nisi à tempore certo, ut sunt Anniversaria, quæ anno revoluto à morte testatoris adimplentur, ut dicam suo loco: in aliis verò dilationem habere, non facilè concedendum; nam bonum animæ, quæ fortè in Purgatorio cruciatur, nunquam dilationem sustinet, quare in his facienda est executio, non adita hæreditate.

7 Hæc enim executio fieri valet in diebus festivis, & feriatis; nam in diebus feriatis, & festivis judicium fit in causis piis, Tiraqu. *privil.*156. Cevallos *q.*76. *n.*7. & ita executionem fieri posse diebus festivis, tenent communiter DD. quia fit absque causæ cognitione, Riccius ad Tiraqu. *d. privileg.* 156. *vers. Præterea DD.*

8 Causæ verò piæ pertinent, non solùm ad cognitionem judicis laici, verùm etiam Ecclesiastici, *c. Tua nos* 17. *cap. Joannes* 19. *de testam.* quapropter communiter dicunt Doctores mixti esse fori, itaque dabitur locus præventioni, Tiraquellus *privileg.*149. Marta *de jurisdict.* 2.*part. casu* 10. *num.*12. Bobadilla *in polit. lib.*2. *cap.*17. *num.*104. Guttierez *pract. lib.*1. *q.*48. *n.*2. *&* 3. Castillo *lib.*8. *controv. cap.*6. *n.*9. Molina *de just. tract.*2. *disp.*250. *n.*1. Bossius *d. tit.*12. §.8. *n.*338. quod extendunt etiamsi testator prohibuerit Episcopo, ne ad legata pia exequenda se intromittat: quod admitto facilè, si alius à testatore non fuerit datus executor, ut benè considerat Riccius ad Tiraquell. *d. privil.*149. *in princip.* Molina *de just. tract.*2. *disp.*251. *n.*6.

9 Prætereà investigemus intra quod tempus legata pia sint adimplenda? Et in primis illud est observandum, ut si testator tempus præfinierit, intra quod legata pia adimpleantur, illud est observandum, cùm id totum pendeat à sua voluntate, sicut & aliæ dispositiones, *Authentic. Hoc amplius*, *C. de fideicomm. c. Nos quidem* 3. ubi Covarruv. *num.* 1. *de testament. leg.*6. *tit.*10. *part.*6. Matienzo *in leg.*14. *tit.*4. *lib.*5. *collectan. glos.*1. *n.*36. Castillo *lib.*8. *controv. cap.*7. *n.*19.

Molina *de justit. tract.2. disp.*251. *num.*1. qui asserit, quod si testator disposuerit, ut si executores non possint intra primum terminum præceptum adimplere, intra secundum exequantur, vel tertium, teneri probare illud perficere non potuisse intra primum terminum, ut secundus concedatur, vel tertius, Carpio *de execution. testam. lib.*3. *cap.*1. *n.*2. Villalobos *in Summa*, 2.*part. tract.*30. *diffic.*26. *num.*4.

10 Si verò tempus non designaverit testator ad adimplenda legata profana, anni tempus concessit Jus, *d. Authent. Hoc amplius*, *leg. Nulli* 28. *Cod. de Episcop. & Cleric. cap. Nos quidem* 3. *de testam. d. l.* 6. *par.* Si verò legata sint pia, semestre concessum est. *Authent. de Ecclesiast. tit.* §. *Si autem*, *vers. Si autem legatum*, & notant Doctores communiter *in d. c. Nos quidem*, ubi Covarruv. *n.*6. Matienzo *d. gloss.*1. *num.*58. quod quidem semestre poterit Episcopus restringere, ut cum Petro Gregorio tenet Carpio *d. lib.*3. *c.*1. *num.*16.

11 Est tamen dubium, à quo tempore currat tempus executoribus de jure assignatum, an à tempore mortis testatoris, aut aditionis hæreditatis, de quo latè Carpio *d. lib.*3. *cap.*1. *n.*9. Ast quoad legata pia tempus currit à die mortis: & est ratio, nam in his legatis aditio non est necessaria, quapropter à die mortis semestre decurret, nec aliqua monitio erit necessaria: quam licèt requirat textus *in c. Nos quidem* 3. *de test.* id intelligimus, ut currat pœna contra executorem negligentem, ut ibidem explicat Covarruv. Spino *de testam. gloss.*28. *n.*13. Carpio *d. cap.*1. *n.*11. Pœna verò ista est, ut devolvatur executio ad Episcopum, reddatque rationem administrationis ante tempus, & insimul lucrum ex testamento perdat, Molina *de primog. lib.*2. *c.*14. *n.*13. Barb. *in d. l. Nulli* 28. *n.*25. Castillo *controv. lib.*8. *c.*7. *n.*19.

12 Ast magnopere observandum, jura ista neutiquam terminum hunc constituisse, ut executores pro libito illum acciperent, sed ne excedant tempus adimplendi, ut benè explicat noster Alfonsus *in d. l.* 6. *part. E si embargo tan grande oviessen, porque no lo pudiessen luego cumplir, debense trabajar que lo cumplan en todas guisas, à lo mas tarde hasta un ano despues de la muerte del testador*. Unde sequitur, quod si nulla causa subsistat, ne statim legata pia adimpleantur, à morte testatoris esse adimplenda, ut optimè exprimit textus *in d. l. Nulli*, ibi: *Sine ulla cunctatione*; ut etiam in aliis legatis agnoscimus, *ex l. Cum res* 47. *ff. de legat.* 1. ubi si res legata sit propria testatoris, & hæres copiam illius haberet, statim solvere tenetur: quapropter si executor adimplere renuerit, ab Episcopo cogi poterit, *cap. Si hæredes* 6. *de testam.* Cevall. *comm. opin. quæst.*374. *num.*6. & 7. Azevedus *in l.*7. *tit.*4. *lib.*5. *recopilat. num.*5. Diana 8.*part. tract.*5. *resol.*52. *in princ.* Villalob. *d. diff.*26. *n.*5. Carpio *d. c.*1. *n.*5.

13 Similiter sequitur, Escobar *de utroque foro*, *art.*1. §.3. *num.*50. non benè locutum esse, dum asseruit, peccatum mortale non esse, si executor intra annum adimplere differat legata: quod quidem admittendum non est in legatis profanis, quanto magis in legatis piis; nam non solùm absque causa æs alienum detinetur, quando realiter debetur, invito domino; verùm etiam adest gravissimum damnum animæ legantis, ut rectè contra eum tenet Diana *d. resolut.*52. de Lugo *de justit. tom.*2. *disp.*24. *sect.*11. *n.*296. Villalob. *d. n.*5. Barbos. *in d. l. Nulli*, *n.*26. Molina *de just. tract.* 2. *disp.*251. *n.*8.

14 Sed contrà adest textus *in c. Nos quidem* 3. *de testam.* ubi ad exequendum legatum pium annus conceditur: ergo non statim ac possit adimpleri, est adimplendum. Sed textus iste, licèt aliquos deceperit asserentes, legata pia intra annum esse adimplenda: ast certum est, statim ac possunt exequi, exequenda esse, nec semestre excedere posse, Sanchez *lib.*4. *c.*1. *dub.*51. *num.*3. textus verò ille intelligendum est, quando legatum pium illius sit naturæ, ne intra breve tempus adimpleri valeat, ut communiter asserunt Doctores, Barbosa *de univ. jur. lib.*3. *c.*37. *n.*28.

15 Si verò nullus executor à testatore nominetur ad exequenda legata pia, tunc executio ad hæredem pertinet, quia personam defuncti repræsentat, transeuntque ad illum jura & actiones: quod in legatis piis adservandum scripsit, prout in profanis, cum aliquibus Sanchez *d. c.*1. *dub.*43. *num.*1. nec Episcopus aliquo modo se intromittet, nisi data negligentia hæredis, Covarruv. *in d. c.*3. *n.*8. Molina *de justit. d. disp.*247. *n.*4. Carpio *de execut. testament. lib.*1. *cap.*22. *à n.*7. Sanchez *d. dub.*43. *n.*2. Est textus Regius *in l.*7. *tit.*10. *part.*6. *Esso mesmo seria si acaeciesse que alguno en su testamento no dexasse testamentarios que lo compliessen, que el Obispo en cuyo Obispado acaeciesse, debelo facer cumplir, si el heredero del muerto non lo quisiesse facer.* Idque mentem esse testatoris, quando alium executorem non nominavit, satis cognoscitur, quidquid resistat Leoncill. 2.*part. privil.*144. *n.*2.

16 Est grave dubium, an tempus istud currat executoribus legitimè impeditis, vel ignorantibus? Decertant pro utraque pluries, quos refert Sanchez *dict. lib.*4. *cap.*1. *dub.*51. *à n.*9. Mathienzo *in l.*14. *tit.*4. *lib.*5. *gloss.*1. *n.*51. & 52. Barbosa *de univers. jur. d. c.*27. *n.*38. Sed omnes conveniunt, si legata sint pia, impeditis, & ignorantibus tempus à jure assignatum ad illa adimplenda omninò currere, ne retardetur executio piorum legatorum. Tum quia tempus constitutum favore illius, qui illud constituit, currit impedito, & ignoranti, Gloss. *in cap. Statutum de Præbend. in* 6. Tiraquell. *de retract. lib.*1. §.35. *gloss.*4. *n.*25. Ergo cùm tempus illud designetur favore animæ testatoris, non verò executoris, curret etiam impeditis, & ignorantibus, in legatis piis, Tiraquell. *privileg.*97. Surdus *de aliment. tit.*8. *privileg.*33. *n.*7. Gratian. *discept. forens. cap.*73. *n.*13. & 14. Carpio *d. lib.*3. *c.*1. *n.*22. Quod intelligas de impedimentis personalibus: de realibus verò aliter dicendum est, utputà si Conventus, aut Ecclesia fieri jubeatur, quæ nequeunt eo tempore adimpleri; tunc enim tempus illud non currit, quin potiùs eo transacto, adhuc poterunt executores prosequi, & legata exequi, cùm nulla retardatio ex parte eorum valeat considerari, ut cum aliquibus notat Tiraquell. *d. privileg.*97. Leoncill. *de privil. pauperum*, *part.*2. *privileg.* 145. *verbo Executor* 7. *n.*2.

17 Intra id tempus si negligens fuerit executor, & nec legata pia adimpleat, poterit ab Episcopo compelli ad eorum adimplementum, *d. c. Nos quidem* 3. *cap. Joannes* 14. *de testam. l. Nulli* 28. *C. de Episc. & Cleric.* quod non solùm intelligas quando executores Clerici sunt, sed etiam quando Sæculares, tum jurisdictionis ordinariæ, aut exempti, ut ad longum prosequitur Spino *de testam. gloss.*28. *à n.*20. Barbosa *d. c.*27. *n.*30. quod idem dicendum est de Judicibus Sæcularibus in causis piis, quæ nullam habent spiritualitatem; nam cùm causæ istæ sint mixti fori, etiam poterunt compellere executores, ut legata pia adimpleant, Marta *de jurisdict.* 2.*part. cap.*10. *num.*12. *in fine*, Carpio *de execution. testam. lib.*1. *cap.*21. *num.*2. *vers. Verùm si Speculator*.

18 Si verò tempus, intra quod executores debebant implere legata pia transierit, aut mortui fuerint, devolvitur potestas implendi legata pia ad Episcopum, *d. cap. Nos quidem*, & aliis juribus, quæ recenset Carpio *d. c.*21. *num.*1. Castillo *d. lib.*8. *c.*7. *n.*19. Barbosa *d. c.*27. *num.*34. Quod etiam intelliges si testator dixerit, ne Episcopus se intromittat in legatis piis ab eo relictis; nam tale interdictum non habet locum data negligentia executorum, *Authent. Licèt*, *Cod. de Episcop. & Cleric. Authent. de Ecclesiast. tit.* §. *Si quis autem*, Leoncill. *de privileg. paup.* 2.*part. privileg.* 131. *num.*2. Idemque dicendum si testator dicat, ut etiam negligente hærede, executio non devolvatur ad Episcopum, nullo alio relicto executore; nam tunc ad munus publicum Episcopi pertinet illa adimplere, quod nequit testator auferre, Molina *de justit. d. disput.*251. *n.*6. Verumtamen si alium executorem nominaverit, non ad Episcopum devolutio fit, sed ad alium executorem, Cepola *caut.* 109. *n.*2. Leoncill. *d. privil.*131. *n.*10. Diana 8.*part. tract.*5. *resol.*56.

19 Ut hæc devolutio fiat ad Episcopum, necessaria est monitio, *d. c. Nos quidem* 3. *cap. Tua nobis* 17. ibi: *Monitione præmissa*, *de testam.* Trident. *sess.*25. *de reformat. cap.*8. ibi: *Ab Ordinario moniti*, Benedict. Ægid. *in l.*1. *C. de Sacros. Eccles.* 2.*p.* §.1. *n.*25. Carpio *lib.*1. *c.*21. *n.*21.

20 Istinc duo sunt examinanda. Primum, an semestri transacto in piis legatis, aut anno in profanis, requiratur monitio? Secundum, an sufficiat una monitio, an duæ sunt necessariæ? Et quoad primum, Tellez *in l.*12. *Tauri*, *n.*2. Gregorius *in l.*8. *tit.*10. *part.*6. *verb. Amonestado*, Azeved. *in l.*7. *tit.*4. *lib.*5. *Recopilat. num.*5. scripserunt, executorem duo amittere valere, executionem testamenti, & insimul legatum, aut emolumentum sibi relictum pro onere exe-

executionis: quando enim solùm perdit executionem ob semestris, aut anni transcursum, nulla monitio est necessaria; nam eo ipso, quod per negligentiam intra tempus illud legata pia, aut profana non adimplevit, desinit esse executor: ergo nulla monitio erit necessaria. Tum nam dies interpellat pro homine, *leg. Magnam* 12. *C. de contrah. & commit. stipulat. l. Trajectitia* 23. §. *De illo, de obligat. & act.* Gratian. *tom.4. discept. cap.*666. *n.*26. Quæ regula non solùm admittitur quando dies apponitur ab homine, sed etiam quando à lege, *l.*2. *C. de jur. emphyt. c. Posuit* 4. *de locat.* Pichard. *in tract. de Mora, n.*67. Castillo *controv. lib.*2. *cap.*1. *n.*62. Velascus *de privil. paup.* 1. *part. q.*25. *n.*4. Ergo quando executor per temporis transcursum ab executione tantùm privatur, necessaria non erit monitio, cùm dies ipse interpellat.

21 Secus autem dicunt Doctores isti, quando etiam emolumento, seu legato privatur: tunc enim monitio est necessaria, prout jura requirunt *in l.*8. *tit.*10. *part.*6. Sed hæc doctrina quoad primam partem nequit admitti, ex decisione textus *in d. cap. Nes quidem*, ubi ex transcursu temporis devolvitur executio ad Episcopum, & tamen monitio est necessaria, ibi: *Commone, ut intra annum adimpleat: quod si intra dictum tempus non impleverit, per te impleantur.*

22 Quapropter admitto contrariam sententiam, etiam in legatis piis, de quibus loquitur textus *in d. cap. Noe quidem*, ut monitio sit necessaria etiam in casu devolutionis per temporis transcursum. Cæterùm executor illud habet tempus ad solvenda legata, quando adsit impedimentum, non verò ut desinat esse executor: quin potiùs aliqui Doctores ultra temporis transcursum requirunt sententiam; alteri verò inquiunt minimè cessare officium executoris, nisi simul cum transcursu adsit monitio, quod est probabilius, Sanchez *d. lib.*4. *cap.*1. *dub.*54. *n.*15. Ergo cùm hæc duo requirantur, ut officium executoris ad Episcopum devolvatur, non sufficiet temporis transcursus. Cæterùm dies interpellat pro homine ad constituendum eum in mora, qui aliquid solvere tenetur: sed non ita certum est, cùm aliqui adhuc ultra diem interpellationem requirant, de quo est optima distinctio, quam adducit Castill. *lib.*2. *controv. cap.*1. *n.*64. Ast in præsentiarum tempus appositum est à jure, ut executor adimpleat legata, nec ulteriùs differat; non verò ad privationem executionis, nisi adsit monitio, quo casu dies non interpellat, quin potiùs interpellatio est necessaria, Ferretus *tractat. de Mora, n.*13. itaque ultra transcursum temporis monitio requiritur, Anchar. & Imola *in d. c. Nos quidem*, Covarr. *ibidem, n.*2. Spino *d. glos.*28. *n.*14. & 39. Leoncill. *d.* 2. *part. privil.*131. *n.*11. Molina *d. disp.*251. *n.*2. Sanchez *d. dub.*54. *num.*10. Barbos. *dict. cap.*27. *num.*34.

23 Alterum dubium, an sufficiat unica monitio, an duæ, aut tres requirantur, tres habet sententias. Prima asserit unicam monitionem sufficere; nam jura, quæ illam petunt, in numero singulari loquuntur, *d. c. Nos quidem* 3. *cap. Tua nobis* 17. *de testam. Authent. Hoc amplius, Cod. de fideicomm.* ibi: *Monitus*. Non ergo binæ sunt necessariæ, Menoch. *de arbitrar. casu* 498. *n.*53. Bened. *in c. Raynutius, verb. Si absque liberis* 2. *n.*201. Cened. *ad Decretales, collect.* 114. *n.*3.

24 Secunda duas monitiones requirit, ex decisione text. *in Auth. de Ecclesiast. tit.* §. *Si quis autem*, ibi: *Semel & secundo, collect.*9. *Authent. Licet, C. de Episc. & Cleric.* ibi: *Semel, vel bis*, Molina *d. disp.*251. *n.*2.

25 Tertia sententia fœdere distinctionis alias componere tentat; nam Gregor. *in l.*8. *tit.*10. *part.*6. *verb. Amonestados*, illam affert distinctionem, ut bina monitio sit necessaria in legatis piis, secus in profanis, Covarr. *in c. Si heredes, de testam. n.*2. Abbas *in c. Nos quidem, eodem tit. n.*11. inquiunt unam monitionem sufficere, quando agitur de privando executore post temporis transcursum; secus si ante annum privaretur commodo, & emolumento, quod ob officium executoris ad illum pertineret, quia esset necessaria bina monitio, Barbosa *d. c.*27. *n.*35. distinguit quando agitur solùm de devolvendo officium ad Episcopum, quo casu sufficit unica monitio; secùs si de privando executore suo emolumento.

26 In hoc dubio textus qui illud dubium dedit, est Authentica *de Ecclesiast. tit.* §. *Si quis autem*. Veruntamen duo admittit interpretamenta; ex ejus enim contextura patet, non solùm ibidem agi de privando executore officio executionis, sed etiam emolumento, quod poterat ex testamento percipere: quapropter in hoc casu bina monitio requiritur, ut *in l.*8. *tit.*4. *part.*6. adnotant nostrates. Altera verò interpretatio est, ut intelligatur in legatis piis, quando ante semestre negligens fuerit executor; tunc enim si semel, & iterum ab Episcopo admoneatur, poterit illum privare executoris officio, antequam semestre expectetur, & tunc erit bina monitio necessaria, Surdus *de aliment. tit.*8. *privil.* 32. *n.*9. Leoncill. *d. privil.*131. *n.*3. Carpio *d. lib.*3. *c.*1. *n.*16. Diana 8. *part. tract.*5. *resolut.*53. qui id extendunt etiam ad legata profana, Sanchez *d. dub.*54. *n.*6. unde relinquitur, textum istum minimè probare efficaciter assumptum quæstionis.

27 Idcircò admitto doctrinam aliorum asserentium unicam monitionem sufficere, ut executio devolvatur ad Episcopum in legatis piis: & ratio est, nam causæ piæ non Jure Civili discernuntur, quando Jus Canonicum in casu aliquid decrevit: cùm ergo in præsentiarum Jura Canonica unam monitionem petant, ut deducitur ex juribus supra citatis *n.*19. illa sufficiet, quidquid aliter decreverit Justinianus *in d.* §. *Si quis autem*.

28 In legatis profanis est major difficultas, cùm legibus civilibus regulentur: itaque admittenda videtur dicta Authentica *de Ecclesiasticis tit.* §. *Si quis autem*. Sed textus ille incertus est, cum tantùm in speciali casu loquatur: itaque quod de jure Canonico statutum est, id erit observandum, *cap.*1. *de novi operis nuntiat.* Menochius *de arbitrar. lib.*1. *q.*30. *n.*3. Præcipuè in Castella, ubi in foro sæculari, si desint Jura Regia, ad Jus Canonicum est confugiendum, Morla *in Emporio, part.*1. *tit.*1. *qu.*16. *num.*39. Paz *in praxi, tom.*1. *annot.*5. *n.*39. Azevedus *in l.*5. *tit.*1. *lib.*2. *recopil. num.*6.

29 Quod necessariò admittimus in illa probabili sententia asserente, executionem testamenti, etiam in profanis causam piam censeri, & ad Episcopum pertinere, sicut ad sæcularem ejus executionem, *l. penult.* §. *illo, C. de necess. servit. hered.* Guttierez *in l. Nemo potest, ff. de legat.*1. *n.*308. Molina *d. tract.*2. *disput.*250. *in princip.* Vela *dissert.*14. *n.*46. Azevedus *cons.*20. *n.*1. Barbosa *d. c.*27. *n.*24. & *de offic. Episcopi*, 3. *part. allegat.*82. *n.*15. Diana 8. *part. tract.*5. *resol.*40. & alii recensiti à Carleval. *de judic. lib.*1. *tit.*1. *disput.*1. *qu.*5. *à num.*334. & à Carpio *lib.*1. *de execut. testament. cap.*22. *num.*42. licèt isti duo contrarium veriùs dicant. Quapropter unica monitio erit sufficiens ad devolvendam executionem, ut Episcopus, aut alius competens judex illam exequatur.

30 Si verò Episcopus negligens fuerit in exequendis legatis piis, devolutio fit ad Metropolitanum, ut ejus immediatum superiorem, Spino *de testam. gloss.*28. *n.*42. Ast illud observes, ne decipiaris ab aliquibus Doctoribus (licèt paucis) asserentibus de jure nostro Regio legata pia, & profana exequenda esse intra quatuor menses, *ex l.*33. *Tauri, l.*7. *tit.*4. *lib.*5. *recopilat.* Jura enim ista loquuntur de Commissariis, quibus à testatore datur mandatum, ut pro eo testamentum conficiant, qui illud facere debent intra quatuor menses, qui quidem diversi sunt ab executoribus: nec quod circa illos disponitur, adaptatur istis, Azevedus *in dict. l.*7. *recopilat. n.*4. Mathienzo *gloss.*2. *n.*1. & *gloss.*5. *num.*8. Sanchez *d. lib.*4. *cap.*1. *dub.*51. *num.*2. Carpio *dict. lib.*3. *cap.*1. *à num.*29.

31 Executores isti, qui universales sunt, tenentur inventarium facere, secus particulares, qui ad certam rem dati sunt, sicut nec curator ad litem, aut successor majoratus tenetur aliud facere de rebus particularibus, Carpio *de execut. testament. lib.*3. *c.*10. *à n.*1. sed tamen omnes executores tenentur rationem reddere hæredibus, vel aliis quibus interest, *Authent. de Sanct. Episc.* §. *Oeconomus, l. Nulli* 28. *Cod. de Episc. & Cleric. l.*5. *tit.*10. *part.*6. Petr. Greg. *lib.*42. *syntag. c.*36. *n.*12. Escobar *de ratiocin. cap.*3. *n.*18.

32 Si verò Monachus executor, aut commissarius fuerit, similiter ad rationem reddendam Episcopo tenetur, *Clem.*1. *de testam.* Si verò executor sit Episcopus, rationem tenetur reddere Metropolitano, *d. leg. Nulli* 28. *Cod. de Episc. & Cleric. dict. l.*5. *tit.*10. *part.*6. Spino *dict. gloss.*28. *num.*42. non autem coram Judice Laico poterit Episcopus conveniri pro reddenda ratione, ut non benè censuerunt Molina, & Uvadingus, quos non rectè refellit Diana 8. *part. tract.* 5. *resolut.* 42. Et ratio est, quia ageret contra im-

immunitatem, qui Episcopum coram laico convenitet: nec textus est qui contrarium probet, ut alibi dicemus, & idem dicendum est de Clericis, qui pro ratione reddenda in causa executionis testamenti nequeunt coram laico conveniri, ut contra Escobar scripsit Diana *dict. tract.5.resol.41.* Carpio *de execut. lib.4. c.2. n.8.*

33 Testator verò nequit remittere hanc obligationem reddendi rationem executoribus ipsis, cùm daret occasionem peccandi: Ast clausula illa posita, tantùm scrupulosa redditio remissa censetur, ut cum aliquibus docet Carpio *dict. c.2. n.10.* Limito, nisi quando testator jusserit testamentario aliquid secretò erogare; tunc enim nec rationem reddere tenetur, nec personas declarare, nisi fraudem commiserit, & res apud testamentarium reperiantur, Azevedo *in l. 6. tit.4. lib.5. Recopilat. n.22. & 23.* Sanch. *d. lib.4.c.1.dub.49. n.3.* In legatis piis illud sciendum, utrumque Judicem, tam Sæcularem, quàm Ecclesiasticum, esse competentem ad has exigendas rationes, cùm sint mixti fori, Carpio *dict. cap.2. num.6.*

34 Prætereà de diminutione legatorum piorum agendum est nobis, idque multoties accidit, quando testator ultrà vires patrimonii plura reliquerit legata, cùm homines de facultatibus suis plusquam est sperent, §. *in fraudem, Institut. quibus ex causis manumit.* Lusit ad id Martial.

Argenti libras Marius tibi quinque reliquit:
Cui ipse nil dabas, is tibi verba dedit.

35 Quapropter si casus acciderit, inquirimus, an legata pia diminutionem patiantur? Prima sententia asserit pia legata pro rata diminui, sicut & cætera legata profana; nam quando testator ultra vires patrimonii plura legata reliquerit, ea natura rei hanc diminutione admittunt, *leg. Si vero 18. §.1. ff. de testam. milit.* Gomez *tom.1. variar. c.12. n.34.* qui id extendit etiamsi legatum sit speciei, prout etiam admittunt Escobar *de ratiocin. comput.10. n.9.* Cevall. *commun. quæst.103. n.32.* Cancer. *3.part. variar. cap.20. num.302.* Ergo idem dicendum est in legatis piis. Cæterùm licèt legata pia deducantur ut æs alienum, *l. Si servus 33. ff. ad l. Falcid.* id non intelligitur nisi respectu Falcidiæ, non vero quando æs alienum debetur, aut quando testator plura legata reliquerit ultra vires hæreditatis; idcirco pro rata minuuntur, ut cætera legata, Bartolus *in Authent. Similiter, C. ad l. Falcid.* Escobar *d. comput.10.n.8.* Cancer. *d. cap.20. n.305.* Franchis *decis.136. à n.1.* Parlador. *lib.1. quot. c.18. ex n.3.* Castillo *controvers. lib.4. c.51. n.63.* Leoncill. *de offic. Capell. quæst.5. sect.7. num.80.* Riccius *1.part. decis.221.* Tiraquellus *privileg.72.* Staiban. *cent.2. resol.106. num.94.*

36 Secunda sententia tenet contrarium, ex decisione textus *in l.2. §.2. ff. de privileg. credit.* ubi dos legata minimè diminutionem patitur, comparatione aliorum legatorum: ergo similiter nec aliud legatum pium. Sed textus ille assumptum non probat, quidquid respondere tentet Rub. *pract. c.66. n.196.* quia loquitur de dote à patre legata, quæ intrat locum legitimæ, & ut debitum minimè diminuitur respectu aliorum legatorum. Sed probatur assumptum *ex l.1. §. In quibusdam, ff. si cui plusquam per l. Falcid.* ubi libertates, quæ in testamento relinquuntur, diminutionem comparatione aliorum legatorum non percipiunt, quia causæ piæ favorabiliores existimantur, Gregor. *in l.1. tit.11. part.6.* Idem dicendum de alimentis legatis, Surdus *de alimentis, tit.8. privileg.30.* Castillo *lib.8. controversiarum, cap.9. n.12.* Ergo similiter dicendum est de aliis causis piis. Cæterùm ratione probatur ex voluntate præsumpta testatoris, ut quæ pro suffragio animæ suæ reliquit, præsumatur integrè præstari voluisse. Tenent Castrensis, Oldradus, Barbatia, & alii relati, & sequuti à Rubeo *d. c.66. per tot.* Genuensis *in praxi, tricen. 11. quæst.329.* Leoncill. *de privileg. pauper. 2. part. privileg. 213. verbo Legatum 12. n.3.* Novar. *de privil. miser. person. privil.22. num.4.* Molfei. *cons. 13. n.26.*

37 Tertia sententia est Domini Olea *de cession. jurium tit.4. q.4. n.20.* asserentis absolutè tenendam esse primam sententiam, nisi aliud constiterit de voluntate testatoris, utpotè quando dixerit pro malè ablatis legatum pium relinquere, aut pro exoneratione conscientiæ; quia licèt confessio ista nihil ageret adversus legitimam filiorum; attamen multùm prodest adversus alios legatarios, qui ea liberalitate percipiunt legata: habentque similia legata multa privilegia, Avendan. *de mettn, lib.2. c.1. n.105.* Solorzanus *de jure Indiarum, 2.tom. lib.2. c.14. n.118.* Quapropter hæc legata ex mente testatoris minimè recipient diminutionem; secùs alia, quantumvis pia, Staibanus *dict. resolut.101. num.96.*

In hoc dubio illud in primis animadverto, legata pia diminutionem percipere ad solutionem æris alieni à testatore contracti, non enim in damnum tertii integrè causa pia illa percipiet, Muta *decis. Sicil.58. n.30.* Thoro *privileg. 167. versic. Octavò limitatur:* idque extendendum quando debita fuerint jure naturæ, ut cum Bart. tenet Tiraquellus *privileg.72 in fine,* Staibanus *decis.106. n.98.* 38

Est enim dubium istud exagitandum tantùm comparatione aliarum legatorum, in quibus par est ratio proveniens ex liberalitate legantis: quare maxima consideratione prospicienda est voluntas testatoris; nam licèt causa pia favorabilior sit aliis legatis profanis, non tamen ei est tribuendus major favor, quàm velit testator, ut benè docet Pasqualig. *de Sacrif. Missæ, q.1006. n.2.* unde si simul cum legatis piis propinquis consanguineis alia reliquerit, erga quos similis affectio consideretur, prout in legatis piis, diminutio fiet in omnibus legatis, tam piis, quàm profanis, quia ut scripsit Castillo *lib.4. controv. c.51. n.22.* hæc diminutio in omnibus legatis facienda est, quia præsumitur testatorem ad omnes æqualem habuisse affectionem. Cùm ergo in hac specie adsit æqualis affectio, diminutio fiet in legatis profanis, & piis. 39

Tempero tamen hoc assertum, si causæ piæ sint favorabiliores, utpotè legata Missarum, Pasqualig. *d. q.1006.* & infrà dicemus, quæ diminutionem non admittunt: si verò legata pia concurrant cum legatariis extraneis, aut à longè consanguineis, aut in quibus non consideretur similis affectio, diminutio in piis non est facienda, etiamsi non dicat, *pro malè ablatis,* aut *pro exoneratione conscientiæ;* quia ne diminutio fiat sufficit conjecturata mens testatoris, Surdus *de aliment. tit.8. privileg.30. n.6.* Si tamen illa verba addat, proculdubio diminutio facienda non est, Genuensis *in praxi, tricen.319. n.3.* siquidem legata ista tanquam æs alienum censentur, & potentiora aliis piis legatis, Novar. *de incert. privil.9.* 40

Si verò omnia sint legata pia, diminutio pro rata facienda est; nam cùm par sit affectio testatoris intra communes regulas, diminuenda sunt pro rata, *ex leg. In ratione 11. §. Quod vulgò 5. l. Si post missionem 17. ff. ad l. Falcid. l. Si vero 18. §.1. ff. de testam. milit.* quod in legatis piis tenent Tiraqu. *privil.26. n.4.* Tondut. *1. p. q. civil.73. n.12.* Excipies tamen legatum Missarum, de quo suo loco latè dicemus. 41

Deinde disquirere oportet, an quando legatum relictum est Ecclesiæ, aut Monasterio, possit à Prælato repudiari absque juris solemnitatibus, & consensu Capituli. Prima sententia affirmat, *ex l. Qui autem 6. ff. quæ in fraudem credit.* ubi asserit Consultus, debitorem posse repudiare legatum in fraudem creditorum, licèt suorum bonorum alienatio sit illi interdicta: quapropter licèt Prælatus nequeat Ecclesiæ, aut Monasterii bona alienare, absque consensu Capituli, & aliis solemnitatibus, adhuc legatum illi relictum valet repudiare. Cæterùm alienatio bonorum Ecclesiæ interdicta est absque solemnitatibus, quæ propria est in bonis acquisitis, non in acquirendis, quorum acquisitio in suspenso est donec acceptetur, Pasqual. *quæst.1088. num.2.* ista verò impropria alienatio est, *l. Si quis sponso 5. in fin. ff. de donat. inter.* Ergo rectè Prælatus absque aliqua solemnitate poterit legatum pium relictum Ecclesiæ, seu Monasterio repudiare, Joan. Honor. *in Summa Jur. Canon. tit. de rebus Ecclesiæ, num.27.* Seraph. *dict. privil. jurament. privil.71. num.32.* Mier. *de majorat. 4.part. quæst.23.* Salgad. *in Labyr. 1.part. cap.12. num.16.* & alii suprà recensiti. 42

Secunda sententia contrarium tenet, *ex l. Magis puto 5. §. Si pupillus, vers. Fundum, ff. de rebus eorum,* ubi pupillus nequit repudiare fundum sibi legatum absque Prætoris auctoritate; unde nec poterit Prælatus legatum pium factum Ecclesiæ, aut Monasterio, absque juris solemnitatibus repudiare, cùm argumentum de minori ad Ecclesiam validum sit, Genuensis *in praxi, q.276. n.2.* Mar. Ant. *variar. lib.1. cap. fin. casu 44.* Everard. *in Topic. leg. loc.31.* Prorsus quando legatum est certum, repudiatio ista est quædam alienatio, Gratian. March. *decis.17. n.14.* Quapropter nequit Prælatus repudiare legatum absque solemnitatibus, Berojus *in cap.1. de in integr. rest. num.115.* Menchac. *de success.* 43

progr. lib.3. §.27. n.23. Pinell. de bon. mat. lib.1. part.3. n.103. Genuensis in praxi, tricen.5. q.150. Gratian. discept. forens. cap.674. in fin. Mesa variar. lib.2. cap.41. n.11. Delben. de immun. cap.17. dub.6.

43 Tertia sententia distinguit, ut si Prælatus habeat liberam administrationem, validè repudiet; si verò non habet, sed administrat simul cum Capitulo, minimè valet legatum repudiare. Ratio est, nam quando administrat simul cum Capitulo, se habet tanquam unus de Capitulo, Rota coram Mantic. decis.328. n.2. & apud Per. decis.1332. n.12. quapropter nequit absque Capitulo repudiare legatum pium, Pasqual. d. q.1088. n.7.

44 In hoc dubio supponendum est quæstionem non esse, quando Prælatus non habet administrationem, sed administrat cum Capitulo; tunc enim certum est minimè legatum pium repudiare posse: nam repudiatio est actus administrationis, quam cùm gerere nequeat, valida non erit, ut scripsit Pasqualig. nuperrimè allegatus. Erit ergo quæstio quando Prælatus administrat, verùm non habet facultatem alienandi absque juris solemnitatibus, ut in rebus stabilibus, & præciosioribus Ecclesiæ, quæ nequeunt absque solemnitatibus alienari, de quibus Riccius in prax. for. decis.61. cum aliis multis Gratian. discept. for. tom.3. cap.564. Mantica de tacit. lib.4. tit.7. Gilken. in Authent. Hoc jus, C. de Sacros. Eccles. n.49.

45 Præterea nec erit quæstio quando legatum fuisset inutile, & Ecclesiæ perniciosum, aut quando evidens fuisset utilitas repudiandi legatum: & ratio est, nam tunc ab administratore possunt alienari absque solemnitatibus, Barbosa de univers. jur. lib.3, cap.30. n.15. & 19. Ergo multò meliùs repudiari. Erit ergo difficultas quando legatum fuerit utile Ecclesiæ, in quo sensu inquiunt DD. aliqui, posse repudiando nocere Ecclesiæ, Spino de testam. gloss.8. in princip. n.63. Sanchez de matrim. lib.6. disp.4. n.12. Barbosa d. cap. 30. num.42.

46 In hoc igitur casu certum est Prelatum repudiantem graviter peccare; nam tenetur fideliter administrare, & utiliter prospicere utilitatem Ecclesiæ, quam non respicit si utile legatum repudiet, Pasqualigus d. q.1088. n.4. Erit verò incertum, an repudiatio valeat? Et illam sententiam admitto, minimè sustineri posse; nam minor absque solemnitatibus nequit legatum repudiare, quia ipso jure acquirit dominium, Gomez variar. tom.2. cap.14. n.14. quod similiter facit Ecclesia, l. fin. C. de Sacros. Eccles. Ergo sicut minor nequit repudiare legatum absque solemnitatibus, similiter nec Prælatus. Et confirmo discursum, quia legatum quod minori relinquitur, pro agnito habetur, & ita statim dominium transit ad ipsum, Pasqualigus q.1089. n.4. quod evenit quando legatum relinquitur Ecclesiæ, seu Monasterio (ut diximus suprà.) Ergo similiter repudiatio fieri nequit absque solemnitatibus, ut rectè docet Molina tract.2. de justit. disp.468. n.12. Cæterùm in minoribus non solum prohibita est alienatio absque solemnitatibus, verum quælibet repudiatio, Gomez d. n.14. Mesa dict. cap.41. n.3. quod quidem observandum est in Ecclesiis, & Monasteriis, ac aliis causis piis, quæ jure minorum fruuntur, quia nulla ratio disparitatis valet considerari; quin potiùs circa causam repudiandi non discordant Mesa d. cap.41. n.4. Valeron de transact. tit.4. q.1. à n.16. Ergo sicut pupillus nequit absq; solemnitatibus legatum repudiare, similiter nec Prælatus. Denique quando aliquis repudiat legatum in fraudem creditorum, nulla est species alienationis, sed est non acquirere; non enim dominium absque agnitione ad illum transit, l.53. §.13. ff. de donat. l.5. §.5. ff. de jur. dot. benè Osuald. ad Donell. lib.23. comment. cap. ult. lit. C. Ast in legatis piis factis Ecclesiis, aut Monasteriis, statim transit dominium: quapropter alienatio est magis, quàm repudiatio, itaque solemnitates sunt necessariæ, Barbosa de offic. & potest. 3. p. alleg.95. n.54.

47 Quapropter in præsentiarum aliqua supersunt remedia, ut Ecclesia, aut Monasterium legatum repudiatum repetat, & in primis illud revindicando, aut petendo ab hærede, quasi repudiatum non fuerit; quia cùm repudium validum non fuerit, nullum effectum producet, l.4. §. Condemnatum, ff. de re judic. cap. Cum Nicolao, de appellat. Itaque revindicabit, aut repetet, Roman. conf.39. n.5. Menoch. conf.39. n.55. Rota decis.13. de Procur. & in recent. decis.705. n.7. D.Olea de cess. tit.2. q.1. n.8.

48 Quod non solùm facere valet Ecclesia, verùm etiam ipse Prælatus, qui repudiavit, quia favore Ecclesiæ potest venire contra factum proprium, Caputaq. 3. part. decis.170. & 208. Rota apud Merlin. decis.490. n.11. Add. ad Greg. XV. decis.1417. n.3. Pasqualig. d. q.188. n.10.

49 Deinde valet Ecclesia petere contra Prælatum repudiantem, ut interesse ex propriis bonis resarciat, exemplo tutoris, aut curatoris, qui ad interesse tenentur, si sine causa legatum repudiaverint, vel acquirere omiserint, l. Quidquid 7. C. arbitrium tutel. estque ad id optimus textus in cap. Quicumque 2. 12. q.4. ubi Gloss. verb. Aut neglectus, & ibi Barb. plures affert Sanchez d. disp.4. n.15. Mesa d. cap.41. n.25. Si tamen contrariam sententiam sequaris, restitutionem in integrum petes, Sanchez d. n.15. Pasqual. n.11. Delbene de immun. c.17. n.23. dub.6.

50 Unde admittere non placet doctrinam Pasqualigii quæst. 1089. n.2. asserentis legatum Missarum absque aliqua solemnitate posse repudiari: quod in manualibus satis refellitur ex dictis. In perpetuis est major difficultas, quia ut dicam suo loco, necessaria est licentia ad acceptandum illud legatum; unde dominium non transit ad Ecclesiam, nec aliquo modo erit alienatio. Sed adhuc contrarium valet jure sustineri; nam licentia illa ad acceptandum non requiritur, ut dominium transeat ad illam, sed ut permaneat, & Ecclesia teneatur ad onus adimplendum.

51 Sunt tamen aliquæ causæ, quibus Prælatus excusatur, si legatum repudiet, quas ex Cassino recensuit Pasqualig. qu. 1090. n.1. nempe quando adesset grave scandalum si non repudiasset, quia relictis pauperibus consanguineis, Ecclesia perciperet legatum, cap. Nihil 2. de præscript. Ecclesiæ enim magis est conveniens ut damnum patiatur, quàm det scandalum: vel quando hæreditas ita litibus complicaretur, ut difficilè foret legatum percipere, quia expedit servos Dei ab strepitu causarum esse quietos, cap. Vero de Syndic.

52 Quoad scandalum verò non facilè excusabitur Prælatus; nam ut docuit S. Thom. 2. 2. quæst.43. art. ult. in corp. ob scandalum minimè bona Ecclesiæ repetenda non sunt; sufficiet tamen per aliquod tempus differre, ubi Cajetanus Covarruv. in regul. Peccatum, num.8. Diana 5. part. tract.7. resol.24.

53 Unde facilè resolvenda est alia quæstio, an transactio fieri possit circa legatum, aut hæreditatem, vel fideicommissum relictum Ecclesiæ, aut Monasterio, absque solemnitatibus? Et communiter DD. asserunt fieri posse, quia non est acceptatum, Gratian. decis.17. n.19. Tondut. qq. Canon. cap.119. n.4. Valeron de trans. tit.4. q.1. n.7. Sed consequenter ad ea, quæ suprà diximus, contrarium asserimus, Velascus de privil. paup. 3. part. q.8. n.441. Delben. de immunit. cap.17. dub.12. n.8. Pasqualig. q.1038. n.6.

54 Si verò legatum relictum fuerit Ecclesiæ, aut Monasterio, vel alteri causæ piæ, ea apposita conditione, ut absque solemnitatibus possit illud alienare, an sint necessariæ solemnitates, quando occurrerit casus alienandi? Delbene d. cap.17. dub.9. à n.1. asseruit nullam juris solemnitatem esse necessariam, quia testator absque aliquibus solemnitatibus poterat rem legatam alienare: ergo etiam poterit Ecclesia. Tum nam testator poterat relinquere legatum, seu hæreditatem Ecclesiæ ea conditione, ut à tali tempore ad alium transferat, nec tunc erunt necessariæ solemnitates, Quarant. verb. Alienatio, num.45. limit.16. Barbosa de offic. Episcop. 3. part. alleg.95. n.61. ergo similiter potest disponere, ut absque solemnitatibus vendatur, Palao tom.3. tract. 12. disp.15. §.2. n.14.

55 Sed contrarium teneo cum Armilla, Quaranta, Riccio, & Bonacina, quos referunt Delbene, & Palao ubi proximè recensiti; non ex suis fundamentis, quibus satisfaciunt prædicti, sed quia ad alienationem rerum Ecclesiarum, & causarum piarum, fraudes plurimæ committi valent, ex aliquibus requisitis, quæ ad illam sunt necessariæ, nempè utilitas, necessitas, incommoditas rei alienandæ, ac denique pietas, quando ad pauperes alendos alienantur, vel in redemptionem captivorum, Barbosa d. allegat.95. n.23. Palao dict. punct.15. §.2. num.5. Quapropter conditio illa, uti præbens occasionem peccandi, & in gravissimum damnum Ecclesiarum, & causarum piarum, minimè est admittenda, verùm reiicienda, cap. Ex parte 10. de consuetud. Menochius lib.5. præsumpt.49. num 25. Itaque solemnitates in eo casu erunt necessariæ. Cæterum probatur; nam ut docet Palao dict. §.2. num.15. Delbene dict. cap.17. dub.19.

dub. 10. Azorius 2. *par. Instit. Mor. lib.* 9. *cap.* 2. *q.* 9. si testator aliquid reliquerit Ecclesiæ, aut Monasterio ea conditiooe, ne aliquo modo alienet, reiicitur conditio; nam derogaret juri Ecclesiæ in grave præjudicium illius, servatis solemnitatibus, & causa existente non alienando: ergo cùm deroget conditio illa, ut alienet absque solemnitatibus, juri Ecclesiæ, in grave illius nocumentum, minimè sustinebitur.

56 Hoe intelligo in Eeclesiis, & Mooasteriis capacibus bonorum; si verò capacia non sint, poterunt absque solemnitatibus similia legata alienare, & pretium in utilitatem eorum convertere, idque ex multis privilegiis, Riccius *in prax. decis.* 67. Barbosa *d. allegat.* 95. *num.* 59. Quaranta *verb. Alienatio*, *num.* 41. Delbene *dict. dub.* 10. *num.* 6. & nos infrà.

CAPUT XIII.

Explicit materia legatorum piorum.

SUMMARIUM.

Si nomen debitoris legetur causæ piæ, an actionum cessio sit necessaria, latè disquiritur à num. 1. Lex fin. ff. de donat. *explicatur, n.* 5.

Est major difficultas, si causæ piæ legaretur prædium, quod sibi debetur, quæ discutitur, à num. 6. *& resolvitur affirmativè. Explicatur lex* 39. §. Idem Julianus, ff. de leg. 1. *num.* 7. *&* 8.

Legatum pium relictum, ut ab instituto præstetur, debetur à substituto, num. 10. *nisi aliud declaret testator, num.* 13. *etiamsi nominatim gravetur instituens, à num.* 14. *& seqq. expenditur lex* 4. §. Lucius, ff. de aliment. legat. *n.* 16.

Legatum relictum præstandum ad certam ætatem, antea non debetur, nisi sit pium, n. 18. *&* 19.

Quando piè legatur sub conditione negativa personali, non est necessaria cautio Mutiana, etiamsi dari potuerit, à n. 21. *& seqq. Nec pauper tenetur præstare cautionem iuratoriam, n.* 26.

Conditio retrotrahitur in legatis piis, num. 27. *& licet conditio mixta apponatur legatis piis, etiamsi casu non adimpleatur, debentur, n.* 28.

Legatum pro exoneratione conscientiæ non revocatur, n. 29. *& confessio illius contra testantem operatur, non contra creditores, aut filiorum legitimam, ibid.*

Legatum pium revocari valet à testatore: & quid quando revocatur testamentum, aut legatum, à num. 30. *& quando testamentum revocatur tacitè, vel expressè, à numer.* 32.

Et quid si testator dicat adimere legata, est disceptatio, à n. 34. *resolvitur à n.* 36.

Legatum pium cancellatum, in dubio non præsumitur ademptum num. 38.

An quando res piè legata alienatur, ademptum legatum videatur, à num. 39. *duæ sunt sententiæ, sed resolvitur, n.* 41. *&* 42.

Legatum pium, si vivo testatore tradatur, an possit revocari, à num. 43.

Quando quis donat Ecclesiæ pro anima sua, an possit revocari, à num. 47. *ubi duæ referuntur sententiæ, & resolvitur n.* 48. *&* 49.

1 PRorsus in materia legatorum piorum disquiramus, an quando legatum pium nominis, aut debiti est, transeant ad causam piam actiones contra debitorem, absque ulla cessione? Et negandum videtur, quia actiones oon transeunt, si sunt personales, ad singolarem successorem absque cessione contra debitorem, *leg.* 1. *C. de obligat. & action.* Cyriacus *tom.* 1. *controv.* 120. *à num.* 1. Parlad. *diff.* 36. *num.* 8. Felic. *de societ. q.* 14. præcipuè *num.* 33. Cùm ergo causa pia legataria sit, singularis successor nequit absque cessione transmittere actiones contra debitorem. Cæterum, nam legatum est donatio; quando enim donatur nomen debitoris, non transeunt actiones absque cessione, quia est singularis successor, *ut ex l. fin. ff. de don.* tradunt Angul. *in l.* 1. *tit. de las majoras, num.* 16. *&* 17. Noguerol. *allegat.* 26. *à numer.* 359. Faber. *de erroribus, decad.* 48. *error.* 6. Ergo quando causa pia fuerit legataria, minimè absque cessione agere poterit adversus debitorem, ut nomen sibi præstet.

2 Sed his non obstantibus, in re animadverto contra debitorem duas actiones existere posse; actio enim directa, quæ penes hæredem remanet, nequit quidem transire ad legatarium, aut quia ossibus adhæret, ut aliqui censuerunt; aut quia cum sit res incorporalis, nequit tradi, ut considerat Parlador. *differ.* 37. *à num.* 6. quapropter in legatarium actiones utiles transeunt, ut est optimus textus *in leg. Ex legato* 18. *C. de legat.* quibus agere valet, & sunt ejusdem potestatis, prout directæ, quæ remanent penes hæredem, Surdus *decis.* 265. *num.* 34. quoad exactionem, ut benè advertit Anton. Faber. *C. de legat diff.* 20. Guzman. *de evict. q.* 35. *num.* 79. ita ut ex utili actione executionem petere posset, si instrumentum illam paratam haberet, ut cum Suarez docet Cancer. 3. *p. cap.* 20. *num.* 232. Addunt tamen Doctores, quando nomen debitoris legatum fuerit, non posse hæredem directa actione cogere debitorem, ut sibi solvat, quia inefficax actio relinquitur, Osuald. *ad Donellum, lib.* 8. *comment. cap.* 7. *litt. H*, D. Olea *de cession. tit.* 4. *quæst. Miscellan n.* 12.

3 Unde aliqui dubitarunt, an legatarius nominis absque cessione posset agere adversus debitorem? Et duas esse sententias scripsit Tiraquell. *de causis piis, privileg.* 46. Ast illa obtinuit, ut utiles actiones transirent absque cessione in legatarium, *ex d. l. Ex legato* 1. Cancerius *d. cap.* 20. *num.* 230. & cum aliquibus D. Olea *ubi sup. num.* 8. quibus agere posse etiam executivè, concedit contra Thorum, ut etiam tenet Parladorius *lib.* 2. *quot. cap. fin.* 3. *part.* §. 3. *num.* 8.

4 Idcircò in legatis piis idem est dicendum, quia si actiones utiles transeunt ad legatarium extraneum, multò magis ad legatum prospiciens salutem animæ testatoris. Cæterum, oam quando nomem debitoris datur in dotem marito, utilis actio competit absque cessione, *l.* 2. *C. de obligat. & act.* Parlador. *d. diff.* 37. §. 1. *num.* 4. D. Olea *d. q. Miscellan. num.* 7. quod idem dicendum est, si in dotem detur ad dotandam Ecclesiam, ut eum Pereyr. D. Olea *d. num.* 7. Ergo similiter quando legatur nomen causæ piæ. Prætereà quando nomen legatur, habetur pro cessione, prout in dotis datione, ut notant Interpretes *in l. Quamvis, l. Cum pacto* 69. §. 1. *ff. de jur. dot.* Valentia *illustr. tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 21. *ad finem*. Ergo cùm cessio cootineatur in ipso actu legandi causæ piæ, oecessaria non est alia cessio hæredis, Tiraquell. *d. privileg.* 46. Baldus *in cap. Vigilanti, de præscript. num.* 5. Vivianus *in praxi jurispatron. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 110. Velasco *de privilegiis pauper.* 3. *part. quæst.* 8. *num.* 258.

5 Ad rationes dubitandi respondetur, in actionibus personalibus ad singularem successorem non transire actiones absque cessione: ast fallit in legatis, ut dictum est suprà; & in donationibus, in quibus licet aliqui dicant cessionem esse necessariam, *ex l. fin. ff. de donat.* tamen textus ille nihil probat; nam licet illic donato peculio translatæ non fuerint actiones utiles, id erat tempore Jurisconsultorum, quo donationes non subsistebant, nisi res donatæ statim traderentur, & essent in donatarii potestate, *leg.* 1. *leg. Quis sanum* 6. *l. Absenti* 10. *ff. de donat.* Secus verò post constitutionem *in leg. Si quis argentum* 15. *C. de donation.* quà absque traditione sustinentur. Quapropter in ipso actu donandi cessio fit, & utiles actiones transeunt ad donatarium, si nomen donetur, absque aliqua cessione, Parlador. *d.* §. 1. *n.* 5. Donellus *lib.* 8. *comment. cap.* 13. *versic. Superiore*, D. Olea *n.* 5.

6 Adest verò major difficultas quando causæ piæ legaretur prædium, quod sibi debetur. in quo casu communis est senteotia, necessariam esse cessionem, *ex leg. Cum servus* 39. *aliàs l. Apud Julianum*, §. *Idem Julianus* 3. *ff. de legat.* 1. ubi legato fundo empto, actiones non transeunt ad legatarium, nisi facta cessione. Ciriacus *tom.* 1. *controv.* 120. *n.* 3. quod admittit etiam D. Olea *ubi supra*, *num.* 10. nisi testator dicat legare eum omni jure suo. Sed Paulus Castrensis, quem sequitur Cancerius *d. cap.* 20. *à num.* 234. coorrarium tenet; nam quoties legatur res debita, jura & actiones legata videntur, unde absque cessione actiones transeunt ad legatarium, quæ utiles sunt. Nec obstat textus *in d.* §. *Idem Julianus*; nam ibidem requiritur cessio ad exercitium directarum actionum, non ad utilium, unde difficilis redditur disquisitio nostra.

Sed

7 Sed tamen ad resolutionem dico, utiles has actiones, quæ in actu legandi ex interpretatione à lege conceduntur, maximè in modo legandi consistere: quapropter si nomen legaverit, aut actiones, aut alio modo, qui debitum redoleat, beneficio legis transeunt absque cessione hæredis, ut in emptore ostendit Gomez *tom. 2. variar. cap. 6. n. 6.* Mantica *de tacit. lib. 4. tit. 13. per tot.* Guzman *de evict. q. 35. à num. 75.* quare existimo, quod quoties testator legaverit rem, quæ sibi ab alio debetur, utiles hæ actiones ad legatarium transibunt absque cessione: fuit enim mens illius rem illam legare ut debitum, unde idem est, quasi nomen, aut actiones legasset, & consequenter actiones utiles absque cessione transibunt ad causam piam legatariam: quo in sensu intelligo Castrensem, & Cancerium.

8 Erit major difficultas si rem legasset, quam emit à Titio, vel quæ est apud tertium: & in hoc casu admitto contrariam sententiam, quam tenet D. Olea. Id tantùm probat textus *in d. §. Idem Julianus*, ibi: *Si fundum testator, quem ab alio emerat:* tum ratione, nam quando hujusmodi legat testator, nulla sunt verba unde cognoscatur, voluisse nomen aut actiones legare, sed tantùm rem ipsam: quapropter nequit lex ex interpretatione utiles actiones conferre. Si verò dixerit, *quæ est apud debitorem*, idem affirmat D. Olea *num. 10.* Sed dissentio tamen à tam doctissimo viro; jam enim demonstrat testator velle illam legare ut debitam, & in effectu est quasi legare actiones, & nomen debitoris.

9 Si verò causa pia sit legataria, aut Ecclesia, seu Monasterium, existimo etiam in casu quo diceret legare rem emptam à Titio, vel quæ est apud tertium, ad legatarium transire actiones utiles, etiam absque cessione; quia textus ille agit tantùm de legatis profanis: aut loquitur quando legatarius vellet agere actione directa, non suo, sed hæredis nomine, quod fieri valet, ut tradunt DD. *in l. Qui stipendia, C. de procurat. leg. Cùm fundus, ff. si cert. petat.* ubi Decius *num. 22.* Guzman *de evict. d. q. 35. num. 82.* & ita illum intellexit Castrensis, *ibid.* Deinde ratione probo; nam in causis piis, sicut fit extensio de persona ad personam intuitu pietatis, *l. 4. §. Lucius, ff. de adim. legat.* ubi Bart. Mantica *lib. 3. de conject. tit. 19. num. 10.* Gratianus *discept. forens. tom. 4. cap. 662. num. 3.* similiter ex eadem pietate fit extensio de casu ad casum, ex verisimili voluntate testatoris, Decius *cons. 326. num. 1.* Thoro *in Summa, privileg. 138.* Ergo sicut necessaria non est cessio in casu, quando legatur res debita: similiter quando legaretur ea, quæ est apud tertium. Confirmatur, nam intuitu pietatis præsumitur testatorem velle in quibuscumque legatis piis celerem executionem, ut quàm citiùs anima illius sublevetur, ambagibus, & juris scrupulositate relictis. Ergo sicut legato nomine necessaria non est cessio, quia videtur cedere in ipso actu legando: similiter videtur favore animæ idem fecisse, quando legat rem apud tertium, quæ realiter debetur, ut ambagibus cessionis relictis, quamprimum legatum pium exequatur: unde sequitur extensio de uno casu ad alium, ex verisimili ejus voluntate, quæ favore causæ piæ semper admittitur.

10 Prætereà auscultemus de legatis piis, an quando institutus cum illis oneratur, similiter à substituto debeantur? Et negandum videtur, nam quæ legantur ab instituto, substitutus non debet, *l. 1. §. Id quod 13. ff. ad l. Falcidiam, l. In ratione 30. §. Quod vulgo, ff. eod. tit.* ubi adnotarunt plures. Ergo similiter si legata fuerint pia.

11 Ast concors est DD. sententia, in legatis piis substitutum illa debere, quia favore animæ repetita censentur, & cum onere transire ad omnes substitutos, Tiraquellus *privileg. 36.* Mantica *lib. 3. conjectur. tit. 19. num. 10.* Gratianus *discept. forens. tom. 4. cap. 503. à num. 14.* Castillo *lib. 8. controvers. cap. 32. num. 8.* Rota *in noviss. 2. part. decis. 140.* qui id extendunt, si legatum pium relinqueretur in conjuncto hærede; nam si pars gravata nolit accipere partem hæreditatis, cohæres cui pars illa accrescit, tenetur illud solvere.

12 Hanc sententiam libentissimè admitto, verum ut hæc disquisitio clara fiat, animadverto regulariter loquendo, legatum ab instituto relictum à substituto deberi: est textus clarus *in leg. Imperator 74. ff. de legat. 1. l. Cùm pater 77. §. ab instituto 15. ff. de legat. 2. l. 1. §. fin. cum l. sequenti, ff. ad Trebell. l. Non justam 4. C. eod. tit.* Et ratio est, nam quando cum legato gravavit institutum, qui magis dilectus censetur, similiter voluisse gravare substitutum, ut minus dilectum, facilè præsumitur, Menochius *lib. 4. præsumpt. 108. à num. 1.* Gomez *tom. 1. variar. cap. 32. num. 36.* Pichard. *in rub. de vulg. substit. num. 36.* Osuald. *ad Donellum, lib. 8. comment. c. 8. lit. B*, Mascardus *de probat. concl. 1171. num. 40.*

13 Excipit tamen Consultus, quando expressè, aut tacitè constaret in contrarium de voluntate testatoris, ut videre est *in d. l. Imperator*, & latè Menochius *d. præsumpt. 108. à num. 14.* Est tamen gravissimum dubium, quando nominatim institutum gravavit cum legato, an substitutus ad illud solvendum teneatur? Affirmarunt Paulus Castrensis, & Alciatus, quos refert Menochius *num. 29.* Sed receptior, & probabilior opinio est negativa, ex pluribus juribus, quorum aliquos dedimus *n. 10.* & alios refert Menochius *à num. 25.* qui tenet hanc sententiam, Gomez *d. num. 36.* Sarmiento *Select. lib. 8. in l. Celsus, §. Quod alicui, ff. de legat. 2. n. 7.* Azevedus *cons. 28. n. 90.* Mantica *lib. 8. de conject. tit. 2. n. 15.*

14 Quapropter dubium non erit, quando simpliciter legatur ab instituto, quia idem pium legatum transit ad substitutum, ut est communis sententia: nec erit dubium, quando testator expressè, aut tacitè senserit de solo hærede, ita ut onus legati ad substitutum non transiret, quamvis pium; nam ut diximus suprà, contra voluntatem testatoris minimè legata pia privilegium habent, Mantica *d. lib. 3. tit. 19. num. 10.* Attamen procedit difficultas quando nominatim gravatur institutus, ut solvat legatum pium, an tunc ex voluntate testatoris videatur exclusus substitutus, ita ut minimè solvat, nec ad illud teneatur.

15 In hoc dubio, stando in sententia Castrensis, & Alciati, cui accedit Fachineus *lib. 5. controv. cap. 39.* consequitur legatum pium à substituto deberi: in contraria sententia negandum videtur; nam in illa specie, qua hæres institutus nominatim gravatur, mens est testatoris, ut sola illius persona gravetur, non autem substitutus, ut dicunt DD. hujus sententiæ: Ergo si alias ageretur, esset contra voluntatem defuncti, quod favore causarum piarum faciendum non est.

16 Sed contrarium tenendum est cum Doctoribus, quos retulimus *numer. 11.* quibus addo Gomez *dict. numer. 36.* Manticam *dict. lib. 8. tit. 2. numer. 16.* Idque probant *ex lib. 4. §. Lucius ff. de aliment. & cibar. legat.* ubi alimenta libertis, & libertabus erant relicta, ut à liberis præstarentur; & inquit Consultus, etiam ab hæredibus eorum deberi, idque favore alimentorum decretum est, licet nominatim à liberis fuerint legata: quem quidem favorem etiam ad aliam causam piam extendi asserit Surdus *de aliment. tit. 8. privileg. 15.* Sed textus ille assumptum non probat; nam diversa causa est substituti, quàm hæredis, si nominatim legatum pium ab instituto relinquatur; nam substitutus non tenetur solvere obligationem, quæ imponitur personæ hæredis, quia fuit mens testatoris illum excipere. Ast hæres instituti tenetur solvere illam obligationem, utpotè æs alienum illius, qui hæredem ipsum fecit, ut prospicere libet in substitutione pupillari, in qua si pater legatum reliquerit nominatim à filio solvendum, qui erat hæres institutus, à substituto solvitur; quia ipse tanquam hæres factus pupilli, præstat æs alienum illius, ut optimè considerat Castill. *d. lib. 8. cap. 32. n. 4. vers. In pupillari*, Menoch. *de præsumpt. 108. n. 39.*

17 Sed ratione probatur; nam licet nominatim ab instituto legatum relinquatur favore causæ piæ, intelligitur demonstrativè id factum esse, non verò taxativè, *l. Si servus legatus 108. §. Qui Margaritam 13. ff. de legat. 1.* Jason. *in l. Eam quam, C. de fideicommiss. num. 14.* Quoties verò nominatur hæres demonstrativè, non videtur voluisse testatorem solum hæredem personaliter gravare, sed hæreditatem: Ergo etiamsi legatum pium relinquatur ab instituto nominatim, tenebitur substitutus illud solvere. Prætereà in hac sententia creditur voluisse testatorem tantùm hæredem personaliter ad legatum obligare, & taxativè, ut cum Bartolo, & aliis docet Menochius *d. præsumpt. 108. num. 33.* quia præsumitur magis dilexisse substitutum, quàm institutum. Verum si legatum est pium, præsumitur magis dilexisse animam, quàm institutum, & substitutum, *l. Sancimus 27. C. de Sacrosanct. Ecclesiis.* Ergo præsumendum est, ut sicut cum legato pio oneravit institutum, similiter & sub-

substitutum, ut cum aliquibus tenet Menochius *dict. præsumpt.* 108. *num.* 37. Bossius *tom.* 3. *tit.* 26. §. *secondo*, *num.* 65.

18 In legatis verò, quæ alicui relinquuntur cùm ad certam ætatem pervenerit, illud in piis legatis animadvertendum, quod si profana persona sit, nisi ad illam ætatem pervenerit, peti non valeant, *l. Qui habebat* 47. *ff. de vulgari*: sicut & illa in quibus apponitur conditio, ut debeantur quando legatarius pervenerit ad tempus administrandi sua bona, prout in minoribus adest textus *in l. fin. ff. de condit. & demonstrat.* Gomez *tom.* 1 *variar. c.* 12. *n.* 58. quia verba naturaliter intelliguntur in dispositionibus, Mantica *de conject. l.* 3. *tit.* 4. *n.* 15. Tusch. *litt. V*, *concl.* 91. *n.* 6. itaut neque veniam ætatis impetrare sufficiat, Gomez *d. n.* 58. *in fine*, Barbosa *de appellat. verb. signif. appellat.* 10.

19 Ast in legatis profanis contrarium dicendum est ex decisione textus *in l. Si ita scriptum* 16. *ff. de manumiss. testamen.* ubi favore libertatis id non observatur, quin potius si ante tempus moriatur persona, cujus ætas sperabatur, statim debetur legatum: quod idem dicendum est in legatis piis, cùm eadem sit ratio, prout tenent, & explicant Tiraquell. *privil.* 23. ubi Riccius, & Thorus, Medicis *opusc.* 4. *n.* 7.

20 Sed tamen, ut jam plurimis locis adnotavimus, efficax non est argumentum, comparando libertatem ad pias causas, ut non indoctè existimavit Novarius *in praxi elect. q.* 25. *sect.* 1. *à n.* 1. Alphanus *collect.* 298. Quapropter textus ille sic inductus non probat assumptum: aliter verò ad comprobationem valet adduci, nempe ut si favore libertatis id concessum est, quæ largè dicitur pia causa, multò magis esse concedendum, quando strictè acciperetur, ob majores favores, quibus condecoratur.

21 Quando legatum relictum fuerit causæ piæ sub conditione negativa personali, veluti si Capitolium non ascenderit, aut si talia non fecerit; tunc cautionem Mutianam præstari debere asserendum videtur, prout in qualibet ultima dispositione observatur, *l. Mutiana* 7. *l. Hæres meus* 79. §. *Qui post Mutianam* 2. *ff. de condit. & demonst. l.* 7. *tit.* 4. *p.* 6. quæ quidem à Mutio introducta est, ut ultimæ voluntates celeriter exequerentur, Cujac. *l.* 5. *observ. c.* 2. Osuald. *ad Donellum lib.* 8. *comment. cap.* 33. *litt. P*, Gomez *variar. tom.* 2. *cap.* 11. *à n.* 37. Pichard. *in* §. 5. *Instit. de verb. oblig. à n.* 6. quod idem observandum alicui videbitur, cùm legata pia celerem executionem requirunt.

22 Sed in causis piis, quoties legatum relinquitur sub conditione negativa personali, aut personali affirmativa, quę perseverantiam petat, in quo etiam casu habet locum Mutiana, Peregr. *de fideicom. art.* 11. *n.* 126. minimè hæc cautio præstatur, *ex l. Libertas* 17. §. 1. *ff. de Manum. testament.* ubi si libertas relinquatur sub conditione, ne Stichus in Capitolium ascendat, absque aliqua cautione libertas ei competit: rationem dat Consultus, quia talis conditio ita accipitur, si quamprimum potuerit non ascendat. Itaque si data occasione non ascendat, statim libertas competit: eo enim modo dicendum est in causis piis, quæ jure libertatis potiuntur, Romanus *in Auth. similiter*, *C. ad l. Falcid. spec.* 24. Tiraq. *privileg.* 48. Menochius *vol.* 1. *cons.* 91. Medicis *opusc.* 4. *n.* 6. Tuschus *litt. C*, *concl.* 177. *n.* 21.

23 Sed hæc doctrina indiget explicatione; duobus enim modis causa pia, & hoc pium legatum sub conditione personali negativa valet considerari: aut quando nollet conditionem implere, quo quidem casu legato privabitur, cùm nequeat illud retinere contra voluntatem testatoris, ut universaliter loquendo asseruit noster Alphonsus *in d. l.* 7. *ad finem*, & supponit ibidem Gregor. *glos.* 7. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 12. *à n.* 26. Thoro *sing. caus. piar.* 13.

24 Si verò vellet adimplere conditionem negativam, & tamen cautionem prestare non potuerit, tunc cautionem Mutianam ajunt DD. in legatis piis non esse necessariam, quo in sensu dicunt intelligendum esse textum *in d. l. Libertas*, §. 1. ut tenent Gregorius *in d. l.* 7. *glos.* 7. Molina *de justit. tr.* 2. *disp.* 206. *n.* 12. Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp.* 91. *n.* 6. Ayllon *ad Gomez. d. cap.* 11. *n.* 38.

25 Sed credo, etiam quando dare potuerit cautionem Mutianam, non esse necessariam: ratio est, nam ut eleganter considerat Julianus *in d. l. Libertas*, §. 1. tunc favore libertatis intelligitur, tantùm velle testatorem, ut cùm primum potuerit non ascendat: ergo necessaria non est cautio Mutiana. Et confirmatur; nam cautio Mutiana ideò est introducta, quia nequit adimpleri conditio negativa, nisi decedente legatario, cùm possit, dum vixerit, illam infringere, Sanch. *d. n.* 6. Gomez *d. cap.* 11. *n.* 36. *ad finem*, Mantica *de tacit. l.* 14. *tit.* 42. *à n.* 26. Cùm ergo data occasione, si adimpleat, in causis piis adimpletur conditio negativa, non erit necessaria illa cautio, sed sufficiet adimplere non faciendo, data opportunitate faciendi: quare opinionem admitto illorum DD. asserentium in legatis piis non esse necessariam cautionem Mutianam, etiamsi præstari possit.

Hinc resolvendus est alius casus, nempè quando relinquitur legatum pauperi, qui nequit cautionem præstare, an requiratur cautio non eundi, aut non faciendi, saltem juratoria? & hanc esse necessariam asseruerunt Gregorius, Molina, & alii allegati *n.* 24. Sed in nostra sententia contrarium dicendum est, quia nulla cautio est necessaria. Excipio tamen in utroque casu, quando contrarium constaret de voluntate testatoris, *ex l. ult. ff. de Manum. testament.* Tiraq. *de privil.* 48. *in fin.* Tuschus *d. concl.* 177. *n.* 17. 26

Præterea in legatis piis illud est communiter receptum, ut si illi conditio apponatur, quæ verè adimpletur, licet in aliis legatis non retrotrahatur, *l.* 1. §. *Servi*, *ff. ad SC. Syllan.* in his verò retrotrahitur, & perindè est quasi a principio deberetur, *ex l. Neratius* 7. *ff. de Manum. testam.* ubi favore libertatis retrotrahitur legatum: quod idem dicendum est in legatis piis, cùm favorabiliori jure potiantur, Tiraq. *privil.* 59. ubi Thoro, alios recensuit Bossius *d. tit.* 26. §. 2. *n.* 60. 27

Est deinde alius casus non obliviscendus, ut si conditio mixta adjungatur pro legato, & casu citra culpam adimpleri debentis non adimpleatur, adhuc legatum pium debetur, *ex l. Libertate* 55. *ff. de manumiss. testam.* ubi in libertate id observatur. Cæterùm ratione probo; nam licet in aliis legatis id non observetur, quin potius evanescant, *l.* 1. *C. de his, quæ sub mod. l. Qui hæredi*, §. *ult. ff. de condit. & demonstr.* Surd. *de aliment. tit.* 8. *privileg.* 24. *n.* 1. id tamen fallit in legatis piis, quando casu non adimpletur conditio mixta; nam præsumitur favore animæ; quasi sine conditione legatum, Tiraquell. *privil.* 57. Surdus *d. privileg.* 24. *à n.* 3. Pereg. *de fideicommiss. art.* 16. *n.* 140. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 183. *n.* 44. Bossius *d.* §. 2. *num.* 58. 28

Prorsus disquiramus de ademptione legatorum piorum. Et in primis illud est observandum, quod si quis legatum reliquerit pro exoneratione conscientiæ, minimè revocatur Thoro *in Summa, privil.* 112. *ad medium.* Quod idem dicendum est de legatis incertis, & pro malè ablatis, quæ quidem irrevocabilia sunt, quia vim habent confessati debiti, Novarius *de incert. privil.* 29. qui *privil.* 28. scripsit confessionem factam in testamento favore piæ causæ pro incertis, & malè ablatis ad exonerationem conscientiæ, revocari non posse, validamque esse etiam in favorem absentium, Afflictus *dec.* 160. Stephanus Durantius *quæst. jur.* 26. qui animadvertit confessionem hanc probare contra ipsum testantem, vel ejus hæredem, non in perniciem creditorum, aut filiorum, quoad diminutionem legitimè, nisi aliundè adsint probationes, Farinacius *in Repert. ult. vol. q.* 63. *n.* 2. 29

In aliis verò legatis piis, quæ non habent vim debiti, sed liberaliter relinquuntur, disquisitio ista facienda est. Et in ea animadverto, duobus modis adimi posse legata pia. Primò quando testamentum revocatur: secundò quando revocantur legata. Quare disquiramus de primo modo adimendi legata. Et in eo prima sententia asserit, revocato testamento minimè revocata censeri legata pia; nam cùm hæc concernant animæ bonum, non præsumitur voluisse testatorem illa adimere, nisi id specialiter expresserit, Riccius *collect.* 215. *vers. Tertium privilegium.* 30

Secunda sententia tenet contrarium; nam talis revocatio testamenti habet vim tollendi omnia in eo contenta: quapropter se extendit etiam ad legata pia, Grassus *de success.* §. *Testamentum*, *q.* 84. Muta *decis.* 41. *n.* 8. Thesaurus *l.* 3. *q. forens.* 45. *n.* 9. Ferrer. ad Guidonem *decis.* 200. Rubeus *pract. cap.* 66. *n.* 214. 31

In hoc dubio illud animadvertendum, duobus modis revocari posse testamentum, aut tacitè, aut expresśè: dicitur enim tacitè revocari testamentum factum, quando testator dicit se velle mori ab intestato: expresśè quando solemniter revocatur testamentum, vel condendo aliud testamentum solemne, Grassus *verb. Testamentum*, *q.* 84. & 85. Clarus, *verb. Testamentum*, *q.* 91. Farinacius *in Repert. ult. vol. q.* 36. Quando revocatio testamenti est expressa, dubium non est, quin legata pia revocata remaneant; nam cùm sint relicta per modum ultimæ voluntatis, quæ valet revocari, si ex- 32

pressa

pressa sit revocatio testamenti, & ipsa revocabuntur, ut & cætera in eo contenta, quo in sensu loquuntur DD. secundæ sententiæ.

33 Totum igitur dubium versatur, quando tacitè revocatur testamentum, dum scilicet testator dicit velle mori ab intestato. Et in hoc casu assero, revocata non esse legata pia; nam mens testatoris tantùm fuit, hæredes ab intestato intrare locum hæredum institutorum, nec intelliguntur revocata legata pia, quæ in favorem animæ fuerunt relicta, & quæ expressam, & specificam revocationem requirunt, ut cum aliquibus benè distinguit Pasqualigius *de Sacrif. Missa q.994. à n.3.*

34 Aliter (ut diximus) revocantur legata, quando testator generaliter dixerit, legata contenta in testamento revocari: & in hoc casu etiam legata pia adempta videri, tenuere plures, quos sequitur Mantica *de conjectur. l.12. tit.2. n.24.* nam generalis ademptio omnia comprehendit, *l. 1. ff. de legat. 1.* ubi Scribentes, & insimul casus privilegiatos, si privilegium non sit speciale, *l. in fraudem 15. §. fin. ff. de testament. milit.*

35 In contrarium est communis sententia, *ex l. Libertis 18. §. Posthumis 3. ff. de adim. legat.* ubi in generali ademptione legatorum, & eorum diminutione, alimenta diminuta non censentur, ob eorum favorem, uti explicat Glossa *litt. Q*, quæ decisio extendenda est ad alia legata pia tantis privilegiis fruentia. Cęterùm in generali ademptione non veniunt legata pia, quia sunt speciali nota digna, utpotè bonum animæ concernentia, & requirunt specialem mentionem, *l. Si quando 35. §. Generaliter, C. de inoffic. testam.* Greg. XV. *dec. 437. n.11.* Ergo minimè intelliguntur adempta in generali ademptione legatorum, Surdus *de aliment. tit. 8. privil. 20. n.7.* Leoncillus *de privil. paup. 2.p. privil. 120. n.2.* Cancerius *3.p. cap. 20. n.354.* Capic. Latro *consult. 71. num. 54.* Rubeus *pract. cap. 66. à n. 209.* Castillo *de aliment. lib.8. cap.3. n.25.* Pasqualigius *q.109. n.9.*

36 In hoc dubio summa consideratione prospicienda sunt verba generalia, quibus testator ademerit legata: si enim ex eis arguatur voluisse testatorem omnia comprehendere, tunc etiam legata pia revocata remanent, cùm sola ejus volantate id facere valeat, *l. 3. §. fin. l. 4. ff. de adimend. legat.* Castillo *d. l.8. c. 37. n. 3.* quapropter quoties ex generali ademptione infertur voluisse testatorem illa revocare, cassa censebuntur.

37 Si verò id non capiatur ex simplici generali ademptione, legata pia adempta non sunt, estque textus ad id *in l. Paulus Callimacus 27. §.1. ff. de legat.3.* ubi generalis erat ademptio legatorum; & tamen Consultus asserit, excepta videri legata facta filiæ: quod idem dicendum est quando legatur causæ piæ; non enim minor est affectio respectu animæ, quàm filiorum, *ex l. Sancimus 17. C. de Sacros. Ecclesiis*, Amatus *decis. Marchia 10. num.27. & 32.* Cæterùm, nam ut scripsit Afflictus *decis.111. n.10.* hæc legata, quæ speciali nota assignari debent, nisi de eis specialis mentio fiat, excepta à testatore videntur: quapropter ex voluntate testatoris sustinentur, etiam facta generali ademptione, Rota apud Caval. *decis.41. n.6.* Franchis *decis. 69. n. 1.* Leon *de offic. Capell. q. 5. sect.17. n.273.*

38 Quid verò si legatum pium cancellatum reperiatur, an validum adhuc remaneat, dubitari poterit. Verum distinctione, ut diximus in testamentis piis, resolvendus est casus iste, ut si constiterit consultò id fecisse testatorem, revocatum censebitur, *ex l. Cancellaverat 2. ff. de his quæ in testament. delentur.* In dubio verò aliter dicendum est, itaut minimè revocetur; quia cancellatio non consultò, sed casu facta præsumitur, prout in libertate asseruit Consultus *in l. Proximè 3. ad fin. ff. de his, quæ in testament delent.* unde hanc resolutionem tenent Tiraquell. *privil.16.* Leoncill. *de privil. paup. 2.p. privil.219. n. 2.* Covarr. *in rub. de testament. 3.p. n. 29.* Rota apud Cavell. *decis.49.* Leoncill. *de offic. Capell. q.5. sect.17. n.275.* Pasqual. *q. 1011. à n.1.*

39 Cæterùm agnoscere oportet, an quando causæ piæ fundus, aut alia res legatur, si à testatore alienetur, legatum ademptum videatur? Et nonnulli ademptum asseruere, ex decisione textus *in l. Verum 58. ff. de manum. testament.* ubi libertas servo erat relicta; si tamen postea à testatore alienetur, libertatem non consequitur, nisi redemptus ad hæreditatem perveniat: unde facilè cognoscitur, per solam alienationem legatum libertatis ademptum fuisse: quod similiter dicendum esse in alio quolibet legato pio, tenent Soc. *vol.2. cons.162. n.11.* Natta *cons.113. n.3.* Mant. *conject. l.12. tit.6. n.5.*

Alteri verò contrarium tenent; nam ut docet Bart. *cons. 26.* quando quis Monasterium construi in suis domibus jusserit, si postea eas alienaverit, adhuc sustinetur legatum, & hæres tenetur, aut in suis, aut alio loco Monasterium construere. Cæterùm, nam inconveniens non est, ut legatum pium in re aliena sustineatur, quia tenetur heres illam luere, aut pretium præstare, si non possit, *§. Non solum, Instit. de leg. l. Non dubium, §. fin. ff. de legat.3. l.10. tit.9. p.6.* Pichard. *in d. §. Non solum, n.19.* Spino *de test. gl.8. n.55.* Donell. *comment. l.8. c.11.* Ergo intelligendum est, velle testatorem adhuc sustineri legatum, licet alienet, si non tanquam in re propria, saltem tanquam in aliena, favore suæ animæ. Pręterea text. *in d. l. Verum 58.* assumptum non probat, quia quando servus cui legata est libertas, alienatur, necessario adimitur legatũ libertatis; non enim ad ementem transferretur dominium, remanente legato libertatis: quæ ratio non urget in aliis legatis piis, ut ad oculum patet, Tiraquell. *privileg. 41.* Thoro *privileg.243.* Cotta *in memorabilib. memor. incipiente Ecclesia, vers.5.* Guzman *de evict. q.30. n.91.* Pasqual. *de Sacrif. Miss. q.1010.* Leonc. *de off. Capell. q.5. sect.17. n.276.* 40

In hoc dubio præmitto, duobus modis rem legatam ad piam causam alienari posse, aut per donationem, titulum nempe lucrativum; aut alium contractum onerosum: quando enim testator donat rem legatam, statim legatum ademptum videtur, *l. Rem legatam 18. ff. de adim. legat.* Si autem vendiderit, aut alio titulo oneroso alienaverit sponte, tunc adimitur legatum, secus si necessitate cogente, quę semper in dubio præsumitur, *l. fideicommissa 11. §. si rem, ff. de legat. 3.* Gomez *variar. tom.1. c.12. n.56.* Mantica *d. tit.6. n.12.* Quod idem observandum est in donatione necessaria, ut scripsere Pichard. *in §.1. Instit. de adempt. legat. num.40.* Spino *de test. gloss.8. n. 6.* 41

Igitur solum stabit difficultas in alienatione non necessaria, tam donationis, quàm venditionis: & teneo legatum pium ademptum non esse, quamvis non sit necessaria; nam cùm legata ista animæ bonum concernant, in dubio præsumendum est, non obstante alienatione, velle testatorem adhuc sustineri, nec ex sola alienatione illa ademisse; favor enim animę semper pręvalet magis, quàm alia quælibet pręsumptio, Menoch. *l.4 præsump.112. n. 4.* Grat. *discept. for. c. 935. n.36.* Idcircò ex alienatione non necessaria, adempta nõ præsumuntur. Et confirmatur; nam quando quis legat rem alienam ignoranter consanguineo, sustinetur legatum; nam præsumitur quod favore illius, etiamsi eam sciret alienam, legasset, *l. Cum alienam 10. C. de leg.* ubi Scribentes, Gomez *d.c.12. n.13.* Cancer. *3.p. c.20. à n. 289.* quod etiam observatur si legetur causæ piæ, ob eandem rationem, Tiraq. *privil. 66.* Medicis *opusc.4. sub n.33.* Gratian. *discept. for. tom.4. cap. 611. à n. 8.* Ergo similiter in nostro casu favore animæ præsumitur, quod adhuc si alienasset absque necessitate, vellet legatum sustineri. 42

Prætereà disquirere oportet, an legatum pium, si à testatore tradatur, revocari possit, necnè. Hæc quæstio in aliis quibuscumque legatis disceptatur: & DD. communiter distingunt, quod si cum commemoratione legati tradatur, tunc revocabile sit; secus verò si traditio fiat simpliciter, nam tunc transit ad naturam donationis inter vivos, ac consequenter censent irrevocabile fieri, Gomez *tom.1. c.12. n. 4.* Spino *de testam. gl.8. n 4.* Guttierez *pract. l.3. q.64. n.2.* Cancerius *3.p. cap.20. n.55.* Molina *de primog. lib.4. cap. 2. n. 19.* ubi Addentes. 43

Difficultas ista, ut benè considerat Castillo *de aliment. l.8. c.37. à n.5.* conspicienda est, non quando cum commemoratione legati res traditur, aut aliquo modo causa legati traderetur; tunc enim certum est revocabile esse, etiamsi res tradita sit: nec est difficultas, quando ex verbis traditionis conspiceretur testatorem velle ex legato facere donationem inter vivos. Erit ergo difficultas, quando simpliciter legatũ tradatur, nec constet ex qua causa id fecisset testator, quo quidem casu duæ sunt sententiæ: alii dicunt ex causa legati, tanquam præcedenti, traditionem factam fuisse, & consequenter revocari posse: alteri dicunt, ad donationem inter vivos transire, de quo Guttierez *de juram. 1. p. c.12. à nu. 15.* Castillo nuperrimè relatus, *& l.5. controv. c.86. à n.42.* Angulo *in l.1. tit.6. l.5. Recopilat. à n.48. gl.5.* 44

His ergo suppositis, dico in primis, quod si res piè legata, ex intervallo facto testamento tradatur Ecclesiæ, aut alii piæ causæ, legatum fieri irrevocabile; nam quando jam sanus ex intervallo tradit, videtur recessisse à causa legati, & fecisse do- 45

donationem inter vivos; traditio enim illa nullo jure cogente facta est, nec aliquo existente metu mortis: quapropter videtur donationem inter vivos fecisse, & consequenter legatum pium irrevocabile remanere, prout in alio quolibet legato argumentatur Castillo *d. cap. 37. n. 7. vers. Hactenus Menchaca.*

Si verò non ex intervallo, sed in eadem infirmitate testator rem tradiderit causæ piæ, major est difficultas; nam cum intervallum non sit, & insimul adsit timor mortis, à prima causa legati non videtur testatorem recessisse, & consequenter revocabile esse, *ex l. Lucius* 22. *ff. de legat.* 2. ubi Sarmiento *à n. 6.* Surdus *cons. 14. n. 7.*

46 Nihilominus tamen etiam in hac specie teneo irrevocabile fieri legatum, quia ex simplici traditione legatum pium transit ad donationem inter vivos; nam ut communiter dicunt DD. standum est conjecturis, ut ex simplici traditione legatum existimetur donatio inter vivos, Castill. *n. 6. vers. Succedit ergo, ad medium.* Ast in hac specie sunt conjecturæ unde sumamus, ex simplici traditione fieri talem donationem. Ergo. Minor probatur; nam non implicat, ut in testamento fiat donatio inter vivos, *l. Si servus* 3. §. *Quicumque,* ibi: *Et legatum, & stipulatio valebit. l. Non est minus, ff. de pign.* Gutierez *in l. Nemo potest, ff. de legat.* 1. *à n.* 255. Quapropter in legato pio, prout respicit animæ favorem, conjectura est, ex simplici traditione donare voluisse inter vivos, potius quàm legare: quod est majus animæ meritum, quatenus in vita re illa privatur. Cæterùm donatio licet in dubio non præsumatur facta favore causæ piæ, fallit hæc regula, Genuensis *in praxi, q. 143. n. 1.* Thoro *privil.* 217. Itaque in dubio conjectura est voluisse testatorem potius donare ex simplici traditione, quàm tradere ex causa legati. Prætereà, ut scripsit Mantica *l. 8. tit. 2. n. 36.* quando quis legat præsenti, & acceptanti, donatio inter vivos intelligitur, cùm hæc actio magis ad naturam donationis accedat, quàm legati, quod fieri valet absenti, & ignoranti, *l. Cùm pater* 77. §. *Surdo, ff. de legat.* 2. Cùm ergo causa pia acceptatione non indigeat, & res ei tradatur, conjectura est voluisse testatorem potiùs donare quàm legare, & consequenter revocari non valet, etiamsi ex intervallo non tradiderit.

47 Unde resolvenda est alia difficultas, nempe an si quis aliquid donaverit pro anima sua Ecclesiæ, seu Hospitali, talis donatio irrevocabilis sit, aut donatio causa mortis revocabilis; Et Pileus *q. 131.* asseruit irrevocabilem esse donationē; nam cum simpliciter fiat, nec cum aliqua memoria mortis, inter vivos facta censetur, & irrevocabilis.

Alteri verò tenent contrarium; nam in his donationibus, quæ fiunt locis piis pro anima, cogitatio est de morte: quapropter donationes causa mortis esse præsumuntur, & consequenter revocabiles, Alex. *vol. 1. cons. 81. n. 1.* Mascard. *de prob. verb. Donatio facta, concl. 562. n. 9.* Thoro *privil.* 15.

48 Sed Pilei admitto sententiam, quando aliquis sanus hanc fecerit donationem, nec ex aliqua trepidatione instantis periculi; nam tunc, ut existimemus donationem esse causa mortis, necessaria est mortis, aut periculi expressio, *l. Seia* 11. *ff. de dot. prælegat.* Gomez *var. tom. 2. c. 4. n. 15.* Menoch. *l. 3. præsumpt. 35. n. 3.* Barbosa *in l. Quæ dotis, ff. solut. matr. à n.* 85. quod non fit in præsentiarum, quapropter donatio illa pia, simplex, & irrevocabilis existimanda est, nec sufficiet interiùs de morte judicare. Prætereà dum quis donat loco pio, non facilè credendus est cogitasse præcisè de morte: hæc enim opera pia etiam in vita, plura de condigno, aut saltem de congruo à Deo consequuntur; quare ad hanc impetrationem possumus existimare dedisse donantem, non autem causa mortis, cogitando præcisè de morte.

49 Admitterem tamen sententiam aliorum, quando donatio pia facta fuerit ab infirmo, & ex illa infirmitate decesserit; nam tunc facilè præsumitur, etiam sine mortis mentione causa mortis donasse ad instantiam periculi, ut cum aliquibus tenet Menoch. *d. lib. 3. præsump. 36. n. 6.*

CAPUT XIV.

De commutatione piarum voluntatum.

SUMMARIUM.

Commutatio ultimarum voluntatum non est contra jus divinum nec naturale, n. 1. & 2.

An Summus Pontifex possit commutare absque causa pias voluntates? Tres sunt sententiæ, à n. 3. resolvitur, & multipliciter distinguitur, n. 6. & seqq. Ponitur praxis commutationum, n. 12.

An Episcopus possit commutare ultimas pias voluntates, à n. 13. referuntur tres sententiæ, & resolvitur, à n. 16. Episcopus an possit commutare in æquale, aut melius, disceptatur, à n. 17. conciliantur DD. n. 19.

Archiepiscopi, & Primates possunt ex causa commutare suorum subditorum pias voluntates, non autem suffraganeorum, n. 20.

Sed an Vicarius Episcopi idem possit? aliqui affirmant, sed contrarium tenendum, n. 21. Limitatur, num. 22. explicatur Trid. sess. 25. cap. 8. n. 23.

Sed an Capitulum Sede vacante possit pias voluntates commutare, à n. 25. Affirmatur, licet procederet Episcopus ut delegatus, usque ad n. 30.

De Visitatoribus idem dicendum quod de Vicario, n. 31. Causæ commutationis recensentur, à n. 32. usque ad 39.

Ad commutationem non requiritur, quod Episcopus sit consecratus, n. 40. si sunt hæredes, aut patroni, eorum consensus requiritur, n. 41. Erit semper in commutationibus observandum, ut in quantum fieri valeat, observetur voluntas testatoris, n. 42.

COmmutatio ultimarum voluntatum, quantumvis piarum, nec juri divino, nec naturali adversatur; nam licet conforme illis juribus videatur, ut ultimæ voluntates observentur, prout à testatoribus dispositum est, *l. 1. C. de Sacrosanct. Ecclesiis, l. Qua ratione* 9. §. *Quoque res* 3. *ff. de acq. rer. dom. c. Ultima voluntas* 13. *q.* 2. Spino *de testam. 1. p. rub. à n. 14.* Riccius *3. p. decis. 83. à n. 1.* Attamen non contrariatur si causa subsistente commutentur. Quare Princeps supremus poterit, quando ratio id petierit, ultimas voluntates in alias causas permutare, Azorius *Inst. Moral. tom. 1. lib. 6. c. 1. q. 4.* Larrea *alleg. 115. n. 33.* Moneta *de commut. ult. vol. c. 3. per tot.* 1

Idque in causis piis decisum est *in Clem. Quia contingit* 2. *de Relig. dom. Trid. sess. 22. de reform. c. 6.* Et similiter Summis Pontificibus est concessum, prout Principibus sæcularibus, profanas voluntates subditorum commutare, *l. Legat. 5. ff. de administr. rerum ad civit. pertin.* Ratio est, nam in similibus commutationibus adest dispensatio legum præcipientium ultimas voluntates pias observari: quamobrem à Summo Pontifice debet, & potest fieri talis commutatio, ut similium legum dispensatore, Molina *de just. tr. 2. disp. 249. n. 4.* Moneta *de commut. cap. 5. n. 332.* Barb. *de univ. jur. lib. 3. cap. 27. n. 57.* Diana *8. p. tr. 5. resol. 63. in princ.* Rota apud Farinac. *tom. 2. decis. 54. n. 3.* 2

Est tamen grave dubium, an Summus Pontifex valeat absque causa commutare pias ultimas voluntates? Prima sententia asserit, absque causa facere posse; nam duobus modis valet aliquid relinqui, nempe quando alicui privato relinquitur, cujus administratio ad ipsum legatarium pertinet; & tunc nequit Princeps supremus absque causa illud commutare, seu alterare. Aliter verò quando relinquitur causæ piæ, aut Ecclesiæ, cujus administratio pertinet ad Summum Pontificem: quo quidem casu quoties aliquid pium relinquitur, semper intelligitur tacita conditio, si Pontifex aliter non disposuerit, *d. Clem. Quia contingit,* ibi: *Salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate.* Ergo Pontifex absque causa poterit alterare, aut commutare ultimas pias voluntates. Et confirmatur, nam hac tacita conditione existente, quando commutatio fit, aut alteratio, non agit Pontifex contra voluntatem testatoris, sed secundum ipsam, quapropter causa non erit necessaria, Sylvester, Armilla, & alii apud Sanch. *cons. lib. 4. c. 2. dub. 1. n. 1.* Covarr. *lib. 3. var. cap. 6. n. 7. vers. Sic Iuriscons.* Sarmiento *Select. lib. 1. c. 8. n. 21.* Marta *de jurisd. 4. p. casu 74. n. 5.* 3

Secunda sententia distinguit, Summum Præsulem de potestate ordinaria minimè posse, absque causa commutare, aut alterare ultimas pias voluntates, secus de potestate absoluta: idque videtur fieri quando utitur clausulis: *Non obstante, Ex certa scientia, Motu proprio,* ut tenent Rosella, Angelus, & alii apud Sanch. *ubi supra, n. 2.* quorum doctrina rigidè interpretanda non est, ita ut asserant dari in Pontifice, aut in alio supremo Principe potestatem absolutam operandi quidquid eis placuerit: quod asserendum non est, ut benè advertit Fachineus *lib. 8. controv. c. 63. vers. Ad secundum,* Mendoza *de pact. lib. 1. c. 5. à n. 35.* Molin. *de primog. l. 1. c. 8. n. 28.* 4

n. 28. Sed intelligendi sunt de illa suprema potestate, quam habet, ut deroget legibus positivis ultimas voluntates ordinantibus, Sanch. *de matrim. lib.2. disp.* 15. *n.* 3. Peregr. *de fideicom. art.*52.*n.*118.

5 Tertia sententia docet, non posse Summum Pontificem ultimas pias voluntates absque causa commutare, aut alterare; nam de jure naturæ est observare, & ad unguem adimplere ultimas voluntates. Cæterùm licet Pontifex sit administrator causarum piarum, nequit absque causa eas commutare, cùm alias rectus administrator non fuisset, Sanch. *d. dub.*1. *n.*4. Vvadingus *de contract. disp.*4. *dub.*13. §. 6. *n.* 3. Diana *d. tr.* 5. *resol.*63. *in princ.* Carpin *de execut. testam. l.*3. *cap.* 4. *n.*5. Molina *de just. tract.*2. *disp.*249.*n.*4. de Lugo *eod. tract. disp.*24. *sect.*13. *n.*312. Moneta *cap.*6. *n.*29. Jul.Capon. *tom.*2. *discept.*103. *n.*17.

6 In hoc dubio considerare oportet, non solùm consistere difficultatem in inquirenda potestate Pontificis, aut alterius Principis supremi ad derogandum legibus positivis ultimas voluntates ordinantibus, aut quę sunt juris gentium, ut censet Carpio *d.* c. 4. *n.*4. verum etiam, an in ipso sit potestas ad lędendum jus tertii, cui jus acquisitum est, aut acquirendum ex dispositione testatoris, ut rectè docet Peregr. *d. art.* 52. Petris *de interpr. ult. vol. solut.*13. *per tot.* Castillo *controv. l.*2. *cap.* 28. *à n.* 117. quare ex his duobus Capitibus disquirendum est, an Pontifex absque causa valeat commutare pias ultimas voluntates.

7 Quoad primum certum est, Pontificem posse derogare omnibus legibus positivis, quæ ultimas pias voluntates concernunt: & licet aliqui dicant, ultimas voluntates observare & adimplere, esse de jure naturæ, non est tamen certum, licet conforme sit, ut asseruimus supra *n.* 1.

8 In alio verò capite, si ex commutatione, aut alteratione piæ voluntatis lædatur jus tertii, nequit Pontifex absque causa id facere, *l. Si quando* 35. *C. de inoffic. testam.* nec id solet à Principe fieri, *l. Rescripta* 7. *C. de precib. Imperat. offer. l. fin. C. si contra jus, vel utilit. publ.* Larrea *decis. Granat.* 8. *n.* 45. Itaque si Pontifex vellet voluntatem piam in aliam commutare cum læsione tertii, causa necessaria erit, non quælibet, sed publica, Spino *de testam. par.* 1. *rub. n.* 20. aliàs minimè commutatio sustinebitur. Confirmatur, nam alterum non lædere, est præceptum juris naturæ: §. *Iuris præcepta, Inst. de just. l. Iustitia* 10. *ff. eod. tit. lib.*3. *tit.* 1. *p.*3. Quapropter semper erit necessaria causa, unde jus illud naturale non impugnetur à Pontifice, quin potiùs commutatio illa reducatur ad jus naturale per mutationem materiæ: Ergo quoties fuerit damnum tertii, semper erit causa necessaria, Peregr. *d. art.*52. *n.*125. Moneta *de commut. cap.*11. *n.*29. & *q.*6. & 7. Staibanus *de interesse, lib.* 1. *q.*2. *n.*12. & 42.

9 Hæc verò lęsio tertii duobus modis valet accidere. In primis quando pia causa ab aliquo tenetur, veluti Capellania, aut alia Missarum memoria, jure jam quæsito per dispositionem testatoris: & in hoc casu nequit Pontifex absque causa gravissima, & publica commutare causam piam cum læsione tertii, alias erit contra jus naturale quod est immutabile sua natura, §. *Sed naturalia, Instit. de jur. nat.* Larrea *d. decis* 8. *n.*37. Peregr. *d. art.*52. *n.*128. Staiban. *d. q.*2. *n.*16.

10 Aliter quando tantum est jus quærendum, & in hoc casu causa pia potest esse mixta, quæ non solum concernat causam publicam, verùm etiam privatorum, utpotè quando testator vocat cognatos, aut ad rem certam legatum destinaretur, veluti ad pauperes puellas maritandas: qua posita specie, absque causa commutatio fieri non valet, etiam à Summo Præsulæ in jure quærendo; quia id non in incertum relictum est, sed ad certas species personarum, quæ ut jure illo priventur, causa prærequiritur, ut optimè advertit Sarmiento *lib.* 1. *Select. c.*8. *n.*24. Si tamen causa pia in incertum relinquatur, poterit Pontifex absque causa in jure illo quærendo commutationem facere; nam valet facere aliquas personas incapaces, capaces illius juris, & consequenter commutationem absque causa efficere, Sarmiento *d. n.*24. Peregr. *d. art.*52. *n.*153.

11 Unde colligo, causa publica existente, posse Summum Pontificem in causis piis tollere vocationes, & nominatorum successiones, ut in Capellaniis, & aliis memoriis Missarum: idque comprobatur à paritate majoratuum, & fideicommissorum, necnon substitutionum, à testatoribus factis vocationibus, quæ possunt à Principe supremo variari, aut commutari ex causa publica, non solùm in jure quæsito, sed etiam quærendo, ut cum multis Capponi *d. discept.* 103. *à n.*21. Larrea *d. decis.* 8. *à n.* 45. & *d. alleg.* 115. Oliva *de for. Eccles.* 3. *p. q.* 41. *n.* 1.

12 Si verò causa pia nullum jus tertii contineat, nam potest accidere, quod causa pia incertos effectus contineat, ac solum prospiciat bonum animæ testatoris, ut est in memoria dandi decem pro opere pio, quod seligat executor, aut alius administrator, vel œconomus; tunc si commutatio fiat taliter, ut anima testatoris detrimentum patiatur, causa erit necessaria ut Pontifex commutet: etenim lædit jus tertii, nempe animæ testatoris. Si verò commutatio fiat in æquale, aut in melius, nulla causa erit necessaria; nam hæc potiùs interpretatio est voluntatis testatoris, quàm commutatio illius, Immola *in d. Clement. Quia contingit, n.* 9. Guttierez *in l. Nemo potest, ff. de legat.* 1. *n.*82. Lara *de Anniversf. lib.* 1. *cap.*14. *n.*41. Moneta *de commut.* c. 5. *n.*152.

Praxis verò commutationum illa est, ut minimè Pontifex ullam faciat, nisi ex justa causa, quæ committitur Episcopis, ut summariè cognoscant, ne aliquid in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuerit narratum. Trid. *sess.* 22. *de reform. c.*6. Quapropter nisi hac procusa informatione, minimè commutatio executioni mandatur, Plures refert Barb. *in collect. ad d. c.*6. *n.*1. Molina *d. tr.*2. *disp.*249. *n.*5.

13 Sed quid de Episcopo, an possit commutare ultimas pias voluntates? Et plures dicunt, minimè Episcopum, aut alium Prælatum posse commutare pias voluntates, quando adimpleri possunt, Probant *ex d. Clem. Quia contingit*, ubi auctoritas Summi Antistitis desideratur ad commutationem piarum voluntatum: unde excluditur auctoritas Episcopi, aut alterius Prælati. Cæterùm, nam in aliis juribus Episcopis injungitur obligatio exequendi ultimas pias voluntates, *c. Tua nobis* 27. *de testam.* Trid. *sess.*7. *c. ult.* & *sess.*25. *de ref. c.*8. non verò commutandi datur eis aliquas facultas: ergo nequibunt illas commutare, Navarr. *cons.* 5. *de prab.* Covarr. *in d. c. Tua nobis, n.*7. Lara *d. cap.*14. *n.*20. Carpio *de execut. testam. l.*3. *c.*4. *n.*13. Marta *de jurisd.* 2. *p. cap.* 10. *n. fin.* dicit probabiliorem Sanch. *d. lib.*4. *cap.*2. *dub.* 2. *in fine*, Tondut. *tom.*1. *q. benef. cap.*112. *n.*4.

14 Secunda sententia distinguit, ut si res sit integra, possint Episcopi pias voluntates commutare, secus verò executioni mandatas; nam facilius tolluntur facienda, quam quæ sunt in facto, *c. Quemadmodum* 25. *de jurejur. l. Patre furioso, ff. de his, qui sunt sui*: tenent Benedictus *in c. Raynutius, de test. verb. Reliquit, n.*20. Sarm. *d. c.*8. *n.*24. *vers. Ex his intelliges.*

15 Tertia sententia asserit, causa subsistente posse Episcopum ultimas pias voluntates commutare, seu alterare; nam Clementina *Quia contingit*, non reservavit Sumo Pontifici hanc facultatem, itaut Episcopi ab ea excluderentur. In his ergo, quæ specialiter Pontifici non reservantur, Episcopis facultas concessa videtur, ut cum aliquibus docet Sanch. *de matrim. l.*2. *disp.*40. *n.*3. Ergo Episcopi causa subsistente poterunt ultimas pias voluntates commutare, seu alterare. Et confirmatur discursus, quia in illis verbis, *Salva auctoritate Sedis Apostolicæ*, licet demonstretur posse has commutationes facere Pontifex, non tamen negatur, subsistente causa fieri posse ab Episcopis. Cæterùm nonnulli DD. hanc potestatem Episcopis concedunt, ut Delegatis Sedis Apostolicæ, ex Trid. *sess.* 22. *cap.*6. Quapropter asseruit, similes commutationes fieri posse ab Episcopis, subsistente causa, Sanch. *d. dub.*2. *n.*3. Rota *lib.*2. *diversf. decis.*1122. *p.*3. Mohedanus *decis.*1. *de jurepatr.* Tondutus *tom.* 1. *c.* 112. *n.*6. quem sequitur Cappont *d. discep.* 103. *n.* 11. sed non benè Riccius *collect. dec.*558. *in princ.* Moneta *d. c.*5. *n.*322. Diana 8. *p. tr.* 5. *resol.*63. Vasq. *in opusc. de testam.* c.8. §. 5. *dub.*3. Barb. *de offic. Episc.* 3. *p. alleg.* 83. *n.*5. & *de univ. Jur. lib.*3. c.27. *n.*56.

16 Hanc ultimam sententiam admitto ex Trid. *sess.*25. *de ref. c.* 4. ubi Barb. *n.* 5. colligit Episcopum posse commutare ultimas voluntates pias, causa subsistente, ut etiam collegit Carpio *d. c.*4. *à n.*28. Cęterùm ratione probatur, nam quando causa subsistente Episcopus mutat ultimam piam voluntatem, non agit contra voluntatem testatoris, sed secundum ipsam; nam si vidisset causam illam urgere, utique ipse commutationem fecisset. Denique id pertinet ad Episcopum tanquam executorem ultimæ voluntatis, c. *Tua nobis* 17. *de testam.* qui cum non possit illam exequi, prout à testatore disponitur, meliori modo quo poterit exequetur, magis conformi voluntati illius, Tondutus *tom.* 2. *quæst. benef.* 3. *p. c.*175. *à n.*9. de Lugo *d. disp.*24. *sect.*13. *n.*36.

17 Est verò aliud dubium, an Episcopus possit ultimas pias voluntates in æquale, aut in melius commutare? Et plurimi

hanc

hanc facultatem denegarunt Episcopis, etiam consensu hæredis interveniente, ex decisione textus *in l. Contra voluntatem 7. C. de testam. in inum.* ubi asseritur, nihil agendum esse contra voluntatem defuncti, etiamsi fuerit in melius. Cæterùm quia testator potest eligere quod maluerit, etiamsi minus utile, *c. Admonere 16. q.2. l.7. tit.10. par. 6.* ergo minimè mutanda est ejus dispositio, sive in æquale, aut in melius: itaque resolvitur, quod si testator reliquerit legatum Monasteriis certæ urbis, nequit Episcopus disponere, ut tantum pauperioribus elargiatur, Moneta *d. c. 5. n.314. ad fin.* Mantica *de conject. lib.3. tit.3. n.3. & 8.* Grat. *discept. for. cap. 757. à n.1.* Riccius *in Curia Arch. 2. p. decis. 125.* Tondutus *d. cap. 112. tom.1. n.5.* Molina *d. disp. 249. n.5.* Sanch. *dec.2. dub. 3.*

18 Alteri contrarium tenuere, & ducuntur; nam quando commutatio fit in æquale, aut in melius, tunc non est propriè commutatio, sed interpretatio (ut diximus) voluntatis testatoris. Prætereà in causis piis, quod principaliter intenditur, est bonum animæ testatoris: quapropter ex voluntate illius videtur, si in æquale, aut in melius commutetur, quomodo causa pia magis proficua sit animæ illius, Lucas de Penna *in l. 1. C. de expens. ludor.* Comit. *resp. mor. lib.7. q.9. n.2.* Vasquez *in opusc. de testam. c.8. dub.3. n.104.* Diana *2. p. tract. Miscell. resol.26.*

19 Hęc disputatio sumit resolutionem ex proximè dictis, ubi asseruimus, subsistente causa posse Episcopum ultimas pias voluntates commutare: quapropter ad hanc commutationem, sive in æquale, sive ad melius, causa erit necessaria, qua subsistente, validè poterit fieri, Genuensis *in praxi q.213. n.6.* Attamen non tanta erit necessaria prout in aliis commutationibus requiritur, quo in sensu intelligo DD. asserentes Episcopum in æquale, aut in melius posse pias ultimas voluntates commutare: alteros verò contrarium tenentes, quando nulla adesset causa; nam tunc nequit alterari ultima voluntas defuncti, quantumvis minus utilis, *ex d. l. Contra voluntatem.*

20 Archiepiscopi, & Primates ex eadem causa possunt facere similes commutationes in piis voluntaribus suorum subditorum; non tamen si fuerint suffraganeorum, cùm in eis non habeant jurisdictionem, *cap.1. de offic. Legat. c. Duo simul 9. de offic. Ordin.* nisi causa per appellationem ad eos perveniat, Moneta *d. cap.5. n.286.*

21 Quid verò dicendum de Vicario Episcopi? Et Mohedan. *decis.1. de jurepatr.* Riccius *collect.1270. vers. Limita* asseruere ex causa posse alterare, seu commutare pias ultimas voluntates, quia id continetur in generali commissione. Sed contrarium tenendum, quando Episcopus commodè haberi valet; nam similes commutationes sunt de gravioribus, & quæ habent gravissimam difficultatem, itaq; non censentur concessæ, nisi specialiter mandentur. Tum nam commutatio involvit juris dispensationem, & legis derogationem, quæ minimè committitur, nisi specialiter, & expresse, Abbas *in c. Cum dilecti, de elect. n.10* Capponi *d. discept.103. n.11.* Itaque nisi specialiter Vicario demandetur, nequit facere similes commutationes, Moneta *d. c. 5. n.484.* Barb. *d. alleg.83. n.16. ad fin.* Capponi *d. n.11.*

22 Dixi quando Episcopus valet haberi, veluti si sit intra Diœcesim; nam si ab ea absuisset, & in remotis esset, ubi commodè haberi non valet, tunc poterit Vicarius commutare, aut alterare pias voluntates, causa subsistente, quia tunc difficiliora potest expedire, ut dare dimissorias ad Ordines, *cap. Cum nullus, de temp. ordin. in 6.* Barb. *de univ. jur. lib.1. c.15. n.21.* & Vicarius Archiepiscopi suffraganeos censuris compescit, *c.1. §. fin. de offic. ordin. in 6.* Quapropter poterit in hoc casu absque speciali mandato pias ultimas voluntates commutare, Monet. *d. c. 5. n.487.*

23 Qui *n.491.* scripsit decretum Trid. *sess.25. de refor. cap. 8.* intelligendum esse de Vicario Episcopi, etiam absque speciali mandato. Decernitur ibidem, quod si Hospitalia, quę sunt ad peregrinorum, aut infirmorum, vel ad aliud personarum generis usum destinata, constructa sint in loco, ubi similes personæ perpaucæ reperiantur, sunt convertenda in alium pium usum conformem voluntati fundatoris magis utiliorem: *Prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendos, magis expedire visum fuerit.* Illud enim verbum *Ordinario*, Vicarium generalem Episcopi comprehendit, quapropter non indiget speciali mandato.

24 Quod idem admittunt Mohedanus *d. decis.1. de jurepatr.* Moneta *d. c.5. n.492.* quando voluntas testatoris non est adimpleta juxta clausulam testamenti. Quorum doctrinam non admitto, si gravis sit alteratio, seu commutatio; nam esset res ardua, necessario etiam ex causa ab Episcopo expedienda, aut de ejus speciali mandato: si verò alteratio sit levis, illam admitterem, ut admitto quando Vicarius Episcopi ex causa prorogaverit terminum à lege, vel à Synodali constitutione statutum ad adimplendam voluntatem defuncti, si prorogatio sit brevis, ut libet intelligere eundem Moneta *d. cap. 5. n. 493.*

25 Capitulum Sede vacante per obitum Episcopi, valet commutare ultimas pias voluntates, in quibus de jure communi competit ad Episcopum commutatio; nam jurisdictio ordinaria, quæ Episcopo competit, ad Capitulum Sede vacante transfertur, *c. Cum olim 14. de majorit. & obed. c.1. eod. tit. in 6.* Ergo quoties causa subsistente valet Episcopus pias ultimas voluntates commutare, similiter Capitulum, Sede vacante, Moneta *d. c.5. n 427.* Barb. *d. alleg.83. n.16. vers. Capitulum*, Diana *8. p. tr.4. resol. 34.*

26 Qui quidem excipiunt, quando specialis commissio facta est Episcopo illas commutandi, quia tunc non transit ad Capitulum, Sede vacante, sed ad successorem, *c. Quoniam Abbas 14. de offic. Delegat.*

27 Dices, commutatio ultimarum piarum voluntatum non competit Episcopo, etiam ex causa necessaria, nisi tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, ut cum Barbosa diximus suprà, *d. alleg.83. n.5.* Riccius *2. p. dec.125.* Ergo minimè talis facultas valet transire ad Capitulum, Sede vacante: & ratio est, nã quoties Episcopus procedit ut Sedis Apostolicæ Delegatus, commissio cohæret dignitati, non verò jurisdictioni: quare nequit ad Capitulum Sede vacante transferri, ut in causis delegationis cujuslibet tenent Sahagun *in d. c. Quoniam Abbas ad 3. arg.* Solorz. *de jur. Ind. tom.2. lib.3. c.15. n.4.* Barb. *de offic. Episc. 3. p. alleg.92. à n. 3.* Pavin. *de potestat. Cap. 1. p. q. 10. n. 3. & 4.*

28 Sed tamen respondendum est, Episcopum causa subsistente ultimas pias voluntates commutare de jure communi potestate ordinaria; nam jam diximus talem facultatem illi non esse reservatam, & consequenter concessam; illud enim à multis Doctoribus admissum est, ut Episcopi in sua Diœcesi possint quidquid potest Pontifex, nisi ei specialiter reservetur, Cevall. *commun. q.227.* Sanch. *de matrim. l.1. disp.61. n.3.* Palao *in oper. mor. tr.3. disp.6. p.4.* Lessius *de just. l.2. c.40. dub.13. n.103.* quare hæc facultas ad Capitulum Sede vacante omninò transit, Diana *8. p. tr.4. resol.1.*

29 Nec huic responso obstat locus Concil. Trid. *sess. 22. c. 6.* unde assumunt aliqui Doctorum facultatem commutandi ultimas pias voluntates Episcopis competere, uti Delegatis Sedis Apostolicæ: nam Concilium loquitur tantùm quando commissio facta est à Pontifice; tunc enim ad effectum investigandi, an fuerit tacita veritas, aut falsum suggestum, Episcopi ut Delegati Sedis Apostolicæ procedunt; non verò loquitur quando subsistit causa, & in virtute illius vult Episcopus commutare, Tondutus *d. c. 103. n.7.*

30 Prætereà licet velis admittere hanc facultatem simpliciter esse delegatam Episcopis, ex dicto decreto Trid. *d. c.6.* adhuc dicemus ad Capitulum Sede vacante transire; nam quoties delegatio fit à lege, prout fit in dicto decreto, censetur jurisdictio ordinaria, quia similes delegationes magis censentur ad excitandam jurisdictionem ordinariam, quàm ad delegandam, *c. Nuper 29. vers. In secundo, de sententia excomm.* Henriq. *in Sum. l.2. c.35. §.2. inst. lit. D*, Cenedo *Canon. q.34. n.7.* Salgad. *de retent. Bull. 2. p. c.25. à n. 22.* Itaque ad Capitulum Sede vacante transeunt, ut cum aliquibus docet Diana *d. 8. p. tr.4. resol.2.*

31 De visitatoribus idem est dicendum, ut diximus de Vicariis Episcoporum, qui nequeunt absque speciali mandato pias ultimas voluntates commutare, Monet. *d. c. 5. n.406.*

32 Causæ verò commutationum plures recensentur, verùm Monet. *c.6. n.83.* quatuor refert, nempe causas necessitatis, utilitatis, pietatis, & incommodationis; aut majoris utilitatis, glos. *in sum. 12. q.2.* Capponi *d. discept.103. n.18.* Quare recta erit causa, quando pecunia quæ legata est ad aliquem usum, non sufficeret; tunc enim arbitrio Episcopi relinquitur, ut in aliud pecuniam illam convertat, proximius voluntati testatoris, Riccius *collect.558. vers. Tertia causa*, Moneta *d. c.5. n.130.* Barb. *d. alleg.83. n.7.* Molina *d. disp.249. nu. 6.* Quod ita interpretandum si pecunia designata à testatore taxativè relicta sit, ita ut nollet ampliùs hæredem gravare: si

verò

verò demoustrativè, itaut si defecerit, debeat ab illo præstari, secus dicendum est, Moneta *d. c.6. n.* 130. Veruntamen quando relinquatur demonstrativè, aut taxativè, alibi dicemus. Interim vide Monet. *d. c.6. n.*193.

33 Similiter erit causa quando usus ad quem legatum factum est, nequit adimpleri; tunc enim in alium commodum pium usum valet ab Episcopo diverti, Carpio *d. c.4. n.*31. Molina *d. disp.*249. *n.6.* Quod quidem non solum intelliges si impedimentum sit facti, veluti si testator præceperit Monasterium fieri certo loco; attamen difficile sit ibidem fieri; tunc enim arbitrio Episcopi ad alium locum transfertur, *c. Nos quidem* 3. *de testam.* quod intelligas quando impedimentum est perpetuum, non verò temporale, quia sperandum est, ut removeatur, *c. Non est* 5. *c. Super his* 8. *de voto*.

34 Verum similiter teneas, si impedimentum sit juris, quia interdictum est tale legatum exequi, utpotè ædificare Monasterium in loco campestri; tunc enim debet in alium usum converti ab Episcopo, Moneta *d. c.5. n.*322. Lara *d. l.*1. *c.*14. *n.*27. Barb. *d. alleg.* 83. *à n.*8. Sanch. *cons. l.* 4. *c.* 2. *dub.* 4. *per tot.* Layman *in Sum. l.*4. *tr.*2. *c.* 13. *n.* 13. Est tamen animadvertendum, quod quoties remedium designatum est à testatore, veluti si dicat, *Quod si id pium fieri non valeat, in aliud certum convertatur*, commutationi non erit locus; est enim à testatore sufficienter provisum: veluti quando interdixisset in alium usum diverti, quia tunc hæredibus repetitio competeret, *l. Liberto* 21. §. *Lucius Titius* 3. *ff. de annuis legat. l. Quidam prædia* 17. *ff. de usu, & usufr. legat.* Lara *d. nu.* 27. Sanch. *d. dub.*4. *n.6.*

35 Est etiam sufficiens causa ad commutationem, quando aliquid relinquitur ad usum non necessarium in aliqua Ecclesia, utputa ad illam pingendam, quæ ruinam minatur; tunc enim illa pecunia potest diverti ad reparationem illius: quę quidem commutatio magis ex voluntate testatoris procedit, quàm ex aliqua alteratione illius; nam qui ornatum Ecclesiæ desiderabat, si ruinam animadvertisset, majori ratione intendisset reparare, *l. penul. ff. de oper. public.* Riccius *collect.* 1270. *vers. Limita* 2. Marta *de jurisd.* 4. *p. casu* 74. *nu.* 10. *&* 11.

36 Unde aliqui resolvuntur casus, & in primis an pecunia, quæ relinquitur pauperibus distribuenda, possit ad fabricam Ecclesiæ converti. Tum legatum factum Ecclesiæ pro ornamentis, & fabrica, valet in alium usum converti consimilem & necessarium, causa existente. Simili modo si testator reliquerit aliquam pecuniam pro Anniversario celebrando in Ecclesia, quæ indiget reparatione, nec sit aliunde unde reparari possit, valet Episcopus tale legatum in Ecclesiæ reparationem convertere: quo quidem casu censeo, quod si Ecclesia habeat unde Anniversarium adimpleat, teneri illud adimplere. Denique si pecunia relicta fuerit ad fabricandam Capellam, ubi aliæ sunt plures ad sufficientiam, & Ecclesia indigeat reparatione, poterit Episcopus ad reparationem applicare. Similiter si relinquatur pecunia ad ædificandam Ecclesiam in Civitate, ubi sunt plures minantes ruinam, ad earum reparationem poterit Episcopus illam designare. Congesserunt Monet. *d. c.5. n.* 354. Lara *d. c.*14. *n.*29. *&* 30. Genuensis *in prax. tricen.* 8. *q.*213. Barb. *d. alleg.*83. *n.*12. *& de univ. jur. lib.*3. *c.*27. *n.*47. Sanch. *d. c.*2. *dub.*7. *n.* 2. de Lugo *de just. disp.*24. *sect.*13. *n.*311.

37 Deinde est altera causa, quando necessarium est paramenta Sacra emere; tunc enim potest Episcopus redditus alicujus Capellæ pro Missis dicendis deputatos, pro unica vice ad ornamentorum emptionem convertere. Ita decisum refert Riccius *d. collect.*558. *vers. Quinta causa, &* 2. *p. dec.*125. *n.9.* Quod idem confirmarunt alteri, asserentes pro unica vice posse Episcopum eum consensu Patronorum, aut hæredum alterare ultimam voluntatem, Barb. *d. alleg.*83. *n.*14. Sanch. *d. c.*2. *dub.*7. *n.*2. de quo alibi dicemus. Non est tamen obliviscendum, paupertiem, aut indigentiam unius Ecclesiæ, sufficientem esse causam, ut possit Episcopus alterius ditioris pecunias illi concedere ad reparationem, vel ad ejus sublevandam indigentiam, Laym. *in Sum. lib.*4. *tr.*2. *c.*13. *n.*16.

Præterea causa erit quando opus pium nec respicit certam causam, nec personam; tunc enim poterit commutare, quia id suo arbitrio relinquitur, Guido Papę *dec.*556. Quod idem dicendum est, si dubia sit voluntas fundatoris, cùm hęc sit interpretatio, Genuensis *d. q.* 213. *n.*4. Layman *l.4. tr.*2. *c.*13. *n.*17. Cui adjungere libet negligentiam alicujus Ecclesiæ, ad quam pertinet adimplementum alicujus causæ piæ, quam si adimplere renuerit, poterit Episcopus in alio loco, aut alio modo exequi voluntatem testatoris, Moneta *d. c.*5. *n.*335. qui cum Lapo asserit, testatore aliquid pium præcipiente, ut tempore certo, & cum circumstantia ab eo præscripta exequatur, si tamen tempore illo non exequatur, nec valeat exequi, rejecta illa circumstantia potest Episcopus jubere, ut executioni mandetur, Barb. *ad Conc. d. sess.*22. *c.*6. *n.*8. 38

Est denique causa quando urget necessitas commutandi ultimas pias voluntates, nec Summus Præsul potest adiri; nam in casu urgentis necessitatis, quando ad Pontificem non patet aditus, potest Episcopus facere quidquid fecisset Pontifex, Ojeda *de incomp.* 2. *p. c.*12. *n.* 23. Sanch. *de matrim. lib.*2. *disp.*40. *n.*3. idque ex voluntate præsumpta illius, Moneta *d. cap.*5. *n.* 348. Barb. *d. alleg.* 83. *n.* 16. *& ad Concilium d. cap.*6. *n.9.* 39

Rursus in hoc capite illud est observandum, ad commutationes faciendas non requiri, ut Episcopus sit consecratus, sufficit enim quod tantùm sit confirmatus; nam tunc habet administrationem, & valet exercere suam jurisdictionem, *c. Cum in cunctis* 7. §. *Cum vero, cap. Transmissam* 15. *de elect.* Quapropter poterit commutare ultimas pias voluntates: quod secus erit si tantùm fuerit electus, aut postulatus, cùm adhuc jurisdictionem non habeat, *c. Postulationem* 5. *& c. fin. de postulat. Prælat.* Moneta *d. c.*5. *n.*382. qui *n.*380. scripserat non posse Episcopum commutare ultimas pias voluntates subditorum Prælatorum inferiorum, nisi data eorum negligentia; tunc enim Episcopus valet supplere eorum negligentiam, Rota 2. *p. divers. decis.* 159. *n.*1. Quarant. *de Archiep. authorit. n.*21. 40

In his verò commutationibus, si adsint hæredes, aut Patroni, eorum consensus requiritur, qui si dissentiant, ad legati executionem Episcopus procedet; si verò hæres resistat, & consentiat Ecclesia, id prævalet, ut cum Genuensi & aliis tenet Barb. *d. alleg.* 83. *n.*5. Sanch. *d. lib.*4. *cap.*2. *dub.* 5. *n.* 2. Layman *d. c.*13. *n.*17. 41

Denique curet Episcopus, ut quando aliqua commutatio facienda est, quantum fieri valeat, observetur voluntas testatoris; nam si Missæ, aut eleemosynæ fuerint, in id fiat commutatio, itaut ad aliam rem commutatio non extendatur, si possibile est, *l. Legatum* 5. *ff. de administrat. rer. ad civ. pertin.* Trid. *sess.*25. *de Ref. c.*8. Molina *d. disp.*249. *n.6.* Sanch. *d. c.*2. *dub.*6. de Lugo *d. disp.*24. *sect.*13. *n.*307. 42

LIBER SECUNDUS.
DE CAUSIS PIIS IN SPECIE.
De Missis, de stipendio Missarum, ac earum Legatis, & Anniversariis.

CAPUT PRIMUM.
De Missis, & earum effectibus.

SUMMARIUM.

Missa unde dicatur, & quid sit, à num.1. Semper Missa fuit in Ecclesia, num.5. Offertur Deo, & est verum Sacrificium, num.6.
Refelluntur heretici negantes Missam esse verum Sacrificium in Ecclesia, num.7.
Missa Sacrificium singulare est in lege gratiæ, num.8.
In primitiva Ecclesia triplex fuit Missa, matutina, vespertina, & nocturna, num.9. Explicatur caput 48. de consecrat. dist.1. *num.10. & 11. Post meridiem Missa non potest celebrari, num.12. & 14. Missa vespertina quid, num.13.*
Missa nocturna Sabbati sancti, qua hora dicebatur, n.15. & 16. Missa nocturna Primitiva Ecclesiæ, num.17.
Missa Sacrificium excellentiores effectus habet, quàm vetera sacrificia, num.18. Refelluntur heretici, num.19.
An Sacrificium Missæ habeat aliquem effectum ex opere operato, à num.20. affirmatur, num.21.
Disceptatur an hoc Sacrificium habeat vim remittendi peccata mortalia ex opere operato, à num.22. Referuntur sententiæ, & resolvitur, à num.24.
An remittat peccata venialia, à num.27. Referuntur tres sententiæ, & affirmative resolvitur, num.30. An effectus iste sit infallibilis? respondetur affirmativè, num.31.
Sacrificium Missæ est satisfactorium, delens pœnam pro peccatis, à num.32. & quomodo, num.33.
Refelluntur heretici negantes hoc Sacrificium prodesse defunctis, num.34. & negantes Purgatorium, à num.35.
An hic effectus sit infallibilis, à num.37. Contra aliquos affirmativè resolvitur, ibid.
Alius effectus hujus Sacrificii est impetratorius, qui non est certus, nec determinatus, & solet non impetrari, à num.38. ad 40.

1 INter alia opera pia, quæ magis apud Christi fideles micant, illa sunt quæ tendunt ad Sacrificium Missæ peragendum: quamobrem in libro hoc totus versabitur tractatus de Missis. Hæretici qui in rebus Fidei passim delirant, variis modis optimum Missæ Sacrificium contundere tentant. Lutherani in etymologia verbi impudenter loquuntur; asserunt enim nomen esse Hebraicum, apud Daniel. *cap.11. Deum autem Maozim colet in loco suo*. Istinc intendunt probare, Missam esse arcem Antichristi Romani, id est Papæ, quia ex providentia Divina factum est, ut Missa congrueret cum Deo illo Antichristi.

2 Sed Bellarmin. *de Miss. lib.5. cap.1.* eos solidissimis fundamentis revincit: estque textus ille intelligendus de Antichristo, qui Deum Maozin, id est Diabolum, colet: non tamen de Pontifice Romano; nam ut ipsi Lutherani fatentur, post annum Domini 600. natus est Antichristus, verùm antea Missa in Ecclesia Dei celebrabatur. Reprobant etiam Pasqual. *de Sacrif. Missæ, tract.1. quæst.1. num.1.* Torrebl. *de jur. spirit. lib.2. cap.8. num.2.*

3 Est enim melior etymologia, ut verbum *Missa*, nec Hebræum, nec Græcum sit, sed Latinum; dicta enim est à mittendo, prout etiam Ethnici usurpabant; quia quædam pars Hostiæ immolatæ absentibus mittebatur in signum amicitiæ, ut cum Tertulliano, & D. Augustino ostendit Torrebl. *dict. cap.8. num.6.* Inter Catholicos à duabus significationibus dicitur Missa, à mittendo, aut quia in fine Missæ catechumeni mittebantur, dicendo: *Ite Missa est, cap. Episcopus 67. de consecrat.* ubi Scribentes. Concilium Carthag.4. *cap.84.* Illerdense *can.4.* Laodicense *can.19.* D. Gregor. *lib.2.* Dialog. *cap.2.* D. August. *serm.237.* aut quia peracta Missa mittitur populus: aut quia per consecrationem mittitur nobis Christus, & post sumptionem eum mittimus ad Patrem. S. Thom. *in 4. dist.13. quæst.4. & 3. part. quæst.83. art.4.* Bellarm. *d. cap.1.* Azorius *Instit. Mor. 1. par. lib.10. cap.8. vers. Quæres*, Villalob. *in Sum. 1. part. tract.7. diff.3. num.1.* de Lugo *de Euchar. disp.19. sect.2. num.17.* Pasqual. *d. quæst.1. à num.3.*

Missa definitur: *Est sacrificium solemne, in quo offertur Christus Deo Patri sub speciebus sacramentalibus panis, & vini consecrati.* Quoad substantialia Christus Dominus illam instituit, nempe consecrationem, oblationem, & sumptionem; licèt quoad ritus, & alias deprecationes, tam antecedentes, quàm subsequentes, institutio sit Pontificum, quorum aliquas D. Petrus composuit, ut observat Isidorus *lib.1. de Ecclesiast. offic. cap.15.* S. Thom. *3. part. quæst.38. art.2. ad 5.* Bellarm. *lib.4. de Eucharist. cap.14. argum.9.* & ipse primus in Antiochia Missam celebravit: quod idem fecerunt S. Andreas, & S. Jacobus Minor. Concilium Trullense *can.32.* & cæteri Apostoli, prout probant PP. ex Act. Apost. *cap.13. vers.2.* ibi: *Ministrantibus illis Domino*; ubi ex nomine Græco λειτουργούντων, intelligitur Missa, ut cum D. Dionys. probat Torrebl. *d. cap.8. num.33.* 4

Unde constat Ecclesiam Dei semper Missam habuisse, ut demonstrant plura Concilia de illa mentionem agentia, *cap. Omnes 69. cap. Missas 64. de consecr. dist.1.* Concilium Romanum sub Sylvester. I. Carthag. 2. *canon.3.* Carth. 4. *can.84.* Illerdense *can.4.* Valentinum *can.1.* Agathense *can.47.* Aurelianense 1. *can.28.* Lantmeter. *de vet. Cleric. vict. 2. part. lib.2. cap.78. vers. Obtinuit.* 5

Missa offertur Deo, & verum, & proprium est Sacrificium. Concilium Nicænum 1. *canon.14.* Tolet.1. *canon.5.* Trident. *sess.22. de Sacrif. Missæ, can.1.* & probatur authoritate Pauli *ad Hebr. cap.7.* ibi: *Translato Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat. cap. Translato 3. de const.* Unde constat in Ecclesia Dei esse Sacerdotium, cujus peculiare est munus hostias offerre, ut ipse docet Paulus *ad Hebr. cap.5. & cap.8.* Ergo necessariò fatendum est, in Ecclesia Dei adesse verum Sacrificium, prout in Missa conficitur. Castro *adversus Hæreses lib.10. verb. Missa, hæres.2.* Bellarminus *de Missa, lib.1. cap.2.* Durant. *de rit. Eccles. lib.2. cap.2.* Vasquez *in 3. part. tom.3. disput.222. num.15.* Lantmet. *dict. cap.78.* Bollo *in œconom. Canon. de Sacrif. Missa*, Pasqualig. *eod. tract. quæst.18.* Marchin. *de Ord. tract.3. par.1. cap.18.* 6

Istinc plura Hæreticorum deliramenta refelluntur, negantium institutionem Missæ factam fuisse à Christo Domino: tum & esse commentum ex muneribus, quæ in medio mittebantur in cœnam, ut postea pauperibus elargirentur. Verumtamen agapes istæ cœnæ, Missæ non erant, sed convivia pauperum, modesta, & politica, ut colligitur ex Tertulliano *in Apologet. cap.39.* Augustino *lib.10. contra Festum, cap.21.* Tum dum negant in Ecclesia Dei adesse verum, & proprium Sacrificium, & alia quæ congesserunt Castro, Bellarminus, & alii suprà allegati. Henriquez *de Missa, lib.9. cap.1. num.4.* March. *d. 2. part. à cap.20.* 7

8 Sacrificium verò, quod in Missa peragitur, singulare est, nec in lege gratiæ datur alterum; quapropter singulare vocat Concil. Tolet. 12. *can.*5. Tridentin. *sess.*22. *in princ.* Augustin. *lib.*10. *de Civit. Dei*, *cap.*20. Ratio est; nam in Ecclesia habemus hostiam vivam, & infinitam, quam quotidie offerre possumus: quapropter necessarium non est aliud Sacrificium. S. Thom. 3. *part. quæst.*74. *art.*2. *ad* 1. Vasquez *in* 3. *part. disp.*221. *cap.*6. Leander à Sanctiss. Sacram. *tract.*8. *de Sacrif. Missa*, *disp.*1. *quæst.*51, Villalob. *d. tract.*7. *diff.*3. *n.*7. Pasqual. *quæst.*24.

9 Sed licèt in Ecclesia sit unicum Sacrificium, attamen priscis temporibus triplex fuit Missa, non quia essent diversa Sacrificia, verùm ratione temporis, quo dicebantur, nomenclaturam triplicem susceperunt. Prima dicebatur Matutina; hæc enim dici poterat ab Aurora, id est à primo lucis crepusculo usque ad meridiem, *cap. Necesse* 51. *de consecr. dist.*1. ratio afferti est, nam cùm Christus Dominus in Missa offeratur, qui est candor æternæ lucis, juxta illud Joannis *cap.*9. *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est*, Missa celebratur quando dies continet majorem lucem crescentem, non verò decrescentem, à meridie usque ad noctem. D. Thom. 3. *part. quæst.*83. *art.*2. Durand. *in* 4. *dist.*33. *qu.*2. Sot. ibid. Azor. 1. *part. lib.*10. *cap.*25. *q.*1. Huelam. *de Miss. lib.*2. *cap.*12. Pasqual. *qu.*396. *à n.*1. hæc enim dicebatur Missa matutina, cujus tempus hodie ad dicendas Missas observatur.

10 Sed contra est Telesphori decretum *in cap. Nocte Sancta* 48. *de consecr. dist.*1. ubi decernitur, Missam usque ad horam tertiam dici non posse; nam illa hora Christus Dominus crucifixus est, & in eadem Spiritus Sanctus ad Apostolos pervenit. Addunt aliqui dici posse adhuc hodie semihora post meridiem, alii tribus quadrantibus transactis, alteri hora transacta, quod probabilius dicit Leander à Sanctiss. Sacram. *tom.*2. *tract.*8. *disp.*6. *quæst.*11. Denique nonnulli extendunt usque ad tres horas post meridiem. Angelus, & Rosella *verb. Missa n.*46. Navarr. qui de suo facto testatur, *cap.*25. *n.*85. *vers. Est etiam*, Sà *verb. Miss. num.*27. Llamas 3. *part. Method. cap.*5. *& cap.*18.

11 Sed respondetur, decretum Telesphori non loqui de Missis privatis, sed tantùm de solemnibus, & Conventualibus: istæ usque ad horam tertiam dici nequeunt, quia tunc Christus linguis Judæorum crucifixus est. Aliter tempore D. Thomæ observabatur, quia in diebus profestis hora sexta solemnis Missa dicebatur, quando militum manibus crucifixus est; vel diebus jejuniorum hora nona, quando voce magna clamans emisit spiritum. S. Thom. 3. *part. quæst.*8. *art.*2. *ad* 3.

12 Aliæ verò opiniones non sunt facilè admittendæ post Constit. Pii V. quæ in communi sententia obligat ad mortale, Pasqualig. *d. quæst.*396 *num.*6. decernentem ultra meridiem Missam dici non posse; deservire tamen possunt ob parvitatem materiæ ad excusandum à mortali, non verò à veniali. Tambur. *in Meth. celeb. Miss. lib.*1. *cap.*6. §.4. *n.*19. Altera verò sententia asserens post tres horas meridiei Missam dici posse, probabilis non est, eam utique abrogavit Pius V. *d. constit.*106. §.3. Villalob. 1. *par. tract.*8. *diffic.*22. *num.*1. Cruz *de Sacrif. Miss. quæst.*2. *dub.*1. *conclus.*4. Tamburin. *dict. num.*19. Vasquez *in* 3. *part. disp.*232. *cap.*4. *n.*36. Pasq. *à quæst.*411.

13 Secunda Missa dicebatur vespertina. quæ quidem tempore quadragesimali celebrabatur antequam ad prandium Fideles advenirent, *cap. Solet* 5. *de consecr. dist.*1. *cap. Convenit* 13. *de consecrat. dist.*5. *cap. Ordinationes* 7. *dist.*75. *cap. Dilectionis* 12. *dist.*70. Concilium Gerundense *cap.*3. Bracharense *can.* 16. celebratum anno 560. D. Cyprianus *epist.*63. Augustinus *ad Ianuarium epist.*118. *cap.*5. Gregor. *lib.*2. *epist.*3. D. Paulinus clarissimus Poeta D. Augustini coætaneus.

Et serò libatis vespere sacris,
Quisque suas remeare domos.
Tunc ergo solutis cœtibus à Templo
Domini.

Celebratur ergo Missa ista ad horam nonam, est enim locus Rabani Mauri benè rem declarans *de Ecclesiasticis observ. cap.*49. qui de jejunio quadragesimali differens, hæc verba contexuit: *His quatuor diebus similiter jejunare debemus, si cum his quadragesimale jejunium adimplere volumus. Vnde Missa in his diebus non ad sextam, sed ad nonam meritò celebratur; est enim Ecclesiastica consuetudo, ut ad nonam reficiamur, cùm ad sextam celebramus; ad vesperam, cùm ad nonam sacrificamus. Vt ergo in his diebus usque ad vesperam jejunamus, canonicum est, ut Missam ad nonam celebremus.*

Hodie verò erat peccatum mortale tempore vespertino Missas dicere, etiam anticipando Missam sequentis diei: quod constat ex constitutione Pii V. in qua revocat omnes licentias, & concessiones dicendi Missas vespertinas, ac prohibet celebrare in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna perpetuæ suspensionis in divinis: unde colligitur, constitutionem illam obligare ad mortale, ut censuit Pasqual. *quæst.*397. *num.*9. 14

Tertia fuit Missa quæ celebrabatur in nocte Sabbati Sancti, & dicebatur nocturna, *cap. Quid à patribus*, *dist.*75. *cap. Solent* 50. *de consecr. dist.*1. *cap. Ordinationes* 7. *dist.*75. Verùm qua hora dicebatur, incertum est: aliqui post mediam noctem Sabbati Sancti celebrari asseruere. Vasquez *in* 3. *part. disput.*233. *cap.* 2. *num.* 15. Suarez *in eadem* 3. *part. disput.*80. *sect.* 2. *in fine*, Fagundez *in Decalog. lib.* 3. *cap.*15. *num.*18. 15

Alii contrarium tenuere, asserentes sole jam occiduo, apparente prima stella in nocte Sabbati Sancti, celebrari consuevisse. Usque ad illam horam legebantur prophetiæ, benedicebatur Fons, catechizabantur, & baptizabantur catechumeni, & incipiente nocte resurrectionis, cantabatur Missa cum lætitia, ut ex ordine Romano desumit de Lugo *de Euchar. disp.*20. *sect.*1. *num.*16. sed nunquam post mediam noctem celebrabatur. Raban. Maur. *lib.*2. *de inst. Clericor. cap.*38. Gavant. 4. *part. in rub. Miss. tit.*10. *n.*45. Leander *d. tract.*8. *disp.*6. *quæst.*8. Garcia *in Summ. tract.*3. *diff.*2. *punct.*2. *num.*13. 16

In primitiva verò Ecclesia fuit alia Missa nocturna, quæ ante horam tertiam diei celebrabatur, quando in singulis Ecclesiis unica tantùm Missa occultè celebrari consueverat, quia nondum Christiani habebant liberum exercitium Religionis, de qua est textus *in cap. Nocte Sancta* 48. *de consecr. dist.*1. Pasqual. *quæst.*396. *num.*2. quod quidem in desuetudinem abiit. 17

His igitur prænotatis, ut animos Fidelium alliciamus ad insigne opus pium procurandum, aliqua de effectibus, & valore tanti Sacrificii differere censuimus. Et in primis certum est, Missæ Sacrificium excellentiores effectus habere, quàm omnia Sacrificia veteris legis: quapropter aliquando dicitur Holocaustum, Hostia pro peccato, & Hostia pacifica. Hostia pro peccato, quatenus per hoc Sacrificium consequimur remissionem pœnæ debitæ propter culpam. Hostia pacifica, in quantum consequimur gratiam justificantem, augmentum, & perseverantiam illius. Garcia *dict. tract.*3. *punct.*1. *num.* 1. *dub.*6. qui *num.* 3. animadvertit, quia plures sunt qui concurrunt ad hoc venerabile Sacrificium, utpote Christus Dominus principalis Sacerdos, Ecclesia designans ministrum, celebrans ut persona particularis, qui stipem dat, & porrò qui adjuvant & assistunt, effectus non solùm multos esse, sed diversos. Layman *in Sum. lib.*5. *tract.*5. *de Sacrif. Miss. cap.*3. *num.*8. 18

Hæretici licèt hoc Sacrificium honorarium dicant, abnegant tamen propitiatorium esse pro peccatis, nec offerendum pro vivis, sed pro celebrante, nec defunctis prodesse. Ast contrarium de Fide decrevere Concil. Bracharens. 3. *can.*1. Trident. *sess.*22. *de Sacrif. Miss. can.*3. Hieron. *cap.*1. *in Epist. ad Tit.* Gregor. *lib.*4. *Dialog. cap.*58. Est ergo hoc juge Missæ Sacrificium propitiatorium, hoc est remissivum peccatorum, satisfactorium pro pœnis illorum, & impetratorium bonorum spiritualium, ac temporalium saluti expedientium. Henriquez *lib.*9. *de Miss. cap.*12. *n.*3. Garc. *dict. punct.*1. *num.*4. Bellarm. *lib.*6. *de Mis. cap.*2. Pasqual. *à quæst.*54. Torrebl. *de jur. spir. lib.*2. *cap.*8. *à n.*22. plures Barbosa *ad Concil. d. sess.*22. *can.*3. *n.*3. Palao 4. *tom. tract.*22. *punct.*6. *num.*1. 19

Est difficultas, an habeat aliquem effectum ex opere operato, id est virtute ipsius Sacrificii, in divina promissione fundatum? Abnegarunt Sotus, & Cajetan. apud Petr. de Soto *lect.*7. *de Euchar.* Ratio est, quia de tali promissione non constat: quapropter Tridentinum, licèt quando agit de Sacramentis, dicat conferre gratiam ex opere operato; attamen quando agit de Sacrificio Missæ, nihil agit de aliquo effectu illius ex opere operato. Signum ergo est, nullum effectum habere ex opere operato. Hæc sententia deserta est à DD. nam Sotum, & Cajet. illam non tenuisse, ostendit Suar. *in* 3. *part. disp.*79. *sect.*1. 20

Quare

21 Quare asserendum est contrarium ex Trident. *sess.22. cap.1. & 2.* ubi clarè docet hoc Sacrificium applicare aliquem effectum redemptionis Christi, remittere ingentia peccata, & alia efficere: quæ quidem applicatio fit ex Christi institutione, & ideò causalitatem habet ex opere operato; nam si solùm esset ex merito, & satisfactione operantis, nihil haberet singulare hoc Sacrificium ex vi suæ institutionis, nec superaret Sacrificia veteris legis, aut naturæ; nam illa habebant effectum ex opere operantis, & per modum impetrationis. Cæterùm ab inconvenienti probatur; nam alias Missa pessimi Sacerdotis nihil valeret. Suarez *dict. sect.1. vers. Dico primo*, Bellarm. *de Miss. lib.2. cap.4.* Trullench *de Sacram. lib.3. cap.8. dub.5. n.1.* Leander *d. tract.8. disp.3. qu.1.* Pasqual. *qu.57. n.4.* Covarr. *in cap. Alma 1. par. §.5. n.6.* March. *d. Ord. tract.3. 2. par. cap.10. n.1.*

22 Cæterùm dubium est, an Missæ Sacrificium habeat vim remittendi peccata mortalia, & conferendi primam gratiam ratione rei oblatæ ex opere operato, non per mutationem actus attritionis ad contritionis actum, sed per infusionem habitualis gratiæ, qua ipsa attritio formatur, sicut in Baptismo, & Pœnitentia. Prima sententia affirmat ex verbis, quæ dicuntur in consecratione Calicis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Tum ex Trident. *sess.22. cap.2.* ubi dicitur misericordiam per hoc Sacramentum consequi; ac gratiam inveniri, *cap. Cum omne 7. de consecr. dist. 2.* Deinde probatur ratione; nam Sacrificium quod Dominus in Cœna obtulit, pro remissione peccatorum fecit: ergo sicut illud remisit peccata, ita Sacrificium Missæ, ut ex Gabriele nonnulli colligunt. Verùm ut advertit Suarez *sect.3.* nec ab illo, nec ab alio hæc doctrina percipi valet.

23 Secunda sententia tenet contrarium, idque probat; nam Sacrificium hoc non habet effectum, nisi in homine justo: quare nequit ex opere operato conferre primam gratiam; nec enim justis augmentum gratiæ confert ex opere operato, ut ex communi sententia docet Palao *d. punct.6. num.5.* idcircò neutiquam confert primam gratiam ex opere operato, ut tenent Canus, Lyndanus, & Ayala, quos refert Suar. *dict. sect.3. vers. Secunda sententia*, Leander *d. tract.8. disp.3. quæst.2.*

24 In hoc dubio negandum non est, hoc Sacrificium habere vim remittendi peccata, ut ostendit Trident. *d. sess.22. cap.2. & 3.* & PP. communiter. Origen. *in Levit. cap.23.* Cyrill. *catech.5.* August. *in Levit. tom.4. lib.3. cap.57.* Ambrosius *lib.1. offic. cap.48.* est locus Pauli *ad Heb. cap.5.* ibi: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.*

25 Hæc verò remissio quoad peccata mortalia, non datur ac causatur per Sacrificium Missæ immediatè ex opere operato, sed tantùm mediatè, per gratiam prævenientem, & excitantem homines pro aliquo motu ad pœnitentiam, ut benè explicat Trident. *dict. cap.2.* ibi: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Cæterùm ab inconvenienti probatur; nam sequeretur, ut qui scivisset pro se Sacrificium oblatum fuisse, posset absque prævia confessione accedere, urgente necessitate, ad Communionem, quod absurdum est: ergo asserendum non est, hoc Sacrificium dare primam gratiam his qui peccato mortali sunt irretiti ex opere operato immediatè, ut dat Baptismus, & Pœnitentia. Suar. *d. sect.3.* Bellarm. *lib.2. de Miss. cap.4. vers. Secunda propositio*, Villalob. *dict. diff.8. n.3.* Leander *disp.3. qu.3.* Layman *dict. tract.5. cap.1. à n.4.* Pasqual. *q.63. n.8.* Palao *d. punct.6. n.3.* Barbosa *in collect. ad Concil. dict. sess.22. num.4.*

26 Est tamen adnotandus P. Suarez *sect.4. vers. Dico secundò*, asserens hoc Sacrificium Missæ per accidens dare non posse immediatè primam gratiam. Verùm Valent. *disp.6. quæst.9. punct.1. §.22.* & alii apud ipsum contrarium censuerunt; nam Sacramenta, licèt vivorum, quamvis per se non causent primam gratiam, per accidens tamen conferunt illam, utpote quando quis se contritum, aut rectè confessum existimat, & accedit ad Sacramentum vivorum. Ergo similiter dicendum est de hoc Sacrificio. Dicit probabile Leander *d. disp.3. quæst.6.* Pasqualig. *d. quæst.63. num.6.* Marchin. *dict. cap.10. num.7. & num.11.* sed in hoc admitto Suarez.

27 Gravissima verò adest difficultas circa peccata venialia, an per hoc Sacrificium immediatè remittantur, an mediatè per motum pœnitentiæ, ut peccata mortalia: In hoc dubio tres sunt sententiæ. Prima asserit, non remitti nisi mediatè per motum pœnitentiæ; nam nullo modo constat hanc efficaciam remittendi immediatè peccata venialia huic Sacrificio Dominum concessisse: ergo dicendum est tantùm illa remittere per impetrationem motus pœnitentiæ, ut diximus in mortalibus. Suarez *in 3. par. d. disp.79. sect.5.* Vasquez *in 3. part. disp.228. cap.3.* Layman *d. cap.1. n.6.* Petrus de Ledesma *cap.17. de Euchar.* Bonac. *de Euchar. quæst. ult. punct.3. n.5.* de Lugo *de Eucharist. disp.19. n.152.* Palao *dict. punct.6. n.6.* Pasqual. *quæst.68.*

Secunda sententia tenet contrarium ex Trident. *d. cap.2.* 28
ubi dicit offerri hoc Sacrificium pro Fidelium vivorum peccatis: quod libet intelligere de peccatis venialibus immediatè ex vi Sacrificii, prout decerpitur ex verbis ipsius Concilii, ex quibus pondus fieri valet *in cap. Iteratur 71. & in cap. Vtrum 72. de consecrat. dist.2.* Ratione probatur, nam hoc Sacrificium ex sua primaria institutione institutum est ad delendos defectus amicorum Dei, quæ sunt peccata venialia: ergo immediatè, & per se illos delet. Denique, nam in probabili sententia, Sacramentalia delent peccata venialia ex opere operato: ergo à fortiori Sacrificium Missæ, ut eum D. Thoma docet Henriquez *de Missa, lib.9. cap.13. à num.2.* Nugnus *in 3. part. tom.1. quæst.83. art.1. conclus.6.* Garcia *in Summa, tract.3. diffic.1. punct.4. num.36.* Diana *3. part. tract.4. resolut.39.* Leander *d. disp.3. quæst.7.*

Tertia sententia est Azorii *1. part. Instit. Moral. cap.20.* 29
quæst.4. distinguentis, an hi pro quibus Missæ Sacrificium offertur, illam petierunt, aut egerunt ut celebraretur pro ipsis, in suorum peccatorum remissionem; & in his asserit immediatè peccata venialia remitti per hoc Sacrificium: secus autem si pro illis offeratur, qui nihil de Sacrificio cogitarunt, aut illius non meminerunt; his igitur mediatè fieri remissionem peccatorum venialium.

Ast secunda sententia satis probabilis est, ut fatentur Cruz 30
de Sacrif. Miss. quæst.1. dub.4. conclus.11. Trullench *lib.3. de Sacr. cap.8. dub.5. num.7.* nam testimonia sacra suprà recensita, hanc remissionem peccatorum, ut propriam hujus Sacrificii prædicant, quod de mortalibus non intelligitur: ergo intelligenda sunt de venialibus. Præterea Henriquez *dict. cap.13. num.2.* asseruit peccata venialia dimitti absque nova infusione gratiæ; quod licèt non sit certum, probabilissimum tamen est: quapropter licèt hanc opinionem sequamur, necessarium non est fateri Sacrificium esse Sacramentum; aut etiamsi contrariam sententiam sequamur, nihil refert, cùm probabile sit, hoc Sacrificium augmentum gratiæ conferre. Garcia *d. punct.4. num. fin.* Ergo ut probabilis saltem sequenda est secunda sententia. Marchin. *dict. cap.10. num.18.*

Istos verò effectus, prout explicati remanent, nonnulli 31
infallibiles esse negant, ut Suarez *d. disput.79. sect.3. in fin.* Vasquez *d. disp.228. num.21.* Hurtado *de Eucharist. cap.3. diffic.1.* Ast in his effectibus, quos ex sua primæva institutione Sacrificium Missæ confert, dum tamen nullus obex opponatur, infallibiles esse certius est; valet tamen obex objici habendo actualem affectum ad ipsum peccatum, aut non habendo dolorem de illo, aut ad Missæ mysteria non attendendo, vel alia motiva non considerando, sed ad alia mentem distrahendo. Leander *d. disp.3. quæst.4.* Ratio est, nam Sacrificia vetera expiatoria effectum habebant expiandi & purgandi, prout habebant à sua institutione. Ergo etiam nostrum Sacrificium, cùm excellentius sit, de Lugo *de Euchar. disput.19. sect.9. à num.143.* Leander *d. quæst.4.* Laym. *d. cap.1. n.7.* Pasqual. *quæst.70.*

Hæc enim quoad effectum propitiationis dicta sufficiant: 32
transeamus ad aliud satisfactionis, nempe delendi pœnam pro culpis debitam secundùm modum, & mensuram institutionis Christi: quem effectum hoc Sacrificium habere, probatur ex Trident. *sess.22. cap.2. & canon.3. & sess.25. de Purgator.* ubi decrevit ad satisfaciendum pro Animabus Purgatorii prodesse Fidelium suffragia, *Potissimum verò acceptabile Altaris Sacrificium juvare*; idque immediatè, & ex opere operato: & probatur, nam ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, erat necessarium in Ecclesia immediatum remedium ex Christi institutione, quod non fit per Sacramenta, quia licèt fiat per Sacramentum Pœnitentiæ, per accidens est: ergo necessariò debet fieri per hoc

Sacrificium, ut cum D. Thoma tenet Suar. *disp.79. sect.6.* de Lugo *d. sect.9. à num.*153. Trullench *d. cap.8. dub.5. n.8.* Hurtad. *de Sacrif. Missa disp.3. diffic.4.* Azorius 1. *p. lib.*10. *cap.*20. *n.*3. Garcia *d. dub.7. punct.*5. Pasqual. *quæst.*72. Barbosa *ad Trid. sess.*22. *cap.*2. *num.*5.

33 Advertendum cum Laym. *d. cap.*1. *num.*5. Sacrificium Missæ hunc effectum præstare diverso modo ac Sacramenta conferunt; ista etenim concedunt sumentibus, vel aliquo modo cooperantibus, si adulti sunt: ast Sacrificium Missæ non tantùm hunc effectum confert sumentibus, verùm etiam aliis pro quibus offertur, licèt nihil facientibus, aut nescientibus, juxta verba Christi, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*; est enim effectus iste primarius hujus Sacrificii, ut *ex lib.2. cap.*12. *Matth.* demonstratur. Bonacina *d. disp.4. punct.3. num.*3.

34 Adest controversia cum hæreticis, an hoc Sacrificium prosit defunctis ad pœnæ satisfactionem? Lutherus ut anniversaria, & memorias defunctorum everteret, abnegavit Purgatorium esse locum ubi animæ detinentur ad satisfaciendum pro pœnis temporalibus ex culpis nondum perfectè solutis. Arrius verò licèt Purgatorium non negavit, asseruit Sacrificium Missæ non esse offerendum pro mortuis.

35 Verum hæ hæreses facilè revincuntur; certum enim de Fide est adesse Purgatorium, & definitum ex Trident. *sess.25. de Purgat.* & ratione probatur; nemo enim gloriam ingreditur, si adhuc aliqua polluatur macula. Isai. *cap.*35. *Via Sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus.* Apocal. cap.21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Paulus ad Ephes. cap.5. *Sponsus ejus Christus sanctificabit, mundans eam lavacro aqua in verbo vita: ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, nec rugam, aut aliquid hujusmodi.* Quem locum communiter Interpretes de Ecclesia Triumphante intellexere, cùm in Militante quotidie dicamus orantes, *Dimitte nobis peccata nostra.* Aogust. *de Civit. Dei lib.20. cap.25. & epist. ad Quovultdeum, cap.*88. Hieronym. *in Ierem. cap.*1. Cùm ergo nullus eum ruga possit cœlum intrare, istinc necessarium est dari purgatorium, ubi pœnę temporales expientur illorum qui in charitate decedunt; cùm nec possint ad cœlum ascendere, neque in gehennam descendere. Castro *verb. Purgatorium*, Bellarm. *lib.*1. *de Purgat.* Coninch *de Sacram. disp.*11. *dub.*1. Suarez *tom.4. de pœn. disp.45. sect.*1. Trullench *in Bull. defunct. lib.4. dub.*2. Fernandez *in exam. Theolog. 3. par. cap.*8.

36 Alia hæresis, quatenus asserit non esse offerendum Sacrificium Missæ pro animabus Purgatorii, convincitur *ex lib.2. Machab. c.*12. his verbis: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Qui quidem locus ita adversarios premit, ut ad antiquam cantilenam recurrant, negantes librum illum esse canonicum, quos refellit Bellarm. *lib.*1. *de Purgator. & lib.*1. *de verb. Dei.* Cæterùm ex usu Ecclesiæ inveterato, quæ semper pro defunctis hoc Sacrificium obtulit, & offert, quem confirmat Augustin. *lib. de cura pro mort. cap.1. & ult. & serm.34. de verb. Apostoli, ex cap. Visum 62. de consecr. dist.*1. plura dat Gratianus 13. *quæst.*2. Concilium Africanum 3. Carthag.1. *cap.*29. & 4. *cap.*79. Brachar.1. *cap.34. & 39.* Vvormat. *c.*10. ac denique ea traditione Apostolorum usque ad nostra tempora perducta, de qua Isidorus *lib.* 1. *de offic. div. cap.*18. Raban. *lib.2. de inst. Cleric. cap.*44. refellunt hanc hæresim Azorius 1. *part. Inst. t. Mor. lib.*10. *cap.22. quæst.*4. Conink *d. dub.1. n.*13. Durantus *de rit. Ecclesia, lib.2. cap.*43. Bellarm. *de Miss. lib.2. cap.*7. Torreblanc. *de jur. spirit. lib.2. cap.*28. Casal. *lib.2. de Sacrif. Miss. cap.*8. Maranta 4. *part. resp.*13. *num.*9.

37 Sed est dubium, an hic effectus infallibilis sit, ita ut semper prosit Animabus Purgatorii, tum etiam vivis? Negarunt Sotus, Corduba, & Toletus, quos refert Pasqual. *q.74. n.*2. qui loquuntur in defunctis, quia ipsi non sunt membra Ecclesiæ visibilis: ergo eis nequit prodesse Sacrificium visibile, sicut vivis. Sed tenendum est contrarium; nam Sacrificium Missæ habet hunc primarium effectum ex Christi institutione, & in Animabus Purgatorii nullus est obex: ergo infallibiliter eis prodest. Præterea licèt Animæ Purgatorii non sint membra Ecclesiæ, ad ipsam tamen pertinent, tanquam nondum in termino positæ. Sic tenent Bellarminus *lib.2. de Purgat. cap.18. & lib.2. de Missa, cap.*7. Hurtado *disp.3. difficult.*4. Palao *dict. tract.22. disput.1. punct.6. n.*9. Covarruv. *in cap. Alma* 1. *part.* §.5. Marchinus *d. tract.*3. *part.2. cap.9. proposit.2. num.*11. Pasqual. *de Sacrif. Missæ, quæst.*74.

38 Denique Sacrificium Missæ habet alium effectum, nempe impetratorium plurimorum bonorum, tam spiritualium, quàm temporalium, idque procedit quatenus offertur in persona Christi Deo Patri acceptissimi, qui pro nobis interpellat. Paulus *ad Hebr. cap.*7. Procedit etiam quatenus nomine Ecclesiæ similiter offertur, in qua multi sunt justi Deo grati. Porrò quatenus ipse Minister peculiaris suæ petitionis affectum adjungit, qui quatenus magis dispositus, est magis Deo gratus. Layman. *dict. cap.1. num.*8. Pasqual. *quæst.*55.

39 Effectus verò iste non est certus, & determinatus, sed est omninò varius, secundùm variam intentionem Ecclesiæ, vel offerrentium; jamque offertur ad conversionem Fidelium, & eorum justificationem, ad majorem perfectionem, & augmentum, pro victoria, pro pace, pro fructibus terræ. D. Chrysostomus *in Ioan. homil.*73. August. *de Civitat. Dei, lib.22. cap.*8. pro liberatione captivorum. Gregorius *homil.*37. pro infirmis, pro vita, *lib.1. Esdr.6.2.* pro liberatione pestis, & epidemiæ, *lib.2. Reg. cap. ult.* tum pro fugandis dæmonibus, & pro obsessis, ut apud Prosperum *de prædict. cap.*3. tum denique pro aliis necessitatibus temporalibus. Layman *dict. cap.1. num.8. vers. Etenim effectus*, Villalob. 1. *part. tract.8. diffic.8. num.*6. Coninck *de Sacram. quæst.83. dub.6. n.*142. Palao *d. punct.6. num.*9. Pasqual. *quæst.*77.

40 Solet verò effectus iste non impetrari, quod mirandum non est, quia conditionalis, nempe si saluti expedierit: quo etiam modo hæc temporalia petenda sunt. Henriquez *in Summ. de Missa, lib9. cap.13. n.*3. Bonac. *d. disp.4. punct.3. n.*5. Quapropter contra aliquos asserendum est, non esse infallibilem, quod non solùm in temporalibus ad oculum patet, verùm etiam in spiritualibus; nam sequeretur, quod nullus damnaretur, pro unoquoque enim posset Sacrificium offerri ad impetrandam finalem perseverantiam in gratia, quæ si infallibiliter obtineretur, nullus ad gehennam descenderet, ut considerat Pasqual. *quæst.78. num.*5.

CAPUT II.

De valore Missæ.

SVMMARIVM.

1 Doctores qui de valore Missæ, & sancti Sacrificii loquuntur, docent triplicem esse: generalem nempe, qui debetur toti Ecclesiæ juxta intentionem illius: medium, qui debetur ei pro quo dicitur: & specialem qui dicenti applicatur. Generalem & medium, qui non applicaverit, peccat; quia injustitiam committit: secùs verò si non applicet specialem, ut considerat Navarr. *in Man. cap.25. num.*52. Covarr. *in cap. Alma* 1. *part.* §.5. *n.*5. Bonac. *de Eucharist. disp.4. quæst. ult. punct.*4.

2 Verùm in hoc capitè absolutè loqoendo inquirimus, an Sacrificium Missæ sit infiniti valoris, aut finiti? Qua in re quatuor sententias refert Conink *dict. quæst.83. dub.10. à num.*174. sed ne involvamus materiam, duas principaliores referam. Prima asserit esse infiniti valoris; nam qood offertur, est Christus Dominus, cujus merita sunt infinita, & nequeunt per offerentem limitari. Ergo valor Missæ, seu illius Sacrificii, est infiniti valoris; limitabitur tamen secundùm dispositionem personæ, cui applicatur. Cæterùm, nam in eodem Sacrificio rogat Sacerdos pro singulis,

&pro

& pro omnibus: quod non ageret si valor fuisset finitus. Cajet. Cano, & alii cum Aragonio in 3. part. quæst. 75. art. 3. & alii quamplurimi recensiti à Pasqual. qu. 117. n. 5. quorum aliquos refert, & sequitur Hurtado de Sacrif. Missæ, disp. 3. quæst. 7.

3 Secunda sententia negat; nam licèt rem oblatam, quæ est Christus, infiniti valoris esse affirmandum sit semper; attamen oblatio ipsa, in qua consistit ratio Sacrificii, finita est, & ab offerente finito procedit, qualis est Sacerdos: ergo Missæ Sacrificium erit finiti valoris. Bonaventura, Scotus, Durandus, Major, & alii recensiti à Leandro dict. disp. 3. qu. 10. Covarr. in d. cap. Alma 1. part. §. 5. n. 5. Bellarminus de Missa, lib. 2. cap. 4. prop. 4. Spino de testam. gloss. 13. princip. à num. 55. Barbosa de offic. Episcop. 2. part. alleg. 24. n. 7. Diana 5. part. tract. 14. resol. 81.

4 Hæ verò opiniones variis conclusionibus explicantur à DD. Verùm ut communiori doctrinæ satisfaciamus, distinguendum est Sacrificium Missæ secundùm se, & quoad sufficientiam, esse infiniti valoris; continet enim merita Christi, & ejus infinitam dignitatem, & principaliter ab eo offertur: ergo est infiniti valoris. Quoad efficaciam, & effectum, qui applicatur, non est considerandum Sacrificium secundùm infinitatem illius secundùm se considerati, sed ex promissione, & institutione Christi. Institutio verò est tanquam instrumentum ejusdem Christi Domini ad applicandum nobis satisfactionem Sacrificii cruenti, quod facit determinando taxatum effectum ex sua voluntate, prout terminavit in Eucharistia, quæ licèt contineat totum Christum, ut latè per Gratianum de consecrat. dist. 2. Concilium Nicenum can. 14. Constantiense sess. 8. Florentinum de form. Eucharist. Tridentinum sess. 13. can. 1. est tamen taxatus effectus illius. Ergo quoad efficaciam, quæ applicatur, & effectum, est finiti valoris. Et confirmatur, nam Sacrificium cruentum, licèt fuit infinitum quoad sufficientiam, non tamen quoad efficaciam, quamobrem idem tenere debemus in Sacrificio Missæ incruento. Suarez d. disp. 79. sect. 11. vers. Dico secundo. Trullench lib. 3. de Sacram. cap. 8. dub. 7. num. 5. Layman d. cap. 1. n. 9. Palao d. tract. 22. disp. unica, punct. 6. n. 10. Leander qui plures refert dict. disp. 3. quæst. 10. Pasqual. quæst. 117. & quæst. 119. Villalobos dict. tract. 8. diffic. 13. à n. 2.

5 Quoad effectum impetrationis similiter est disceptatio, an sit infiniti, aut finiti valoris extensivè impetrandum. Ast breviter dicendum, Sacrificium hoc secundùm suam substantiam consideratum, quatenus Christus est primus offerens, & principalis, infiniti esse valoris; nam cæteris paribus, æquè impetrat pro pluribus, ac pro uno: quod non solùm intelligas in actu signato, verùm in actu secundo, & exercito, ita ut pro quocumque numero offeratur Sacrificium, exerceat pro omnibus suam efficaciam impetrativam; quia exercere efficaciam impetrativam, non dicit quod obtineat petitum, sed quod proponatur Deo motivum sufficiens, & congruum ad concedendum. Hoc autem fit per oblationem Sacrificii, quia proponitur Deo hujuscemodi motivum, cùm sit tale secundùm suam dignitatem, & æstimabilitatem. Suarez d. disput. 79. sect. 12. vers. Dico tertiò, Conink dict. quæst. 83. art. 1. dub. 10. Villalob. dict. diff. 13. num. 3. Laym. dict. cap. 1. num. 10. Garcia in Summ. tract. 3. diff. 1. dub. 8. n. 11. Pasqual. quæst. 126.

6 Præterea Sacrificium hoc, quatenus nomine Ecclesiæ offertur, finiti est valoris, quia valor iste fundatur in sanctitate Ecclesiæ, quæ est finita: & similiter finitus est respectu Sacerdotis, vel alterius offerentis, quia actio ista est simpliciter finita. Suarez d. sect. 11. vers. Dico tertio. Layman d. cap. 1. n. 10. assert. 4. & 5. Bonac. d. disp. 4. qu. ult. punct. 4. propos. 2. n. 4. Pasqual. quæst. 129.

7 Istinc ad praxim aliqua dubia enodanda sunt, & in primis, utrùm Sacerdos, qui à pluribus stipem suscepit, Missa una possit pro omnibus satisfacere? Et affirmarunt aliqui auctoritate D. Hieronymi in cap. Non mediocriter 24. de consecr. dist. 5. ibi: Dum igitur pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihilo minus quàm si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur. Cæterùm ratione probatur; nam fructus hujus Sacrificii est infiniti valoris extensivè, ratione rei oblatæ, nempe Christi, in cujus infinita virtute, & dignitate fructus Sacrificii conceditur: ergo unica Missa valet satisfacere pro pluribus stipem præstantibus. Tenent Cajet. Angelus, Sylvester, Sotus, Navarra, Canus, & alii apud Layman d. cap. 1. num. 12. vers. Altera quæstio. Thomas Hurtado tom. 1. resol. mor. tract. 2. cap. 4. resol. 17. à n. 187. dicit probabilius Leander d. disp. 3. quæst. 11. Palao d. punct. 6. num. 13.

8 Sed contrarium declaravit Sacra Congregatio Concilii Trident. auctoritate Urbani VIII. quam refert Barbosa de officio Episcop. 2. part. allegat. 24. num. 6. Et ratio est, nam quando quis integrum stipendium confert, & specialiter Missam petit, non solùm id quod est impetratorium, & generalissimum fructum illius Sacrificii petit; verùm fructum satisfactionis, qui est limitatus, & finitus, ut dictum est. Ergo si Sacerdos plura stipendia susceperit, unica Missa pluribus non satisfaciet. Cæterum comprobatur, nam quilibet qui dat stipendium, petit sibi applicari totum fructum specialem illius Sacrificii. Ergo fraus illi irrogaretur, si integer sibi non applicaretur: quod admittendum non est, & consequenter dicendum, unica Missa non satisfacere. Navarrus cap. 25. nu. 92. Cuchus lib. 5. Instit. Major. tit. 6. n. 77. Zerola in praxi, verb. Missa, §. 4. Suarez d. disp. 79. sect. 12. Layman dict. cap. 1. num. 13. Leon de offic. Capell. quæst. 7. sect. 5. à num. 26. Diana 5. part. tract. 14. resolut. 81. Pasqualig. quæst. 937. à num. 2. Araujo de Eccles. stat. tract. 2. quæst. 17. per tot.

9 Hæc sententia in praxi semper est admittenda, præcipuè post Urbani declarationem. Sed adhuc restat gravissima difficultas ex decisione textus in dict. cap. Si mediocriter, cujus verba suprà recensuimus. Ad eorum verò interpretamentum Azorius 1. part. Instit. Mor. lib. 9. cap. 33. qu. 7. scripsit intelligenda de merito orantis; nam qui orat, idem meretur orando pro multis, ac si pro uno oraret: cujus sententiam sequitur Barbosa in collect. ad illum textum, de Lugo de Eucharist. disp. 19. sect. 12. num. 256. Sed interpretamentum istud eliditur ex verbis Hieronymi; non enim loquitur de merito orantis, sed de fructu orationis respectu personæ, pro qua fit oratio, ibi: Nihilominùs, quàm si pro uno quolibet diceretur. Quæ verba sonant fructum, seu efficaciam orationis, quoad personas pro quibus oratur.

10 Covarruvias in cap. Alma mater 1. part. §. 5. num. 9. aliter intelligit textum illum, scilicet Missam idem valere, quando offertur pro pluribus, ac si applicaretur pro uno: non tamen inde sequitur, ut valor, seu fructus illius in solidum omnibus applicetur, sed pro parte sibi correspondente. Hæc sententia probabilis est, ast meliùs Hieronymus intelligitur de effectu, seu fructu impetrationis; nam diximus jam in meliori sententia, quoad ipsam Missam, seu Sacrificium, esse infiniti valoris, ut cum S. Thoma, & Filliuc. tenet Garcia in Sum. d. tract. 3. diff. 1. dub. 8. punct. 2. nu. 24. Quapropter de illo effectu intelligas Hieronymum, non verò de satisfactione, quæ ex Christi institutione limitata confertur.

11 Limitant DD. ut pro pluribus unica Missa satisfaciat, si adsit consensus eorum, qui stipendia dedere, cùm volentibus non fiat injuria. Marchin. de Ordin. tract. 3. cap. 16. num. 4. qui hoc certum asserit, etiam post Sacræ Congregationis declarationem. Tamburin. de Sacrif. Missæ, lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 8. qui notat consensum hunc præstandum esse ab his, qui stipendia dederunt, non autem ab eorum hæredibus, qui nequeunt venire contra voluntatem defuncti.

12 Sed quid dicendum, an ex aliqua concessione fieri possit, ut unica Missa satisfiat, quando plura recepta sunt stipendia? Et nonnulli asseruere, ex concessione Summi Pontificis id fieri posse, ut constat ex pluribus concessionibus Leonis X. Sixti IV. & ex concessione Urbani VIII. anno 1623. Julii 13. facta Generali Minimorum, ut legata Missarum exigua, & oneri annexo imparia, ad rationem quinquaginta scutorum Monetæ Romanæ, pro qualibet Missa quotidiana reducerentur. Est etiam concessio 6. Augusti 1639. facta ab eodem Urbano Fratribus Minoribus, ut Missas quas haberent annuas quotidianas, reducerent ad rationem sexaginta scutorum annuorum: quæ quidem privilegia ad cæteras Religiones extendi tenuere Pellizarius in Man. t. 2. tract. 6. cap. 3. n. 8. Garcia in Summ. tract. 3. diff. 10. dub. 4. n. 22. dicit probabiliorem Tamburinus ubi suprà, §. 4. n. 17. Henao de Sacrif. Miss. disp. 31. sect. 8. num. 72.

13 Alii verò apud Ludovicum de Torres cent. 4. dub. 80. contrarium censuerunt; nam Summus Pontifex nequit rescindere contractus, qui fiunt dando stipem, ut tot Missæ pro contrahentibus dicantur, nec absque gravissima causa ultimas voluntates infringere potest, nec hoc quidem

facilè eft præfumendum. Alex. *lib.5. conf.3. num.3.* Tufchus *lit. P. conclus.53. num.1.* Ergo nequit Pontifex fuo privilegio facere, ut unica Miffa pro pluribus datis ftipendiis fatisfaciat.

14 In hac difficultate dico in primis, Summum Pontificem non poffe facere, ut unica Miffa pro pluribus applicata æqualiter omnibus profit. Ratio eft, nam fructus Sacrificii, tam ex opere operato, quàm operantis, pendet ab inftitutione divina, quam nequit Pontifex alterare, aut aliquid illius minuere, vel augere, *cap. Contra ftatuta, 25. quæft.1.* Covarruv. *de fponfalibus 2. part. cap. 6. §.9.* Azorius *Inftit. Mor. 2. part. lib.5. quæft.4.* Tufchus *litt. P. conclus.49. num.54.*

15 Secundò dico, poffe Summum Pontificem ex parte ftipendii aliquas facere conceffiones, ut fecerunt Pontifices relati; hoc enim dupliciter fit, aut reducendo Miffarum numerum per commutationem voluntatis, ex illa poteftate fuprema, quæ remanet in Pontifice ad commutandas caufas pias, ac ultimas voluntates, *ex Clement. Quia contingit, de Relig. dom.* & diximus *lib.1. cap.14. à num.2.* quare ex hac poteftate benè poteft Pontifex pro tantis Miffis, aut pro una grave ftipendium affignare, ita ut exceffus per modum eleemofynæ aliis Monafteriis, aut Religionibus gravi, & neceffaria caufa exiftente applicetur: aut fupplendo per applicationem indulgentiæ, & meritorum Chrifti, quæ funt in Ecclefiæ thefauro, Extravag. *Unigenitus, de pœnit. & remiff.* ut explicant Pafqual. *de Sacrif. Miffæ, qu. 1150.* Villal. *1. par. tract.8. diff.16. num. fin.*

16 Unde poteft Pontifex, ftante obligatione, & ftipendio, concedere collectas, ita ut unica Miffa suppleatur pro pluribus; nam per collectas fupplet fructus illarum Miffarum de thefauro Ecclefiæ. Tamburinus *de Sacrif. Miffæ, lib.3. cap.1. §.4. num.4.* Garcia *in Sum. tract.3. diff.10. dub.4. n.21.* Pafqual. *qu.1151. à n.2.* Obfervandum eft tamen, ut tenor conceffionis collectarum omni modo fervetur, nec minùs recitentur, nec numero impari, fed prout a conceffione ipfa defumetur. Pafqual. *quæft.1152.*

17 Præterea alio modo id poterit facere Pontifex per poteftatem defignandi ftipendium, quam ipfe habet, ut dicam infrà. Itaque licèt ftipendium graviter crefcat, exceffivum tamen exiftimandum non eft, quia jufta interveniente caufa ipfius Religionis juftum credendum eft; habet enim latitudinem infimi, medii, & majoris. Explicant Tamburinus *§.4. à n.98.* Garcia *d. diff.10. dub.4. num.21.* Barbofa *de offic. Epifcop. 2. par. alleg.24. num.5.*

18 Hæc enim tenent DD. in legatis, & Anniverfarii Miffarum, tum quando Miffæ receptæ funt inter vivos, bona fide intendente Prælato, ut omnia rectè dicantur, nec fcitur quænam perfonæ fint, quæ ftipendia dedere. Garcia *dict. dub.4. num.21. ad finem.* Eft tamen privilegium Leonis X. quod refert Pafqual. *quæft.959.* refpiciens futura onera Miffarum. Verùm in hoc illud obferves, ut fi alicui Religioni fimile privilegium concedatur, ad alias non extendi, quin potius femper in praxi recurritur ad Sedem Apoftolicam. Lezana *quæft. Regul. tom.4. verbo Miffa, num.3.* Diana *10. part. tract.16. refol.67.* licèt teneat contrarium *6. part. tract.6. refol.11.* Tum vigore alicujus privilegii hodie unica Miffa non fatisfieri pluribus quibufcumque collectis, nec aliquam Religionem conceffionem iftam habere, tenet de Lugo *difp.21. de Eucharift. fect.2. n.28.* Leon *de offic. Capell. quæft.8. fect.14. num.93.* Ludovicus à Concept. *in examine Theolog. Mor. 1. par. tract.2. cafu 23. num.4.* Pafqual. *quæft. 989. n.3.* Marchinus *d. tract.3. part.2. cap.20. n.6.* Sed jam omnia extincta funt.

19 Cæterùm in hoc capite difquiramus de Miffa mali Sacerdotis, qui in peccato lethali celebrat, an minùs valeat, quàm boni? Et ad hanc difquifitionem dicimus, quoad fructum Sacrificii provenientem ex opere operato, vel fructum impetrationis, quatenus perfona Chrifti offertur, nihil pendere a bonitate, vel malitia Sacerdotis, *cap. Intra 77. 1. quæft.1. cap. Utrum fub figura 72. de confecr. dift.2.* Chryfoftomus *homil.2. in Epift.2. ad Timoth. & homil.85. in Ioan.* Quod idem dicendum eft, quatenus Sacerdos offert, & orat nomine Ecclefiæ; non enim minuitur fructus impetrationis, prout in orationibus, quæ in Ecclefiaftico officio Ecclefiæ nomine fiunt. Non verò id admittendum, quando Minifter fuerit excommunicatus non toleratus, quia per hunc non vult Ecclefia fuas fundere preces: fecus fi toleratus, quia Ecclefia permittit hunc fuo nomine orare, ut fideles ab ipfis petant Miffas, & alia divina officia.

20 Si verò confideremus malum Sacerdotem, ut eft privata perfona, Miffa erit infructuofa; quia tota oblatio, quatenus eft ab ipfo offerente, mala, & ingrata fit Deo, *cap. Ingravibus 3. qu.8.* tenent Trullench *de Sacram. lib.3. cap.8. dub.8. n.3.* Layman *d. cap.1. n.11. verf. Ex dictis.* Navarrus *cap.25. n.79.* Bonac. *d. difp.4. quæft. ult. punct.6. prop.2. num.3.* Pafqual. *quæft.130.*

21 Iftinc etiam colligitur, Miffam mali Sacerdotis minimè illi prodeffe, quia ponit obicem ad fructum Sacrificii. Bonacina *ubi proxime, num.6.* Aft fi Sacerdos ftipem receperit pro Miffæ celebratione, & illam dicat in peccato mortali, fufficienter adimplet, nec reftituere tenetur; confert enim fructum ex opere operato, & correfpondentem precibus, quæ fiunt nomine Ecclefiæ. Azorius, & alii apud Bonacinam *d. punct.6. num.5.* Trullench *d. dub.8. num.4.*

CAPUT III.

De ftipendio Miffarum.

SUMMARIUM.

Stipendium Miffæ rectè recipitur, num.1. & non eft fimonia, à num.2.

An ftipendium Miffæ debeat defervire pro integra fuftentatione Clerici, à n.4. Referuntur fententiæ, fed negative refolvitur, num.6.

Sed quid de Clerico paupere, refertur fententia communis, num.7. Sed ponitur difficultas, quando Clericus pauper nequit etiam decenter laborare, a num.8. Referuntur tres fententiæ, & refolvitur, à num.12.

Quid de Clericis Regularibus, n.15. referuntur fententiæ, & refolvitur, num.16.

Si Clericus plura ftipendia incongrua receperit, poffitne ad congrua reducere, num.17. referuntur tres fententiæ, à num.18. & refolvitur, a num.20.

An heredes poffint Miffas a teftatore relictas minori ftipendio adimplere, a n.25. refpondetur negative, num.27. explicatur, à num.28.

Si fit confuetudo minoris ftipendii, & taxa majoris, an poterit Clericus ad taxam Miffas reducere, fi dentur abfque numero determinato, a num.30. Non valet confuetudo, ut unica Miffa fatisfiat pro pluribus ftipendiis, nifi nota fit laicis, a num.31.

An qui ftipendium fufcepit, poffit pro aliis applicare eandem miffam ex liberalitate? negatur contra aliquos, num.32. & 33. nec in aliis cafibus recenfitis, num.34.

An majus ftipendium poffit fufcipi pro applicatione fructus fpecialiffimi correfpondentis celebranti, num.35. referuntur fententiæ, fed negatur, num.37.

An Miffa poffit anticipatè applicari pro primo ftipem dante? Referuntur tres fententiæ, à num.38. refolvitur negative, a num.40. ponitur inftantia, & refpondetur, à num.42.

Capellanus poteft Miffas anticipate dicere, nifi certis diebus affignentur à teftatore, num.43.

Difceptatur, an quando Capellanus, vel Parochus dicit Miffam pro Capellania, aut beneficio abfque applicatione, poffit recipere ftipendium? Aliqui negant, num.44. fed contrarium eft tenendum, à num.45.

Sed quando fundator velit applicationem, difcutitur: in dubio præfumitur applicationem impofuiffe, à n.47. fed explicatur, num.50. & 51.

Et quid fi Moniales, aut Confraternitates vocarent Clericum ad Miffam dicendam, num.52. & quid de Parocho dicente Miffam pro populo, num.53.

Quibus diebus Parochus teneatur applicare Miffas pro populo, latè difceptatur, a num.54. Affirmatur nullam teneri applicare, num.57. explicatur Trident. feff.23. cap.1. *& Paulus* ad Hebr. cap.5. *n.58. & 59.*

Latè explicatur conftitutio 4. de celebrat. Miff. *hujus Archiepifcopatus, à num.60. Difceptatur an obliget, vel dato quod obliget, an id fit in confcientia, à num.61. & feqq. Refolvitur non obligare in confcientia, à num.65. aliàs hæc & fimiles Synodales graviffimam deformitatem continerent, num.67.*

Lex

Lex mixta non obligat in conscientia, num.68.
Ratione probatur hanc Synodalem non obligare in conscientia, num. 69. Et tamen conditores illius non errarunt, num.70.

1 CUm jam effectus, & valorem Missarum expresserim, agendum est nobis de causa pia, id est de eleemosyna, seu stipendio, quod datur pro celebrandis Missis. Et in primis stipendium istud licitè conceditur, & licitè à Sacerdotibus accipitur, ut Ecclesiæ consuetudo vetustissima comprobat: quare contrarium tenere impius error esset, & intolerabilis. Suarez *in 3. part. disput.86. sect. 1. vers. Circa alium modum*, de Lugo *de Eucharist. disput.21. sect.1. n.1.* Henao *de Sacrif. Missæ, disp.31. sect.1. à n.1.*

2 Unde aliqui audiendi non sunt asseverantes simoniam esse stipendium recipere pro celebratione Missarum, idque probant *ex cap. Eos qui* 21. *cap. Emendari* 104. 1. *quæst.* 1. ubi asseritur simoniam esse aliquid recipere pro administratione Sacramentotum; nam licèt labor sit adjunctus administrationi, seu celebrationi, cujus titulo videtur aliquod stipendium suscipi posse; ita tamen est connexus, ut unum quid simul spirituale censeatur: quapropter simonia erit aliquid titulo laboris percipere, saltem ratione pacti, quod inest necessariò in promittendo stipendio; versatur enim circa celebrationem Missarum, quæ spiritualis est, & ita quid simoniacum, *cap. Accepimus 5. cap. ult. de pactis*. Unde Sanctæ Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art.2. & 3. ad* 2. dicit licere quidem accipere stipendium, dummodo pactum non intercedat, quia alias esset simonia.

3 Sed contrarium renendum est; nam stipendium non conceditur pro aliquo spirituali, nec pro illi annexo: sunt enim plurimi tituli, unde rectè suscipiatur, scilicet pro sustentatione Sacerdotis, pro labore extrinseco, aut pro celebrando in tali loco, aut tempore, aut quia Sacerdos privat se facultate dandi operam aliis rebus pretio æstimabilibus? non ergo recipit stipendium pro re spirituali, aut pro labore celebrationis inseparabiliter annexo. Unde etiam constat, pactum stipendii non versari circa spiritualia, verùm circa aliqua extrinseca pretio æstimabilia, nec ex aliquo capite valet considerari simonia. Navarrus *in Man. cap.23. à num.*106. Spino latè *de testam. gloss.7. per tot.* Hurtado *de Sacrif. Missæ, disput.4. diff.14.* Filliucius *de stat. Clericorum, tract.45. cap.10. à num.29.* Bonacina *dict. disput.4. quæst. ult. punct.8. propos.1. num.* 1. Pasqual. *qu.903. à num.1.* Leon *de offic. Capell. quæst.6. sect.2. à n.9.* Henao *ubi sup. num.3.*

4 Est verò quæstio satis cognita, an stipendium Missæ debeat deservire pro integra sustentatione Ministri? In qua tres sententias retulit Pasqualig. *quæst.923.* ast duæ ad unam redigi valent. Prima asserit stipendii nomine venire victum, & vestitum celebrantis, & insimul modestam habitationem, licèt non indignam. Ledesma, Molsesius, Sotus, Canus, Rodriguez, Fernandez, & alii apud Dianam 2. *part. tract.14. de celebr. Miss. resolut.8.* quod magis extendit secunda, nempè ad alimoniam pauperum parentum, ad emendos libros necessarios, ad Theologiam, aut ad Jurisprudentiam inservientem Ecclesiæ. Dicit probabile Cruz *in Direct. 2. part. quæst.1. dub.7.* & plures quos refert Marchin. *de Sacrif. Missæ, tract.3. 2. par. cap.16. n.6.* & Pasqualig. *d. quæst.923. num.1. & 2.* Hæc sententia fundatur in nonnullis Scripturæ locis, *Matthæi cap.*10. & *Lucæ cap.*10. ibi: *Dignus est mercenarius mercede sua*. Estque optimus teztus Concilii Agathensis *in capite ult.* 1. *quæst.*2. ubi probatur, Clericos ex suis sanctis laboribus sustentationem percipere debere, prout de jure naturali, & divino cuilibet laboranti debetur. Cæterùm Clericis mercimonia, & alia quibus alimoniam comparare valeant, interdicta sunt: plura dat Gratianus *46. & 88. dist. per tot. & 14. quæst.4. cap. fin. de vit. & honest. Clericorum*. Petrus Gregorius *part. jur. lib.4. tit.8. cap.*10. Bollo *in œcon. canon. class.1. cap.5. & de Clericor. pæn.* §.1. quapropter nisi ex stipendio Missæ nequeunt integram sustentationem percipere.

5 Alii negant, asserentes quod licèt stipendium Missæ pro sustentatione Sacerdotis concedatur, Villalobos 1. *part. tract.8. diff.15. n.1.* Suarez *in 3. par. quæst.86. sect.2.* Trullench *lib.3. de Sac. cap.8. dub.12. num.1.* non tamen pro integra sustentatione, sed pro parte; idque necessariò tenendum post decretum Urbani VIII. §. 3. ubi contrarium facientes graviter comminantur: & ratione probatur, nam illud petit Ecclesia, quod ut quis Sacris Ordinibus initietur, titulum habeat, de quo sustentationem percipiat, *cap. Episcopus 4. cap. Cùm secundùm 16. de præb.* Trident. *sess.25. de reform. cap.2.* quod superfluum foret, si ex stipendio Missæ integram sustentationem percipere potuisset. Cæterùm, nam sunt alia officia suo statui decentia, quibus se alere possit, *cap. Clericus victum 3. dist.91. cap.1. de celebr. Miss.* Ergo ex stipendio nequit Clericus integram sustentationem accipere. Denique, nam cùm per dimidium horæ in dicenda Missa occupetur, injustum est ut sustentationem percipiat pro tota die. Diana *dict. resol.8.* qui contrariam dicit improbabilem post decretum Urbani Leander *de Sacrif. Missæ, disput.4. quæst.4.* Garcia *dict. diff.10. dub.3. num.14.* de Lugo *de Euchar. disp.21. sect.2. num.27.* Tamburinus *de jur. Abbat. tom.2. disp.5. quæst.9.* Hurtado *de Sacrif. Missæ, disp.4. diff.15.* Palao *d. tract.22. disp. unica, punct.14. num.4.* Pasqual. *d. quæst.923. à num.4.* Leon *de offic. Capell. quæst.6. sect.11. à n.102.* Leoncillus *de privil. paup. 2. part. num.263.* Henao *sect.2. n.17.*

In hoc dubio semper hæc sententia tenenda est in Clericis 6
qui aliunde alimoniam percipere possunt; nam stipendium istud conceditur in partem sustentationis correspondentis occupationi dicendi Missam, ut considerat Palao *d. num.4. vers. Cæterùm*: quare nullus relinquitur titulus, ut ex stipendio integram sustentationem percipiat. Tamen certum est, quod Clericus, quantumvis dives, illud rectè percipiat, si justum sit, ut benè tenet Suarez *d. disput.86. sect.3. vers. Dico 2.* Filliuc. *de Eucharist. 1. tom. tract.5. cap.6. n.*182. Bonac. *d. punct.8. n.7.* Henao *sect.2. num.*12.

In Clericis verò pauperibus, qui nullum habent benefi- 7
cium, nec patrimonium ad se alendum, etiam admissum est à Doctoribus, ut minimè possint accipere stipendia necessaria pro integra sustentatione, ut per unicam Missam satisfaciant, cùm id decreto Urbani sit interdictum. Suarez *d. disp.86. sect.4.* Tamburinus *de Sacrif. Missæ, lib.3. c.3. n.13.* Pasqualig. *quæst.939. num.4.* Barbosa *ad Concilium, sess.22. cap. 8. num.* 10. Leon *de offic. Capell. quæst.6. sect. 11. num.* 102. quam doctrinam libentissimè admitto, si Clericus pauper alia peragere possit, unde victum percipiat.

Erit ergo tota difficultas, si Clericus panper, ita infir- 8
mus, aut senex sit, ut nequeat laborare, nec ad aliud ministerium attendere, an possit stipendia recipere usque ad tenuem sustentationem victus, vestimenti, & habitationis? Plurimi censuerunt id minimè licitum, quia in quolibet casu contrarium comminatur Sacra Congregatio; unde etiam hunc casum comprehensum videri verisimile est, quia prætextu paupertatis nequit licitè agere contra justitiam, & contra pactum fraudem inferre, decipiendo stipem dantem. Denique, nam licèt Clericus sit in extrema necessitate, id licitum non est, ut cum Leone advertit Pasqualig. *quæst. 940. à num.3.* Ergo multò minus, quamvis Sacerdotem pauperem consideremus in alia necessitate, quantumvis gravi. Suarez *dict. disp.86. sect.2. vers. Dico quarto*. Possevinus *de offic. Curat. cap. 2. num. 24.* Navarrus *cap. 25. num. 32.* Diez *lib. de instruend. Parochis, 2. part. cap.27.* Henriquez Augustinus *in Sum. sect.22. quæst.* 21. Pasqualigius *quæst.939. à num.3.* qui plures refert, Leon *quæst.8. sect.6.*

Alteri verò contrarium tenent, quia his pauperrimis 9
Clericis, & impeditis nullum subest remedium præter mendicitatem: quod quidem indecens non solùm est illis, verùm Clericorum sæcularium statui. Quapropter eleganter Hieronymus *in cap. Diaconi 23. §. Mendicat, dist.93.* ait: *Mendicat infelix Clericus per plateas, & servili opere mancipatus, publicam à quolibet deposcit eleemosynam; & quidem ex eo despicitur cunctis Sacerdotale officium, dum misericordia desolatus juste putatur ad hanc ignominiam devenisse*. Quod quidem etiam apud Ethnicos ita execratum est, ut nullus ad Sacerdotium eveheretur, qui censum non haberet. Robertus *lib.3. rerum judicat. cap.2.* quare qui ad alendam vitam nihil habet, nisi stipendium Missæ, ex eo debet percipere saltem parca alimenta. Præterea stipendii taxa nequit istum pauperrimum Clericum obligare & adstringere; nam respectu illius tanta necessitate gravati justum, & æquale non est stipendium quapropter poterit ex stipendiis sumere pro Missa saltem parcam sustentationem, qua considerata illius indigentia æquale erit stipendium.

Confirmatur discursus; nam ot docuerunt Canos, Navarra, Sotus, & alii, quos sequitur Laym. *lib.5. Sum. tract.5. cap.1.n.13.* & alii apud Dianam 2.*part. tract.*14. *resolut.7.* quoties Sacerdos suscepit parva stipendia, & non integra, satisfacit dicendo tot Missas, quæ justo stipendio æquivaleant: quod post declarationem Cardinalium, §.3. tenent alii, secluso speciali pacto. Peyrinis *de privil. tom.3. cap.1. n.26.* Leander *d. tract.8. disp.4. quæst.5. in fin.* Tamburinus *de Sacrif. Missa, lib.3.cap.1.§.3. a num.50.* Ergo cùm stipendia taxata respectu pauperrimi Clerici, & impediti, exigua sint, poterit Clericus pro una Missa percipere parcam sustentationem, quæ est æquale stipendium.

10 Denique in specie proposita Clericus iste, aut est in extrema, aot saltem gravi oecessitate: quo quidem casu valet unica Missa plura extinguere stipendia, & obligationes; nam sicut potest furari, similiter quæsito colore stipendii, illum excessum poterit percipere, & unica Missa satisfacere. Villalobos 1.*par. tract.8. diffic.16. num.2.* Suarez *dict. disput.86. sect.4. vers. Dico ergo.* Franciscus de Lugo *de Sacr. lib.5.cap.12. quæst.4. num.688.* qui asserit hoc in casu non habere locum declarationes Cardinalium, quæ nequeunt juri naturali derogare. Ergo rectè plura stipendia poterit pro unica Missa suscipere Clericus iste pauper, & impeditus, usque ad parcam sustentationem unius diei. Sic tenent Fernandez, Nugnus, & Ludovicus à San Juan, quos refert Pasqualig. *dict. quæst.939.n.2.* Vega *in Summ. 2.par.cap.41. casu* 1. dicit probabile Diana 11.*part. tract.7. resol.27. vers. Item quia.*

11 Tertia sententia est Zerolæ *in praxi Episcop. verb. Missa, ad 4. vers. Tertia opinio*, ubi asserit, hanc secundam opinionem admitteodam præcipuè quando Sacerdos protestaretur, dicens eleemosynam illam non sufficere, & quod orabat Deum pro illa persona.

12 In hoc dubio, quando ipse Sacerdos protestaretur, ut dixit Zerola, satis probabilem censeo suam sententiam: quia quando protestatur illud stipendium non sufficere, & ille qui dat non replicat, præsumitur ex voluntate dantis illam eleemosynam, seu stipeodium, magis ex titulo misericordiæ præstitisse, quàm præcisè ex titulo obligationis dicendi sibi Missam.

13 Si verò protestatio nulla fuisset, & dans stipendium, etiamsi agnovisset Clerici paupertatem, & indigentiam, nec habere unde alimoniam percipiat, det præcisè pro obligatione dicendi Missam, idque satis ostenderit, tunc credo primam sententiam admittendam esse ex vi obligationis, & pacti, aliàs dantem deciperet, quod minimè etiam qualibet existente necessitate admittendum est, ut rectè considerat Diana *d. resol.27.* Pasqual. *quæst.940. n.5.* Si verò scienter huic Clerico pauperi stipendia concedantur, nec constet præcisè obligare voluisse ad dicendas tot Missas, quot præstitit stipendia; tunc credo probabiliter posse Clericum pro unica Missa parcam sustentationem unius diei percipere; qoia ex eo quod dans stipem agnoscit suam paupertatem, & non habere unde alimoniam necessariam percipiat, nisi ex Missa, titulo eleemosynæ præstare videtur, non verò præcisè pro Missa.

14 Si verò ignoraverit, existimandum est pro obligatione Missæ stipendium præstitisse: quare Clericus, quantumvis pauper, nequit ex Missa unica sustentationem illius diei percipere, nec ex necessitate dolum præstanti inferre, ut dicunt Diana, & Pasqual. allegati *ubi proximè.*

15 Sed quid dicendum de Regularibus, in quo duplex investigatio facienda est. In primis, quoad communitatem: secundò quoad Religiosos particulares. Quoad primum dicendum videtur, minimè Fratres posse unica Missa satisfacere pro pluribus stipendiis, quia suam necessitatem sublevant petitis eleemosynis, quibus indecorum non est mendicare, præcipuè Religionibus hoc institutum habentibus, ot ex Navarra refert Garcia *dict. diff.10. dub.3. num.17.* Verùm Ledesma, quem refert Cruz *de Sacrif. Missæ, quæst.1. dub.7. concl.1.* aliter tenet, si Conventus petitis eleemosynis adhuc necessitate premeretor in his quæ necessaria sunt ad naturalem alimoniam Religiosorum: quapropter aliqui probabile censeot, posse Conventum aliquibus Missis satisfacere pro pluribus stipendiis, dummodò non excedant præcisam Religiosorum alimoniam, si eleemosynæ non sufficiant. Ludovicus de San Juan *in Sum. quæst.10. art.6. dub.1. diff.1.* Garcia, licèt dubius, *d. dub.3. num.19.*

16 De particularibus Religiosis idem tenet Ludovicus à San Joan in illis Missis, quæ sibi conceduntur à Prælato ad proprias necessitates: sed Pasqual. *qu.941. n.3.* rejicit ex declaratione Cardinalium: qua in re resolvendum censui, prout dicebam de Clerico paupere impedito ad alia officia, nec habente unde alimentum percipiat, de quo suprà *a n.12.*

17 Prætetea disquirendum est, quando Sacerdos accipit plura incongrua stipendia taxato, an possit ad congruum reducere, & respectu illius minus Missas dicere, quàm petitas? Prima sententia affirmat, quia petens Missam incongruo stipendio, detrahit quod tenetur ex justitia concedere: ergo Sacerdos valet contra ipsum indemnem se servare. Cæterùm licèt accipiens videatur consentire, & se obligare; id tamen intelligendum, quatenus tenetur, atque ideò ad mensuram justi stipendii: ergo non tenetur omnes Missas dicere, sed quæ remanent secundùm justum stipendium. Ita Peyrinis, Leander, & Tamburinus, quos retulimus *n.9.* & alii apud Pasqual. *quæst.942. n.2.*

18 Secunda sententia tenet contrarium ex declaratione Cardinalium, quæ expresè contrarium facientes comminatur: tum quia deciperet dantem incongrua stipendia, nec staret promissis de dicendis Missis tot pro illis exiguis stipendiis. Palao *d. tract.22. disp. unica, punct.14. n.6.* Marchinus *dict. tract.3. par.2. cap.21. num.5.* Leon *de offic. Capell. quæst.8. sect.3. num.16.* Pasqual. *d. quæst.94. a num.5.* Leander *dict. tract.8. disp.4. qu.5.* Diana *5. par. tract.13. resol.52.* Henao *disp.31. sect.3. num.10.*

19 Tertia sententia distinguit, quando Sacerdos pauper, aut dives est; dives enim reducere Missas non poterit ad congruum stipendium, quia videtur sponte acceptasse stipendia illa incongrua; secus verò si pauper, cum necessitate coactus acceptasset. Henriquez *de Missa, lib.9. cap.22. a n.5.* Peyrinis *tom.3. de privil. cap.1. n.26.* Francisc. Lugo *lib.5. de Sacram. cap.12. quæst.5. num.55.*

20 In hoc dubio animadverto, Cardinalium declarationem in Hispania pro hac parte asseruisse Garciam *in Sum. tract. 3. diff.10. dub.4. n.4.* non esse receptam, sicut nec alias declarationes circa Missarum stipendia esse receptas asseverasse Thom. Hurtad. *tom.1. resol. mor. tract.2. cap.3. num.164.* Acacium de Velasco *tom.2. resol. mor. resolut.311.* quare in Hispania non sunt tanti ponderis, ut opiniones contrarias condemnent. Verùm quidquid sit de hac acceptatione, dico dictam declarationem esse intelligendam, quoties Sacerdos se obligasset ad dicendas tot Missas pro illis exiguis stipendiis speciali pacto, quo quidem casu, absque dubio nequit reductio fieri ad æquale, & taxatum stipendium, etiamsi pauper fuerit Sacerdos.

21 Erit ergo dubium quando nullum speciale pactum adfuerit, sed incongrua illa stipendia conceduntur pro tot Missis. Id accidere valet quando Sacerdoti stipendia incongrua papyro involuta conceduntur non certiorato, & tot Missæ petuntur, & postea Sacerdos invenit exigua stipendia respectu taxæ: & in hoc casu si dante certiorato, nequeat ipse stipendium supplere, rectè valet Sacerdos reducere Missas ad rationem justi stipendii, ut cum Megalio tenet Leon *de offic. Capellan. quæst.8. sect.4. per tot.* Pasqualig. *quæst.945.* Henao *sect.3. num.22.*

22 Aliter quando Sacerdos certus de stipendiorum incongruitate illa susceperit, nullo facto speciali pacto, verùm in dubio simul: & in hoc casu, quidquid resistat Pasqualigius *quæst. 943.* teneo Missas reducere posse Sacerdotem ad æquale stipendiom. Ratio est, nam pactum dicendi Missam pro stipendio onerosom est: itaque nisi aliter constet, præsumendum est fieri ad pretii æqualitatem, ut est taxa stipendii, quamvis Sacerdos sciat minus stipendium accipere: idque in venditionibus demonstratur, quæ si minore pretio fiant, etiam scienter, rescinduntur, & ad æqualitatem pretii quotidie reducuntur, *leg.2. Cod. de rescind. cap. Cum causa 6. de empt. & vendit.* etiamsi vendens donaret partem, quæ magis valeret. Covarr. *lib.2. variar. cap.4. num.6.* Gomez *variar. tom.2. cap.2. num.26.* Menochius *de arbitr. casu* 144. & insimul clausulam donationis scienter apposuerit, ut in meliori sententia advertit Castillo *controvers. lib.4. cap.52. num.38.* Rodriguez *de reddit. lib.1. quæst.8. n.10.* Hermosilla *in l.56. tit.5. part.5. gloss.11.* Ergo quoties Sacerdos exiguum stipendium taxato receperit pro qualibet Missa, ad æquale potest reducere, etiamsi scienter receperit.

Quod

23 Quod à fortiori erit admittendum, quando Clericus pauper fuerit; nullo enim modo acceptaret, nisi necessitate premeretur, prout in venditionibus considerant Burgensis *in cap. Cum dilecti, de empt. & vendit. num.* 19. Hermosilla *dict. gloss.* 11. *n.* 89. Barbosa *in collect. ad textum in d. l.* 2. *C. de rescind. vendit. num.* 51. quamobrem existimo meliorem sententiam asserentem, secluso speciali pacto, posse Sacerdotem, qui exigua stipendia suscepit, reducere Missas ad taxata stipendia: si verò taxa non fuerit, posse reducere ad illam quantitatem, quæ consuetudine fuerit recepta.

24 Cæterùm, nam ut animadvertit Garcia *dict. dub.* 4. *num.* 4. jam scitum est, pro minori stipendio, quam taxato, totam Missam danti non applicari: quare licèt Sacerdos taceat recipiendo incongrua stipendia, non ideò se obligare videtur ad tot Missas dicendas, quare poterit illa reducere ad æquale stipendium à lege, vel à consuetudine taxatum.

25 Cæterùm de hæredibus libet disquirere, an pro minore stipendio taxato à lege, seu consuetudine in regione, apud quam decessit testator, possint Missas testamento relictas adimplere? Idque accidere valet, quia Conventus pauper, aut aliqui pauperes Sacerdotes pro minori dicunt, aut quia illas dicendas præstant alibi, ubi stipendium minus est. Pasqualig. *q.* 915. *n.* 1.

26 In hoc dubio asserendum videtur, quod non teneatur hæres ad integrum stipendium, quia nequit testator tollere beneficium, quod gratuitè ei confertur, dicendo Missas pro minori stipendio, quod gratis potest fieri à Conventu paupere, aut ab alia persona, quæ illas dicere valeat. Ita sensit Tamburinus *lib.* 3. *de Sacrific. Missæ, c.* 1. §. 3. *num.* 66. ubi scripsit, hæredem si Missas dederit Monasterio pauperi pro minori stipendio, residuum teneri adimplere, nisi alii fuissent Sacerdotes, aut Religiosi, qui propter exiguum stipendium tot dicerent; ostendi enim, quod posset recipere gratiam faciendam ab aliis, quare non tenetur integrum stipendium restituere.

27 In contrarium est communis sententia, quia integrum stipendium cadit sub dispositione testatoris, itaque integrè tenetur solvere, aliàs non adimplebit voluntatem illius. Cæterum, nam ut considerat Henriquez *d. lib.* 9. *de Missa, cap.* 2. *n.* 4. defraudatur testator valore Missæ accidentali, ob majus stipendium: tum aliter valet defraudari in sententia nostra, & aliorum asserente, reductionem Missarum posse fieri ob incongrua stipendia, secluso speciali pacto: quare hæres tenetur integrum stipendium solvere, alias judicis officio implorato ad id cogebitur. Fagundez *lib.* 3. *in Decal. c.* 10. *n.* 9. Leon *de offic. Capellan. sect.* 5. *q.* 8. Garcia *d. tract.* 3. *diff.* 10. *dub.* 4. *n.* 6. Pasqual. *q.* 915.

28 In hac difficultate duo sunt consideranda. In primis, quando hæres pro Missis in testamento relictis justum offerat stipendium, & aliquis amicus Sacerdos, aut Monasterium Religiosorum liberè, & gratis illud stipendium condonaret, aut partem illius: & in hoc casu hæres rectè satisfacit, nec tenetur aliquid restituere; nam ex eo quod stipendium offerat, ex parte hæredis nulla fraus committitur, nec aliquo modo ex parte valoris Missæ accidentalis aliquid tollitur; nam in his condonationibus perinde est, ac si Clericus stipendium sibi oblatum reciperet, ac postea hæredi traderet, per fictionem (ut dicunt) brevis manus, passim in Jure admissam, *leg. Singularia* 15. *ff. de rebus credit. leg. Si quis debitorem* 38. §. *Si debitorem, ff. de solut. l.* 3. §. *Si debitorem, ff. de donat. inter.* Pichard. *in princip. Instit. quibus mod. re contrahit. obligat. n.* 113. Gomez 2. *tom. c.* 4. *n.* 24. Sanchez *de matr. lib.* 6. *disp.* 4. *n.* 2. Idcircò hæres in præsentiarum rectè retinet stipendium, aut partem illius.

29 Secus verò si hæres data opera in alia regione, ubi minus stipendium conceditur pro Missis dicendis, tradiderit relictum à testatore stipendium Monasterio, aut Clericis pauperibus, aut divitibus, absque aliqua libera condonatione; tenetur enim integrum stipendium rependere: nam hæc fuit voluntas testatoris, licèt stipendium non designaverit; intelligitur enim quando non expresserit, se conformem reddere cum dispositione legis; aut consuetudinis illud taxantis, *l. Conficiuntur* 8. *ff. de jur. codicill.* Menochius *lib.* 4. *præsumpt.* 21. *n.* 35. & *præsumpt.* 202. *à num.* 1. Farinac. *Select. decis.* 508. *num.* 4. Ergo stipendium taxatum integrum refundere debet. Tum, si nec taxa fuerit facta ab aliqua lege, nec consuetudine, debet fieri ab Episcopo, si testator illam non designaverit, observando morem Civitatis, vel Provinciæ, ut censuit Sacra Congregatio §. 34. refert Barbosa *in Bullario, collect.* 476. *num.* 5. Tamburinus *d. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 34. quam hæres requirere tenetur, & secundum eam Missarum stipendium solvere, non verò data opera incongruum, ut lucrum reportet.

30 Præterea illud mihi certum videtur, quod si sit taxa stipendii, & similiter consuetudo aliquorum dantium minus stipendium; si tamen alicui Sacerdoti dentur Missæ absque numero determinato, & insimul quantitas quædam pecuniæ ad earum celebrationem, posse Clericum pro taxa numerum Missarum præscribere, quia dans tenetur dare stipendia secundùm taxam; nam tenetur sequi leges eam disponentes, *l. Si duo* 17. *ff. de acquir. rer. dom.* ubi Gloss. Pasqualig. *quæst.* 944. Similiter cum eodem Pasqualigio *quæst.* 950. teneas, consuetudinem non valere satisfaciendi unica Missa pluribus stipendiis; condemnatur enim à Cardinalium declarationibus: tum nequit hæc consuetudo, utpote irrationabilis, sustineri, *cap. fin. de consuet. l.* 6. *tit.* 2. *par.* 2. Valensis *in parat. ad tit. de consuet.* §. 2. *num.* 6. Mynsinger. *cent.* 6. *observ.* 42. *num.* 1. Becanus *de leg. tract.* 3. *c.* 8. *quæst.* 6. Ergo nequit per consuetudinem fieri, ut unica Missa satisfaciat Sacerdos pro pluribus stipendiis, ut latè etiam prosequitur Leon *de offic. Capell. q.* 8. *sect.* 12.

31 Verùm est casus in quo admitti valet consuetudo ista, nempe si fuisset communiter à laicis nota, qua recognita plura dederint stipendia; quia scienti non fit injuria, ut cum Leone probat Pasqualig. *dict. quæst.* 950. *num.* 4. Azorius 3. *part. Instit. Mor. lib.* 2. *cap.* 6. *quæst.* 2. *vers. Secunde si consuetam.*

32 Deinde est aliud non prætermittendum dubium, an qui stipendium pro Missa suscipit, possit eandem Missam applicare aliis ex liberalitate, aut gratitudine, aut ex constitutione, absque stipendio? Et affirmarunt aliqui ob infinitam efficaciam hujus Sacrificii, quæ licèt uni applicetur, aliis etiam prodest. Marchinus *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 16. *n.* 17. Diana 11. *p. tract.* 7. *resol.* 27. *vers. Item quia*: dicit probabilius Leander *d. tract.* 8. *disp.* 4. *q.* 14. unde colligunt in Monasteriis, qui obligati sunt Missas dicere pro fundatore, aut si consuetudo sit dicendi pro familiaribus eorum, posse Religiosos stipendia suscipere pro istis Missis. Garcia *dict. dub.* 4. *num.* 20.

33 Verùm contrarium tenendum est; nam ut dictum remanet, defraudaretur ille, qui stipem dedit, si pro aliis ex alio quolibet titulo Missa applicaretur: tum dans stipendium totum fructum Sacrificii sibi applicari petit. Ergo nequaquam poterit pro aliis applicari. Novarr. *cons.* 8. *de celebr. M ss.* Petrus Navarra *de restit. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 243. Possevin. *de offic. Curat. cap.* 2. *quæst.* 7. *num.* 25. Bonac. *dict. disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 8. *num.* 25. Pasqual. *quæst.* 952. & 953. Quod idem dices quando qui stipem dat, applicationem petit pro consequenda lite, alter pro satisfactione culparum, aut pro animabus purgatorii; quia unica Missa pluribus obligationibus non satisfit, & qui stipendium dat, totam requirit applicationem Sacrificii, ut etiam tenent Trullench. *d. c.* 8. *dub.* 12. *n.* 7. Garcia *d. diff.* 10. *dub.* 4. *num.* 17. Diana 6. *part. tract.* 6. *resol.* 8.

34 Unde nec admittenda est aliquorum sententia, asserentium unica Missa satisfieri posse pluribus obligationibus, quæ non sunt ex stipendio; nam aut sunt obligationes ex justitia, & tunc eadem est ratio, sicut si stipendium intervenisset. Si verò non sint, nequit unica Missa satisfieri pluribus obligationibus. Tambur. *d. lib.* 3. *c.* 1. §. 13. *n.* 21. Bossius *tom.* 1. *Mor. tit.* 1. §. 25. *num.* 401. Nec qui vovet Missam pro gratiarum actione, valet pro ea recipere stipendium. Pasqualigus *q.* 954. Leon *d. q.* 8. *sect.* 9.

35 Cæterùm dubitatur, an pro fructu specialissimo correspondente celebranti, possit majus, aut alterum stipendium recipi. Affirmarunt quamplures, & ducuntur, quia omnia opera bona possunt alteri applicari, quatenus sunt satisfactoria, licèt non quatenus meritoria: Ergo celebrans pro hac applicatione rectè majus, aut alterum stipendium suscipit. Molfesius, & Bartholomæus ab Angelis, quos sequitur Diana 2. *p. tract.* 14. *resol.* 14. dicit probabilius Filliucius *tom.* 1. *tract.* 5. *de Eucharist. cap.* 6. *num.* 181. Leander *d. disp.* 4. *quæst.* 9.

36 Alteri tenent contrarium, quia fructus iste specialissimus correspondens celebranti, est personalissimus ob actum celebrandi, qui nequit alteri applicari, *l.* 12. *l. Qua*

tale

tale 13. *ff. solut. matrim. cap. Sanè* 9. *de privileg.* Surd. *cons.* 103. *n.*14. Grammatic. *decis.*28. *n.*31. Cujac. Faber, & Revard. *in l.*68. *ff. de reg. juris*. Cæterùm licèt hoc negent aliqui, res est incerta, & pro re incerta nequit certum stipendum recipi: ergo. Sic tenent Scotus, Gabriel, & alii quos sequitur Suarez *de Euchar. disp.* 79. *sect.* 9. *ad fin.* Possevinus *de offic. curat. cap.* 2. *num.* 25. *vers. Quæritur* 6. Bonacina *dict. punct.* 8. *num.*16. de Lugo *de Euchar. disput.*21. *sect.* 2. *n.*33. Tamburinus *dict. lib.*3. *c.*1. §. 3. *num.* 67. Pasqualigius *quæst.*947.

37 In hoc dubio, etiamsi certum fuerit, posse celebrantem fructum specialissimum alteri applicare, adhuc nec alterum, nec majus stipendium Sacerdos valet accipere: tum ex declaratione Cardinalium, censente pro unica Missa non nisi unicum stipeodium esse recipiendum; tum quia datur stipendium pro labore extrinseco, & pro parte sustentationis; non enim pro sacrificio, aut applicatione illius fructus datur, Hurtado *de Sacrif. Missæ*, *disp.* 4. *diff.* 15. quapropter pro applicatione fructus correspondentis celebranti nequit majus, aut alterum stipendium recipi. Garcia *dict. diff.* 10. *dub.*4. *n.*14. Ludovicus à Concept. 1. *part. tract.* 2. *casu* 13. *n.* 15. Itaque nunquam in praxi contrarium est admittendum, quin potiùs si bona fide Sacerdos majus, aut alterum susceperit stipendium, cessante illa, tenetur restituere. Pasqualigius *q.*948. *à n.*3.

38 Similiter dubitatur, an Missa possit anticipatè applicari pro illo qui primò daturus est stipendium? Et affirmant aliqui, quia Deus scit, quis primò stipendium dabit, ut cum multis docet Bonac. *d. disp.*4. *punct.*7. §. 5. *nu.* 3. de Lugo *de Pænit. disp.*13. *sect.*5. *n.*137.

Hurtado *dict. disput.* 4. *diff.*15. *ad finem*, hanc sententiam non admittit, nisi quando persona stat in eodem statu tempore applicationis, & quo postulatur Missa, ut si Missa applicetur pro animabus Purgatorii, cùm semper dispositæ sint ad recipiendum fructum hujus Sacrificii.

39 Alteri absolutè tenent, id fieri non posse, quia interdictum est à Sacra Congregatione, quam recensent Cenedus *can. quæst. lib.* 1. *quæst.*38. *num.* 8. Barbosa *de offic. Episcop.* 2. *part. alleg.*24. *n.*12. *& in Bullario, verb. Missa*, §. 3. Ratio est, nam Sacerdos habet intentionem vagam, quia nescit pro qua persona applicet: nec oblatio sortitur determinationem necessariam. Diana 3. *par. tract.* 14. *resol.* 15. Layman *de Sacrif. Missæ, tract.* 5. *c.*2. *n.*13. Machado *in Summa*, *tract.* 2. *docum.*11. *n.*4. Leander *disp.*49. *quæst.*19. Henriquez Augustinus *sect.*22. *q.*22. de Lugo *de Euchar. disp.* 19. *sect.* 10. *nu.* 209. Pasqualig. *de Sacrif. Missæ*, *quæst.* 108. Barbosa *dict. allegat.* 24. *num.* 12. *&* 13. Leoncil. *de privileg. paup.* 2. *part. privil.* 264. Thomas Hurtado *tom.* 1. *tract.* 2. *cap.* 4. *resol.*14. *n.*125.

40 In hac difficultate animadverto, duobus modis posse anticipatè Missam dici: in primis quando diceretur pro illo, qui primò dederit stipendium, suspendendo fructum, ac efficaciam Sacrificii. Secundò quando statim applicaret Sacrificium pro primo stipem dante. Et quoad primum nequit fieri: ratio est, nam sicut in Sacramentis, eo ipso quod perficiuntur, effectus producitur sine aliqua possibili suspensione ex parte intentionis Ministri: ita similiter in Sacrificio. Quapropter nequit Sacerdos suspendere fructum Sacrificii, ut applicetur illi qui primò stipem dederit. Vasq. *in* 3. *par. disp.*234. *c.*3. Possevinus *d.c.*2. *n.*25. *vers. Quæritur.* Hurtado *d. diff.*15. *vers. Idcirco*.

41 Erit ergo difficultas in altero secundo modo; & in eo est declaratio Cardinalium, cujus suprà meminimus, quam licèt Lugo *de pænit. disp.* 13. *sect.* 5. *num.* 137. incertam dicat, quia nonnulli asserunt consultam fuisse cum Clemente VIII. alii cum Paulo V. attamen Garcia *in Summa*, *tract.*3. *diff.*10. *dub.*6. *n.*5. illam rectè vindicat, additque Motum fuisse Pauli V. idem decernentis: itaque in praxi minimè admittenda est sententia asserens, posse dici Missam anticipatè pro primo qui stipem dederit. Quod non solùm est admittendum quando Missa applicatur vivis, sed etiamsi defunctis; est enim applicatio ista facienda humano modo, id est quatenus agnoscit Sacerdos, non quatenus Deus scit: tum quia fortè petens Missam, aliquam specialitatem requireret, ita ut si scisset applicatam esse, minimè stipem præstaret: quapropter ut his, & aliis fraudibus obviam eatur, minimè sententia illa admittenda est. Marchinus *d. tract.* 3. *p.*2. *c.*31. *n.*6. Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 2. *disp.* 5. *q.*9. *n.*21.

Sed dices, in probabiliori sententia Sacerdos potest ap- 42
plicationem Missæ conferre in voluntatem Dei, ut cum aliquibus tenet Pasqualigius *quæst.*169. ergo etiam poterit dici Missa pro primo dante stipendium, quem Deus agnoscat. Sed respondetur, sententiam Pasqualigii ab aliis negari, ut cum Fraxinello notat Tamburinus *in Meth. celebrat. Miss. lib.*2. *cap.*2. §. 9. *num.*17. Verricel. *quæst. mor. tract.* 1. *quæst.* 21. Tum licet illam admittamus, intentio Sacerdotis applicantis Missam illi cui Deo placuerit, vaga non est, prout in altero casu; quin potiùs de præsenti applicatur pro persona, quæ magis Deo placeat secundùm ejus voluntatem, prout est certa persona, quæ arbitrio tertii committitur designanda de præsenti. Baldus *lib.*1. *cons.*183. Tuschus *lit. C, concl.* 200. *num.* 2. *& num.* 8. *& lit. L, conclus.* 43. Præterea nam ut scripsit Pasqualigius *quæst.* 169. *n.*8. applicare pro eo quem Deus scit primò stipem daturum, non est applicare secundùm Dei voluntatem, sed secundùm determinationem daturi eleemosynam, quatenus Deus scit, quæ stat ut futura, & non ut præsens: atque ideò frustratur applicatio offerentis, quapropter nihil obstat argumentum suprà relatum.

Excipitur verò casus, quando Capellanus certas Missas 43
teneretur singulis hebdomadis celebrare, tunc enim rectè anticipatè potest dicere, cùm nullum inconveniens, aut fraus committatur: tum, nam est earum debitor, & potest ante diem solvere, *l. Stipulatio* 38. §. *Inter certam*, *ff. de verb. obligat.* Valenzuela *cons.*2. *nu.* 5. quæ regula certa est, nisi dies apponatur favore creditoris, cui detrimentum sequatur, *l. Eum qui* 15. *ff. de ann. legat. l. Si ante* 10. *ff. ad Treb.* Latrea *decis. Granat.* 15. *per tot.* Lara *de Anniverș. lib.* 1. *c.* 9. *num.*49. & in nostro casu favor est creditoris, aut anticipatè solvatur: quare Capellanus rectè anticipatè celebrat, ut cum Rodriguez, Reginaldo, & aliis docet Diana 2. *p. tract.* 14. *resol.* 16. Riccius *in praxi for.* 1. *edit. decis.* 400. *& in* 2. *decis.*338. Barbosa *d. allegat.* 24. *num.* 14. Garcia *dict. diff.* 10. *dub.* 6. *n.*8. Thom. Hurtado *tom.*1. *resol. Mor. tract.* 2. *cap.* 4. *resol.* 14. *n.*1. qui cum aliquibus limitat, nisi fundator dies festos pro dicendis Missis præscripserit; tunc enim præcisè in eisdem diebus dicere oportet, non verò anticipatè, ut dispositum est à fundatore: sicut si fundator ipse designet dies hebdomadæ, in quibus Missæ dicendæ sunt, non satisfaciet Capellanus anticipatè celebrando. Marchinus *d. tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 31. *num.* 11. Cenedo *dict. q.*38. *num.* 2.

Nec prætereunda alia difficultas, an quando Beneficia- 44
tus, aut Parochus celebrare tenetur, sed absque aliqua applicatione, possit stipendium pro illis Missis recipere? Et ex nonnullis declarationibus Cardinalium, aliqui asseruere, minimè illud percipere posse, quia pro unica Missa nequit quis duo stipendia recipere: Ergo cùm Beneficiati Parochi, aut Capellani recipiant salarium à Beneficio, seu Capellania, nequeunt pro eadem Missa stipendium admittere. Diana *dict.* 2. *p. tract.* 14. *resolut.* 80. Barbosa *de offic. Paroch. p.* 1. *cap.* 11. *n.*12. Garcia *in Summa, tract.*3. *diff.*3. *dub.*6. *n.*9.

Verùm in hac doctrina animadverto, declarationes Car- 45
dinalium clarè non loqui de iis qui celebrare tenentur absque speciali obligatione applicandi Missam. Quamobrem eas intelligo, non solùm quando quis tenetur celebrare, sed etiam Sacrificium applicare, quo quidem casu ex eisdem declarationibus nequit stipendium accipi, de Lugo *d. disp.* 21. *sect.* 1. *n.*13. Leon *q.*8. *sect.*10. *n.*60.

Istinc admitto contrariam sententiam; nam quoties Mis- 46
sa præcipitur dici absque applicatione, relinquitur libera potestas dicenti, ut stipendium percipiat: cæterùm, nam ex voluntate dantis stipendium, valet suscipi aliud. Possevin. *de offic. Paroch. cap.*2. *num.*21. Ergo si fundator Capellaniæ, aut Beneficii obligationem celebrandi tantùm reliquerit ratione cultus, aut alterius commoditatis, relinquit facultatem Capellano, aut Beneficiato, vel Parocho, ut possit pro applicatione Sacrificii stipendium percipere. Ita Bonacina, qui malè pro contraria opinione allegatur, *disp.*4. *quæst. ult. punct.*8. *n.*3. de Lugo *dict. disp.* 21. *sect.* 1. *num.*19. Leon *de Iubilæo*, 3. *part. quæst.*20. *n.*27. Leand. *d. disp.*4. *q.*12. Pasqualigius *q.*907. *n.*5.

Hæc doctrina intelligenda est quando constat de volun- 47
tate fundatoris, minimè obligare voluisse nisi ad celebrationem Missarum, absque applicatione; & notandum accidere posse quando expressè declaraverit, aut ex verbis

æqui-

æquipollentibus: quod enim ex mente fundatoris necessariò colligitur, pro expresso habetur, *l. Licèt Imperator 74. ff. de legat. 1. l. Si locuples 57. ff. de manum. testam. cap. Intelligentia 6. cap. Præterea 8. de verbor. signific.* Gratian. *discept. tom. 4. cap. 769. num. 1. & 21.* quamobrem dispositioni testatoris standum est, ita ut celebrando solùm possit alteri applicando Sacrificium, stipendium percipere. Pasqual. *q. 908. à num. 1.*

48 In dubio quando non constar quid voluerit fundator, an celebrationem tantùm, an etiam applicationem, Marchin. *d. 3. tract. 2. part. cap. 21. à num. 5.* scripsit minimè applicationem præceptam esse, sed tantùm celebrationem; nam in dubio pro minori obligatione præsumitur, *leg. Quidquid astringendæ 99. ff. de verb. obligat. l. Arrianus 47. ff. de obligation. & action.* quapropter si non constet voluisse fundatorem etiam applicationem, sufficiet celebrare, & consequenter poterit stipendium pro illa Missa Sacerdos percipere.

49 Sed contrarium tenent communiter Doctores. Fraxinel. *de obligat. Sacerd. sect. 4. conclus. 4. §. 8.* Homobonus *in exam. 1. part. tr. 4. cap. 13. quæst. 121.* Tamburin. *dict. lib. 3. cap. 21. §. 3. num. 14.* Leon *de offic. Capel. quæst. 8. sect. 8. nu. 48.* Garcia *dict. tract. 3. diff. 10. dub. 3. num. 4.* Diana 6. *part. tract. 6. resol. 13.* Pasqualigius *q. 908. à num. 6.* Ducuntur ex Decreto Sacræ Congregar. sub 13. Julii 1630. quod refert Barbosa *in Bullar. collect. 122. num. 23. & de univers. jur. lib. 3. cap. 5. num. 38.* asserens Capellanum obligatum quotidie celebrare, novam eleemosynam accipere non posse, nisi expressè cautum sit, quod non teneatur Sacrificium applicare: unde apertè cognoscitur, in dubio semper intelligi voluisse fundatorem, non solùm celebrationem, sed etiam applicationem. Cæterùm, eo ipso quod fundator obligat ad ministerium Sacerdotis, intendit etiam obligare ad id quod facit hujusmodi ministerium, quod est offerre Sacrificium, & consequenter vult fructum Sacrificii: quapropter in dubio Sacerdos nequit pro illa Missa stipendium accipere.

50 Hanc sententiam admitto quando pingue fuerit salarium Capellaniæ, aut Beneficii, quod utrinque obligationi satisfaciat, tam celebrandi, quàm applicandi Missam: idque ex natura actus gesti satis depromitur. Tum qui Capellanias, aut Beneficia Ecclesiastica fundant, eo animo ferè semper faciunt, ut Missæ pro illis applicentur: & argumentum, quod à communiter accidentibus depromitur, validum est, *l. Quod dictum, de pact.* Menochius *cons. 90. num. 71.* Surdus *cons. 383. n. 14.* Amicis *de jur. emphyt. quæst. 1. num. 9.* Seraphin. *de privileg. juram. privil. 21. num. 2.* quapropter in dubio, quando pingue est salarium, existimo tenendam esse hanc sententiam.

51 Excipio si tenue fuerit, tunc enim præsumitur animum esse fundatoris onus celebrandi imponere, absque aliqua applicatione Sacrificii: quod idem erit observandum quando consuetudo fuisset in similibus Beneficiis, aut Capellaniis, ut pro stipendio Missæ illæ applicentur, & tantum sit onus celebrandi certa hora, aut in Altari certo; consuetudo enim voluntatem fundatoris exprimit, *leg. Minimè 23. ff. de legib.* quare id erit observandum. Leon *d. q. 8. sect. 8. n. 51. & 52.* Garcia *d. dub. 3. n. 4.*

52 Similiter dices si confraternitates, aut Moniales vocent Sacerdotem ad Missam sibi dicendam, quia non habent commoditatem audiendi: tunc enim stipendium, quod præstant, pro hac commoditate videtur præstari, non pro applicatione: quare alterum stipendium poterit percipere, nisi Moniales, aut Sodales similes Missas etiam applicare tenerentur, ut cum Leone & Tambur. docet Pasqual. *quæst. 908. num. 12.*

53 Parochus verò in his diebus, quibus Missam pro Parochianis tenetur celebrare, & insimul applicare, aliud stipendium percipere nequit, idque consequenter ex dictis probatur, nisi aliquis sciens Missam pro his applicari, adhuc stipendium pro ea dederit; quia scienti non fit injuria. Leon *de offic. Capel. q. 8. sect. 11.* Pasqual. *q. 909.* Trullench *lib. 3. de Sacram. c. 8. dub. 9. n. 11.*

54 Sed est difficultas, quibus diebus Parochus teneatur offerre Sacrificium pro suis Parochianis? Qua in re animadverto duas esse difficultates. Prima, qoando Parochus teneatur celebrare per se, vel per alium, ut Parochiani Missas audiant? Et illa receptior est opinio, ut teneatur in diebus Dominicis, & festivis, nisi aliter Episcopus decreverit: qood ab eo fieri posse deducunt Doctores ex Tridentino *sess. 23. cap. 14.* Trullench. *d. cap. 8. dub. 9. num. 6.* Pasqualig. *q. 850.* aut quando extat consuetudo, aut constitutio Synodalis id præcipiens, tenent plures apud Pasqualigium nuperrimè allegati *n. 1.*

55 Secunda difficultas, in qua versamur, tres habet opiniones. Prima asserit, quotidie Parochos teneri Sacrificium offerre, quoties tenentur celebrare. Sotus *de just. lib. 9. q. 3. art. 1.* Tolet. *in Sum. lib. 5. c. 5. n. 10.*

56 Secunda sententia docuit, teneri aliquibus vicibus in anno pro suis ovibus Sacrificium offerre, idque jure divino probant. Trident. *sess. 23. de Reformat. cap. 1.* ibi: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognoscere, pro his Sacrificium offerre;* inquit tamen sententia ista, incertum esse quibus diebus ad adimplendam hanc obligationem teneantur? Aliqui ter, aut quater celebrare teneri dicunt: alteri diebus Dominicis, & profestis. Ita tenent latè Garcia *in Sum. tractat. 3. diff. 3. dub. 6. num. 7.* Thomas Hurtad. *tom. 1. resolut. Mor. tract. 2. cap. 3. resolut. 4. num. 45.* Barbosa *de offic. Episcopi, 2. part. allegat. 24. n. 23. & de offic. Paroch. 1. part. cap. 11. n. 10.* Marchinus *tract. 32. part. cap. 30. n. 2.* Pasqualigius *quæst. 851.*

57 Tertia sententia asserit Parochum, licèt teneatur celebrare in aliquibus diebus, ut populus Missam audiat, non tamen teneri Sacrificium applicare pro Parochianis; nam licèt decimæ, aut alii proventus illi concedantur, sunt tamen plura ministeria, pro quibus illos suscipit, nempe pro catechizando populo, administratione Sacramentorum, pro cura Ecclesiæ, & pro labore invigilandi super gregem, residendi, & pro aliis, in quibus non solùm cura & labor versatur, sed aliquoties gravissima pericula honoris, & vitæ: quapropter ad applicationem Sacrificii ob decimas, ac alios proventus non tenentur. Cæterùm, nam quamvis habeant obligationem celebrandi, non inde sequitur teneri applicare Sacrificium; de una enim obligatione ad alteram non datur extensio, *leg. Papinianus 20. ff. de min.* Ergo neutiquam Parochi tenentur applicare Sacrificium Missæ pro populo, licèt celebrare teneantur. Layman *in Summa, lib. 5. tract. 5. cap. 3. num. 3.* Villalobos *in Sum. tract. 8. part. 1. diff. 14. num. 4.* Diana *2. part. tract. 14. resolut. 26.* Trullench *de Sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 9. num. 3.* Hurtado *de Sacrificio Missæ, disp. 4. diff. 16. vers. Major vero,* Palao *tom. 4. tract. 22. disput. 1. punct. 13. n. 7.* Possevin. *de offic. curat. cap. 2. n. 4.* Riccius *4. part. decis. Cur. Neapol. decis. 201. n. 4.*

58 In hoc dubio in primis intelligere oportet locum Tridentini *dict. sess. 23. c. 1.* cujus verba transcripsimus *num. 29.* ubi asseritur, de præcepto divino esse, ut qui curam animarum gerunt, pro his Sacrificium offerant, ut etiam desumi valet ex Paulo *ad Hebr. cap. 5.* in Biblia Magoa, ibi: *Quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis.* Unde nonnulli assumunt, Parochos, utpotè curam animarum gerentes, hanc obligationem habere ex vi sui officii, applicandi Sacrificia pro suis ovibus: sed hoc quidem incertum est, cùm alii quamplurimi negent; Concilium enim non asserit ex hac obligatione teneri particulariter pro populo applicare Sacrificium: satis igitur erit, si universaliter pro his oret in Sacrificio, ut explicat Tamburinus *in Method. celeb. lib. 2. cap. 2. §. 16. num. 15.* Cæterùm alio modo interpretari potest, ut præceptum illud divinum minimè intelligatur de aliquo præcepto justitiæ, sed tantùm charitatis, quando aliqua urgeat gravissima necessitas Parochianorum: quare aliqui Doctorum scripsere, ex charitate tantum teneri Parochos applicare Sacrificium pro ovibus suis. Conink *de Sacrament. quæst. 83. art. 1. dub. 11. num. 199.* Trullench *dict. lib. 3. cap. 8. dub. 9. num. 8.* Laym. *d. c. 3. n. 3.*

59 Eodem enim modo suscipit lucem textus Apostoli *in dict. cap. 5.* qui communiter intelligitur, non de applicatione particulari Sacrificii, sed de generali. Palao *dict. punct. 13. num. 7.* quapropter ex his testimoniis nihil certum depromitur, & tertiam senteotiam uti probabiliorem accipio.

60 Unde intelligere libet Synodalem quartam hujus Archiepiscopatus, *de celebrat. Missarum,* præscribentem Missas, quæ à Parochis applicandæ sunt pro suis Parochianis, in qoa maximum dubium est, an Parochos obliget? Et obligare videtur; nam cùm sit præceptum divinum, ut

qui

qui curam animarum gerunt, offerant Sacrificia pro ovibus, & nihil determinatum reliquerit, Prælatis Ecclesiæ id relictum videtur: quapropter Synodalis potuit obligare Parochos, ut tot dicant Missas pro Parochianis. Itaque DD. licèt dicant, Parochos ex vi sui officii non teneri Missas applicare pro populo, excipiunt tamen, nisi aliqua Synodalis sit in contrarium. Trullench *dict. dub.* 9. *num.* 10. Garcia *dict. tractat.* 3. *diff.* 3. *dub.* 6. *num.* 7. Barbosa *de offic. Paroch. d.* 1. *part. cap.* 11. *num.* 10. Possevin. *eod. tract. c.* 2. *n.* 4.

61 Sed probabiliter contrarium tenendum est, minimè Synodales has obligare posse, licèt expressis verbis id præcipiant, ex sequentibus considerationibus; nam actus applicandi Missam est internus: sed actus internus minimè à legibus præcipi valet, cùm sit Deo reservatus, *lib.* 1. *Reg. c.* 2. ibi: *Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes*. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 91. *artic.* 4. Morla *in Empor. ad tit. de legibus, in princip. num.* 50. Cujac. *observat. lib.* 8. *cap.* 12. Becanus *tract.* 3. *de legib. cap.* 6. *quæst.* 5. *num.* 2. Martinez de Prado *Mor. tom.* 1. *cap.* 3. *de legibus, quæst.* 4. §. 1. unde nec ista, aut alia Synodalis Parochos potuit obligare.

62 Huic fundamentum respondet Ludovicus à Conceptione *tract.* 1. *de opin. probab.* §. 1. *lit. M, num.* 36. hanc Synodalem non tam præcipere applicationem Missæ pro populo, quàm quod Parochi pro tali Missa stipendium non percipiant, quod quoad applicationem internam Missæ non tam præcipit, quàm supponit, ex Paulo *ad Hebr. cap.* 5. Sed hæc responsio duas partes habet. Prima est quoad stipendium, ut minimè Parochus illud percipiat pro Missa quam dicit pro populo: si ergo Synodalis non præcipit applicationem, consequenter permittit, ut Parochus stipendium percipiat: verùm de stipendio nihil loquitur.

63 Secunda pars, quatenus dicit Synodalem non tam præcipere applicationem Missæ, quàm supponere, ex Paul. *ad Hebr. cap.* 5. incerta est; nam ut suprà diximus, certum nihil ex illa authoritate deducitur, quoad obligandum Parochum ut applicet Missas pro ovibus particulari applicatione: itaque Synodalis ista supponit incertam obligationem, quæ minimè ex Paulo deducitur. Et confirmo discursum ex eodem D. Paulo, quia non loquitur de obligatione applicandi particulariter Sacrificium pro populo; nam æquat illam obligationem cum obligatione offerendi pro se, ibi: *Ita pro semetipso offerre pro peccatis*. Sed nulla est obligatio, ut Parochus pro se offerat Missam speciali, & particulari applicatione: ergo nec pro populo, unde cognoscitur illam Synodalem intendere jubere actum internum applicationis Sacrificii, qui est extra suam potestatem, *leg. De qua re, ff. de judic. cap. Cogitationis* 14. *cap. Cogitatio* 20. *de pœnit. dist.* 1. *l.* 1. *ff. quod cujusque univers. sit.*

64 Præterea si Synodalis non tam obligat, quàm supponit obligationem, quà de jure divino tenetur Parochus applicare Missas pro Parochianis; probabilis est tantùm sententia aliquorum Doctorum id asserentium, quos refert Pasqualig. *quæst.* 852. *num.* 4. Contrarium esse etiam probabile tenent relati suprà, *n.* 30. & alii quamplurimi apud eundem Pasqualig. *n.* 3. Ast quoties superior, aut lex aliquid præcipit probabiliter, & in contrarium est etiam probabilis sententia, subditus non tenetur obedire in probabili sententia, ut cum Ledesma tenet Gallego *de conscientia probabili, dub.* 11. Henriquez *in Sum. sect.* 1. *quæst.* 9. Sanchez *Select. quæst.* 33. *num.* 32. & esse contra legem, latè, & ingeniosè probat R. P. de Moya *Select.* 1. *tom. tract.* 1. *q.* 6. §. 2. *à n.* 5. ergo saltem in probabili sententia Parochi non obligantur vitalis Synodalis.

65 Cæterùm si nulla est obligatio justitiæ, nequit Episcopus præcipere Sacerdotibus applicationem specialem Sacrificiorum, cùm non sit Dominus voluntatis eorum, Leon *de offic. Capel. quæst.* 1. *sect.* 4. *num.* 41. Garcia *in Summa, tract.* 3. *diff.* 3. *dub.* 5. *punct.* 1. *num.* 2. Quartus *in rubric. Miss. in Appendice, quæst.* 2. *punct.* 15. *vers. Respondeo, & dico primo*. Quod etiam in quolibet Superiore, ratione jurisdictionis, aut voti, tenent plures, quia applicatio Missæ in particulari est actus mere internus, qui nec physicè, nec moraliter conjungitur cum actu externo, sed tantùm per accidens. Layman *lib.* 1. *Sum. tract.* 4. *c.* 4. *num.* 13. Palao 1. *part. Mor. tract.* 3. *disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 4. Quartus *d. quæst.* 2. *punct.* 15. *vers. utraque sententia*: quod dicet probabile Tambur. *in Meth. celebr. Miss. lib.* 2. *cap.* 2. §. 9. *à num.* 2. Idque supponit ut certum, aut saltem probabilissimum: ergo cum seclusa obligatione justitiæ, quæ nulla est in Parocho applicandi Missam pro ovibus, siquidem ex vi sui muneris nulla obligatione adstringitur, Episcopi per suam legem Synodalem nequeunt illos obligare ad talem applicationem, cùm ad hoc potestatem non habeant.

Idque rectè agnovit Ludovic. à Concept. *ubi suprà, n.* 36. 66
dum ad defendendam hanc Synodalem, ad jus divinum pervenit, considerans ex vi suæ jurisdictionis non posse Episcopum applicationem Missæ in particulari præcipere, cùm sit actus purè internus, qui non cadit sub jurisdictione, & judicio Ecclesiæ, quidquid resistat Pasqual. *q.* 181. *n.* 4.

Deinde similes Synodales præcipientes, ut Parochi appli- 67
cent tot Missas pro ovibus, gravissimam deformitatem continent; nam Episcopi qui majorem animarum curam gerunt, & suorum subditorum gravissimos proventus percipiunt, nulla lege ad hanc obligationem astringuntur: nec similiter Summus Pontifex, in quo est tota animarum solicitudo, ut probat Villalobos *d. tract.* 8. *diff.* 14. *n.* 4. *part.* 1. quapropter Parochos (qui ferè omnes pauperes sunt, præcipuè in hoc Archiepiscopatu, ubi studiis occupati ad ascendendum, nequeunt ad rem familiarem attendere, prout considerat Osuald. *ad Donel. lib.* 21. *comment. cap.* 11. *lit. B.*) obligare ad applicandas Missas pro Parochianis, præter alia gravissima onera, quorum aliqua recenset Riccius *d.* 4. *part. decis.* 201. *n.* 4. deformitas gravissima est, nec ex aliqua lege admittenda, *cap. Erit lex* 2. *dist.* 4. S. Thom. 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. *ad* 3. Sotus *de just. lib.* 1. *q.* 1. *art.* 5. *vers. Existimo*, Menchac. *illust. lib.* 1. *c.* 50. Anguian. *de legib. lib.* 1. *controv.* 4. Ergo similes leges non obligant.

Denique in hac Synodali quarta *de celebr. Miss.* videtur 68
noluisse pientissimum Principem D. D. Balthasarem de Moscoso ejus conditorem, & suos peritissimos Consiliarios in conscientia obligare: idque probo, nam est constitutio mixta, quatenus obligat Parochos ad applicandas Missas pro Parochianis certis diebus: ast postea inquit, *Pena de un ducado*; quoties enim lex est mixta, præcipiens, & pœnam imponens, in conscientia non obligat. Decius *in cap. Nam concupiscentiam, de constitut.* Navarrus *cap.* 23. *num.* 55. Ludovic. Gomez *in cap.* 2. *de const. in* 6. *n.* 2. dicunt probabile, & in praxi tutum Villalobos *in Summa*, 1. *part. tr.* 2. *diff.* 22. *n.* 6. *vers. Yo confiesso*, Diana 1. *part. tr.* 10. *de legib. resol.* 20. *vers. Dicendum est igitur*, Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 21. *cap.* 11. *num.* 418. R. P. de Moya *tom.* 1. *Select. tract.* 6. *Miscell. disp.* 4. §. 4. *n.* 19. ergo nec hæc obligat in conscientia, licèt valida fuisset, ac potuisset obligare Parochos.

Sed dices cum Doctore Cueva apud Ludovicum à Con- 69
ceptione *d.* §. 10. *lit. M, n.* 9. incertum esse, an hæc pœna sit imposita pro non oblato Sacrificio, ut disponit Synodalis; an pro non dicta Missa extra tempus horæ consuetæ, aut pro mutatione Missæ diei currentis pro Anniversario. Verùm ipse verisimile fatetur, utrumque comprehendere hanc pœnam, cùm contrarium dicat verisimilius. Cæterùm ex contextu illius patet utrumque comprehendere, ibi: *Digan las Missas por el Pueblo los dias de las quatro Pasquas, y de el Corpus, y del Titular de la Iglesia, cumpliendo cada uno la carga de dichas Missas por el Pueblo que le cupiere, conforme à la cantidad que gozare de dicha renta, y so digan à la hora acostumbrada, sin tener respeto à personas particulares, pena de un ducado*. Dictio enim *Y*, cui correspondet Latina *Et*, æqualiter copulat, ut idem sit de uno, quod de altero ex copulatis, ac ita concursum requirit copulatorum, *l. Si mihi, & Titio* 110. *ff. de verb. obligat. leg. Si hæredi plures* 5. *ff. de condit. inst.* & alia quæ congessit Barbosa *dict.* 110. *à n.* 7. quapropter pœna illa non solùm intelligenda est de hora celebrationis, verùm de applicatione Missarum, quæ antea præcipiebatur: unde sequitur in conscientia non obligare, dato & concesso posse obligationem inducere.

Istinc non sequitur, conditorem illius sanctum, & per- 70
fectissimum Prælatum, & doctissimos Consiliarios aberrasse, sed tantùm sequutos fuisse opinionem probabilem asserentium, Parochos teneri diebus Dominicis, & festivis Missas applicare pro populo: & Synodalis valeret quantum posset, maximè propter juris axioma, *Si quod ago non valet ut ago, valeat ut valere potest*; ut considerat ingeniosus, & doctissimus vir Ludovicus à Conceptione *d.* §. 10. *lit. M*,

lit. M, *n.* 38. Consulerem tamen, ne legum conditores facilè leges condant, quæ aliquo modo evasionem recipiant, ne luxuria præcipiendi videatur, & potestas, insimulque leges contemnantur. Hæc dicta in favorem Parochorum pauperum percipiantur, quorum infinitus est numerus indigentium stipendiis ad alimenta: divites verò qui ex Beneficiis plures proventus accipiunt, illam observent; rectiùs enim agent, non solùm orando generaliter pro Parochianis, sed specialiter his diebus Missam pro illis applicando, cùm stipendio non indigeant.

CAPUT IV.

De taxa justi stipendii Missarum.

SUMMARIUM.

Taxa in Missis est necessaria, crescit enim aut decrescit ratione temporis, loci, laboris, aut annonæ penuria, num. 1.

Potest fieri à Pontifice, ab Episcopis, num. 2. Explicatur Navarrus, a n.3.

Hæc taxa an facienda sit ab Episcopo in Synodo, resolvitur negativè, à n.6. & quomodo facienda, n.8.

Si nulla est taxa facta à lege, consuetudini statur: si non est consuetudo, placito virorum timoratorum, n.9. cui etiam relinquitur, quæ pars sustentationis debeat taxam continere, num.10.

An potestas utriusque fori requiratur ad hanc taxam, negatur à num.11. nec fieri valet à Rege, nec ab ejus Ministris, n.13. hæc taxa obligat Clericos de justitia, n. 14. & Regulares ex vi directiva, n.15.

Quid si Clericus ante Missam dicat nolle dicere, nisi addito stipendio? Dicunt aliqui, non posse amplius recipere: alteri affirmant, à n.16. explicatur, n.18.

Sunt casus in quibus majus stipendium valet percipi, à num. 19.

An pro Missa dicenda in die festo majus stipendium Sacerdos accipere valeat? affirmant aliqui, negant alteri, a n. 21. resolvitur n.23.

Stipendium valet dari, non solùm in pecunia, sed in alia qualibet re, à num. 24. Explicatur constitutio 1. de testam. num. 26.

An qui grande stipendium pro Missis percepit, possit sibi residuum retinere, & alteri dicendas Missas concedere, stipendio justo interveniente? Explicatur à num. 27. negativè resolvitur, num. 28. limitatur quoad aliquos, num. 30. & 31.

Valet ultra taxam percipi, ratione periculi portandi pecunias, & pro occupatione collectorum: ad quod explicatur constitutio 1. de testam. a n.32.

Est dubium, an legatarius executor Missarum possit salarium percipere? res latè discutitur, à n.34. & quid in causis piis, ubi distinguitur, à n.37. & seqq.

Salarium non conventum an debeatur, numer. 40. & seqq.

Sacerdotes quomodo peccent differendo Missas, & quando ad restitutionem teneantur, a n.46. & seqq.

1 Missæ stipendium necessariò taxandum esse communiter dicunt Doctores; in re enim facili ad simoniam, nihil in incerto relinquendum. Verùm in taxa justa, ne scrupulosè, ac cum formidine conscientiæ Clerici stipendia recipientes crucientur; in taxa enim ista non ita strictè procedendum, ut ratione loci, temporis, & majoris laboris ampliùs non petatur, cùm sint justæ causæ majoris stipendii, ut benè de Lugo *resp. mor. lib.5. dub.19. à n.1.* quod idem dicendum est, quando adest penuria annonæ; ratione enim hujus indigentiæ majus stipendium percipi valet: nam taxa intelligitur rebus in eodem statu permanentibus, quod idem dicas, si stipendium à consuetudine taxaretur. Pasqualigius *q.925. n.3.*

2 Hæc enim taxa absque dubio fieri valet à Summo Præsule: sed an fieri possit ab Episcopis, est aliqua difficultas, ex doctrina Navarr. *in Man. cap. 23. num.106.* Scribentis non licere Episcopo præcipere, ut certa pecunia detur pro Missa dicenda, quia Missa non est pretio æstimabilis, *cap. Qui studet, 1. quæst. 2.* Sotus *lib. 9. de justit. quæst.6. art. 1. ad 2.*

Doctrina ista parum urget, quia Navarrus duobus modis concipi valet. In primis videtur certa quantitas pecuniæ directè destinata pro Missa, quo quidem casu simonia committitur; nam daretur pro re spirituali, aut pro labore adjuncto inseparabiliter ab ipsa celebratione, quod in meliori sententia simonia existimatur; & in hoc sensu benè loquitur Navarrus: secus verò si pecunia destinetur pro aliis titulis extrinsecis, de quibus diximus suprà, ut benè notat Cened. *ad Decret. collect. 44. num. 3.* Gutierrez *canon. lib. 1. cap. 29. à num. 3.* Morla *in Empor. 1. part. tit. 1. q.13. in princ.* 3

Aliter intelligitur Navarrus in quæstione illa, an Episcopus possit præcipere, ut celebrans nec majus, nec minus stipendium percipiat, aut dans minus, vel majus det: & hic est casus, quem discutit: & affirmat, non posse id facere Episcopum, ut docuit etiam de Lugo *dict. dub. 19. à num. 2.* In quo dubio dicendum, posse id facere Episcopum, aut alium Prælatum ad id potestatem habentem, ut nec magis, nec minùs detur de rigore justitiæ, quàm ab ipso fuerit taxatum. Ast nequit tollere, ut si celebrans velit aliquid stipendii condonare, aut dans amplius liberaliter concedere, nequeant efficere; cùm id pertineat ad charitatem unius, & liberalitatem alterius. Navarr. *dict. cap.23. num. 106.* Filliuc. *dict. tract. 5. de Euchar. cap.6. num. 27.* Villalobos *dict. diff. 15. num. 4.* Bonacin. *dict. disp. 4. quæst. ultim. punct. 8. num. 8.* Pasqualigius *quæst. 927. & 928.* Barbosa *ad Concilium, sess. 22. cap. 2. num. 22. & 2. part. allegat. 24. num.9.* 4

Hinc resolvendum, posse Episcopum stipendium Missarum taxare. Ratio est, nam Episcopis (exceptis rebus Fidei) competit quidquid Romano Pontifici, nisi specialiter ab eo reservetur. Suarez *de legib. lib. 4. cap. 4. num. 21.* Victoria *de potest. Ecclesiæ, relect. 2. quæst. 2. n.28.* Solorzanus *de jur. Ind. lib. 3. cap. 10. num. 31.* Cùm ergo hæc facultas taxandi stipendia Missarum, reservata non sit Episcopis, competit de jure suo Ordinario. Cenedus *canonic. qq. lib. 1. cap. 27. num. 4.* Fragos. *de regim. Reip. tom. 2. lib. 8. punct. 2. disp. 19. §. 7. num. 17.* Suarez *in 3. part. disp. 86. sect. 2. §. Sed dico.* 5

Sed an hæc taxa facienda sit ab Episcopis in Synodo Diœcesana, aliquod dubium involvit. Garcia *in Summa, tract. 3. diff. 10. dub. 2. num. 3.* affirmare videtur per hæc verba: *Digo lo primero, el estipendio de la Missa puedelo tassar, y señalar el Pontifice, y los Obispos, y Prelados en sus Synodos.* Hoc enim modo aliqui Doctorum loquuntur; sed tamen faciliter intelliguntur, non enim dicunt præcisè taxam stipendii faciendam esse ab Episcopo in Synodo, taliter ut extra facere nequeat; hoc enim non affirmant: sed asserunt esse faciendam in Synodo, ut rectiùs fiat cum consensu Clerici. Dicastill. *de Sacram. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 20. n.366.* 6

Quare asserendum est, fieri posse validè ab Episcopo extra Synodum; habet enim potestatem legislativam, non tamen Clero subjectam, ut ab eo assensum petat, sed per se potest facere quamlibet legem, nisi in casibus quibus de jure Cleri consensus requireretur. Felin. *in cap. Omnes, de constitut. n.11.* Suarez *de legib. lib. 4. cap. 5. à n. 2.* Layman. *in Sum. lib. 1. tract. 4. cap. 7. §. 4. num.9.* Ergo cùm ad hanc taxam de jure non petatur assensus Cleri, rectè extra Synodum ab Episcopo fieri valet. Duval. *de Sacram. cap.4. disp. 3. dub. 7. num. 281.* Henao *de Sacrif. Missa, tom. 3. disp. 31. sect. 7. n.57.* 7

Illud verò animadvertendum, hæc statuta ad Missas taxandas recta æqualitate construenda esse, ne aliqua Monasteria, aut Ecclesiæ pergraventur taliter, ut in tali loco majora, & in alio exigua stipendia percipiantur, nec excludendo à taxa aliquas Parochias; hoc enim contra charitatem est, *cap. Agapetus 13. 16. quæst. 1.* hoc enim ambitionem saperet, *l. Ambitiosa, ff. de decret. ab Ordin. faciend.* quapropter invalida censerentur. Vasquez *in 3. part. disp. 224. c.1. n.8.* Garcia *d. diff. 10. dub. 2. n.5.* 8

Si tamen nulla sit lex, quæ hanc taxam terminet, nec præceptum Episcopi, tunc ad consuetudinem reccurrendum est, quæ vim legis habet, *l. De quibus 32. ff. de legib. l.2. Cod. quæ sit longa consuet.* Villalobos *dict. diff. 15. num.5.* Pasqualigius *quæst. 924. num. 2.* Sed si nulla sit consuetudo, unde taxa ista æstimetur, illud est justum stipendium, quod visum fuerit viris prudentibus, & timoratis; nam quoties lex non taxat, non est alius modus sciendi rerum pretia, 9

eum

cum latitudine infimi, medii, & majoris. Suarez *in 3. par. disp.86. sect.2. vers. Secundo dico*. Pasqual. *d. quaest. 924. n. 4.* Trullench *dict. cap. 8. dub. 12. num. 5.* qui animadvertit majus pretium rigorosè non esse petendum à dantibus stipem, cum eis contendendo, sed mediocre, ne in re tam sancta, sicut in aliis mercimoniis, disceptetur. Filliuc. *dict. cap.6. num.179.*

10 Quæres, quando taxa non est, verùm prudentis arbitrio relinquitur, quæ pars sustentationi Clerici concedi debeat? Aliqui integram sustentationem dixere, quod non est admittendum. Layman *d. tract.5. cap. 1. num.13. vers. Iustum stipendium*, asseruit dimidiam partem, aut tertiam debere considerari ad hanc taxam: sed id relinquendum arbitrio prudentis censeo, qui ex more regionis, valore pecuniæ, & rerum pretio istam partem perpendat. Hurtado *de Sacrif. Missæ, disp.4. diff.14. vers. Stipendium*.

11 Præterea non desinam attingere doctrinam cujusdam Fiscalis Regii, qui nostro tempore in quadam allegatione de hac taxa multa contexuit: inter alia *n. 43.* asserUit, ad hanc taxam stipendii Missarum esse necessariam potestatem utriusque fori, tam Ecclesiastici, quàm Sæcularis, ex eo quod Sæculares stipendia dantes in statuto hoc comprehendantur. Ast vir ille doctissimus non prospexit, laicos quoad spiritualia, vel quæ ad illa concernunt, subditos esse Ecclesiasticorum Prælatorum; eodem enim modo dicendum est in statutis quæ concernunt regimen Ecclesiæ: nam potestas quam Christus Dominus D. Petro, & ejus successoribus concessit, à quibus in cæteros Prælatos descendit, non solùm est docendi, sed etiam Ecclesiasticas leges ferendi, adstringentes etiam laicos. Cyprianus *epist. 69.* Basil. *Monast. cap.22.* Bellarm. *de Romano Pontifice, lib.4. cap.15.* Vasquez *1.2. disput.152. cap.2.* Cùm ergo taxa ista stipendii Missarum circa spiritualia versetur, unde simoniæ lapsus timetur, constitutio illius ad Prælatos Ecclesiæ pertinet, non solùm obligando Clericos, verùm etiam laicos, absque illorum consensu, & independenter à laica potestate. Cæterùm licèt hæc taxa detur pro labore extrinseco, aut sustentatione Clerici, est necessaria ad Ecclesiæ regimen, ne in confuso laborent Fideles in re tanti momenti. Villalobos *d. diff. 15. num.4.* taxantur enim rerum pretia quando abusus timetur, *cap.1. de empt. & vendit.* ubi DD. quod ita firmiter observatur, ut non obstante appellatione rerum taxa exequatur, *l. 54. tit. 5. lib.2. Recopil.* Bobadilla *in polit. lib.3. cap. 4. num. 69.* Quamobrem cùm hæc taxa fiat ad bonum regimen Ecclesiæ, non solùm Clericos, sed etiam laicos obligabit, si tantùm fiat à potestate Ecclesiastica.

12 Præterea alia ratione probatur assumptum; nam Ecclesiasticis ad taxam factam à sæculari potestate tenentur in his rebus, quæ ad suam jurisdictionem pertinent, *l. 1. tit. 24. lib. 5. Recopilat.* Gutierrez *pract. tom. 1. lib. 2. quaest. 18. à num. 1.* Morla *in Empor. tit. de legibus, quaest. 16. num. 15.* Vivius *decis. 18. per tot.* Palao plures referens *tom. 1. oper. Mor. tract. 3. de legib. disput. 1. punct.24. §.6. num. 1. 5. & 6.* Frasso *de jur. Ind. cap. 65. n. 36.* ergo eodem modo, si taxa fiat ab Ecclesiastico, in his quæ ad ejus jurisdictionem pertinent, obligat laicos: nulla enim ratio disparitatis potest dari. Denique Fiscalis Regius fatetur hanc taxam fieri posse à Pontifice Summo, vel ab Episcopo in Synodo: ergo ipse fateri tenetur, absque aliqua potestate sæculari obligare laicos, ut cæteri DD. fatentur. Suarez *de Relig. 1. tom. lib. 4. cap. 47. num. 2.* Aragon *de justit. quaest. 83. art. 3. §. Ad tertium*.

13 Illud tamen observes, Sæculares Potestates, Magistratus vel Consiliarios non posse taxam Missarum facere, nec se intromittere ad illam faciendam; id enim privativè pertinet ad Ecclesiæ potestatem, quia est assignatio sustentationis partialis Ministrorum Ecclesiæ, & insimul respicit rem summè spiritualem, ut est Missa, ut rectè tenet Palao *oper. Mor. tom.4. tract.22. disp. unic. punct.15. n.6.*

14 Hæc enim obligatio taxæ de justitia obligat Clericos, ita ut amplius petere non possint: quapropter si majorem quantitatem percipiant, graviter peccabunt, si materia sit gravis, & ad restitutionem tenentur: quod idem dicendum est de dantibus, qui de justitia tenentur taxatum stipendium præbere. Trullench *d. dub.12. n.6.* Filliuc. *d. c.6. n.175.* Vasquez *d. disp.234. c.4. n.14.* Barbosa *d. alleg.24. n.10.* Leon *de offic. Capel. q.8. sect.19.*

15 Regulares ad taxam factam ab Ordinario tenentur ex vi directivâ, quatenus subintrat lex naturalis, obligans ad observandum id, quod justum est, & ne aggravetur quilibet ultra terminos justitiæ. Tamburin. *d. lib.3. c.1. §.3. n.99.* Pasqualig. *q.930. à n.1.*

16 Quid verò dices, si Clericus antequam dicat Missam, dixerit, nisi majori addito stipendio se illam dicere nolle? Et in hoc casu aliqui asseruere, amplius quàm taxatum est, recipere non posse, aliàs simoniam sapiet. Ducuntur, nam taxa ista est proportionata, tam ratione sustentationis, quàm laboris extrinseci sacrificandi: ergo si amplius petat, videtur petere pro re spirituali, quod est simoniacum. Sanch. *consil. lib.2. cap.3. dub.7. in fin.* Suarez *de Relig. tom.1. lib.4. cap.59. n.17.* Præterea, nam ut docet Suarez *d. cap.59. n.19.* licèt Christus Dominus gratanter hæc spiritualia jusserit concedenda; attamen etiam præcipit Ministros Ecclesiæ esse alendos ab his, quibus spiritualia ministrantur: quapropter cùm hæc sustentatio taxata sit à Prælato respectu stipendii Missarum, amplius peti non poterit, etiam in Missa dicenda, sed gratis concedendum erit, ut tenent plures, quos sequitur Bonacina *dict. disput. 4. quaest. ultim. punct. 8. num. 11.* Fraxinellus *de obligat. Sacerdot. sect. 4. conclus. 3. num. 3.* Molfesius & alii apud Garciam *d. diff. 10. dub. 2. num. 11.*

17 Alteri contrarium tenent; nam Clerici de justitia non tenentur celebrare specialiter pro aliqua persona, itaque poterunt amplius stipendium petere; alias enim potuissent cogi ad celebrandum pro taxato stipendio, quod dicendum non est. Præterea, quia hìc Sacerdos nullam fraudem committit, cùm in voluntate dantis sit, aut Missam illam omittere, aut alterum quærere, qui pro eo celebret: ergo si petito majori stipendio acquiescat, liberè consentit, & quod magis est, ex liberalitate concedit, quod licitum est accipere. Leon *de offic. Capell. q.18. sect.9. n.83.* Pasqual. *q.929. n.6.* Garcia *d. dub.2. n.12.*

18 Hæc doctrina valet admitti, quando Clericus expositus non est ad celebrandum pro stipendio, nec aliqua fraus, aut dolus intercedit; quin potiùs solùm dantem stipem cognoscatur ex liberalitate concedere. Aliter minimè admittenda; nam licèt Clericus ex justitia non obligetur ad celebrandum pro tali persona, eo tamen ipso quod se exponit ut celebret, nequit majorem stipem percipere; siquidem realiter suscipit contra justitiam, ut considerat Suar. *d. cap.59. num. 20.* & relati à Pasqual. *d. q.929. num.3.* Et confirmatur; nam licèt venditor de justitia non teneatur illi, aut illi vendere, eo tamen ipso quod vendat, & ad id se exponat, taxam Reipublicæ servare tenetur, *l.1. §. Cura carnis, ff. de offic. Praefect. Vrb. l.1. & 2. ff. de Annona, l. Annona, ff. de extraord. cogn.* Ergo eo ipso quod quis exponitur ad celebrandum pro stipendio, nequit amplius, quàm taxatum percipere. Denique, nam ut diximus *num. 9.* suprà, stipendium non est petendum intendendo lucrum, ut in aliis temporalibus negotiis: quare quoties Sacerdos illud petierit, non erit propter pecuniæ utilitatem, sed magis prospiciendo bonum spirituale animarum: unde expositus ad Missam, amplius quàm taxatum non rectè percipiet.

19 Sunt tamen aliqui casus, in quibus rectè majus stipendium, quàm taxatum percipitur: & in primis quando petitur Missa solemnis, tunc majorem stipem percipiet, quàm taxatum est pro Missa privata; nam majus ministerium exhibetur, & majorem partem sustentationis valet percipere. Suarez *d. disp.86. sect.2. vers. Dico 3.* Tamburin. *d. lib.3. c.1. §.3. n.38.* Pasqualig. *q.912. num. 3.* In hoc Archiepiscopatu Missæ privatæ ad duorum regalium eleemosynam taxantur *constit. 1. de test.* solemnes (vulgò cantadas) ad quatuor, *const. 5. versic. Item de una Missa, & versic. Item pueda llevar, de sepult.*

20 Quod idem dicendum, si longiùs eat Sacerdos ad dicendam Missam sibi petitam, vel dicat extraordinario tempore, quo majorem subeat molestiam, seu laborem: itidem si aliquas expensas faciat, veluti si emat vestes, suppeditet ceram, aut aliud simile, ut cum Marchino tenet Leander *dict. disp. 4. quaest.13.* Pasqualig. *quaest.916.* Tambur. *d. cap. 1. §. 5. n. 9.* Administratores Ecclesiarum, qui hæc exponunt ad dicendas Missas, quando Ecclesiæ non habent redditus sufficientes, possunt pro his expensis aliquid ultra stipendium percipere, ad illas resarciendas, aut ex stipendio ipso aliquid retinere, de Lugo *disp.21. sect.2. n.31.* de qua re benè dispositum est *in dict. constit. 1. de testam.* Pasqual. *q.968. num.3.*

Est

21 Est verò dubium, an quando Missa petitur necessariò dicenda in die festo, pro hac circumstantia possit peti majus stipendium, quàm taxatum? Et aliqui censuerunt, posse accipi duplicatum, nam pro Missa solemni accipitur duplicatum: ergo similiter pro ea dicenda in die festi. Homob. *in Exam.* 1. *part. tr.* 4. *cap.* 13. *q.* 120. & sic censuisse Congregationem Mediolanensem, asseruit Bonacin. quam sequitur *d. disput.* 4. *quæst. ult. punct.* 8. *num.* 13. Marchinus *dict. tract.* 3. *cap.* 16. *num.* 2. Pasqual. *quæst.* 913. Leon *de Iubilæo*, 3. *part. num.* 12.

22 Alteri DD. contrarium asseruere, ex declaratione Cardinalium, quam ad id incertam censeo: & ratione probant, nam circumstantia illa diei festi, nec addit aliquem laborem extrinsecum, nec aliam causam sufficientem ad majus stipendium percipiendum. Diana 3. *part. tractat.* 14. *resolut.* 9. Leander *d. disp.* 4. *quæst.* 7. Tambur. *d. lib.* 3. *cap.* 1. §. 3. *n.* 35.

23 In hoc dubio animadvertendum est, in aliquibus locis consuetudinem esse, ut majus stipendium detur pro Missa privata in die festivo, ut est Florentiæ, & Mediolani, & in his illud rectè percipitur, id enim ad majorem decorem Sacrificii institutum est, ut asserit Garcia *in Sum. tract.* 3. *diff.* 10. *dub.* 4. *n.* 8. in aliis verò partibus, ubi non adest talis consuetudo (ut in Hispania) nisi taxatum stipendium non est recipiendum, nisi adsit alia circumstantia, ex qua ampliorem stipem Sacerdos recipiat, utpote si valdè fuerit occupatus in audiendis confessionibus, aut dicenda concione, quare Missam dicere valdè illi molestum foret; tunc enim gravissimæ molestiæ ratione majus stipendium rectè percipiet, ut ostendit ipse Garcia *dict. num.* 8. *in fine*.

24 Præterea pretium taxatum ad Missarum stipendium, pecunia est solvendum: non tamen sub hoc nomine intelligas tantùm pecuniam numeratam; sufficiet enim librum, frumentum, aut vinum concedere, quia totum æstimabile sub pecunia continetur, *cap. Totum* 6. 1. *q.* 3. *leg. Pecuniæ verbum* 178. *l. Pecuniæ nomine* 222. *ff. de verbor. signific.* nec in hac solutione alicujus rei æstimabilis ad stipendium includitur aliqua simonia, cùm fiat æstimatio rei temporalis ad adæquandum stipendium: quapropter semper erit licitum stipendium Missarum solvere in aliqua re æstimabili, licèt non sit pecunia numerata. Ledesm. *de Eucharist. cap.* 18. *conclus.* 14. Leon *de offic. Capell. quæstion.* 6. *sect.* 5. Garcia *dict. diff.* 10. *dub.* 1. *num.* 8. Pasqualig. *quæst.* 918.

25 Qui *num.* 4. asserit, accipientem Missarum eleemosynam in pecunia numerata, posse alteri dicendas committere, dando idem stipendium in re pretio æstimabili: in hac verò solutione animadvertas, ne quando datur frumentum, aut aliud æstimabile, majori pretio concedas, hoc enim contra justitiam est; aut ne Sacerdos qui pecuniam accepit in majori stipendio, minus concedat celebranti, quod etiam iniquum est, ut cum Ledesma animadvertit etiam Leon *dict. sect.* 5. *num.* 53.

26 Unde agnoscenda est Synodalis hujus Archiepiscopatus Constitutio 1. *de testam. n.* 15. ubi prohibetur ne Collectores recipiant eleemosynam Missarum in alia specie præter pecuniam; si tamen receperint, apud illos remaneat, & pecuniam reponant, unde stipendia dicentibus Missas persolvantur: quod ob maximas fraudes statutum est, quæ possunt evenire quando Collectores dant res majori pretio, aut recipiunt eas minori taxato. Verùm cessante fraude rectè contrarium observabitur, nec id prohibuit Synodalis, quæ tantùm prospexit ne fraudes circa stipendium Missarum committerentur, ut patet ex ejus contextura.

27 Fuit olim dubium hìc breviter attingendum, an qui grande stipendium pro celebratione Missarum suscepit, eas alteri dicendas delegare possit, sibi aliquo retento. In quo dubio illud est certum, non posse retinere aliquid pertinens ad taxam illius, quia id esset contra justitiam. Cruz *in Direct. de Sacrific. Missa, quæst.* 2. *dub.* 8. *conclus.* 1. Homobonus *in exam. p.* 1. *art.* 4. *cap.* 14. *quæst.* 191. Diana 3. *p. tract.* 14. *resol.* 13.

28 Tota igitur versabatur quæstio in excessu stipendii: & plures fuerunt illius sententiæ, id rectè fieri posse. Refert plures Diana *d. tract.* 14. *resol.* 10. Ast hodie contrarium tenendum est, ex decreto S. Congreg. §. *At similiter*, cujus verba transcripsit Garc. *dict. diff.* 10. *dub.* 2. id clarè decernentis: nam in re tam sancta lucrum sperare non decet; licèt enim ad primum Sacerdotem transferatur dominium, & postea in justo stipendio non defraudet celebrantem; attamen percipit lucrum damnabile, quatenus versatur circa celebrationem Missarum. Garcia *d. diff.* 10. *dub.* 5. *num.* 5. qui dicit contrarium hodie absque probabilitate remanere. Navarrus *cap.* 25. *n.* 91. Gutierrez *canon. quæst. lib.* 1. *quæst.* 29. *num.* 32. Barbosa *de offic. Episcop.* 2. *part. alleg.* 24. *n.* 11. Henao *de Sacrif. Miss. disput.* 31. *sect.* 5. *n.* 34. Possevinus *de offic. Paroch. cap.* 2. *num.* 19. Vasquez *in* 3. *part. disput.* 234. *cap.* 4. Hurtado *de Sacrif. Missa, disp.* 4. *diff.* 17. Leander *d. tract.* 8. *disp.* 4. *quæst.* 6. Pasqual. *quæst.* 968. *à num.* 1. Illud tamen non obliviscaris, culpam hanc non esse nisi venialem, ob indecentiam lucri. Bordon. *cons. reg.* 25. *n.* 28. Leander *dict. quæst.* 6. *in fin.* & in hoc residet Tambur. *dict. lib.* 3. *c.* 1. §. 5. *n.* 6. quod admittendum credo, si materia sit levis, verùm si gravis sit, contrarium tenet Pasqualigius *quæst.* 969. *à num.* 3. verùm gravitatem hujus materiæ non ex quantitate perpendo, ut considerat Pasqualigius, sed si multoties id fecerit Sacerdos, & id tanquam mercimonium exercuerit, tunc graviter peccare existimo, quia est gravissima indecentia.

29 Sed adhuc in hac doctrina aliqua est necessaria explicatio, quamobrem eam intelligo quando dans pinguiorem stipem, tantùm contemplatione Missæ illam daret, considerato tantùm stipendio; tunc enim non solùm versatur turpitudo lucri, verùm ex natura rei videtur velle dare pro sustentatione illius Sacerdotis, qui illam, aut illas Missas celebraverit; idcircò minimè poterit primus Sacerdos aliquam partem stipendii pinguioris retinere, licèt dominium ad illum transferretur, ut considerat Pasqualigius *d. quæst.* 969. *num.* 4. quod majori ratione dicere oportet, si stipendium majus percipiat Sacerdos, non ut ipse celebraret, verùm Missas alteri dicendas committeret, quia tunc si aliquid retineret, esset contra expressam dantis voluntatem, ut benè advertit Palao *tom.* 4. *tract.* 22. *disp. unic. punct.* 14. *n.* 9. *vers. Notantur*.

30 Si verò non contemplatione Missæ majus stipendium conceditur, sed ratione personæ ipsius Sacerdotis, quia familiaris est dantis, aut habuisset merita servitii, aut dignitatem, unde contemplatione illius daretur, tunc non obstante declaratione Cardinalium, adhuc partem retinere poterit absque aliqua culpa, dando alteri Missas dicendas stipe taxata, nihil de ea defraudando; hoc enim donatio est in excessu facta personæ; unde nec aliquid præter taxam tenetur alteri Sacerdoti tradere. Diana *d. tract.* 14. *resolut.* 12. Trullench *d. c.* 8. *dub.* 12. *n.* 11. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *c.* 1. *n.* 13. *q.* 3. Henao *d. sect.* 5. *n.* 48.

31 Ab hac obligatione dandi totum stipendium, nulla parte sibi retenta, excipiuntur Capellani, Beneficiati, & Parochi in his Missis, quas dicere tenentur ex obligatione suorum Beneficiorum, qui si plures habent, ob taxatum stipendium benè aliis dicendas committunt, retento majori salario; nam excessus non pro Missa conceditur, sed ratione dignitatis, & sustentationis. Sic declaravit S. Congregatio, ut testatur Garcia *d. diff.* 10. *dub.* 5. *num.* 3. Possevin. *dict. cap.* 2. *num.* 18. Cened. *Canon. qq. q.* 27. *num.* 12. Barbosa *ad Concil. sess.* 25. *de Reformat. cap.* 4. *num.* 20. Diana *d. tract.* 14. *resol.* 11. de Lugo *de Euchar. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 30. Pasqual. *q.* 970. Henao *sect.* 5. *n.* 37. *&* *sect.* 7. *n.* 64. Mendoza *de Ordinibus, disp.* 9. *q.* 5. *n.* 44.

32 Idem dicendum ob periculum portandi pecuniam ad Missas solvendas. Villalobos 1. *part. tract.* 8. *diff.* 17. *num.* 4. & si adsint Collectores earum, vel Sacristæ, qui de Missis recipiendis curam gerunt. Filliucius *d. cap.* 6. *n.* 186. Garcia *d. dub.* 5. *n.* 4. In hoc Archiepiscopatu est taxatum quidquid à Collectoribus est percipiendum, *const.* 1. *de testam.* & quid à fabrica Ecclesiæ; istis enim cuique insolidum de qualibet Missa quatuor marapetini assignantur, & septem Sacristis, ob Hostias, ceram, & vinum: quod si à fabrica Ecclesiæ apponantur, ad ipsam pertinent, de quo *in d. const.* 1. *n.* 5. Henao *d. sect.* 5. *n.* 36.

33 Verùm in hac Synodali noto declarationem Cardinalium, *n.* 36. decrevisse, Rectores Ecclesiarum posse aliquid retinere stipendii pro vino, cera, Hostia, & pro paramentis, quando Ecclesiæ sunt pauperes; secus si habeant redditus sufficientes. Tambur. *d. c.* 1. §. 5. *n.* 2. Curare tamen debent, ut tot Missæ celebrentur, quot fuerunt præscriptæ ab offerentibus; unde videtur hanc Synodalem in Ecclesiis

divi-

divitibus admitti non posse. Sed contrarium rectè in praxi observatur; nàm declaratio Cardinalium loquitur de retinenda aliqua parte stipendii pro his expensis, quod non permittit fieri, nisi in Ecclesiis pauperibus. At Synodalis relicto integrè taxato stipendio præcipit, ut quatuordecim marapetini à dantibus stipem concedantur pro istis expensis, quod dissimile est: quare nullam contrarietatem recipiunt.

34 De legatariis etiam est disquisitio, quando legatum relinquitur cum onere Missarum, an totum acceptum pro eisdem tradere debeant? Et Tamb. *dict. lib. 3. cap. 1. §. 5. n.* 10. asseruit retinere posse residuum, adimplereque tantùm stipendium taxatum solvendo pro onere Missarum: quod certum reputo, si verè sit legatarius; nam legatum habet rationem donationis, & semper lucrativam causam continet, *l. Si hæreditatem* 32. §. 1. *ff. mandati*, *leg. Divus* 22. *ff. de usu, & habit. l.* 1. §. *Lucrativas*, *Cod. de impon. lucr. descript. lib.* 10. Pichard. *in* §. *Legatum* 1. *num.* 1. *Instit. de legat.* Ludovis. *decis.* 236. *num.* 5. Itaque legatarius valet residuum retinere, & tantùm præstare tenebitur taxatam stipem ad onus Missarum adimplendum.

35 Secus verò si propriè legatarius non sit, sed executor legati; potest enim accidere, ut dicat testator, *Lego Titio centum, ut centum dicat Missas, vel ad onus centum Missarum adimplendum*: tunc sanè causam Missarum videtur prospexisse testatorem, non verò personam; unde Titius exequutor, & non legatarius censebitur: quo quidem casu totum legatum in dicendis Missis expendere tenetur; fuit enim voluntas testatoris, ut illud pingue stipendium pro centum Missis daretur, ut bene Pasqualig. *quæst.* 971. Henao *dict. sect.* 5. *n.* 50.

36 Sed est dubium, an salarium percipere valeat legatarius iste executor, sive sit partialis, sive universalis, dato quod non possit ex stipendiis aliquid percipere? Et resolutio hujus quæstionis pendet ab alia, an executores testamentorum possint salarium petere? Sunt aliqui negantes, alteri affirmantes: alii enim non solùm concedunt salarium, verùm etiam decimam, de qua re latè agunt Avend. *de exequend. mandat. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 8. Baexa *de decim. tut. cap.* 19. *num.* 20. Spino *in Specul. testament. gloss.* 28. *nu.* 78. Menn *variar. lib.* 1. *q.* 18. §. 3. Azeved. *in l.* 6. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil. n.* 20. Carpio *de exec. test. lib.* 3. *cap.* 11. Diana 8. *par. tract.* 5. *resol.* 39.

37 Verùm in nostra specie, quando executor est ad causas pias, ut in executione Missarum, conveniunt minime salarium peti posse, *l. Si quis ad declinandum* 49. *in fine*, *Cod. de Episcop. & Cleric. l. Nulli* 28. §. 2. *in fin. Cod. eod. tit. l.* 5. *tit.* 10. *part.* 6. Spino *de test. dict. gloss.* 28. *n.* 80. Gutierrez *de tut.* 3. *part. cap.* 45. *num.* 20. Gregorius *in dict. l.* 5. *part. gloss.* 7. *verb. Por razon del trabajo*, Carpio *dict. cap.* 11. *num.* 9.

38 In hac ergo doctrina versatur quæstio, nam aliqui sunt exequutores piarum voluntatum necessarii, alii verò voluntarii. Necessarii dicuntur ipsi hæredes, quando nullus est nominatus executor: quod idem dicendum est de Episcopo, si nulli sint hæredes, aut executores, aut terminus datus à jure ad explendam voluntatem defuncti fuerit transactus, *cap. Tua nobis* 17. *de testam. cap. Si hæredes* 6. *eod. tit.* Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *cap.* 27. *à n.* 34. Alii verò sunt voluntarii, nempe qui à testatore nominati sunt; ipsi enim minimè cogi possunt ad acceptandum officium, licèt sit ad causas pias, etiamsi ex illa causa legatum relinqueretur; nam spreto legato, minimè ad acceptandum possunt compelli, *l. Post legatum*, §. *Amittere*, *ff. de his quib. ut indig. l. fin. ff. de confirm. tut.* Spino *d. gloss.* 28. *num.* 18. Carpio *d. lib.* 1. *cap.* 17. qui *num.* 10. id extendit ad causas pias, prout Gutierrez *dict. cap.* 45. *num.* 13. Molina *d. tract.* 2. *de justit. disp.* 248. *n.* 4.

39 Jura enim affirmantia exequutores testamentorum piorum nihil recipere posse pro illis exequendis, apertè loquuntur de necessariis exequutoribus; isti enim nihil percipere possunt: nam hæredes commodum hæreditatis percipiunt, Episcopus verò id tenetur facere ex obligatione sui officii. Quapropter recipit redditus Episcopatus, nec aliter salarium percipiet: itaque restat difficultas in exequutoribus voluntariis, de quibus nihil jura decernunt: & in his asserendum videtur, etiam in causis piis salarium esse dandum; nam licèt executio testamenti procedat à mandato testatoris, idque de sui natura gratuitum sit, *l.* 1. *ff. mandat.* Pich. *in Inst. de mandat. in rubr. n.* 31. Molina *de justit. tractat.* 2. *disp.* 548. *à num.* 1. quapropter dicunt plures exequutoribus testamentorum salarium non deberi, Carp. *d. lib.* 3. *cap.* 11. *à num.* 12. Attamen quando executionis officium conjunctum est cum administratione, causa subsistente laboris, & diligentiæ, ex æquitate eis debetur, & à judice poterit assignari. Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 47. *num.* 8. Guido Papæ *decis.* 68. Cyriac. *controv.* 503. *n.* 5. ut libet prospicere in Syndicis, & Procuratoribus Civitatum, qui licèt procedant ex mandato, extraordinarium salarium eis designatur, *l. fin. C. mandat. l.* 6. *ff. eod. tit.* Gutierrez *de tutel.* 3. *part. c.* 2. *n.* 10. Iranzo *de protest. cap.* 34. *n.* 41. Ergo idem dicendum est in executoribus causarum piarum, si laborem, & administrationem habeant.

40 Cæterùm licèt salarium non conventum aliqui dicant non deberi, quia videtur obsequium ex mandato fuisse, ut latè docet Cancer. 2. *part. var. cap.* 14. *à num.* 117. Rota 1. *part. divers. decis.* 569. *num.* 1. Valenz. *cons.* 199. *num.* 62. *vol.* 2. ex æquitate tamen debetur, in probabiliori sententia, tam juris divini, quàm naturalis rationibus nitenti, ut denotat Brito *de locat. & conduct.* §. 4. *num.* 8. cujus verba transcripsit Iranz. *d. cap.* 34. *num.* 9. Rota apud Seraphin. *decis.* 72. Barbosa *lib.* 2. *vot.* 74. *n.* 7. quod cum Layman, & alii dicit probabile in filio respectu patris, cui servitia præstitit. Dian. 4. *part. tract.* 4. *resol.* 66. Ergo licèt exequutores testamentorum piorum ex mandato procedere videantur, attamen si administrationem fecerint, ex æquitate salarium eis præstabitur.

41 Hæc fundamenta in aliis exequutoribus ad profana destinatis, satis probabilem faciunt doctrinam asserentium, exequutoribus testamentorum salarium deberi: sed in causis piis contrarium teneo, etiamsi habeant administrationem, dum tamen non protestentur ob salarium piam illam administrationem suscipere. Ratio est, nam videtur quoties non protestantur, causa pietatis, & misericordiæ id facere, & ob meritum adjuvandi causam piam: quoties enim causa pietatis aliquid factum præsumitur, nullum salarium debetur, ut cum Innocentio, & Barbatia tenet Escobar *de ratiociniis*, *cap.* 27. *à num.* 48. ut in alimentis consideratur, qui ex affectione data censentur, si dans non protestatur, nec illa repetere poterit, *l. Nesennius* 34. *ff. de negot. gest. l. Alimenta* 11. *C. eod. tit.* si sint personæ in quibus consideratur affectio, Menochius *lib.* 3. *præsumpt.* 30. Leotardus *de usuris*, *quæst.* 91. *à num.* 3. Osuald. *ad Donell. lib.* 15. *comment. cap.* 16. *lit. F*, ut pater, mater, vitricus, maritus, & reliquæ personæ contentæ *in l. Si quis à liberis* 5. *ff. de negot. gest.* Escobar *d. cap.* 27. *num.* 49. Iranzo *de protest. cap.* 15. *à num.* 1. Ergo similiter dicendum est in nostra specie, quando ex pietate præsumitur executorem testamenti procedere, ut nec salarium debeatur.

42 Si verò protestatur quando munus executionis acceptaverit, illam administrationem pro salario accipere, etiam in causis piis Missarum, & aliarum causarum, dabitur salarium arbitrio judicis taxandum, secundùm qualitatem laboris, & administrationis; nam tunc desinit esse mandatum, & transit ad naturam locationis, ut optimè Consultus *in leg.* 1. §. 2. *ff. Mandat.* ibi: *Interveniente enim pecunia, res ad locationem potius respicit*, §. *fin. Inst. eod. titul.* Cæterùm exequutor etiam in causis piis ad acceptandum compelli non valet, *cap. Joannes* 19. *de testam.* Spino *dict. gloss.* 28. *num.* 18. Diana 8. *part. tract.* 5. *resol.* 27. & 28. Quare si cum protestatione salarium petierit, id illi debebitur, aliàs non acceptasset. Denique quando protestatio fit, excluditur præsumptio faciendi causa pietatis, quin potiùs declarat suam voluntatem exercendi administrationem pro salario. Carpio *dict. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 28. & latè tradita ab Iranzo *d. c.* 34. ergo.

43 In foro autem conscientiæ protestatio non est necessaria; sufficit enim, ut à principio habuisset animum repetendi salarium, ut cum aliquibus advertit Sanchez *cons. lib.* 1. *c.* 5. *dub.* 4. *n.* 11. Tamburinus *ad Decalogum*, *lib.* 5. *c.* 3. §. 2. *n.* 4. Iranzo *de protest. c.* 15. *n.* 12. Idcircò ex solo animo iste rectè salarium percipiet.

44 Hæc quæ hucusque diximus intelligenda sunt in executione causarum piarum cum administratione, secus verò si nudum ministerium habuerit, ut sepelire defunctum, Missas dicere, & eleemosynas dare; tunc enim nullum salarium debetur, ut usu, & consuetudine, receptum est, Escobar *d. c.* 27. *n.* 47. *vers. Pro sedanda*.

Ex

45 Ex his igitur ad rem resolvitur, ut si executor legatarius ad Missas dicendas administrationem habuerit, salarium in foro fori non habebit, nisi protestetur, aut de salario convenerit. Carpio *dict. cap.* 11. *num.* 28. In foro autem conscientiæ protestatio non erit necessaria, sed animus à principio salarium petendi, si verò legatarius iste nudum ministerium tantùm habuerit, non percipiet salarium.

46 In calce verò hujus capitis immemor non sum scribere Sacerdotes, qui stipendia taxata, & justa receperunt, peccare si differant Missas celebrare; nam aut dicuntur ad aliquid impetrandum, & occasio pertransit, aut graviter differtur satisfactio, quod est gravis culpa: Ergo graviter peccabit, si per multum temporis differat illas celebrare. Bonacina *dict. disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 7. §. 5. *num.* 1. Villalobos *in Summa*, 1. *part. tractat.* 8. *diff.* 18. *num.* 2. Diana *d.* 3. *part. tract.* 14. *resolut.* 25. Marchinus *tract.* 3. *cap.* 31. *num.* 1. *part.* 2. Fagundez *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 1. Henao *dict. sect.* 5. *à num.* 55.

47 Layman verò id certum videtur non tenere, *lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 13. *quæst.* 4. ibi: *Timere potest, ne mortale peccatum incurrat.* Ast Doctorem illum non existimo dubitasse, peccatum esse mortale diu differre Missas, quas tenetur de justitia aliquis celebrare, ut tenet etiam Trullench *de Sacrament. lib.* 3. *cap.* 8. *dub.* 12. *num.* 12. Sed timendum, an sit peccatum mortale, ob varias sententias dissidentes, quando sit notabilis dilatio; quia nonnulli dixerunt notabilem esse dilationem unum mensem, alii duos, & tandem Leander *de Sacrif. Missa, disput.* 4. *quæst.* 18. ad tres menses extendit. Verùm in re consideranda est necessitas, pro qua petitur, an celeriter dici petatur; totumque arbitrio prudentis committendum, ut cum Ledesma notat Trullench nuperrimè citatus, Garcia *dict. tract.* 3. *diff.* 10. *dub.* 8. *num.* 4. Henao *dict. num.* 55. Idcircò Layman illa verba protulit.

48 Addit insuper Marchinus *dict. cap.* 31. *num.* 2. teneri etiam ad restitutionem stipendii, præsertim si Missa celebranda erat pro beneficio aliquo temporali impetrando; & ob culpabilem ejusdem moram, vel nullo modo, vel segniùs fuit impetratum; quia ex violatione justitiæ insurgit obligatio restituendi.

CAPUT V.

De legatis Missarum.

SUMMARIUM.

Legata Missarum debent citò adimpleri, n. 1. *remissivè aliqua dicuntur de legatis Missarum, n.* 2.

Si hæres repudiat hæreditatem, hæres ab intestato tenetur ad legata Missarum, num. 3. *Legatum Missarum incertum tenet, n.* 4.

Quando testator reliquerit mille pro dicendis Missis, tot sunt dicendæ; quot ea mille suppeditabunt stipendia, num. 5. *& quid quando reliquerit arbitrio exequutoris, num.* 6.

Legatum Missarum si relinquatur Capella, ad quos pertineat, explicatur à n. 7.

An quando testator præceperit, ut Missa votiva dicantur, aut de Requiem, *adimpleatur dicendo Missam diei currentis? sunt duæ sententiæ, à num.* 9. *resolvitur à num.* 11.

Si testator reliquerit Missas dicendas in certo Altari, aut Ecclesia, id est observandum, alias grave erit peccatum, num. 13. *sed hæc doctrina late explicatur, à n.* 14. *Quando quis ex parvitate materiæ excusetur, & ex aliis causis, à num.* 20.

Quando Altare, seu Ecclesia est impedita, alibi Missa dicenda sunt, si fundator petat applicationem, n. 24.

Sicut locum, & Altare observare convenit in dicendis Missis, ita horam, & tempus, non tamen obligat ad mortale, n. 26. *&* 27.

Qui Missas dixit diverso tempore, aut loco, ubi testator præcepit, an teneatur ad restitutionem, disceptatur à n. 28. *referuntur sententiæ, resolvitur, & explicatur à n.* 31. *Affertur distinctio, à n.* 33.

Quid sit Altare privilegiatum, num. 36. *Sunt observanda circumstantiæ præscripta in concessione, nec sufficiet in alio adimplere, num.* 37. *explicatur num.* 38.

Obligatus ad celebrandum in Altari privilegiato, sub mortali ad id astringitur: & quid si aliquoties omiserit, num. 39.

Sed an teneatur ad restitutionem, sunt duæ sententiæ, à n. 40. *resolvitur à n.* 42.

Capellanus obligatus ad celebrandum in Altari privilegiato, nequit cogi ab Episcopo, ut ipsemet in certo Altari celebret, num. 44.

Si diploma dixerit, Missam esse dicendam de aliquo Sancto, aut funebrem, id observandum: si nihil expresserit, dubitatur an præcise de Requiem *sit dicenda, n.* 45. *Sunt tres sententiæ, sed resolvitur à n.* 48.

Si Indulgentia pro Missis Defunctorum concedatur die certo, v.g. Lunæ, & in eo incidat festum duplex, Missa de Requiem *eo die dici non valet, nec Indulgentia consequi, n.* 51. *Explicatur, n.* 52. *& seq.*

Obligatus ad Missam funebrem, si illam dicat in Altari privilegiato, poterit alteri applicare Indulgentiam, num. 54.

An qui tenetur celebrare in Altari privilegiato, satisfaciat celebrando cum Medalia Indulgentiæ in alio: referuntur tres sententiæ, à n. 55. *explicatur à n.* 58.

Obligatus ad celebrandum in Altari privilegiato, potest celebrare in aliquo de novo erecto, n. 62.

De Missis S. Gregorii, & quomodo celebranda, à num. 63. *Quando initium habuerint, num.* 64. *An necessariò de* Requiem *dicenda sint, à num.* 65. *An debeant esse continua, à n.* 67. *An ab eodem debeant celebrari Sacerdote, num.* 69.

IN hoc capite non agimus de legatis Missarum annuis, quæ communiter dicuntur Anniversaria, de quibus infrà dicemus. Igitur erit sermo de legatis Missarum manualium, pro unica vice dicendarum, quod quidem pientissimum est opus, Thoro *de causis piis, privileg.* 182. & maxima cura adimplendum; nam licèt testator, eo quòd Missas dicere præcepit, & stipendium designavit, multùm meriti consequatur: at fructum Sacrificii non consequitur, nisi realiter dicantur. Quapropter solicitudo magna apponenda, est ut citò adimpleantur, ut potissimum animarum remedium. Soto *in* 4. *dist.* 45. *q.* 2. *art.* 4. *vers. Respondet*, Lara *de Anniverss. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 21. 1

Circa hanc materiam aliqua disquiruntur, de quibus loquuti sumus *lib.* 1. *cap.* 11. quare hic breviter sunt percurrenda: & in primis debetur legatum Missarum, etiamsi testamentum sit imperfectum, cùm sit pium. Pasqual. *q.* 988. & idem dicendum si decedat testator, partim testatus, & partim intestatus. Pasqual *q.* 989. Sustinetur etiamsi adita non sit hæreditas, & statim peti valet. Pasqualigius *quæst.* 983. *& quæst.* 984. & solvendum est ante confectionem inventarii, ut ipse Doctor docet *quæst.* 985. Leon *de offic. Capell. quæst.* 5. *sect.* 25. *à n.* 34. 2

Illud tamen ex his colligitur, ut si hæreditas adeatur, non ex testamento, sed ab intestato, quia fortè hæres institutus repudiavit, adhuc legatum Missarum debetur, ut aliud quodlibet pium; nam ut sæpiùs repetitum est, solemnitates juris civilis in causis piis non admittuntur. Tum valor legatorum piorum non dependet ab aditione hæreditatis, sed à sola voluntate testatoris. Novarius *de miserab. persen. privileg.* 7. *num.* 3. Thesaurus Jun. *lib.* 4. *qq. forens. quæst.* 38. *n.* 15. Ergo licèt hæredes ab intestato adeant hæreditatem, legatum tamen Missarum, utpote pium, sustinebitur. Pasqualig. *q.* 986. 3

Legatum Missarum, etiamsi incertitudinem contineat, validum est, ut diximus de aliis legatis piis, *d. lib.* 1. *c.* 11. *à n.* 13. & in terminis tenet Pasqualig. *q.* 995. Adest tamen specialis disquisitio, quando testator mille reliquerit pro Missis dicendis, non tamen numerum earum designaverit, quot dicendæ sunt. 4

In re tamen hac dicendum in primis, quod si hoc legatum totum relinquatur, ut in Missis dicendis convertatur, tot Missæ sunt dicendæ, quot ex numero illo aderunt stipendia taxata; nam illa videtur esse mens illius, quoties voluerit totum legatum in dicendis Missis expendendum: excipitur verò, si testator consuetus fuerit dare majus stipendium; tunc enim tot non erunt Missæ dicendæ, sed quot majori stipendio conveniant; à consuetis enim fit optima interpretatio voluntatis testatoris, *l. Si servus plurium* 50. §. *fin. ff. de* 5

leg.1.l.Numis 75.ff.de legat.3.l.Quod si nolit 31.§.Qui assidua, ff.de adilit.edict. Menochius *de arbitr.casu* 83.*nu.* 10. Surdus *de aliment.tit.* 1. *quæst.* 66. *num.* 4. Unde tot Missæ dicendæ, quot correspondeant illi majori stipendio à testatore dari consueto.

6 Valet etiam testator numerum Missarum relinquere arbitrio exequutoris: & tunc quidem regulatum intelligimus in dubio, quare nequit dicere, nisi Missas correspondentes stipendio taxato, aut consueto: si verò libero executoris arbitrio relinquat, tunc poterit numerum determinatum earum designare, nec in his casibus recurrendum est ad Ordinarium, ut latiùs explicat Pasqualigius *quæst.* 933.

7 Præterea testator aliter relinquit legatum Missarum; nempe tali Capellæ, quæ Capellanum, aut Beneficiatum habet, vel Confraternitatem, relinquere valet: quo in casu inquirimus cui competat legatum? Et Leon *de offic. Capell. quæst.* 5. *sect.* 3. Garcia *in Summa, tract.* 3. *diff.* 11. *dub.* 3. Rota apud Caval. *decis.* 369. tunc admittunt legatum Missarum ad Capellanum, Confraternitatem, vel Beneficiatum pertinere; nam cùm ad eos pertineat cura, & administratio Capellæ, consequenter legatum Missarum ad eos pertinebit: Pasqual. *q.*998. *num.*2. & 3. Capponi *discept.*9. *num.*15.

8 Verùm ipsi conveniunt, quod si Capella sit tanquam pars Ecclesiæ, sub cura, & regimine Rectoris ejusdem Ecclesiæ, tunc legatum pro Missis, nec ad Capellanum, Confraternitatem, seu Beneficiatum pertinebit, sed ad Rectorem; nam cùm sit pars Ecclesiæ, jus Rectoris extenditur ad Capellam, quapropter legatum ad ipsum pertinebit. Leon. *ubi suprà*, Pasqualigius *num.* 4. qui *num.* 5. scripsit, quod si testator demonstravit relinquere legatum ad Capellanum, seu Confraternitatem, qui habent jus in Capella, tunc legatum ad eos perveniet, sed tantùm quoad administrationem, ut si legatum relinqueretur Capellæ ad puellas maritandas.

9 Est tamen dubium, an quando testator disposuerit, ut centum Missæ dicantur votivæ, aut de *Requiem* certis diebus, adimpleat Sacerdos dicendo Missas diei currentis? Prima sententia asserit, necessariò esse adimplendam voluntatem testatoris, nec sufficiet dicere Missam diei currentis; nam aut est Capellanus, qui dicere tenetur, aut stipendium suscipit; & in utroque casu ex vi legati tenetur adimplere voluntatem testatoris: itaque tenebitur dicere Missas his diebus, prout à testatore petuntur. Cæterùm, nam aut petitur Missa votiva de aliquo Sancto, aut de Beata Virgine, erga quam est maxima affectio testatoris; & non consequetur meritum per aliam Missam, sicut per petitam, ob maximam affectionem Beatæ Virginis, aut illius Sancti, vel petitur Missa de *Requiem*, quæ est magis proficua defuncto, ob orationes Ecclesiæ ad id destinatas, quàm Missa diei currentis. Ergo necessariò dicendæ sunt Missæ petitæ à testatore in legato Missarum. Bonacina *dict. disp.*4. *quæst. ult. punct.* 7. §. 3. *num.*4. Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 2. *disput.*5. *q.*9. *num.*30. Marchinus *de Ordin. tract.* 3. 2. *part. cap.*25. *num.*13. Pasqual. *quæst.* 294. & alii apud Machad. *in Summa, lib.*4. *tract.*12. *document.* 13. Lara *dict. lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 33.

10 Contrarium tenet secunda sententia, cessante scandalo, quod facilè diluitur monendo hæredes de ratione mutandi Missam à testatore petitam, in Missam diei; quia quisque Sacerdos tenetur ordinem Missarum observare à Rubricis præscriptum, *cap. Quidam 2. cap. Cum creatura* 11. *de celebrat. Miss.* ergo sufficienter adimplet obligationem celebrandi ordine Missalis observato. Cæterum pro hac sententia expenditur textus *in cap. Significatum* 11. *de prabend.* ubi Pontifex noluit approbare Capellaniam, cum clausula, ut quotidie diceretur Missa de Sancta Maria: signum evidens, non teneri Capellanum, aut alium ad id obligatum, invertere ordinem Ecclesiæ in dicendis Missis, sed adimplere debere dicendo Missam diei currentis. Ast noto breviter, ex hoc textu nullum argumentum evincens deduci ad probandum hoc assumptum; nam Alexand. III. solùm Capellaniam confirmavit, nec aliquid interdixit de dicenda Missa S. Mariæ, necne, ut animadvertit Garcia *dict. tract.* 3. *diff.* 11. *dub.* 4. *num.*13. Præterea, nam si Missa deficiat in affectione illius Sancti, suppletur per preces illius diei: & si non adsint orationes defunctorum, ut in Missa de *Requiem*, similiter ex eisdem supplementum recipiunt. Suarez *in* 3. *part. quæst.* 83. *versic. In quo est magnum*. Cruz *in Direct.* 2. *part. de Sacrif. Miss. quæst.* 4. *dub.* 2. Miranda *in Man. Prælat.* 1. *part. quæst.*41. *art.* 21. Diana 3. *part. tractat.* 14. *resolut.* 3. Barbosa *in collect. ad textum in dict. cap. Significatum, num.* 3. & *de offic. Episc.*2. *part. allegat.*24. *n.*32. Palao *tom.*4. *tract.* 22. *disp. unica, punct.* 6. *n.*11. Garcia *d. dub.* 4. *num.* 12. Thom. Hurtado 1. *tom. tract.* 2. *c.*4. *punct.*13.

11 In hoc dubio assero, voluntatem testatoris necessariò esse observandam in Missis dicendis eo modo, qui ab eo fuerit designatus, nisi adsit causa non ad implendi. Navarr. *in Man. cap.*25. *num.* 134. Pasqual. *quæst.* 251. Idcircò in his diebus, in quibus rectè Missæ votivæ, aut de *Requiem* dici possunt, erunt necessariò dicendæ. Layman *lib.*5. *tractat.*5. *cap.*1. *quæst.*5. Illud tamen observes, Missas de *Requiem* tolerari posse in die duplici, qui non est de præcepto, pro voluntate testatorum implenda, ut censuit Sacra Congregatio 1. Septemb. 1607. cujus verba transcripsit Garcia *d. dub.* 4. *n.*8. & Pasqual. *q.* 244. *n.* 3. quapropter solùm restabit difficultas, quando concurrunt Missæ votivæ, aut de *Requiem*, diebus ad id impeditis.

12 Et in hoc casu dico, eo die Missam votivam, aut de *Requiem* non esse dicendam ad adimplendam voluntatem testatoris, sed die sequenti non impedito, ut declaravit Sacra Congregatio 23. Maii 1603. apud Garciam *d. dub.*4. *n.*6. nec sunt admittenda talia legata, præcisè in die impedito dicenda, nisi in aliis diebus, quibus dici valent secundùm Rubricas Missalis, ut est alia declaratio apud ipsum *dict. n.* 6. Barbosa *in Bull. verb. Missa, collect.* 478. *a num.* 3. Unde colligitur, non satisfieri voluntati testatoris dicendo Missas diei impeditis, aliàs Sacra Congregatio ad diem sequentem non transferret, nec prohiberet talibus diebus admitti. Si tamen de facto Capellanus, aut qui recepit stipendia, Missam diei currentis pro illa obligatione applicaverit, tantùm peccabit venialiter, cùm in re parva pactum non adimpleat. Garcia *dict. dub.* 4. *num.* 5. Possevinus *de offic. Curat. cap.*2. *num.*25. *vers. Quæritur tertio*, nisi amplectatur contrariam sententiam, quam probabilem esse non dubito. Henriquez *de Missa, lib.*9. *c.* 23. *n.*6. Azorius *Instit. Mor.* 1. *part. lib.* 10. *cap.* 32. *quæst.* 5. quia tunc nec venialiter peccabit.

13 Deinde si à testatore relinquatur legatum Missarum in certa Ecclesia, aut Altari dicendarum, id est observandum, aliàs enim dicens graviter peccabit, si ad id sit obligatus. Assertum hoc communiter tenent DD. Cevallos *commun. q.* 686. Riccius *in praxi*, 1. *part. Past. resol.*753. *n.* 2. Genuensis *in Past. c.*73. Gratianus *discept. forens. c.*73. *n.* 4. Barbosa *de offic. Episcop.* 2. *part. alleg.* 24. *n.*3. Diana *d. tract.* 14. *resolut.*29. Pasqual. *quæst.* 1139. Thomas Hurtado 1. *tom. resolut. tract.* 2. *c.*4. *resolut.*9.

14 Hæc verò doctrina indiget explicatione, duobus enim modis potest fieri hoc legatum: in primis quando testator reliquerit legatum Missarum manualium, pro unica vice dicendarum, aut quando sunt perpetuæ alicujus Capellaniæ, aut memoriæ Missarum. Quoad primum, certum est teneri celebrare Missas in tali Ecclesia, seu Altari: sed incertum est, an id omittere sit peccatum mortale; nam aut constat in similibus Missis tantùm testatorem intendisse suffragium animæ, vel applicationem, & in hoc casu mortale peccatum non est alibi celebrare; quia quoad animæ suffragium nihil interest, an hic, aut alibi celebrentur? Tambur. *in Meth. celebr. Miss. lib.* 3. *cap.*2. §. 1. *num.* 1. qui dicit, nec adhuc veniale quidem esse; quod in dubio admittendum videtur, quoties legatum Missarum manualium pro unica vice relinquitur; nam utplurimùm hæ Missæ tantùm ad suffragium animæ relinquuntur, & ad applicationem, & ex assuetis optima fit interpretatio, ut suprà comprobavimus *num.* 5. Ergo in dubio idem est dicendum. Cæterùm in Missis perpetuis grave est peccatum non dicere in Ecclesia, seu Altari designato, quia fundatores prospiciunt majorem cultum illius Ecclesiæ, aut Altaris, commoditatem audientium, vel memoriam familiæ, ut observat de Lugo *de Eucharist. disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 36. quod non consideratur in his Missis, quæ pro unica vice dicuntur: quamobrem non dicere in tali Ecclesia, aut Altari, non erit lethalis culpa.

15 Quando verò Missæ sunt perpetuæ, Capellaniæ, seu memoriæ, mortale erit peccatum non celebrare Missas in Ecclesia, aut Altari designato, ut dicunt relati *num.* 13.

Mar-

Marchinus *de Ordin. tract.3. cap.24. num.1.* Tamburinus *d. lib.3. c.2. §.1.* Lara *de Capell. lib.2. c.8. n.30. & 31.* quia in re gravi promissum frangeret, non honorando Ecclesiam, seu Altare religiosè, prout petit fundator: quare Visitator debet inquirere, an Capellanus Missas dicat in Ecclesia, aut Altari, prout dispositum est à fundatore. Lara *dict. cap.8. n.32.* Marchinus *dict. cap.24. num.6.* Henao *de Sacrif. Miss. disp.19. sect.3. n.51.*

16 Hæc doctrina communiter intelligitur, si testator intendat celebrationem in certa Ecclesia, aut Altari, ratione privilegii, aut quia vicini habeant Missam majori commoditate, aut ob memoriam familiæ, aut aliam causam, quæ præceptum faciat grave; aliàs tamen absque scrupulo inquiunt alibi celebrari posse. Henriq. Augustin. citans Dianam, sed non rectè, *sect.22. q.25.* Gratianus *discept. forens. c.37. n.4.* Marchinus *dict.3. part. cap.24. n.2.* de Lugo *dict. sect.2. n.36.* Rota *in una Bergomen. legati, 9. Octob. 1595. coram Seraphino*, quam retulerunt Gratianus, & Marchinus allegati, Leander *de Sacrif. Missæ, tract.8. disp.4. q.24.* Garcia *diff. 11. dub. ult. n.2.*

17 Sed Pasqualigius *d. q.1139. n.3.* hanc distinctionem non admittit; nam quoties testator intellectualiter operans disposuit, ut in tali Ecclesia, aut Altari celebraretur, habet propositum, aut finem particularem, ratione cujus velit, ut ibidem celebretur: ergo semper existimanda est causa, ut hoc præceptum grave sit, & obliget ad lethale. Præterea, nam constat de voluntate fundatoris, ut celebretur in tali Ecclesia, seu Altari; & ideo Capellania transit cum illo onere, *cap. Ex litteris, de pig. cap. Tua, cap. penult. de usur.* quapropter Capellanus illam acceptans, tenetur adimplere illam obligationem.

18 Cardo difficultatis consistit, an ex eo solùm, quod testator dicat, *Celebretur Missa in tali Ecclesia, aut Altari, vel Capella*, alia causa præter applicationem intelligatur, ut inde præceptum testatoris obliget ad lethale? Pasqualigius affirmat, ob rationes *num.17.* perpensas. Contrarii verò negant, nisi conjecturæ adsint, unde causa illa cognoscatur, & rationem dant; nam legata ista fiunt favore Sacerdotis, Cephalus *cons.216. num.17.* Mantica *conject. lib.12. tit.17. num.30.* Itaque in dubio, nisi conjecturæ adsint, intelligendum est, velle testatorem tantùm applicationem Missæ, non verò præsumi aliam causam præcisè ibidem celebrandi. Grat. *d. c.72. n.7.*

19 Sed in Capellaniis, aut Missis perpetuis Pasqualigii sententia mihi placet; illa enim distinctio magis conformis videtur, ut in Missis pro unica vice dicendis, nisi aliud demonstraverit testator, tantùm applicatio petatur; verùm in perpetuis aliquam causam specialem, ut in tali Ecclesia, Capella, seu Altari celebretur, ex simplici præcepto intendisse facilè præsumitur; quia aut desideravit perpetuum cultum, aut religiosè semper honorare Ecclesiam, aut (quod certius) memoriam familiæ: quod quidem voluisse in illa perpetuitate facilè desumitur ex verosimili voluntate fundatoris; qui enim pro se habet verisimilitudinem, casum habet. Ozascus *decis.170. n.10.* Tuschus *lit. V. conclus.161. num.9.* Grat. *Discept. Forens. tom.5. c.878. num.16.* latè Castillo *lib.5. controv. cap.63. per tot.* quapropter in his Missis perpetuis, ex simplici præcepto præsumitur causa celebrandi in tali Ecclesia, seu Altari, etiamsi non expresserit. Præterea fundamentum contrarium diluitur; nam causa illa majoris cultus, devotionis, aut religiosi honoris in tali Ecclesia, aut Altari, est conjectura prospiciens animæ favorem, quæ fortior est, quàm alia respiciens favorem Sacerdotis, aut Sacellani, ut latè tradit Mantica *lib.6. tit.3. de conject. & lib. 12. tit.17. n.31.* quapropter cùm facilè ex perpetuitate hæ causæ conjectentur, dilabitur alia conjectura favoris Sacerdotis, aut Capellani: quod idem dicendum est, si præsumatur memoria familiæ, cujus splendor à testatore attenditur, cùm magis dilecta censeatur familia propria, quàm commodum, & favor Capellani, ex his quæ notant DD. *in cap. Requisisti, de testament.* Alciatus *lib.9. cons.213. num.13.* Menochius *de præsumpt. lib.1. quæst. 28. num.13.*

20 Verumtamen licèt Capellani, aut qui habent memorias Missarum dicendarum in tali Ecclesia, seu Altari, vel Capella, graviter peccent, si non adimpleant, adhuc in re ista admittitur parvitas materiæ; sed quæ parvitas sit ista, non facilè cognoscitur. Diana *d. tract.14. resol.29.* scripsit lethaliter non peccare, si duas, aut tres vices omiserint ibidem celebrare. Garcia ex de Lugo *d. dub. ult. n.2.* extendit usque ad ter, vel quater. Pasqualig. *d. quæst.1139. n.5.* usque ad quindecim, vel viginti vices protrahendum existimat, etiam nulla causa existente; quia etiam respectu cultus, aut alterius causæ, omissio gravis non videtur, si hæ Missæ interpolatè dicantur; nam si conjunctim omitterentur, notabiliter interrumperet cultum, & esset peccatum grave. Tandem verò asserit id totum esse metiendum ex occasionibus occurrentibus, ac proinde per plures vices excusari posse à mortali: cujus doctrinam amplector.

Excusabitur etiam si Capella, aut Altare ad alium locum transferatur; nam cum ipsis onera transeunt. Si verò Missæ ex voluntate testatoris dicendæ sunt in certo Altari, ubi adest imago devotionis, & sunt à Regularibus celebrandæ, tunc distinguendum, si Regulares transferantur; nam si dispositio respicit principaliter Imaginem devotionis, adhuc ibidem Missæ dicendæ sunt; secus si dispositio præcipuè respiceret Regulares Altari, seu Imagini inservientes, ut rectè probat Pasqualig. *quæst.1144. à num.2.* Præterea excusabitur, si non sit liber accessus ad Ecclesiam, seu Altare Riccius *in praxi forens. 1. edit. decis.405.* Garcia *dict. dub. ult. num.4.* quod idem dices, si per spatium quadraginta annorum alibi fuerit celebratum; est enim præscriptio ista sufficiens ad mutationem beneficii, *cap. Cum de Beneficio 5. de præbend. in 6.* ergo etiam ad excusandum, ut alibi celebretur. Abbas *cons.96. in princip.* Lambertinus *de jur. patron. lib.3. quæst.6. art.6.* Moneta *de commut. ult. volunt. c. 11. q.5. n.236.* Garcia *dict. dub. ult. num.5.* Marchinus *dict. cap.24. num.6.* 21

Excusabitur etiam si causa, aut necessitate urgente, cum consensu hæredum, aut patronorum, Episcopus decreverit alibi Missas esse celebrandas, non tamen absque causa; sunt verò aliquæ causæ à DD. determinatæ, veluti si Altare sit destructum, vel Capella aut amitteret consecrationem, aut non pateat aditus ad Ecclesiam. Bonacina *d. disp.4. quæst. ult. punct.7. §.4.* Moneta *de commut. ult. volunt. cap.10. quæst. 5. num.242.* Genuensis *in Prax. cap.72.* qualibet enim earum existente, sufficiet ut ex consensu hæredum, seu patronorum Episcopus alibi decernat Missas esse dicendas; quia ut dictum est suprà, *lib.1. cap. fin.* rectè Episcopus commutat ex causa ultimas voluntates pias defunctorum: quod intelligas interim dum durat causa, seu necessitas; verùm cessante ea, in eadem Ecclesia, Capella, seu Altari sunt dicendæ. Moneta *de commut. cap.7. quæst.4. à num.367.* Barbosa *d.2. part. allegat.24. num.36. ad fin.* Garcia *dict. diff.11. dub. ult. num.10.* Pasqualig. *quæst.1140. & 1141.* Marchinus *dict. tract.3. 2. part. c.24. nu.5.* Thoro *privil.54.* Capponi *discept. 196. à num.15.* 22

Excusabitur etiam Capellanus, aut alter Sacerdos, si exierit ad Missam dicendam, & ab alio vices ejus occupentur: quod idem dicendum si ob Missarum copiam nequeat in illo Altari signanter à testatore determinato Missas celebrare, Garcia *num.7. & num.9.* Similiter dices, si fundator id præceperit, ut populus Missam audiat, verùm pauci, aut nulli ad audiendum Sacrum illuc perveniant, quia cessat causa. Tamburinus *dict. lib.3. cap.2. §.1. num.4.* 23

Sed quid dices si interrogeris, an Clericus Capellanus, qui non dixit Missas, quando Ecclesia, seu Altare est impeditum, alibi dicere teneatur? Et absolutè dicunt teneri plures DD. nam fundator non debet privari fructu Sacrificii, ex eo quod Ecclesia, aut Altare sit impeditum: ita plures quos recenset Pasqual. *q.1146. n.2.* Thom. Hurtado *tom.1. tract.2. cap.4. resolut.11.* Sed meliùs alteri distinxerunt, quando testator liberam reliquerit applicationem, & solùm intenderit cultum illius loci, aut memoriam familiæ; tunc enim alibi dicere non tenetur: secus verò si applicationem peteret, quia si alibi Missæ non dicerentur, ab ea defraudaretur. Marchinus *d. cap.24. num.9.* Barbosa *d. allegat.24. n.35.* Garcia *d. dub. ult. n.5.* de Lugo *de Eucharist. disput.21. sect.18. vers. Si tandem.* Leander *d. tract.8. disp.4. q.26.* Bonacina *d. §.4. n.3.* 24

Hæc distinctio admittenda, verùm advertendum cum Pasqualigio *q.1146. num.3.* ut in his Capellaniis, in quibus non constat, tantùm velle testatorem præsentiam, relicta libera applicatione Capellano, semper præsumatur velle applicationem, etiamsi ratione cultus, splendoris & memoriæ familiæ desideret in tali loco celebrari; quia hæ causæ non sunt finales dispositionis illius, siquidem inten- 25

intendit fructum Sacrificii. Bonacina *d. disp. 4. q. ult. punct. 7.* §. 2. *n.* 13. Sanchez *in Decalog. lib. 4. c. 1. n.* 3. Trullench. *de Sacr. lib. 3. c. 8. dub.* 11. *n.* 12. quare nisi constet tantùm velle testatorem præsentiam, alibi Missæ sunt dicendæ, donec Ecclesia, Capella, seu Altare fuerit impeditum. Ricc. *in praxi forens. 1. edit. decis.* 405. *n.* 5.

26 Idem quod de loco diximus, similiter dicimus quando testator horam designaverit ad dicendas Missas perpetuas; hæc enim circumstantia observanda est, sicut alia onera annexa Capellaniæ, *cap. Illud* 8. *in fin. de jurepatr.* Puteus *decis.* 10. *&* 12. *de jurepatr.* Rota apud Seraphinum *decis.* 774. *n.* 1. itaque Bonacina *d. disp. 4. quæst. ult. punct. 7. propos. 3. num.* 7. asseruit hanc temporis circumstantiam observandam esse à Capellano, prout etiam loci. Pasqual. *q.* 1147. *à num.* 1. qui *num.* 3. rectè scripsit obligationem celebrandi hora designata à testatore, moraliter accipiendam, ita ut adimpleat antè, vel post horam celebrando, dum multùm temporis non excedat: cujus sententiam exciperem, quando celebratio facienda est certa hora, ut multi pigri Missam audiant, quod evenit in certis Capellaniis, & Missarum memoriis, ut Missa dicatur ad horam duodecimam diebus festivis, ne multi Missam amittant; tunc enim anticipare, vel postponere, etiam morali modo, admittendum non est, cùm ex hac variatione multi Missam amittant, ut quotidie experimur.

27 Hanc enim obligationem dicendi Missam certa, & designata hora, ad mortale non obligare, asseruit Pasqual. *d. q.* 1147. *n. 4. vers. An autem*; quia res ista non pertinet ad substantiam, sed ad temporis circumstantiam, & ideò materia est levis. Excipit tamen, nisi grave incommodum sequatur, aut aliorum detrimentum, ut dicebamus in casu quo hora assignaretur à fundatore, ut segnes sacrum audirent.

28 Est tamen dubium, an quando Capellanus, aut alius legatarius Missarum omiserit has circunstantias temporis, loci, aut Altaris extrinsecas, teneatur ad restitutionem? Prima sententia asserit teneri ad restitutionem; nam ut scripsit Henriquez *de Missa, lib. 9. c. 23. n.* 5. has circunstantias tenetur Capellanus adimplere de justitia, ex pacto, & obligatione Capellaniæ: quapropter si non adimpleverit, tenebitur ad restitutionem, aut iterum celebrando in Ecclesia, aut Altari designato, aut præstando stipendium, ut cum aliquibus docet Riccius *in praxi for. d. decis.* 405. *n.* 3. Cenedus *qq. can. q. 38. n.* 6. Dicastillo, Llamas, Hurtado, & Zerola apud Pasq. *q.* 1148. *num.* 3. Thom. Hurtado *d. cap. 4. resol.* 12. Henao *d. sect. 3. à n.* 58.

29 Secunda sententia contrarium tenet; nam licèt circumstantias temporis, & loci omiserit, tamen quoad substantiam adimplevit; nam licèt alibi Missas dixit, applicationem fecit pro anima fundatoris, itaque quoad substantiam præceptum illius adimplevit, veluti ille qui debitum solvit alibi quam ubi solutio erat destinata, restituere non tenetur, nisi creditor aliquod damnum senserit ex tali solutione, & hoc tantùm refundere tenetur, non verò debitum. Quamobrem si Missæ erant celebrandæ in tali loco, aut hora, quia ad illam audiendam plures conveniunt, quorum orationibus adjuvabatur anima defuncti, aut erat celebrandum in Altari privilegiato, id tantum tenebitur restituere per aliqua opera satisfactoria, veluti orationes, aut aliquas eleemosynas. Azorius, qui non rectè pro contraria allegatur, 1. *part. Instit. Mor. lib. 10. c. 24. q. 8. vers. Quæres an*, Bonacina *d. disp. 4. q. ult. punct. 7.* §. 4. *n.* 5. Marchinus *de ordin. tract. 3. c. 24. n.* 7. Garcia *d. diff. 11. dub. ult. n.* 11. Diana *dict. 3. part. tract. 14. resol. 29. vers. Adverte etiam*, Leander *d. disp. 4. q.* 25. Mendo *de Ordinibus, disp. 9. q. 4. n.* 38.

30 Tertia sententia asserit, nec ad aliquam restitutionem teneri, etiamsi deficiant audientes, quorum orationes intendebat fundator, vel si Altare fuisset privilegiatum; nam hæc incerta sunt, nec constat quænam satisfactio danda sit; nec doctrina illa ad aliquid deservit, nisi ad scrupulos causandos, ut considerat Tamburinus *d. lib. 3. cap. 2.* §. 1. *à num.* 5. cui consentire videtur Barbosa *d. 2. part. allegat. 24. num.* 86. dum absolutè asserit, Capellanum istum ad restitutionem non teneri.

31 In hoc dubio assero disquisitionem istam non esse pensandam his considerationibus, quæ fiunt à DD. relatis, sed alio modo, nempe si redditus Capellaniæ, aut Memoriæ Missarum dentur, non solùm pro dicendis Missis, sed etiam pro onere illo dicendi in tali Ecclesia, seu Altari, aut hora matutina, aut propè meridiem; nam si pro his oneribus assignentur, & dentur à fundatore, si onera illa loci, aut temporis omiserit, & tamen Capellanus non adimpleat, ad restitutionem tenebitur redditu um illorum correspondentium illis oneribus; idque non solùm in foro conscientiæ, verùm etiam in foro fori, *leg. 1. Cod. de his quæ sub modo, l.* 1. *Cod. de donat. quæ sub mod. l. Cùm te 6. C. de Pact. inter empt. cap. Verum 4. de condit. apposit.* Anna *allegat.* 24. Peregr. *de fideicom. art. 16. n. 158. &* 159.

32 In hac difficultate assero, in omnibus Capellaniis, ac Memoriis Missarum redditus concedi ut stipendia pro labore, & opere personali Capellani, aut Sacerdotis obligati ad Missas dicendas; idque quoties aliud non expresserit testator, semper est præsumendum, ut docet de Lugo *de justitia, disp. 4. sect. 3. n.* 30. Unde inducunt plures DD. Capellanos de his redditibus posse disponere ad libitum, ut de aliis stipendiis ad Missas dicendas, vel ad alia spiritualia exercitia lucratis. Sotus *de justitia, lib. 10. q. 4. art. 3. concl.* 3. Avendañ. *respons. 19. n.* 6. de Lugo *d. sect. 3. n.* 29.

33 Hoc ergo supposito, Pasqual. *q.* 1148. *à num.* 5. distinguit quando Capellania sit collativa; si enim Capellania, aut Memoria Missarum non sit collativa, & habeat fructus, non solùm correspondentes oneri dicendi Missas, verùm celebrandi in tali Ecclesia, aut Altari, vel certa hora; tunc si non adimpleat illa onera loci & temporis, ad restitutionem tenetur: secus si Capellania sit collativa, nam ex vi tituli habet jus faciendi fructus suos, licèt non adimpleverit onus illud, sicut in Beneficio curato, in quo licèt Parochus non resideat, suos illos facit, & fuit necessaria pœna, ut ab illis privaretur, ob non residentiam. Tridentinum *sessione 23. cap. 1. de Reformat.* Pius V. *in sua Constit. 10. tom. 2. Bullarii*.

34 Hæc ultima pars de Capellania collativa displicet; nam diversa est ratio aliorum beneficiorum, & istarum Capellaniarum, licèt collativarum; in illis enim fructus non dantur præcisè ut stipendia, & salaria, sed intuitu dignitatis, & officii: quapropter fructus facit suos beneficiarius, licèt opera non præstet, *c. unic. de Clericis non resident. in* 6. ubi DD. Covarr. *lib. 3. variar. cap. 13. n. 8. vers. Item non oberit*: si tamen causa adsit, per pœnam illis privantur; secus verò in his Capellaniis, etiam collativis, in quibus redditus pro salario designantur, & pro stipendiis, de ratione quorum est, ut minimè, nisi opere adimpleto, debeantur, *l. Si uno 4.* §. *Item cum quidam, l. Operas 38. ff. locat. leg. Si pecuniam 5. ff. de condict. caus. dat. l. 44. tit. 14. p.* 5. quare benè Appius Claudius, apud Liv. *lib.* 5. dixit: *Nusquam operam sine emolumento, nec emolumentum sine impensa opera esse.* Refert Valenzuela *cons. 54. n.* 10. Parlador. *diff. 130.* §. 9. *n.* 9. Idcircò redditus illi oneri correspondentes, Capellano non debentur, quare etiam ad restitutionem tenebitur.

35 Igitur si Capellania, aut Memoria Missarum habeat redditus, aut fructus sufficientes non solùm ad onera Missarum, sed etiam ad alias circunstantias temporis & loci, restitutio facienda est illius partis correspondentis tali obligationi, & oneri: si verò non sint, nisi ad onus Missarum, nihil restituet, cùm obligationem istam satis adimpleverit, etiam alibi dicendo.

36 Præterea legata Missarum sæpè relinquuntur, ut dicantur in Altari privilegiato. Est enim Altare privilegiatum illud, in quo concessa est Indulgentia plenaria pro mortuis, quod fieri posse à Pontifice Maximo, nullam dubitationem recipit, prout firmavit Leo X. in Decretali contra Lutherum, incipit, *Exurge Domine:* & patet ex Sixto IV. Innoc. VIII. Pio II ut cum Gabriele tenet Diana *9. p. tract. 2. resol.* 1. Pasqual. *q. 728. n.* 9. qui rectè *à n.* 6. asseruit has satisfactiones adjungi Sacrificio, non per modum absolutionis, sed suffragii, aut solutionis.

37 Ast illud observet Sacerdos, hæc privilegia potiùs esse Sacrificii, quàm Altaris, & non semper absolutè concedi, sed quibusdam limitationibus, veluti ad certos dies, & aliquando ad certas personas: quod custodire, & observare debet, ut rectè applicet Indulgentiam defunctis. Pasqualig. *dict. q. 728. n.* 1. & similiter attendat cum Fagundez *præcept. 1. lib. 3. cap. 9. n.* 7. quod si obligatus fuerit ad celebrandas Missas in Altari privilegiato, etiamsi superveniat justum impedimentum, & eas non possit dicere in Altari privilegiato, non satisfacit, nisi similiter dicat in alio privilegiato, ne cum tanto detrimento defuncti defraudarentur. Diana *d. tract. 2. resol. 24. vers. Nota etiam*.

Illud

38 Illud verò prætereundum non censui, intelligendam esse hanc doctrinam quando præcipitur celebrari in Altari certo privilegiato, & impedimentum proveniat ab ipso Sacerdote, ut si Sacerdos discederet à loco ubi est Altare. Secus verò si adesset impedimentum extrinsecum; nam tunc non tenetur, nisi ad alibi offerendum. Et probatur, nam quando determinatur Altare, videtur locus electus privilegii, non autem præcisè ipsum privilegium; idcircò si impedimentum extrinsecum proveniat, alibi sufficiet celebrare. Si Altare fuerit indeterminatum, quia tantùm petitur Missa in Altari privilegiato, tunc ex quocumque impedimento tenetur in alio celebrare, si possit. Pasqualig. *q.* 744. *à n.* 4. Diana *d. tract.* 2. *resol.* 13.

39 Obligatus verò Sacerdos ad dicendas Missas in Altari privilegiato, sub mortali ad id tenetur, cùm res gravis sit defraudare defunctos fructu Indulgentiæ: excusabitur tamen à mortali, si obligatus celebrare quotidie in Altari privilegiato, aut pluries in hebdomada, per paucas vices in anno omitteret celebrare, quia respectu totius anni parva materia existimatur. Pasqualig. *q.* 743. *à n.* 3. Alter casus adducitur excusans à mortali, scilicet si aliquis Monasterio, aut Parochiæ daret Missas dicendas in Altari privilegiato, & tamen à Rectore, aut à Prælato non promittuntur, aut si promittuntur, non datur nisi ordinarium stipendium; quia justum non est ad aliud obligare, propter communem stipem, nisi ad Missas dicendas in quolibet Altari. Garcia *in Sum. tract.* 3. *diff.* 11. *dub. ult. n.* 3. Diana *d. tr.* 14. *resol.* 29. *& 9. part. tract.* 2. *resol.* 19. Pasqual. *d. q.* 743. *n.* 7.

40 Est dubium, an quando Capellanus, vel alter Sacerdos susceperit obligationem dicendi Missas in Altari privilegiato, & consultò omiserit, teneatur ad aliquam restitutionem, aut compensationem? Pasqual. nuperrimè allegatus *d. n.* 7. asserit ad nihil teneri; nam obligatio restituendi provenit ex læsione justitiæ cum damno alterius; hìc tamen non læditur, quia defraudare animam defuncti ab Indulgentia, non est debitum justitiæ; nam pro illa non datur stipendium: ergo ad nullam compensationem tenebitur. Tambur. *d. c.* 2. §. 1. *n.* 5.

41 Alii verò inquiunt compensationem esse dandam, quia graviter fraudatur defunctus, idcircò Sacerdos tenebitur compensare per aliqua opera satisfactoria, vel applicando alteram Indulgentiam defuncto, ut sic compensationem percipiat. Garcia *d. dub. ult. n.* 11. Diana *d. tract.* 14. *resol.* 29. *& 9. p. tract.* 2. *resol.* 16.

42 In hoc dubio distinguendum censeo, quando eleemosynæ manuales dantur pro dicendis Missis in Altari privilegiato, quæ non excedunt communem stipem, & taxatam pro Missis privatis alibi dicendis; & in hoc casu nullam satisfactionem esse dandam existimo, ex doctrina quam cum Garcia, & Diana proposuimus *n.* 29. Ratio est, nam ratione stipendii communis non tenetur nisi ad Missam in qualibet parte dicendam: Indulgentia verò promitti non valet, quia est res spiritualis, quæ nequit in pactum venire, *c. fin. de pact. cap. Constitutus* 4. *cap. Super eo* 7. *de transact.* Ergo nullum est debitum justitiæ, ob cujus læsionem teneatur ad aliquam compensationem, ut rectè ratiocinator Pasqual. ubi suprà citatus, & in hoc sensu loquitur *d. n.* 7.

43 Si verò majus stipendium detur pro dicenda Missa in Altari privilegiato, dico ad restitutionem teneri pro illa parte correspondenti oneri præcisè dicendi in Altari privilegiato, ut dicebamus de onere dicendi in tali Ecclesia. Et ratio est, quia obligatio illa est pretio æstimabilis, pro qua stipendium rectè suscipitur. Cruz *de Sacrif. Missa, q.* 1. *dub.* 8. *concl.* 1. *n.* 3. & de facto suscipit: Ergo si non adimplet obligationem dicendi Sacrum in Altari privilegiato, tenetur ad restitutionem partis stipendii correspondentis tali obligationi, ex juribus adductis *n.* 24.

44 Illud verò observes cum Diana *d. tr.* 2. *resol.* 14. Episcopum non posse cogere Capellanum habentem onus celebrandi in Altari privilegiato, ut ipsemet celebret in determinato Altari; sufficiet enim ut per alium adimpleat, nisi ex testamento, aut fundatione colligatur, electam fuisse bonitatem personæ: sed quando id eveniat, dicunt plures, quos refert, & nos dicemus quando de Capellaniis agemus.

45 Præterea disquiramus de Missis, quæ dicendæ sunt in Altari privilegiato ad consequendam Indulgentiam. Et in primis certum est, illam esse dicendam, aut de *Requiem*, vel de aliquo Sancto, de quo expressa mentio facta est in concessione, quia id debet observari. Philippus de la Cruz *in Thesauro Ecclesiæ, tr.* 2. §. 6. *n.* 7. Pasqual. *q.* 731. *à n.* 1. Est dubium quando diploma nihil expresserit, an Missam sit necesse dicere de *Requiem*? Prima sententia asserit, quamlibet Missam sufficere; nam ex eo quod diploma nihil de ea expresserit, relinquit ut per quamlibet Missam Indulgentia consequatur. Rodrig. *quæst. regul.* 96. *art.* 6. Fagundez *in precept. Decalog. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 7. Garcia *d. dub. ult. n.* 12. Navarr. *cons.* 37. *de pænit. & remiss.* Zerola *verb. Missa, ad* 7. Lara *lib.* 2. *de Capel. c.* 8. *n.* 34. Fagnan. *in c.* 2. *de celebr. Miss. à n.* 24.

46 Secunda sententia tenet contrarium, idque declaravit Sacra Congregatio: refert Barbosa *in Bullario, collect.* 478. *n.* 1. Lezana *verb. Altare, n.* 19. quibus assentiunt alii recensiti à Pasqualigio *d. q.* 731. nam hæc Indulgentia Altaris privilegiati applicatur defunctis, idcircò credendum est, velle Summum Pontificem assignare Missam de *Requiem*, ut magis proficuam. Diana *d. 9. part. tract.* 2. *resol.* 8.

47 Tertia sententia distinguit; si enim in concessione dicitur, *Celebrando pro aliquo defuncto, anima ejus liberetur*; tunc Missa de *Requiem* est necessaria; nam ex eo quod Pontifex fecit mentionem de defuncto, credendum est velle se conformem reddere cum dispositione juris communis, disponentis Missam de *Requiem* pro defunctis, ex traditis à Baldo *in l. Causas, de transact. n.* 6. Decius *cons.* 64. *n.* 7. Grammaticus *cons.* 34. *n.* 3. Secus autem si dicat: *Celebrando in tali Altari, liberetur anima à pœnis purgatorii*; tunc enim quia de defuncto mentionem non fecit, sufficiet quælibet Missa. Pasqual. *d. q.* 731. *à n.* 4. Tamburinus *in Meth. celebr. lib.* 2. *c.* 6. §. 6. *à n.* 1.

48 Hæc quæstio est voluntatis Pontificis, totaque pendet ab ejus investigatione, ut cognoscamus, de qua Missa senserit, quapropter Marchinus *de Ordin. tractat.* 3. *cap.* 26. *à nu.* 1. *part.* 2. tres facit distinctiones, quæ reverà nihil aliud continent, nisi doctrinam Pasqualigii, & Tamburini recensitorum *n.* 38. Verumtamen existimo admittendam esse secundam sententiam, ut funebris Missa semper sit necessaria, licèt in concessione dicatur simpliciter, *Celebretur Missa in tali Altari, ut liberetur anima à purgatorio*; idque ex declaratione Cardinalium, quæ loquitur etiamsi nulla mentio fiat defunctorum, sed solùm dicatur simpliciter, ut in specie de qua loquimur.

49 Et licèt per se certam regulam in sententia plurimorum non faciat, sed tantùm probabilem sententiam, Petrus de Ledesma *in Sum. tom.* 1. *de pænit. c.* 13. *dub.* 8. *ad* 3. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 2. *n.* 11. Mendo *ad Bull. disp.* 1. *cap.* 6. *n.* 41. Bonacina *de legibus disp.* 1. *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 4. plures dat Diana 1. *part. tract.* 10. *resol.* 29. Attamen quando tantùm agimus de interpretanda voluntate Pontificis, maximi ponderis est; nam cùm Cardinales simul cum Pontifice unum corpus conficiant, Tusch. *lit. C, concl.* 100. *n.* 22. Sarnensis *in proœm. Reg. q.* 4. *col.* 1. hi meliùs quàm alii agnoscunt, quænam sit voluntas, & placitum Pontificis in his concessionibus, quamobrem hanc ultimam sententiam uti magis certam admitto.

50 Sed dices cum Tamburino *d.* §. 6. *n.* 1. de hac declaratione authenticè non constare. Sed hoc gratis dictum videtur, dum tanti DD. illam ut certam admittunt, Gavantus, Diana, Barbosa, Lezana, & alii: nec quod dixit Pasqual. *d. q.* 731. *n.* 6. obest, dum intelligit hanc declarationem in casu quo dicat, *Celebrando pro aliquo defuncto*; quia ex ejus contextu patet loqui in casu quo simpliciter dicitur: *Celebret in tali Altari, ut anima liberetur à pœnis purgatorii*.

51 Illud verò animadvertas, quod si die certo, verbi gratia die Lunæ, privilegium tali Altari concedatur, & festum duplex de festo interveniat illo die, Missa de *Requiem* celebrari non valet, nec in illo Indulgentia consequetur; nam privilegium intelligitur, salvo jure Rubricarum interdicentium Missam funebrem in die festivo, & duplici, ut censuit Congregatio 24. Aprilis 1627. refert Gavantus *in Rubr. Miss.* 1. *part. tit.* 5. *n.* 2. Barbosa *d. collect.* 478. *num.* 2. March. *d. cap.* 26. *n.* 5. Tambur. *d.* §. 6. *n.* 3. Diana *d. 9. p. tract.* 2. *resol.* 8. Pasqual. *q.* 742.

52 Si verò dies duplex festus non sit, in his legatis Missarum dico, rectè Missam de *Requiem* dici; nam ut ex declaratione Cardinalium diximus suprà *num.* 11. ad explendas ultimas voluntates, rectè in die duplici dicitur Missa de *Requiem*, quapropter Indulgentia lucrabitur; nulla enim dispensatio est necessaria. Pasqualig. *quæst.* 740. qui latè rem agit. Idem dicendum, si Altare sit privilegiatum per totam octavam defunctorum, cum expressione, ut dicatur Missa de *Requiem*, aut in nostra sententia, absque

tali expressione; tunc enim etiam in die Dominica Missa de *Requiem* celebrabitur rectè, quia videtur dispensare Summum Præsulem per totam octavam, ut cum Sylvio, & Nigro tenet Pasqualigius *quæst.* 741. Diana *dict.* 9. *part. tract.* 2. *num.*29.

53 Sed dices, quando in die Lunæ conceditur indulgentia certo Altari, si occurrat festum duplex, non præsumitur dispensatio ad dicendam Missam funebrem: Ergo nec quando conceditur Indulgentia per octavam defunctorum in Dominica, intelligetur dispensatio ad dicendam Missam de *Requem.* Sed respondetur, disparem esse rationem; quando enim Pontifex per totam octavam defunctorum concedit in certo Altari Indulgentiam, cogitavit de Dominica, quia præcisè erat per octavam adventura, quare dispensasse videtur ad lucrandam Indulgentiam dicendo Missam funebrem, etiam in Dominica: non verò idem existimandum, si Indulgentia concedatur tali Altari die Lunæ, in quo per accidens est evenire diem festum duplicem, de quo Pontifex in concessione non cogitabat: quapropter in uno casu datur dispensatio, & non in altero, ex traditis ab Aretino *cons.*33.*n.* 10. Menoch. *lib.*1.*cons.*37.*n.*96.*&* 97. Gratian. *discept. tom.* 5. *cap.*9. *num.*15.

54 Illud verò observet Sacerdos adimplens legatum Missarum dicendarum in Altari privilegiato, ut minimè sufficiat Indulgentiam applicare defuncto, & alteri Sacrificium Missæ, propter stipendium, aut liberaliter: nam qui petit Missas dicendas, non solùm desideravit applicationem Indulgentię, sed etiam Sacrificii, ut meliùs consuleret animæ defuncti. Borbon. *tom.*1. *resol.*91.*n.*4. Diana *d.tract.*2.*resol.*24. Pasq. *q.*734. Si tamen obligatus tantum fuerit Sacerdos dicere Missam funebrem, & illam dicat in Altari privilegiato, alteri poterit applicare Indulgentiam; tunc enim separabilis est Indulgentia, cùm tantùm sit obligatus ad Missam, non verò ad applicandam Indulgentiam. Cæterùm, nam ut scripsit Suarez *de pœnit. disp.*13.*sect.*4.*n.* 3. quando injungitur aliquod opus ad consequendam Indulgentiam pro defunctis, quamvis necesse sit illud opus fieri, tanquam conditionem fundamentalem Indulgentiæ, non tamen est necesse quoad propriam satisfactione, ut applicetur illi, cui applicatur Indulgentia; nam ipsa de se est adæquata pro pœna, nec indiget superadditione satisfactionis ex tali opere. Ergo in præsentiarum rectè Sacerdos poterit uni applicare Indulgentiam, & alteri Sacrificium, licèt Indulgentia Altaris illius requirat Missam funebrem, ut conditionem fundamentalem illius Indulgentiæ, ut benè Pasqualig. *de Sacrif. Missa, quæst.*735.

55 Cæterùm dubium est, an quando legatum Missarum relinquitur, ut dicantur in Altari privilegiato, satisfiat si celebrentur in alio Altari, cum Indulgentia apposita alicui calculo, seu Medalliæ? Prima sententia negat satisfieri, nam tales Indulgentiæ non sunt ita certæ, sicut quæ conceduntur in Altari privilegiato: tum quia testatur jussit illas dicere in Altari privilegiato, & ex quasi contractu Sacerdos legatarius tenetur ibidem dicere, non aliter; nam unum pro altero, invito creditore, non rectè solvitur, *l.*2. §.1.*ff. si cert. pet. l. Cum is à quo* 16. *Cod. de solut.* Cardos. *in praxi, verb. Solutio, n.*4. Parlador. *lib.*2.*rer.quotid.cap.fin.*5.*p.*§.17.*n.*16. quapropter cùm testator præceperit, ut Missæ dicantur in Altari privilegiato, solutio facienda non est in alio Altari, etiam cum Medallia Indulgentiæ, de Lugo *de Eucharist. disp.*20.*sect.*2.*n.*39. Tambur. *lib.*3. *Meth. celebr. c.* 2. *nu.* 11. Gavantus *in Rubr. Miss. tit.*22.*n.*5. Diana 3.*p.tract.*14. *resol.* 29. & cum aliqnibus Bonacina *de Euch. disp.*4.*q.ult.punct.*7. §.4. *num.*5. *in fin.*

56 Secunda sententia contrarinm tenet; nam cùm Indulgentia calculi, vel Medalliæ certa sit, æqualiter prodest defuncto, sicut si diceretur in Altari privilegiato; itaque benè satisfacit dicendo in alio Altari cum Indulgentia: nihil enim refert, ut aliquid ex æquipollentibus fiat, *leg. fin.* §. *fin.* ubi Gloss. *ff. mand.* Marchin. *d. tract.*3.2.*p.c.*29.*n.*8. Megalius *tom.* 2. *resol.*187.*n.*20. Garcia *d. tract.*3.*diff.*11.*dub. ult. n.*15. Diana 4.*p. tract.*4.*resol.*4. & 6.*p. tract.*6.*resol.*12. & 9.*p. tract.*2.*resol.* 2. Pasqual. *q.*736. qui *n.* 6. id extendit, etiamsi Indulgentia Altaris privilegiati ex dispositione Pontificis concederetur sub conditione applicandi Sacrificium, quia istud fieri valet à Sacerdote dicendo Missam in alio Altari cum Medallia. Thom. Hurtado *tom.*1.*resol moral. tract.*2.*c.*4.*resol.*10.

57 Tertia sententia admittit hanc secundam, quando testator nullum Altare privilegiatum determinavit; secus autem si postulasset, ut in hoc, vel illo Altari Missæ dicerentur, quia suum est Altare, vel quia vult illud Religiosè honorari, ut cum Diana, & March. tenet Leander *de Sacrif. Missæ, tract.* 8. *disp.*7. *q.*70. *vers. Sed clarius.*

58 Hoc ultimum, quod à Leandro scribitur, admittendum est; nam circumstantiæ illæ majoris affectionis, & cultus à testatore desiderati, in alio Altari celebrando, etiam cum calculo, non inveniuntur: quamobrem Sacerdos non adimplebit etiam cum indulgentia alibi celebrando, ut admittunt DD. communiter. Diana *d.*6. *part. tr.*6. *resol.* 12. Garcia *d. dub. ult. n.*15. *ad fin.* Leon *de Iubil.*3. *part. n.*29.

59 Si verò nulla circumstantia istarum adsit, si simpliciter dicat testator, *Dicantur in Altari privilegiato*, etiamsi certum designet, probabilis est, & in praxi tuta secunda sententia, & facilè probatur; nam si æqualiter est certa Indulgentia Medalliæ, tunc æquipollenter satisfacit, & tantùm materialiter fidem violavit, formaliter verò adimplevit, cùm ejus intétio tantùm fuit, ut anima è Purgatorio liberaretur. Præterea aliud fundamentum, ut invito creditore nequeat aliud pro alio solvi, de quo plures recensuit Barbosa *axiom.*220.*n.* 8. non est efficax; nam quoties creditori nullum incommodum, aut damnum sequitur, aliud pro alio solvitur, *l. Paulus* 99.*ff. de solut. l. Qui autem* 14. §. *Sed si quis, ff. de const. pecunia*, Larrea *alleg.*40.*n.*21. *&* 22. Cùm ergo in præsentiarum celebrando in alio Altari cum Medalliæ Indulgentia, nullum incommodum, aut detrimentum sequatur animæ legantis, poterit satisfieri illi obligationi celebrando in alio Altari cum Indulgentia Medalliæ.

60 Sed quid si æqualis non sit certitudo, sed magis certa indulgentia Altaris privilegiati? Et dicunt plures adhuc satisfacere Sacerdotem alibi celebrando cum calculo indulgentiæ, quia sufficit eligere partem probabilem, & non habere rationabile dubium, tale numisma, seu calculum non esse privilegiatum, aliàs in omnibus rebus dubium haberemus. March. *d.c.*28. *n.*8. Diana 6. *part. tract.*6. *resol.*12. Garcia *d. n.*15.

61 Sed hoc non est admittendum; nam quoties æqualis non est certitudo, sed certa indulgentia Altaris privilegiati, & minùs certa numismatis, vel calculi, tunc non æquale rependitur, verùm inæqualitas, ex qua sequitur aliquod detrimentum creditori, retribuitur, ut non rectè aliud pro alio solvatur. Parlad. *d.*§.17.*n.*20. Leoncillus *de privil. paup.* 2.*p. privil.*375.*n.*7. Petrus Gregorius *syntagm. lib.*21.*c.*18.*n.*5. Pichard. *princ. Instit. quibus modis re contrahitur obligatio, à nu.* 42. estque textus *in d. l. Paulus* 99. *ff. de solut.* quapropter indulgentia minùs certa nequit satisfieri certæ Altaris privilegiati, unde anima defuncti detrimentum percipit, qui voluit certa Altaris privilegiati liberari à pœnis Purgatorii. Cæterùm sequi certitudinem probabilem, relinquendo certam, vel probabiliorem, fieri non valet, quando quis per contractum, vel quasi obligatur ad sequendam certam, vel probabiliorem; aliàs fieret detrimentum proximo, & ageretur contra justitiam. Leander de Murcia *Disquisit. Mor. tom.* 1. *lib.*1. *disp. unica, resol.*18.*n.*13. Idque exemplo Medici patefiet; nam ex eo quod recipiat justam mercedem ab ægroto, ut meliori, & salubriori modo illi medeatur, tenetur remedium certius, aut saltem probabilius applicare, nec valet illo relicto probabile exhibere. Leander de Murcia *d. disp. unica, resol.*21.*n.*5. Villal. *in Sum.*1.*p.tr.*1.*diff.*16.*n.*2. Sanch. *select. disp.*44.*n.*36. Azorius *Inst. Mor.* 1.*p. lib.*4.*cap.*16.*q.*11. Henriq. Aug. *sect.*1.*q.*13. quod idem dicendum hic est; nam cum testator jusserit Missam pro sua anima celebrari in Altari privilegiato certo, aut probabiliùs habente indulgentiam, & ob id justum stipendium concedat, Clericus ibidem tenetur celebrare, nec satisfaciet celebrando in alio Altari cũ calculo minùs certæ indulgentiæ, aliàs aget contra justitiam.

62 Illud verò facilè admittendum, quod si legatum relinquatur pro dicendis Missis in Altaribus privilegiatis, sufficienter adimplebitur dicendo illas in Altaribus privilegiatis de novo erectis, ut cum Pellizar. notat Diana 9. *part. tr.* [illegible] *resol.*16. quod indistinctè accipies, nisi testator erga [illegible] antiqua certa habuerit specialem devotionem, aut [illegible] cultum desideraverit, & in dispositione de illis [illegible]tur. Pasqualig. *q.*746.

63 Deinde testatores solent legare Missas Sancti Gregorii, in quibus animadvertendum, Sacram Congregationem vetuisse Missas Sancti Gregorii dicendas pro vivis, ac defunctis sed non illas, quæ sunt triginta illius Sancti; sed quasdam liturgias non approbatas, quæ dicebantur Sancti Gregorii, ut benè observat Garcia *in Summa, tract.*3. *diff.*11. *dub.*4. *n.*15.

Posse-

Possevinus *de offic. Curat. cap. 2. nu. 44. vers. Sed quæritur*, Pasqual. *q. 293. n. 2.*

64 Hæ triginta Missæ Sancti Gregorii initium habuerunt ab ipso Sancto, *lib. 4. Dialog. cap. 55.* Jussit igitur Sanctus ille Missas celebrari pro quodam Monacho defuncto proprietario: cùm verò triginta dictæ fuissent, apparuit, & per illas se liberatum fuisse asseruit, unde has Missas originem habuisse affirmavit Possevinus *dict. num. 44. vers. In libro*, ubi ad finem notat specialem Missam Sancti Gregorii, quæ solet dici de *Requiem* unica oratione, non esse illius Sancti, nec ab eo fuisse institutam, ut apparet ex ejus contextu, nec in Missali Clement. VIII. & Pii V. adest aliqua mentio illius Missæ.

65 Sed est dubium, an necessariò tales Missæ dicendæ sint de *Requiem*? Et communis sententia asserit, sufficere celebrare prout in rubricis quolibet die assignantur; nam cùm Sanctus Gregorius tantùm petat applicationem, præsumitur noluisse invertere ordinem Ecclesiæ. Possevinus *dict. cap. 2. num. 44.* Bonacina *dict. disput. 4. quæst. ultim. punct. 7. §. 3. num. 5.* Tamburinus *in Method. celebrandi, lib. 2. cap. 6. §. 7. num. 3.* Fraxinel. *de obligation. Sacerd. sect. 4. conclus. 4. §. 5.*

66 Sed Pasqualigius *quæst. 293. num. 5.* asserit celebrandas esse de *Requiem* in his diebus; quibus juxta Rubricam Missalis dici valent; nam D. Gregorius asserit Missas offerendas esse pro defuncto. Ast pro defuncto Ecclesia Missas funebres ordinavit: ergo hæ dici debent in diebus non impedientibus Missam de *Requiem*, quod magis conforme videtur.

67 Est alia difficultas, an triginta Missæ Divi Gregorii debeant esse continuæ? Et nonnulli asserunt non esse necessarium; nam saperent aliquam superstitionem ex continuitate, reprobatam in Trident. *sess. 22. de celebrat. Missar.* tum ex honestate interruptio Missarum aliquando est conveniens, *cap. Significatum 11. de Præb.* Fraxinel. *dict. concl. 4. §. 5.* Diana *dict. 3. part. tract. 14. resolut. 32.* Bonacina *dict. punct. 7. n. 8.*

68 Sed contrarium tenendum ex verbis D. Gregorii: *Nullus omninò prætermittatur dies, quo pro absolutione Hostia salutaris non offeratur.* Quæ verba denotant præcisè continuationem, præsertim per dictionem *omnino*, quæ habet vim clausulæ irritantis. Marescotus *variar. lib. 2. c. 29. n. 11.* Barbosa *dict. 240. num. 15.* estque etiam dictio præcisa, ita ut aliter factum non valeat. Gratianus *disc. c. 174. n. 20.* quare Missæ istæ ex ordine præscripto à Divo Gregorio debent esse continuæ. Cæterùm nulla est superstitio in hac continuatione, quia solùm fit ad elevandum Sacrificium ad majorem æstimationem; nam pluris habentur quæ continuè fiunt, quàm si cum interruptione; & denique ob hanc causam semper observatur honestas. Tambur. *dict. cap. 6. §. 7. num. 5.* Garcia *d. diff. 11. dub. 4. n. 17.* Pasqual. *q. 294.* qui excipiunt tres dies majoris hebdomadæ, in quibus non solet celebrari.

69 An verò debeant celebrari ab eodem Sacerdote, non satis est discussum. Garcia *dict. dub. 4. num. 18.* asserit non esse necessarium, quin potiùs dissonum non videri, si una die à triginta Sacerdotibus celebrarentur. Tamburinus *dict. §. 7. n. 4.* sed Pasqualigius *q. 295. à num. 1.* contrarium deducit ex verbis D. Gregorii, sed non efficaciter, itaque amplecti valet prima sententia.

CAPUT VI.

Alia ad hæc legata Missarum concernentia.

SUMMARIUM.

Legatum Missarum ante aditionem hæreditatis est exequendum, à n. 1. etiamsi exequutor testamenti non sit, num. 3. quod extendunt aliqui ad Missas annuas, n. 4. Sed explicatur, num. 5.

An quando legatum Missarum relinquitur certo die præstandum, & si non solvatur, hæres quid præstet, an usura sit, necne? Affirmant aliqui, n. 6. sed contrarium defenditur, & explicatur à n. 7.

Legatum Missarum non admittit diminutionem, si sint dicendæ pro unica vice; idem si sint annuæ, & respectu ad alia legata pia, à n. 10.

Si testator legavit centum aureos pro dicendis centum Missis, qua tunc temporis erat illarum taxa, & postea taxa crescat, an hæres teneatur supplere? Aliqui distinguunt, à nu. 13. alteri absolute tenent debere supplere, num. 15. explicatur à num. 16.

Si fundus, aut loca montium legarentur ad tot Missas dicendas, & deficiat quantitas, an hæres teneatur supplere? Aliqui negant, n. 18. sed bene distinguitur, n. 19.

Quid quando testator legavit speciem pecuniæ ad Missas dicendas, quisnam valor sit attendendus, an tempore testamenti, an solutionis, distinguitur, & explicatur à num. 20.

Si testator relinquit quingentos regales ad Missas dicendas, & dicat quod solvantur in moneta aurea, seu argentea, solvendi sunt secundum valorem tempore solutionis currentem, num. 24.

Sed an possit solvere illam quantitatem in pecunia erosa? aliqui affirmant, n. 25. sed contrarium defenditur, à num. 26. & quid de jure Regio, n. 28.

Si testator dicat, Lego centum pro Missis, *an intelligatur legatum speciei, aut quantitatis, num. 30. & 31. proponitur singularis casus, num. 32. resolvitur, à n. 33. usque ad num. 39.*

Quando legatum Missarum dirigatur in Ecclesiam, aut in personas, ex verbis testatoris cognoscitur, num. 40. unde cognoscatur, an ad omnes de Ecclesia, aut ad aliquos pertineat, à n. 41.

Si testator relinquat mille Missas distribuendas, nec assignet Ecclesiam, aut Clericos, distribuendæ sunt in Ecclesia ubi sepelitur, n. 44. explicatur ibi, & n. 45. & inter Clericos illius oppidi, ut n. 46.

Legatum Missarum an sit solvendum ab hærede proprietario, an ab usufructuario, num. 47. explicatur, à num. 48.

An usufructuarius particularis teneatur solvere annuum legatum Missarum, disceptatur à num. 50. resolvitur, à num. 53. ast creditor Missarum potest petere adversus eum, num. 54.

Legatum Missarum præscribitur, num. 55. sed quomodo id fiat, à num. 56. contra præscriptionem restituitur causa pia, num. 71.

1 Legata Missarum non indigere aditione hæreditatis ad eorum valorem, dictum est suprà: verùm hic quæramus, an à morte testatoris peti valeant absque aliqua aditione hæredis? & *lib. 1. cap. 12. à n. 4.* scripsimus legata pia posse peti ante aditam hæreditatem, unde consequenter asserendum est, peti posse legatum Missarum, quia pientissimum est. Leon *de offic. Capell. quæst. 5. sect. 25. à num. 341.* Pasqual. *q. 984.*

2 Sed ut ibidem diximus *n. 6.* distinctio facienda est quando legatum pium patitur dilationem, necne: quamobrem hanc doctrinam considerando, dico legatum Missarum manualium, quæ pro unica vice dicendæ sunt, statim peti posse, nulla expectata dilatione à morte testatoris; nam ut benè considerat Leon *dict. sect. 25. n. 348.* dilatio Missarum vergit in gravissimum præjudicium animæ defuncti fortè in Purgatorio cruciatæ; idcircò statim à morte testatoris possunt hæc legata Missarum manualium peti, non expectata aliqua aditione hæreditatis; illud enim in jure scitum est, ut legatum quod non patitur dilationem, statim peti valeat. Menochius *de recuperand. remed. 2. n. 62.* Salgado *de Reg. protect. 3. part. c. 1. n. 61.* tum legatum Missarum istarum expensa funeris dicitur, ut cum Gamma, & Vivio tradit Hodierna *in Addit. ad Puteum, decis. 112.* quæ quidem statim peti valet, non expectato hærede.

3 Quod intelligas sive exequutor adsit testamenti, sive non; nam judicis officio implorato peti valet, ne damnum animæ defuncti inferatur, *l. Hæreditas 63. ff. de petit. hæred.* quapropter judex citatis interesse habentibus, & constando hæreditatem esse solvendo, Missarum solutionem faciet, sive Sæcularis, sive Ecclesiasticus sit. Paz *in praxi, tom. 3. c. 5. §. 4. n. 49.* Valenzuela *cons. 10. n. 11.* Pasqual. *d. quæst. 984. num. 3.*

4 In Missis verò annuis, quæ Anniversaria dicuntur, aut in aliis ex certo die dicendis, dilationem habentibus, adhuc similite, dicendum asseruit Leon *d. sect. 25. n. 352.* nam aut debetur pecunia, & statim peti potest, ut in re fructifera collocetur; aut certum corpus, cujus fructus sunt destinati ad annuas Missas dicendas: & istius est necessaria petitio, ut reddi-

redditus, & fructus illius ad opus pium statim pertineant. Franch. *decis*.634. Giurba *decis*.97. *n*.18.

5 Verùm in hac specie certum est, similia legata à morte testatoris deberi. Pasqualigius *q*.983. *n*.4. *& nu*. 9. sed non est tam necessaria exequutio, ut desideratur in Missis pro unica vice dicendis: quare judex poterit observare praxim communem, ut observatur in aliis debitis, nempe ut requirantur hæredes, an velint adire hæreditatem, necne, intra tres dies, quibus elapsis, si non comparuerint, à petente incutitur contumacia, & alii tres dies noviter designantur, quibus transactis, & contumacia incusata, alii tres à Judice assignantur pro termino peremptorio, & si adhuc hæredes contumaces fuerint, hæreditas pro acceptata habetur, aut repudiata, & executio statim petitur, *l. Scimus*, §. *Sin autem*, *C. de jur. delib.* juncta Gloss. *verb. Deliberationem*, Mant. *de conject. lib*.12. *tit*.13. *à princ*. Matienzo *in l*.1. *tit*.4. *lib*.5. *Recopil. glos*. 14. *n*.30. Cevallos *com. q*.103. *n*.17. Paz *in praxi*, 1. *par. tom*. 1. *temp*.2. *n*.50. quod idem poterit judex observare in his legatis Missarum, quæ dilationem admittunt, nec celerem executionem petunt, ut alia legata Missarum unica vice dicendarum.

6 Potest verò testator disponere, ne legatum Missarum usque ad certum diem solvatur, idque erit observandum: sed est dubium, an legans possit apponere conditionem, quod quamdiu hæres non solvat, certum quid præstet, aut annuam præstationem? Et asserendum videtur, minimè legatum istud Missarum valere, utpotè usurarium, *ex l*.3. §. *ult. ff. de annuis legat.* ubi simile legatum dicitur valere, si præstetur usura, quatenus probabilem modum non excedat; qui quidem textus quando erat usura permissa, sustinebatur; secus hodie, quia prohibita, *cap. Super eo* 4. *de usuris*, *cap. unic. eod. tit. in* 6. Quamobrem cùm simile legatum usuram continear, non sustinebitur. Ratione probatur, nam tunc illud quod percipitur, est ob dilatam solutionem, sed quidquid ob hanc causam recipitur, usura est, ut cum multis tradit R.P. de Moya *tom*.1. *select. tract*.6. *disp*. 4. *quæst*. 6. §. 2. Villalobos *in Summa*, 2. *part. tract*.22. *difficult*.4. *n*.12. Layman *in Summa*, *lib*.3. *tract*.4. *cap*. 16. *num*. 7. *versic. Objicies* 4. de Lugo *de justit. disp*.25. *sect*. 3. Ergo legatum illud Missarum, ut usurarium nequit sustineri. Alexand. *lib*.5. *cons*. 74. *num*. 14. *col*.3. *in fin*. Mandosius *ad Roman. cons*. 510. *nu*. 14. Menoch. *cons*. 441. *n*.18. Covarruv. *lib*.3. *var. c*.1. *num*.8. *vers. Postremo illud*,

7 Sed contrarium dicendum est, scillicet hoc legatum Missarum validum esse, & interim dum non solvitur, præstandam esse pensionem, aut aliquid certum à testatore designatum; nam duobus modis valet testator simile legatum relinquere, aut disponendo illud dare ob dilatam solutionem, & in hoc casu certius credo non sustineri legatum, non quia verè & realiter committatur usura, si aliquid percipiatur ob dilationem solutionis, si magna sit; nam de natura mutui, licèt sit ut speretur pro mutuo, non tamen dilatio longa, & per multum temporis spatium: quapropter si apponatur, pretio æstimabilis est, ob cujus rationem aliquid peti valet, & illud percipere non est usura, quo in sensu intelligendi sunt DD. Thomistæ, asserentes ob dilationem solutionis non esse usuram aliquid ultra mutuum recipere. Ledesma *in Summa*, 2. *part. tr*.8. *cap*. 33. *conclus*. 4. Velasco *resolut. Moral. tom*.2. *verb. Usura*, *resol*.455. *n*.1. Celestin. *in compend. Theol. Mor. tract*.11. *cap*. 5. Diana 1. *part. tract*. 8. *resolut*.48.

8 Sed quia in praxi periculosa est illa doctrina, & ansam præbet palliandi usuras, & illudendi usurarum interdictum, ut benè expendit Molina *de justit. tract*.2. *disp*.308. *num*. 10. idcircò legatum illud non sustinebitur, si hac consideratione factum fuerit à testatore, ut ob dilatam solutionem præstaretur.

9 Aliter poterit testator id jobere, ut in potestate hæredis sit legatum Missarum non sulvere, dum præstet illam quantitatem certam, ut statim aliquæ Missæ dicantur, aut præstet pensionem annuam, ut legatum Missarum adimpleatur: & in hoc casu nulla usura committitur, ut censuit Rota 2. *p. rec. decis*.773. *n*.6. & apud Cavalerium *decis*. 591. Covarruv. *d. lib*.3. *c*.1. *n*.8. *in fin*. Quod idem dicendum est si pœnæ nomine apponeretur, ut benè Gratianus *Discept. Forens. c*. 33. *n*.37. Villalobos *d. tract*.22. *difficult*.9. *n*.1. de Lugo *de justit. disp*.22. *sect*.15. *& disput*.25. *sect*.6. §.2. unde colligitur, tale legatum sustinendum esse, quoties ultra illud aliquid præstari jubetur, ut Missæ dicantur, aut pro pœna non solvendi.

Leon *de offic. Capel. q*.5. *sect*.9. *n*.136. Pasqual. *q*.1007. Thoro *in Sum. privil*. 61.

Sed quid quando ultra vires hæreditatis testator multa reliquerit legata, & inter ea legatum Missarum, an pro rata diminutionem sustineat? In legatis piis hanc disquisitionem fecimus *lib*.1. *cap*.12. *à n*.34. Hic verò singulariter agendum est de legatis Missarum, itaque in primis agemus de legato Missarum unica vice dicendarum: qua in re asserendum est, minimè diminutionem admittere, licèt alia legata pro rata minuantur; nam credendum non est, voluisse testatorem ea legata, quæ immediatè pertinent ad suffragium suæ animæ, diminutionem pati; non enim conjectura capienda in detrimentum animæ legantis, *cap. Præcipimus* 12. *quæst*.1. *l. Sancimus* 17. *Cod. de Sacros. Eccles*. Roman. *in l. Si mulier*, *ff. solut. matrim. num*.7. ergo legatum Missarum pro unica vice dicendarum, respectu aliorum legatariorum nequit minui. Leon *de offic. Capel. quæst*. 5. *sect*. 7. *per tot*. Larrea *decis. Granat*. 61. *num*. 44. D. Olea *de cess. tit*. 4. *quæst*. 5. *num*. 20. Rubeus *pract. c*.66. *num*. 205. Pasqual. *quæst*. 1006. *à num*. 1. 10

In legatis Missarum quotannis dicendarum major est difficultas; nam in ipsis tam urgens necessitas non est, ut pro rata non diminuantur, sicut cætera legata: tenet Leon *dict. sect*.7. *à n*.86. Ast contrarium teneo cum Pasqual. *ubi sup. nu*. 4. quia Missæ etiam annuæ immediatè respiciunt commodum, & suffragium animæ legantis, & ita eadem conjectura facta in legato Missarum pro unica vice celebrandarum, militat pro legato annuo Missarum. Cæterùm DD. asserentes omnia legata pro rata debere minui, capiunt fundamentum ab æquali affectione ad omnes legatarius: at in legatis Missarum annuatim dicendarum, non consideratur æqualis affectio, quia tendunt ad charitatem propriam, quæ major est quàm legatariorum. Itaque Tulchus rectè scripsit *lit. C*, *conclus*. 220. quod *ex ordinata charitate magis qui se amet in ungue pedis*, *quam alium in vertice capitis*, *cap. Si non licet*, 23. *q*.5. Duenas *regul*. 33. Flamin. *de resign. lib*.9. *quæst*.17. *num*.117. Ergo similia legata minimè minui debent. 11

Quod non solùm teneas comparatione legatorum prosanorum, sed etiam piorum; legatum enim Missarum etiam annuarum diminutionem non admittit. Pasqualig. *d. quæst*. 1006. *num*. 4. quia comparatione aliorum legatorum piorum, Missarum legatum est magis proficuum animæ testatoris; unde præsumendum est, velle integrè persolvi, etiamsi alia adsint legata pia. Præterea hoc legatum immediatè respicit bonum defuncti, alia verò, licèt pia, mediatè, & immediatè causam illam cui legatur: Ergo comparatione aliorum legatorum piorum nihil de hoc legato detrahitur, sed integrè debet persolvi. Denique in concursu personalium actionum, omnes ad tributum perveniunt, nisi quis habuerit causam favorabilem, *l. Privilegia*, *ff. de privil. cred*. Bart. *in l*.1. *C. de privil. dot. n*.4. Riccius 1. *part. decis*. 221. *n*.1. Rodriguez *de concurs*. 2. *part. art*.3. *n*. 1. Cùm ergo legatum Missarum sit magis privilegiatum quàm alia pia legata, comparatione istorum minimè diminutionem percipiet. 12

Præterea si testator legavit centum aureos pro dicendis centum Missis, quarum erat illo tempore taxatum stipendium, ast postea illo currente majus taxetur, quæritur an hæres teneatur illud supplere, an verò diminutio Missarum facienda? Hæc disquisitio fit si hæreditas est sufficiens ad illam majorem stipem solvendam, aliàs verò Missarum reductio fiet: & videtur minimè hæredem ad supplementum teneri, quia in dubio facienda est interpretatio prò hærede contra legatarium, *l. Apud Julianum* 40. aliàs *leg. Cum servus* 39. §. *Seio* 6. *ff. de legat*.1. tum etiam ut quominus hæres gravetur, *l. Unum ex familia* 67. §. *Si non* 8. *ff. de legatis* 2. Giurba *decis*.28. *n*.4. *&* 5. Ergo in præsentiarum non est gravandus hæres, ut suppleat novum stipendium Missarum, sed diminuentur Missæ. 13

Sed aliqui Doctorum distingunt quando pecunia apposita est legato demonstrationis causa, ita ut constet principaliter testatorem intendisse Missas: tunc enim hæres tenetur ad supplendum stipendium, secus verò si apposita fuerit pecunia taxativè, quia tunc principalis intentio fuit, ut tantùm illa pecunia Missis dicendis expenderetur, ut in legato pio tenent Gratianus *Discept. Forens. cap*.256. *n*.1. Moneta *de commut. ult. volunt. cap*.5. *num*.271. Perez de Lara *de Anniversar. lib*.1. *c*.15. *n. fin*. & in terminis tradit Marchinus *de Sacrif. Missæ*, *tract*.3. 2. *part. c*.22. *à n*.2. 14

Sed

15 Sed in hoc dubio alteri absolutè tenent, si hæreditas sit sufficiens, teneri hæredem supplere novum majus stipendium; nam in dubio semper intelligitur principaliter testatorem intendisse numerum Missarum, signanter ab eo expressum, & pecuniæ quantitatem demonstrationis causa apposuisse: & confirmatur, nam numerus Missarum consideratur ut causa finalis, quæ induxit testatorem ad faciendum legatum. Baldus *in l. Si repetundi, C. de condict. ob causam*, *n.*3. quare illa pecunia apposita fuit tanquam medium ad consequendum illum finem: ergo censebitur causa demonstrationis fuisse designatam, & consequenter tenebitur hæres ad supplendum novum stipendium. Riccius *in praxi* 3. *par. resol.*364. *n.*3. Barbosa *de offic. Episcop.* 2. *part. allegat.*29. *num.*7. Tambur. *in Method. celebr. Miss. lib.*3. *cap.*1. §.3. *n.*83. Diana 3. *part. tract.*14. *resol.*17. Pasq. q.1023. *à n.*4. Tondut. 2. *part. qq. benefic. cap.*162. *à num.*5.

16 Hanc sententiam amplector absque dubio in Missis pro una vice dicendis, in quibus facilè cognoscitur pecuniam relictam correspondentem stipendio, demonstrationis causa appositam fuisse, principaliterque intendisse Missas ad suæ animæ suffragium. In Missis verò annuatim dicendis major est difficultas; nam revera noluit hæredem gravare, nisi in pecunia illa correspondente taxæ Missarum illius temporis: ergo non tenebitur ad majus stipendium de novo taxatum; esset enim gravissimum onus per tot annos sequentes majus stipendium solvere. Sed adhuc etiam in Missis perpetuis dicendum, solvere teneri excessum stipendii, nisi constiterit taxativè illam quantitatem designasse fundatorem, quia advertit Pasqualig. *dict. quæst.*1023. *num.*7. regulam illam asserentem, præsumendum noluisse gravare hæredem, tantùm habere locum quando legatarius est persona minus dilecta; cùm verò anima testatoris ex ordine charitatis sit magis dilecta quàm hæres, inde est ut præsumatur semper voluisse magis hæredem gravare, etiam in majori quantitate, quàm si deficiat suffragium animæ illius: tum quia fundamenta posita *num.*15. similiter probant in Missis perpetuis.

17 Illud verò breviter notes ex Tambur. *dict.* §.3. *num.* 85. quod si testator intra certum tempus Missas dicere præceperit, & hæres intra illud non exequatur, adhuc teneatur adimplere, & ratione damni supplere quidquid fuerit necessarium ad illas celebrandas.

18 Quid verò dicendum si fundus, aut loca montium legarentur ad Missas dicendas, & fundus, aut locus non sit quantitatis, quam designavit testator, an supplenda sit quantitas ab hærede: Et aliqui asserunt, non esse supplendam, quia tunc fundus, aut loca montium designata sunt taxativè, *l. Si servus* 108. §. *Quicumque* 10. *ff. de legat.*1. ubi quis legavit quinque, *quæ in arca habeo*, & amplius non debetur. Menoch. *cons.*1162. *num.*16. & 17. Mantic. *conject. lib.*9. *tit.*3. *num.*20. Gigas *de pens. quæst.*62. *n.*3. Quod idem dicendum est in legatis Missarum, dum taxativè à testatore designatus est fundus, aut loca montium, ut cum Gratiano notat Marchin. *d. cap.*22. *num.*8.

19 Sed meliùs Pasqual. *quæst.*1025. *num.* 3. scripsit supplendum esse ab hæredibus, si testator designavit numerum Missarum, secus si non; quia tunc intentio est, ut numerus ille Missarum dicatur: quare si fundus, aut locus montium ad solutionem destinatus, non sufficiat, supplendum erit ab hæredibus, idque clariùs si existimabat testator majoris esse quantitatis, quia ejus voluntas fuit amplius legare, quàm erat in fundo. Idem dicendum si nihil expresserit, & ipse fundus, aut loca montium fuissent per se minora ad adimplendum numerum Missarum, ut benè exprimit ipse Pasqual. qui *num.*7. infert, quod si aliquod creditum fuerit legatum ad Missas dicendas certo numero determinato, & creditum non subsistat, teneri hæredes ex corpore hæreditatis dicere numerum Missarum.

20 Quid verò dices quando testator certam speciem pecuniæ legaverit ad dicendas Missas, veluti auri scuta, aut argenteos regales, & valor pecuniæ varietur, quisnam valor sit attendendus ad solutionem faciendam? Et aliqui dixerunt attendendum ad valorem quem habebant tempore testamenti; nam sicut in contractibus attenditur tempus obligationis, similiter in ultimis voluntatibus. Oldrad. *cons.*13. Afflictis *cons.*194. *ad fin.* Leon *de offic. Capel. qu.*5. *sect.*26. *num.*362.

21 Sed in hoc dubio distinctio facienda est, quando variatur valor pecuniæ intrinsecè, aut extrinsecè. Si enim varietur intrinsecus, necessariò solvenda est illa species pecuniæ, quæ aderat tempore testamenti, ejusdem bonitatis, & valoris; & si hæres voluerit in monetis novis non ejusdem bonitatis solutionem facere, id fieri poterit ad valorem monetæ antiquæ currentis tempore testamenti, ut cum aliquibus decidit Cenc. *de censib. quæst.*85. *nu.*11. Marescot. *variar. lib.*1. *cap.*94. *à num.*7. de Lugo *Respons. Moral. lib.*6. *dub.*12. *num.*7.

Si autem extrinsecè mutetur valor, vel ob usum homi- 22
num, aut Principis Edictum, res expedita non est; nostra enim tempestate, in qua tanta est variatio pecuniæ quoad valorem extrinsecum, plura scripsere nostrates. Noguer. *allegat.*2. Amaya *in leg. unic. C. de collat. æris, lib.*10. Valenz. *cons.* 30. Larrea *decis. Granat.* 21. & 22. Salgado *in Labyr.* 2. *part. cap.*8. Tendut. *qq. civil.* 1. *part. cap.*2. Molina de Guzman *de verit. jur. ver.*12. In re distinctio facienda est, quando testator respexit ad speciem, aut quando ad valorem, & tantùm speciem demonstrationis causa apposuit. Primo enim casu valor attendendus est tempore solutionis, species enim illius monetæ debetur; quapropter si varietur valor extrinsecus, ille debetur, quem valet species monetæ, quæ realiter erat solvenda tempore quo solvitur: & ratio est, nam valor speciei non debetur ex vi legati, sed species, unde si conveniant hæres & legatarius in solvendo valore, jam adest novus contractus, & æstimanda est species monetæ ad valorem pretii currentis tempore solutionis, quia tunc agitur ille novus contractus. Bart. *in l. Paulus* 99. *ff. de solut. num.*6. Surdus *decis.*220. *num.*3. Gratian. *discept. forens. cap.*417. *num.*2. Marescot. *d. lib.*1. *cap.*94. *à num.*1. & in Missis Pasqual. *quæst.*1016. *num.* 5.

In secundo casu, quando testator attendit ad valorem, & 23
speciem monetæ aureæ, aut argenteæ ponit demonstrationis causa, attendendus est valor pecuniæ tempore testamenti, in quo est relictum legatum; nam tunc non est hæres debitor speciei, sed quantitatis, & testator prospexit ad valorem monetæ, tanquam mensuram ad determinandam quantitatem legati, & consequenter respexit ad valorem currentem tempore testamenti. Leon *dict. sect.*26. *n.*363. Pasqual. *d. quæst.*1016. *num.*4.

Aliter poterit etiam testator legare, ut si dicat quod 24
quingentos regales relinquit pro Missis dicendis, & quod solvantur in moneta aurea, vel argentea; si enim postea crescat, aut decrescat similis moneta, dubitari poterit, an sit solvenda ad valorem currentem tempore testamenti? Et in hoc casu existimo testatorem non assumpsisse monetam auream, aut argenteam, tanquam mensuram ad demonstrandam quantitatem legati, sed tantùm ad faciendam solutionem. Itaque moneta aurea, seu argentea æstimabitur ad valorem, quem habet tempore solutionis; nam hæres est tantùm debitor quantitatis solvendæ in illa moneta aurea, seu argentea, *l. Quotiescumque, C. de suscept. lib.*10. Gutierrez *pract. lib.*2. *quæst.*179.

Quæres an in prædicto casu hæres possit solvere illam 25
quantitatem quingentorum regalium in pecunia ærosa? Et affirmandum videtur; nam, ut supponimus, hæres est debitor quingentorum regalium in ratione quantitatis, quam ut solvat, sufficit quælibet moneta, sive ærosa, sive minuta, dummodo à Principe fuerit approbata; alias si aliquis eam accipere renuerit, punietur, *l.*1. *C. de vet. num. probat. lib.*11. Cæterùm licèt quis sit debitor monetæ aureæ, vel argenteæ, potest solvere monetam ærosam, vel minutam, *l.*1. *C. de coll. ær. leg. unic. C. de argent. Prat. quod thes. infert. lib.*10. Thesaur. *de augm. monet.* 1. *part. num.*18. Surd. *cons.* 368. *num.*18. & textus Regius *in lib.*6. *tit.*14. *lib.*6. *Recopil.* Ergo sufficienter adimplebit hæres dando pecuniam ærosam, seu minutam, licèt jussum fuerit à testatore, ut solvatur in pecunia aurea, vel argentea. Denique ratione probatur; nam pecunia non consideratur ratione materiæ, sed valoris: quare ad solutionem omnes pecuniæ, sive aureæ, argenteæ, vel ærosæ idem existimantur, *l.*1. *ff. de contrah. empt.* Covarruv. *de vet. numism. collat. cap.*7. *num.*1. Pinell. *in rubr. C. de rescind. vendit.* 1. *part. cap.*3. *num.*7. Salgado 2. *part. Labyrint. cap.*8. *num.*40. Ergo hæres hoc legatum Missarum rectè in pecunia ærosa, aut minuta persolvet, licèt testator jusserit solutionem facere in argentea, vel aurea, ex traditis à Valenzuela *dict. cons.*30. *à num.*27. Guzman *d. verit.* 12. *à num.*5. Carranza *de monet.* 4. *part. cap.*1. §.7. Larrea *decis.*21. Salgado *d. cap.*8. *num.*48.

Hæc enim fundamenta solida non sunt de jure communi 26
loquen-

loquendo; possunt enim probabiliter admitti, quando nullum incommodum sequeretur creditori, *ex l.99. ff. de solut.* solvendo aliud pro alio: verùm in solutione pecuniæ ærosæ pro aurea, aut argentea, semper gravissimum incommodum sequitur creditori; nam ærosæ, vel minutæ monetæ parvipenduntur, & tanquam viles æstimantur ratione commercii, & transportationis: quapropter admitto doctrinam aliorum Doctorum asserentium debitorem pecuniæ aureæ, vel argenteæ non posse solvere in minutis, aut nummis ærosis. Bart. *in d. l.99. n.4.* Cujac. *in l.59. ff. de verb. signific.* Asinius *de execut. §.7. quæst.* 128. Noguerol. *d. alleg.2. n.34.* Castillo *controv. lib.4. cap.10. n.42.* Gnaman *de evict. quæst.22. num.12.*

27 Idcircò dico, hæredem non posse solvere legatum Missarum in pecunia ærosa, aut minuta, sed in pecunia aurea, vel argentea, prout jussum fuerit à testatore; quia qualibet obligatio solvendi in illa pecunia determinata licita est, & debet adimpleri. Guzman *de evict. d. quæst.22. à num.12.* Carranza *dict. 4. part. cap.1. §.7.* Noguer. *d. alleg.2. n.35.* Basil. Pont. *relect.1. de monet. 2. part. vers. Sed explicatur.* Ergo cùm hæres sit obligatus solvere legatum Missarum in pecunia aurea, seu argentea, præcisè ad id tenebitur, nec adimplebit solvendo in ærosa, vel minuta.

28 De jure nostro Regio est textus *in l.19. tit.21. lib.5. Recop.* decernens, quod si quis obligatus fuerit ad solvendum in pecunia aurea, vel argentea, adhuc possit solvere in ærosa, dummodo pro æstimatione solvat decem pro quolibet centum: quod sic practicari asseruit Amaya *in d. l. unic. C. de collat. ær. num.33.* Verùm hodie, quando tam vilis pecunia ærosa adest, & tanta est illius copia ab alienigenis introducta, ut totum Castellæ aurum, & argentum capilent, majus cambium percipitur. Salgad. *d. cap.8. num.67.* In hac re nihil certum dicere valemus, qui ferè nullam pecuniam tractamus.

29 Si tamen aliquando eveniat, ut legatum Missarum in auro, & argento persolvendum, ad ærosam pecuniam trahatur, pro æstimatione moderatissimum cambium petendum est; debemus enim Ecclesiastici, in quantum potuerimus, avaritiam effugere, nec avidiores esse debemus, nisi ad salvandas animas, & quidquid nobis conceditur, cum benignitate, & mediocritate percipere, *cap. Ex parte* 18. *de censib.* Rubeus *in prælud. pract. num.220. & 535.*

30 Deinde disquiramus, an si testator dicat, *Lego centum pro Missis*, intelligatur legatum quantitatis, seu speciei? Et in hoc dubio aliquas regulas apponunt DD. ad cognoscendum, an sit legatum quantitatis, seu speciei, de quibus Maxent. *decis. Lucensi* 63. Leon *de offic. Capel. dict. quæst.5. sect.26. num.356.* quæ quidem non satisfaciunt. Pasqualig. *quæst.* 1013. *num.2.* Verùm ad rem cum eodem Leon. *num.357.* & Pasqual. *num.3.*

31 Distinctio facienda est, quando legatum Missarum est pro unica vice dicendarum, in quo quidem casu est quantitatis; si verò est perpetuum, est speciei, id est bonorum stabilium. Ratio primæ partis est, nam illa est communis consuetudo, ut legatum Missarum manualium pro unica vice celebrandarum statim in pecunia numerata solvatur, quod est quantitatis: itaque à consuetudine ista recta sumitur interpretatio. Bart. *in l. Divortio, §. Ob donationes, ff. solut. matrim. num.3.* Afflict. *decis.90. n.2.* Valena. *cons.30. n.37.* Ratio ad secundam, quia illa est optima conjectura, quæ sumitur à natura actus, qui geritur. Mantic. *de conject. lib.9. tit.14. num.13.* Giurb. *cons.281. in fin.* Cùm ergo hæ fundationes perpetuæ Missarum requirant bona stabilia ad earum durationem, inde est ut illa centum intelligantur de bonis stabilibus, & consequenter legatum illud est speciei.

32 Est etiam alius casus non prætermittendus. Testator jussit ut infrascriptus hæres per annos 60. Missas sexaginta celebraret in tali Ecclesia, si verò per tres annos continuos id omiserit, legabit tali Confraternitati ducenta scuta, ut id faciat in perpetuum: postea Titium hæredem scripsit, defuncto Titio tres fuere hæredes; & licèt Titius tempore quo vixit, Missas celebrare non omiserit, unus suorum hæredum negligens fuit in observantia talis legati Missarum: quæritur an Confraternitas ducenta scuta petere possit, & insimul obligatio Missarum ad hæredes transierit?

33 In hoc dubio in primis assero testatorem rectè potuisse pœnam illam imponere, si Titius legatum Missarum non adimplevisset, ut diximus suprà, *num.9.* Similiter asserendum est, legatum Missarum ad hæredes Titii transisse ea obligatione, ut per sexaginta annos adimpleant, tanquam onus hæreditatis legantis, & insimul teneri pro rata hæreditatis adimplere, ut alia debita ipsius testatoris, *ex l.2. C. de hæredit. act. l.2. §. Incertam, ff. de Præt. stipulat.* Sanch. *in Sum. lib.4. cap.15. num.4.* Verùm quia hoc legatum est pium, hæredes insolidum teneri certius credo, ut latè explicabimus *lib.4.* cùm de alimentis pauperibus erogandis agemus.

Adest verò dubium, an hæredes Titii, si unus, aut tres omnes per triennium Missas omiserint, teneantur ducenta scuta Confraternitati præstare? Doctissimus de Lugo *R. M. lib.6. dub.13.* scripsit minimè hanc pœnam deberi, nisi à Titio hærede scripto, non verò transire ad suos hæredes; nam ex eo quod pœnam illam designavit Titio hæredi scripto, ipsum solum obligare voluit ad ipsam pœnam; non verò illius hæredes: & confirmatur, nam dictio illa, *Infrascriptus*, tantùm denotat hæredem contentum in ipso testamento. Tuschus *lit. D, conclus.260. num.5.* & restringit verba præcedentia ad personas nominatas in institutione, aut substitutione, taliter ut restringat dispositionem ad subsequentia. Menoch. *cons.347. num.7.* Barbosa *dict.162. num.3.* & ideò pœna illa adstringit Titium hæredem scriptum, non verò illius hæredes, taliter ut si Missas omiserint, ad talem pœnam persolvendam non obligentur. Gratian. *Discept. For. 1. tom. cap.131. à num.4.* 34

Sed doctissimus Cardinalis duobus modis est considerandus: in primis in specie; de qua loquitur, scilicet quando unus hæres Titii Missas, quæ pro rata ei competunt, omiserit, verùm alii duo adimpleverint: quo casu valet admitti ejus sententia, ut ipse hæres teneatur tantùm ad celebrandas tot Missas, quot omiserit, nec teneatur ad pœnam solvendi ducenta scuta Confraternitati; nam pœna erat relicta casu quo omnes Missas à testatore designatas hæres omiserit, non verò quando pars tantùm earum omitteretur; itaque pœnæ illi non est locus: & est ratio, nam pœna non extenditur, nisi ad casus expressos, quia præcisè est restringenda, *l. Factum cuique 155. §. In pœnalibus, ff. de regul. jur.* ubi Decius *num.6. & 9.* Paz *cons.8. num.22.* Dueñas *regul.* 287. Farin. *in fragm. crim. lit. E, num.144.* Cùm ergo casus, quando pars Missarum defecerit, omissus fuerit à testatore, pœna non committitur: committetur tantùm quando per tres annos omnes Missæ omitterentur, prout expressit testator. 35

Verùm in specie aliter teneo, nempe illum Titii hæredem ad partem pœnæ pro rata obligari ad dandum Confraternitati: & ratio est, nam ut agnoscit de Lugo *d. dub.13. num.2.* hæc obligatio celebrandi Missas sexaginta dividua est, & pro rata competit unicuique hæredi: ast quoties apponitur pœna obligationi dividuæ, pro parte committitur, ita ut pro qua non adimpleatur, tantùm pœna pro rata debeatur, *argum. l. Si servus 9. §.1. ff. si quis caut.* D. Gonzalez *in cap. Suam 9. de pœn. num.1. ad med.* Velasc. *consult.86. num.2. in fin.* Barbosa *in d. cap. Suam, num.2.* Ergo in præsentiarum tenebitur hæres ad partem pro rata ducentorum scutorum dandam Confraternitati. 36

Aliter verò contemplandus est Cardin. de Lugo, scilicet quando omnes hæredes Titii per triennium Missas omiserint: & ea fundamento illius asserendum videtur, minimè pœnam committi, quia tantùm imposita erat Titio hæredi instituto in testamento Missas legantis. Sed contrarium admitto, nempe pœnam non solùm Titium afficere, verùm etiam hæredes illius, quia in hac specie dictio, *infrascriptus hæres*, non ponitur præcisè ad effectum pœnæ, sed ad denotandam personam Titii, quam hæredem instituebat, & successorem in suis bonis: quapropter vis dictionis extenditur ad denotandum illum hæredem, & non alium; non verò ut nullus, nisi ille, teneatur ad pœnam. Cæterùm licèt demus illam dictionem immediatè respicere ad pœnam, nequit tamen in hoc casu solum Titium afficere; nam pœna ista apposita fuit ut obligatio dicendi Missas effectum haberet, itaque ad quaslibet personas transit pœna, ad quas transit obligatio; idque tacitè intelligendum est voluisse testatorem. Alea. *lib.5. cons.173. n.9.* Tuschus *lit. D, concl. 266. num.13.* Quapropter pœna non solùm intelligitur in persona Titii, sed etiam in aliis, ad quos transeat obligatio dicendi Missas à testatore designatas, ut in præsenti. 37

Cæterùm hanc obligationem, & pœnam imposuit hæredi infrascripto: nomine autem hæredis, non solùm intelligitur 38

gitur hæres, sed hæredes hæredum, *l. Hæredis appellatione* 170. *l. Sciendum* 70. *ff. de verb. signif.* Mant. *lib.8. tit.* 14. *num.*21. Fusar. *de subst. quæst.*343. *num.*4. latè Mar. Anton. *lib.2. resol.*52. *per tot.* ergo pœna ista non solùm ad Titium hæredem institutum pertinebit, sed etiam ad ejus hæredes. Denique interpretatio facienda est ad favorem causæ piæ, nempe ad favorem Missarum, & Confraternitatis, etiamsi hæres gravetur, ut dictum est. Quapropter intelligendum non solùm obligationem dicendi Missas voluisse testatorem simul cum hæreditate transire ad hæredes Titii, sed etiam pœnam; unde non subsistit ratio de Lugo *dict. dub.* 13. *num.*6.

39 Sed dices cum ipso Cardinali, si Titius gravatus fuerit à testatore, ut iret ejus nomine ad Domum Lauretti, vel nisi iret, solveret centum Xenodochio, tunc mortuo Titio hæredes non tenentur ire ad Lauretum, quia est obligatio personalis: ergo cùm hæc pœna sit personalis ipsius Titii, ad hæredes non transit. Sed respondemus negando suppositum; nam ut probatum est, pœna ista non est personalis Titii hæredis instituti, sed adjuncta est obligationi dicendi Missas; & ita sicut ista transit ad hæredes, similiter pœna.

40 Insuper in hoc legato Missarum disquiramus, an dirigatur in Ecclesiam, aut in personas ad illas dicendas? Et hoc pendet à voluntate testatoris, qui si dirigat verba ad Ecclesiam, ad ipsam pertinebit; secus quando in personas. In dubio quando non constat ad quem dirigatur, ad personas dirigi præsumitur; nam in dubio intelligendum est dirigi ad personas, quæ eas celebraturæ sunt, labor enim cohæret personæ, *l. Seio, ff. de annuis legat.* tum quia celebrare competit ratione Ordinis, non ratione Ecclesiæ, *cap.1. de celebr. Miss.* Ergo in dubio præsumendum est, legatum Missarum dirigi ad personas Clericorum, non in Ecclesiam. Rota apud Seraphinum *decis.*1149. *num.*10. Riccius 4. *part. decis.*200. *per tot.*

41 Unde si verba dirigantur ad Canonicos alicujus Ecclesiæ, sive Cathedralis, vel Collegialis, eas dicere ad Canonicos pertinet, & inter eos dividetur stipendium secundùm stylum illius Ecclesiæ. Si verò annuæ sint Missæ, non solùm ad præsentes Canonicos, verùm ad futuros pertinebunt; nam cùm pecunia illa collocanda sit in bonis stabilibus, ex quorum fructibus solvantur, non solùm ad præsentes, sed ad futuros Canonicos pertinebunt. Ricc. *in prax. var. decis.* 411. Garcia *in Sum. tract.*3. *diffic.*11. *dub.*3. *num.*7. Leon *de offic. Capel. quæst.*5. *sect.*3. *num.*50.

42 Si autem testator dicat, *Celebrentur Missæ in Collegiali, aut Cathedrali Ecclesia*, tunc legatum ad ipsam Ecclesiam pertinet, & distributio fit non solùm inter Canonicos, verùm etiam inter cæteros Beneficiatos; nam hæc Missarum legata in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiali dicendarum, licèt non sint propriè distributiones, tamen ad instar earum considerantur, *cap. unic. de Cleric. non resid. in* 6. Lapus *alleg.*43. Lara *de Anniverf. lib.2. cap.*1. *num.*35. Layman *in Sum. lib.4. tract.2. cap.7. in princip.* Sanchez *lib.2. conf. cap.2. dub.*105. quia distribuuntur ratione operis, & ministerii, & ideò quasi distributiones censentur, & inter omnes, tam Canonicos, quàm Beneficiatos dividuntur. Cavaler. *decis.* 404. Garcia *d. dub.*3. *n.*6. Leon *d. quæst.*5. *sect.*3. *n.*48. Pasq. *quæst.*997. *num.*5.

43 Si annuæ sint Missæ, similiter distribuendum est earum legatum, ob eandem rationem. Illud tamen observes, ut si dicat testator, *Distribuantur inter præsentes*, adhuc Canonici, aut Beneficiati infirmi suam partem percipient, *ex dict. cap. unic.* nam quando aliquid contrarium non expresserit, præsumitur cum jure communi se conformem reddere, *leg. In testamento, C. de testam. milit.* Bart. *in l. Lucius, ff. de vulg. & pupil. subst.* Mant. *conject. lib.6. tit.6. num.*16. Ergo etiam Canonici, seu Beneficiati infirmi lucrabuntur annuas illas Missas. Sanchez *conf. lib.2. cap.2. dub.*105. Tondut. 1. *tom. quæst. benef. cap.*102. *à num.*5. Pasqual. *d. quæst.*997. *à n.*2. Rota apud Merlinum *decis.*665. *à n.*1. Trullench *in Decalog. lib.*1. *cap.*8. *dub.*20. *num.*2.

44 Præterea si testator absolutè committat mille, v. g. Missas distribuendas, nec tamen Ecclesiam designet, nec Clericos, inter quos sint distribuendæ; in hoc casu quoad Ecclesiam, illi erunt concedendæ ubi sepulturam elegerit: ratio est, nam præsumitur ibidem majorem affectionem habuisse, & ex affectione optima fit voluntatis interpretatio, *l. Si fuerit, verf. Si legatum, ff. de reb. dub.* Rota 5. *part. recent. tom.2. decis.*574. *num.*18. idcirco in Ecclesia ubi sepulturam elegerit, dicendæ sunt, Rota apud Caval. *decis.* 494. *à num.*3. Leon *de offic. Capel. quæst.*5. *sect.*2. *n.*29. Garc. *d. tract.*3. *diff.*11. *dub.*3. *num.*1. Pasqual. *quæst.*996. *à num.*1. qui id facilè admittit in Missis perpetuis; verùm quoad Missas manuales pro unica vice celebrandas, tantùm admittit in Missis die exequiarum dicendis, cæteras relinquit arbitrio exequutorum, aut hæredum celebrandas, ubi magis placuerit, ut mos declarabit: quod recipiendum in his locis, in quibus vigeat.

45 Advertendum cum Garc. *dict. num.*1. quod si aliqua sint verba testatoris indicantia Missarum distributionem relinqui exequutorum, aut hæredum arbitrio, id observandum; sed aliqua pars concedenda Ecclesiæ, ubi corpus sepelitur: idcircò si disponat testator, ut Missæ per exequutores distribuantur, etiamsi Synodalis decreverit ut Missæ dicantur in Cathedrali, quoties testatores non designaverint Ecclesiam, adhuc distribuere ad libitum possunt exequutores, seu hæredes, cùm id sit dispositio testatoris, Leon *d. qu.*5. *sect.*20. *n.*30. Ricc. 4. *par. prax. resol.*94. Garc. *d. diff.*11. *dub.*3. *n.*2. Pasqual. *d. qu.*996. *à num.*8.

46 Quoad personas Clericorum, quibus sunt concedendæ, si nihil expresserit testator, consideranda sunt verba testatoris, ex quibus si conjecturetur, non solùm velle testatorem suffragium, verùm pauperum Clericorum sustentationem, Sacerdotibus illius loci sunt præstandæ. Si autem tantùm suffragium intendat, etiam Clericis alienigenis distribuentur, cùm adhuc effectum sufficienter satisfaciant. Capel. Tolos. *quæst.*128. Carpio *de exeq. testament. lib.2. cap.19. num.*71.

47 Legatum Missarum statim solvendum esse, diximus suprà: nunc verò inquirimus, an à proprietario hærede, vel ab usufructuario præstandum sit? Et illa est communis distinctio, ut Missæ manuales pro unica vice dicendæ, à proprietario hærede solvantur; nam istæ considerantur ut æs alienum à proprietario solvendum, idque primò à corpore bonorum detrahitur: si verò Missæ fuerint annuæ, ab usufructuario solvi debent, quia existimantur ut pensiones fructuum bonorum. Rota apud Cabed. *decis.*163. Leon *de offic. Capel. quæst.*5. *sect.*4. *à n.*52. Pasqual. *quæst.*1004.

48 Hæc verò communis doctrina indiget explicatione; nam testator duobus modis valet relinquere legatum annuum Missarum. Primò, quando ad illud relinquit quantitatem pecuniæ, ut in stabilibus bonis collocetur, ex quorum fructibus pensio Missarum persolvatur; & hæc tradenda est Ecclesiæ, aut Patrono, separando illam à corpore hæreditatis: quo quidem casu à proprietario hærede solvenda est pecunia illa, ideoque minus percipiet usufructuarius, quia nulla datur disparitas à legato Missarum unica vice dicendarum, & consideratur tanquam debitum.

49 Secundo modo, quando sua bona stabilia, & fructifera relinquit cum onere Missarum quotannis celebrandarum, & insimul relinquitur usufructuarius universalis bonorum: tunc enim Missæ persolvendæ sunt ab usufructuario, quia tenetur ad onera realia, & ad alias collectas, tributa, & præstationes illorum bonorum, recipiens eorum fructus, *leg. Vsufructu* 7. *§. fin.* aliàs *l. Hactenus*, *l. Si pendentes* 27. *§. Si quid cloacaris*, *l. Vsusfructus* 52. *ff. de usufruct. l. Quæro* 28. *ff. de usufr. legat.* ut videre est in possessore majoratus, qui tanquam usufructuarius ad hæc onera tenetur. Molina *de pr. mag. lib.*1. *cap.*10. *n.*14. *& cap.*27. *n.*8. *&* 9. ubi Addent. Noguer. *alleg.2. num.*108. Castill. *lib.8. controv. cap.*45. *n.*9. sicut & quilibet usufructuarius universalis tenetur ad tributa à Rege imposita. Cyriac. *controv.*125. *n.*11. Garc. *de expensis, cap.*11. *à num.*45. Costa *de port. rat. quæst.*157. *per tot.* Amaya *in l.1. C. de ann. & tribut. à num.*48. quod idem est dicendum in onere Missarum annuarum, si usufructuarius est universalis. Pasqual. *d. qu.*104. *num.*2.

50 Dubium est grave, an idem dicendum in usufructuario alicujus fundi particularis, an scilicet iste teneatur ad solvendum onus Missarum annuarum, vel hæres aliorum bonorum? Et affirmandum videtur; nam usufructuarius particularis tenetur ad tributa pro rata fructuum, qui ab illo percipiuntur, *leg. Nec stipendium* 13. *ff. de impens. in reb. dot. fact.* Garc. *de expens. dict. cap.*11. *num.*47. Menoch. *conf.*33. *num.*30. Balmas. *de collect. quæst.*77. *num.*3. ergo similiter dicendum est in præstationibus annuis ad dicendas Missas: tum alio exemplo probatur; nam quando testator habet bona censui subjecta, tunc legatarius usufructuarius particularis

cularis in aliquo fundo illorum bonorum tenetur solvere pensionem census; nam cum census sit onus reale, transit cum illo ad legatarium usufructuarium. Gabr. *lib.1. cons.* 47. *num.*6. Avend. *de cens. Hispan. cap.*99. *num.*11. Achil. Pedroch. *cons.*2. *à num.*73. Castill. *lib.*1. *controv.* 56. *n.*14. quod idem dicendum est in annua præstatione Missarum, cùm quælibet præstatio annua sit onus reale in redditibus, ac fructibus bonorum. Surdus *decis.*193. *n.*2. *&* 5. Castill. *dict. lib.*1. *cap.*58. *n.*11. *&* 12.

51 Sed hæc fundamenta convincentia non sunt, duobus enim modis potest tributum, pensio, vel collecta in bonis imponi: aut tanquam onus ipsorum fructuum intrinsecum, & inseparabile; & in hoc casu etiam ad usufructuarium particularem transit hæc obligatio solvendi, ut loquitur Consultus *in d. l. Nec stipendium, in fin. d. l. Si hactenus*: secus verò si simpliciter legaretur annua præstatio Missarum, aut alterius rei, quia tunc non imponitur in fructibus tanquam onus intrinsecum illorum, sed in re fructifera, concedendo jus percipiendi pensionem occasione fructuum, ut explicat Cenc. *de cens. quæst.*79. *num.*12. Quamobrem licèt usufructuarius particularis solvat, id tantùm est admittendum quando immediatè imponuntur tributa, aut annuæ præstationes tanquam onus intrinsecam ipsorum fructuum; aliter minimè, sed hæres illas præstare tenetur.

52 Paritas verò census certa non est. Plures Doctores, quos refert, & sequitur Cenc. *dict. qu.*79. *num.*3. contrarium tenent, & contrariorum aliqui loquuntur in usufructuario universali, ut loquitur Castill. *dict. num.*14. quod quidem diversum est, quare illa fundamenta non convincunt.

53 Igitur assero, usufructuarium particularem non teneri ad præstandas annuas Missas, sed esse solvendas ab hærede, ut in qualibet annua præstatione. Valle *volum.* 2. *cons.* 8. *num.*27. Achilles Pedrocha *cons.*7. *num.* 149. Castillo *dict. cap.*58. *num.*20. quod duobus modis probatur. In primis illa ratione, quam ex Cencio diximus suprà, *num.*50. nam onus istud non est fructuum intrinsecum, unde nec ad usufructuarium particularem transit. Altero etiam modo comprobatur, etiam in sententia aliorum asserentium annuam præstationem esse onus fructuum, *ex l. Peto, §. Fratre, ff. de legat.*2. nam ut benè considerat Surdus *dict. decis.*193. minimè ad usufructuarium transit onus solvendi annuam præstationem, quando expressè, aut ex conjecturata mente testatoris constiterit velle, ut solvatur ab hærede. Bursatus *lib.*1. *cons.*113. *n.*12. Castillo *d. cap.*58. *num.*14. Quoties enim usufructuarius est particularis, & legatarius tantùm, mens est illius, ut usufructus fundi liberè ei concedatur, & solvatur ab hærede, ut quando legatur res pignori, aut hypothecæ obligata, *l. Si res obligata* 59. *ff. de legat.* 1. *l. Prædia* 6. *C. de fideicommiss. §. si rem, Inst. de legatis*. Ergo usufructuarius particularis non tenebitur ad solvendam annuam præstationem Missarum. Et confirmatur, nam si hoc legatum usufructus fieret Ecclesiæ, aut personæ conjunctæ, tunc procul dubio non tenebitur ad censum, seu annuam pensionem solvendam, quia præsumitur liberè fundum illum legasse. Gratianus *Discept. Forens. cap.*611. *n.*7. Cencius *d. cap.*79. *num.*17. Ergo similiter dicendum in quolibet usufructuario particulari, cùm præsumatur id voluisse testatorem, ut ab hærede solveretur. Denique legatarius particularis non tenetur ad debita testatoris, nec adversùs eum agitur, nisi quando hæres solvendo non est, *l. fin. Cod. de hæredit. act.* Cancerius 3. *part. variar. cap.*20. *à num.*370. quapropter ex natura legati particularis intelligitur voluntatem legantis esse, ut annuæ præstationes ab hærede solvantur, non à legatario, etiamsi res legata fuerit obligata, ut optimè ipse docet Cancerius *dict. cap.*20. *num.*1. Ergo in præsentiarum usufructuarius, cui legatus est usufructus rei particularis, ad hanc annuam præstationem Missarum non tenebitur.

54 Illud tamen observes, posse creditorem Missarum petere adversùs usufructuarium particularem; quia in electione illius est agere contra hæredem, aut contra possidentem rem obligatam ad pensionem Missarum: verùm usufructuarius particularis ab hærede repetet quidquid solverit occasione talis præstationis, ut in censu scripsit Cencius *d. quæst.*79. *à n.*9. & latè *quæst.*98.

55 Præterea de præscriptione legati Missarum agendum est nobis: & in primis animadvertendum est, in legatis piis dari præscriptionem, si concurrant omnia requisita juris ad præscribendum, ut est titulus, bona fides, possessio, & ejus continuatio; idque fieri valet per præscriptionem quadraginta annorum. Gratianus *Discept. Forens. cap.*118. *n.*21. *& decis.*4. *per tot.* Covarr. *in regul. Possessor, par.*2. *§.*2. *n.*2. Tondutus 1. *part. quæst. Benef. cap.*100. *num.*1. quod in aliis legatis admittunt alii, ut hæres contra legatarium præscribat per tempus triginta annorum. Gratianus *discept. cap.*2. *num.*29. Guttierrez *can. lib.*2. *cap.*26. Surdus *decis.*25. *num.*4. Menchaca *illustr.* 1. *part. lib.*2. *cap.*55. *num.*25. Cancerius 3. *part. cap.*20. *n.*62. Idcircò legatum Missarum, si adsint juris requisita, rectè spatio quadraginta annorum præscribitur. Leon *de offic. Capel. quæst.*5. *sect.*21. *à n.*310. Tambur. *in Meth. celebr. lib.*3. *cap.*7. *num.*1. Pasqual. *de Sacrif. Miss. quæst.*1047.

Sed quomodo id procedat, est difficultas; nam interim quod hæres jam adita hereditate legatarios ignaros certiores non fecerit, est in mala fide, & nequit præscribere, ex regula vulgari *in cap. Vigilanti* 5. *cap. fin. de præscript.* Tum quia præscriptio fundatur in scientia, & patientia non petentis, *l.*2. *C. de servit. & aqua*: quapropter nisi legatarii certiorentur, nequit hæres præscribere, ut cum Cumano advertit Guttierrez *dict. cap.*26. *num.*18. Tiraquel. *in l. Si unquam, C. de revocand. donat. verb. Revertatur, num.*390. Covarr. *variar. lib.*1. *cap.*9. *num.*5. Pasqual. *d. quæst.*1047. *num.*5. Si verò jam sint certiorati, aut sciverint legatum Missarum sibi competere, nequit præscriptio considerari; nam legatum istud statim à morte testatoris transit ad legatarium absque aliqua traditione, aut agnitione, ut dictum est, *leg. Cum pater* 77. *§. Surdo, ff. de legat.*2. *l. à Titio, in fin. principii, ff. de furt. l.*1. *C. commun. de leg. l.*35. *tit.*9. *part.*6. & id non solum in corporalibus, sed etiam in incorporalibus, utpote in servitute, *leg. Si partem* 19. *§.*1. ibi: *Quia tua esse cœperat, ff. quemadm. servit. amit.* Itaque semper hæres permanet in mala fide per retentionem rei alienæ, & consequenter nequit sustineri præscriptio, ut considerat Decius *in cap. Ecclesia S. Mariæ, de const. num.*26. dicens periculosam contrariam sententiam. Covarruv. *d. cap.*9. *n.*5. Spino *de testament. gloss.*8. *num.*67. 56

Alteri verò contrarium tenent in hac specie, nempe quando hæres præscriberet adversùs legatarium certioratum de legato sibi competenti: & ratio est, nam tunc remanet in bona fide; justè enim credit, legatarium nolle acceptare legatum, quando per tantum temporis non petierit, sciens legatum sibi deberi. Cæterùm, nam in præscriptionibus etiam de Jure Canonico non requiritur præcisè bona fides cum ignorantia rei alienæ, sed tantùm sine peccato: idque deducitur *ex cap. fin. de præscript.* ubi in principio adducit Pontifex locum Apostoli *ad Rom. cap.* 14. *vers.* 33. *Omne quod non est ex fide*, id est, secundùm conscientiam, *peccatum est*, ut ibidem exponunt Chrysostomus, Theodoretus, & alii relati, & sequuti à Cornelio à Lapide. S. Thomas 1. 2. *quæst.*19. *art.*4. *&* 5. Barbosa *in dict. cap. fin. num.*2. Itaque præscriptio non curret, si res aliena retinetur contra conscientiam peccando, & etiam graviter; nam præscriptio non impeditur cum culpa veniali, de Lugo *de just. disp.* 7. *sect.*3. *n.*36. Faria *ad Covarruv. dict. cap.*9. *num.*21. Ergo cùm in præsentiarum hæres retinens legatum nullam culpam committat, nam credit legatarium nolle acceptare legatum, rectè currit præscriptio, ut tenent innumeri relati, & sequuti à Gratiano *dict. decis.*4. *num.*15. Faria *ubi proximè, num.*22. 57

In dubio hoc dico, aliquos casus esse considerandos, & in primis casus præsens, quando legatum Missarum relinquitur Ecclesiæ, Monasterio, aut Clericis, verùm certiorati illud non petierunt per spatium quadraginta annorum, quorum spatium est necessarium ad præscribendum contra Ecclesiam, *cap. de quarta* 4. *cap. Illud* 8. *de præscript.* & in terminis Tondutus *d.* 1. *part. cap.*100. *num.*3. Et in hac specie assero, non posse hæredem præscribere tale legatum Missarum; nam textus *in d. cap. fin. de præscript.* evidenter impedit præscriptionem cum scientia rei alienæ, ibi: *Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ*. Et ratio est, nam ad præscriptionem non solùm requiritur rei possessio, sed ut possideat tanquam rem propriam, & cum jure insistendi. Pich. *in princip. Instit. de usucapionibus, num.*7. de Lugo *d. disput.*7. *sect.*4. *num.*49. Cùm verò sciat rem esse alienam, neutiquam poterit præscribere, cùm deficiat necessaria, & essentialis circumstantia ad præscribendum. Cæterùm nequis absque gravi pec- 58

cato

caro procedere ad præscribendum; nam in hac specie duo sunt consideranda. Primum dum hæres retinet rem legatam legatarii, donec ab eo petatur; & hæc retentio licitè fit animo tradendi statim ac ab eo petatur, ut cum Abbate, Decio, Tiraquello & aliis docet Guttierrez *d.cap.26. n.5.* Secundum quando ut propriam vellet possidere animo non solvendi, sed tantùm sibi acquirendi, quod est necessarium ad præscriptionem, & tunc gravissimum est peccatum: Ergo minimè poterit legatum Missarum præscribere. Denique ex alia ad rem fundamentali ratione; nam ut optimè animadvertit Pasqual. *quæst.*1047. *num.6.* hæres minimè præscribit legatum Missarum adversùs defunctum, quin semper tenetur illud aliis Ecclesiis, aut Monasteriis persolvere. Cùm ergo hæres intra sex menses id facere teneatur, per necesse tenetur requirere legatarium ut repodiet, aut acceptet, ut alibi legatum Missarum adimpleatur, aliàs semper graviter peccabit, & erit malæ fidei possessor: ergo nunquam poterit præscribere.

59 Unde colligo resolutionem, quod si legatum sit pium, necessariò est expendendum piè ab hærede, si persona cui legatur, scienter non acceptet, minimèque poterit ab hærede præscribi, prout dictum est in legatis Missarum.

60 Secundus casus erit quando legatum Missarum relinqueretur Ecclesiæ, seu Monasterio, ita ut si non acceptasset, devolveretur ad hæredem, & sibi haberet: & in hoc asserendum videtur, præscribere posse; nam tunc per tanti temporis spatium repudiare videtur, & non acceptare. Ergo rectè præscribet, ut videre est in jure adeundi hæreditatem, quod per spatium triginta annorum præscribitur, prout etiam supplementum legitimæ. Guttierrez *d.cap.26.n.14. & 15.* Gratianus *dict. decis.4. num.17.*

61 Sed adhuc in hoc casu hæres non præscribet, propter rationes quas consideravimus *n.57.* semper enim est in mala fide, nec exempla, quæ adducuntur in confirmatione, convincunt; non enim intelligenda sunt respectu hæredis, qui tenetur legitimas solvere, aut supplere; sed alterius, qui sit in bona fide, aut quando hæres ipse fuisset in bona fide, existimans legitimam, aut supplementum non deberi, id invincibiliter ignorans.

63 Aliud verò exemplar adeundi hæreditatem nec magis convincit; est enim difficilimum, quomodo jus adeundi præscribatur, de quo benè Gomez 1. *tom. variar. cap.9. num.27.* Sed licèt affirmativam sententiam teneamus, quam ipse sequitur Spino *de testam. gloss.33. num.53. & 54.* Cevallos *quæst.*628. Parladorius *diff.23. num.15.* Pich. *in relect. ad titulum de acquir. hæredit. cap.4. num.7.*

64 Id tamen intelligendum quando ille, qui successurus est in illis bonis, in nulla fuerit culpa non admonendi hæredes, vel quia ignorabat, vel quia erant longè absentes, & ipsi sciebant hæreditatem ad illos pertinere; tunc enim hi qui sunt successuri, sunt in bona fide, ut benè explicat Molina *de just. tract.2. disp.*180. *à num.*12. & consequenter potest admitti similis præscriptio triginta annorum, ut rectè hæres ab intestato ad bona hæreditaria perveniat. Idcircò nullo modo in nostra specie aliquid in contrarium probat; loquimur enim quando hæres tenetur solvere legatum Missarum, & omnia agere ad illud adimplendum, quæ si non agat, semper est in mala fide.

65 Tertius casus est, quando legatum Missarum consisteret in quantitate; est enim diversa ratio, quàm si fuisset speciei: species enim recta via transit ad legatarium, ut dictum est, non verò legatum quantitatis. Bart. *in leg.1. ff. de legat.1. num.12.* Ruinus *cons.153. n.4. lib.5.* Gratianus *discept. for. tom.1. cap.136. num.4.* qui animadvertit transire tantùm jus petendi legatum: idcircò cùm hæres non retineat rem alienam, quæ jam est legatarii, tantùm præscribet actiones ad petendum, in quarum præscriptione non requiritur bona fides, *l. Cum notissimi 7. leg. Si quis emptionis* 8. *§.1. C. de præscritp.30. vel 40. annorum, l.21. tit.29. part.3. l.63. Tauri, l.6. tit.15. lib.4. Recopilat.* quarum legum justitiam plurimi defendunt ob bonum publicum, ne Respublica litibus scateat: plures refert Parladorius *lib.1. quot. cap.1. §.11. num.15.* Facbineus *lib.1. controvers. cap.63. & 68.* Balboa *de præscript. 2. part. 3. part. principal. quæst.13.* idque ex causa publica fieri posse à lege, tenent Molin. *de just. tract.2. disp.67. n.4.* de Lugo *d. disp.7. sect.4. num.48.*

66 Hoc fundamentum solidum non est; nam alteri DD. contrarium tenent, scilicet leges illas minimè esse admittendas cum mala fide, sed tantùm cum bona, scilicet quando debitor ignoraret debitum, aut quando hæres hæredis præscriberet, cùm in eo possibilis sit ignorantia legati: quo in casu certum est leges illas justas esse, & admittendas; non verò quando debitor debitum scierit, ut tradit doct. Covartuv. *in regul. possess. 2. part. §.11. à num.4.* Balboa *d. tit. de præscript. in cap. Vigilanti, dub.4. à num.67.* Molina *dict. tract.2. disp.66. per tot.* Azevedo *in d. l.6. tit.15. lib.4. Recopilat. à num.52.* Præterea alii eas intelligunt, non de vera præscriptione, sed tantùm quoad præsumptionem solutionis, aut quia his annis transactis præsumatur bona fides. Explicat Covartuv. nuperrimè allegatus, de Lugo *d. disp.7. sect.4. num.55.* Nec desunt, qui dicunt leges illas tantùm ad forum fori deservire, non verò in conscientia debitorem tutum reddere. Parladorius *dict. §.11. num.16.* qui asserit id usu receptum: unde constat, quàm facilè fluctuet illud fundamentum.

67 Nec confirmat doctrina Molinæ, & de Lugo; nam primus loquitur, quando Jus Canonicum id non impediret, prout impedit. Alter verò, quando absque peccato debitor retineret debitum: quod non est possibile, ut diximus *n.7.* & probat Balboa *d. dub.5. num.76.*

68 Quamobrem asserendum est, quod etiam in casu, quo legatum Missarum fuisset quantitatis, ab hærede contra Ecclesiam, aut alium legatarium non præscriberet; quia actiones, sive personales, sive reales sint, non præscribuntur cum conscientia læsa, & mala fide, ut contra Bart. & Menchaca tenet Guttierrez *in l. Nemo potest, n.476.* Molina *d. disp.66. num.7.* de Lugo *dict. sect.4. n.49.* Idcircò in præsentiarum debebitur legatum Missarum, etiamsi sit quantitatis, nec ullo modo dabitur præscriptio. Cæterùm præscriptio nequit incipere, & cœpta interrumpitur sollicitudine conscientiæ, etsi appareat animum possidentis fluctuasse, ut latè per Rotam 7. *part. recent. decis.57. à n.25. usque ad 29.* Rota apud Millium *decis.72. num.11.* quis enim retinebit legatum Missarum, etiam sciente legatario, & non conscientiæ morsibus crucietur? Ergo neutiquam legatum Missarum, licèt sit quantitatis, poterit præscribi.

69 Quartus casus est quando legatarius acceptavit legatum Missarum, sive sit Ecclesia, sive Monasterium, vel alia persona: & tunc asserendum est majori ratione, hæredem præscribere non posse, quia iste jam clariùs esset in mala fide, prout in fideicommissis tenent Peregrinus *de fideicommiss. art.41. num.10. in fin.* Fusarius *de subst. quæst.528. num.15.* & in legatis Gratian. *decis.4. num.19.*

70 Inde verò cognoscitur sententiam Doctorum asserentium legatum Missarum præscribi posse, esse tantùm intelligendam quando adesset bona fides ex parte solventis: id verò accidere valet, quando hæres propter longam absentiam id ignoraverit, aut quando præscribit hæres hæredis, in quo cadere valet ignorantia illius legati: verumtamen præscriptio ista subsistet contra legatarium, non verò contra defunctum; semper enim tenebitur adimplere, sive legatum Missarum sit pro unica vice, sive perpetuum, ut tenet Pasqualigius *d. qu.1047. & 1048.* de quo infrà dicemus.

71 Quando verò legatum Missarum ademptum videatur à testatore, diximus latè de legatis piis *lib.1. cap.13. à num.29.* ubi ad hanc resolutionem necessaria percipiuntur. Illud tamen non prætermittas circa legata Missarum, aut alia pia, quod si præscribantur, adhuc Ecclesia, seu Monasterium habebit remedium, nempe restitutionem ex capite ignorantiæ, quæ semper in legatario præsumitur, tanquam in facto alieno. Genuensis *in praxi, quæst.121.* Guttierrez *d. cap.26. à n.20.* Leon *de offic. Capellan. dict. sect.21. à n.312.* Tondutus *d. cap.100. num.6.* Id tamen valet intra quadriennium, quod currit à die scientiæ, ut exprimunt allegati.

CAPUT VII.

De Anniversariis Missarum.

SUMMARIUM.

Utilius est dicere in vita Missas, & Exequias defunctorum, contra aliquos, num.1. Quomodo id fieri debeat, num.2. Sed utilissima sunt Anniversaria, num.3. Quid sit Anniversarium, & de quibus hic agatur, num.4.

Anniversarium diffinitur, num.5. duobus modis imponitur Anniversarium, num.6. Si bona dantur Monasterio, seu Ecclesiæ ad Anniversarium, vel per se subsistunt, ut

fructus

fructus ad id expendantur, nequeunt sine solemnitatibus alienari, num.7. & 8.

An ad id requiratur auctoritas Episcopi in fundatione, disceptatur, a num.9. Sed non requiri tenetur, num.10.

Quando fructus omnes in Anniversario expenduntur, bona illius gabellas non debent, contra aliquos, à n.11.

Et quia si fundator dixerit, Solvant tributa laicis, *tenentur solvere tributa realia, non personalia, à num.13.*

An Anniversarium erigi valeat in Beneficium, negatur, & explicatur à n.15.

An Anniversarium, ex eo quod habeat onus Missarum, sit majoratus? hoc non repugnat voluntati fundatoris, n.19. verba inductiva majoratus, num.20.

Aliqui affirmant, à num.21. Contrarium resolvitur, à num.24.

Explicatur lex 6. ff. de ann. legat. *num.21. & lex* 123. ff. de legat. 1. *lex* 38. ff. de usufruct. legat. *num.24.*

Explicatur Valascus, num.26. & limitatur si consuetudo sit in contrarium, num.27.

Qua facultas requiratur ad alienanda bona onere Anniversarii affecta, instituti per modum majoratus, num.28. & regia est necessaria, num.29. nisi in speciali casu, n.30.

In Anniversariis valet clausula de non alienando, num.31. & debet esse perpetua, num.32. ubi explicatur Authentica de restit. fideicommissi, §. Nos igitur, coll.9. & *num.33.*

Interpretatur textus in l.38. §.4. ff. de legat.3. *à n.34.*

Posita clausula de non alienando, nec alienatio, nec divisio admittitur, num.36.

An posita clausula de non alienando in bonis Anniversarii, intelligatur majoratus? negatur, & explicatur à n.37.

An fundus transeat ad tertium possessorem cum onere Anniversarii, a num.40. explicantur lex finalis, §. fin. ff. de contrahend. empt. *lex* 38. ff. de usufruct. legat. *n.41. distinguitur, a num.42. & 43.*

An quando fundus designatur ad Anniversarium, intelligatur demonstrative, aut taxative positus, num.44. late prosequitur, & explicatur usque ad num.49. & 50. Quid si Anniversarium fuerit temporale, num.51. & seq.

1 CUm de Missis manualibus, ac pro una vice dicendis egerimus, transeamus ad annuas, de quibus non pauca dicta remanent ob connexionem materiæ. Et in primis antequam ad rem deveniamus, adnotanda est doctrina Laymani *in Summ. lib.5. tract.5. cap.2. num.15.* asserentis, Missas defunctorum, & Exequias celebrare pro vivo, superstitiosum esse, & non tolerandum; unde post mortem hæc fieri, & Anniversaria dicere, utilius esse fatetur: consentit Diana 5. *part. tract.13. resol.2.* Sed hæc doctrina non est admittenda, nam ante mortem Missas, & Exequias celebrari imperare, majorem affert utilitatem, quàm si post mortem dicerentur; nam Missæ post mortem tantùm satisfactoriæ sunt, sed ante mortem satisfactoriæ, & meritoriæ: ideircò magis proficuæ sunt, tum ratione certitudinis, & prudentissimæ discretionis, quia magis expedit satisfactionem statim dare, quàm sperare ut detur, quando anima in purgatorio cruciatur: quamobrem id fecit Albertus Magnus, Carolus V. & Philippus III. Hispaniarum Reges, Arcos *in vita Venerabilis Roxas, lib.7. cap.17.* Tum etiam mos fuit in primitiva Ecclesia, ut recepto Viatico Missa pro moribundo diceretur, Lara *de Anniversf. lib.1. cap.1. num.16.* unde utilius videtur has Missas, & Exequias pro vivo celebrare. Zerola *verb. Missa 2. part. n.10.* Barbosa *ad Concilium, sess.22. de Sacrif. Miss. num.11.* Lucius Pinellus *lib.2. de Missa, cap.7. quæst.13.* Leander *de Sacrif. Miss. tract.8. disp.4. quæst.22.* Marchinus *de Sacrif. Miss. tract.3. 2. part. cap.34. à n.1.* Pasqual. *quæst.290.*

2 Animadvertit tamen Palao 4. *part. oper. mor. tract.22. disp. unic. punct.6. num.19.* hanc consuetudinem dicendi Missam funebrem, & Exequias pro vivo, eo modo esse admittendam, ut Missa, seu Missæ applicentur pro vivo, ast exequiæ, & funebres preces pro defunctis; tunc enim nulla superstitio valet considerari, verùm licita erit consuetudo, quam laudat, & benè defendit Garcia *in Sum. tract.3. diff.10. dub.7. num.7.*

3 Unde cognoscitur, quod licèt utilius sit in vita Missas funebres, & Exequias dicere, abnegandum tamen non esse, valdè utiles esse, & necessarias Missas, & Anniversaria, quæ dicuntur post mortem; hoc enim certum est. S.Thom. *in 4. dist.45. quæst.2. art.3. ad 3.* Covarruvias *in cap. Alma 1. part. §.5. num.11.* Lara *de Anniverf. lib.1. cap.1. à num.1.* Istud enim habet plurimum meriti, quia ex similibus legatis augetur cultus divinus in dies, & per longum tempus ampliatur, ultra alia merita, quæ communia sunt aliis legatis Missarum, ut cum Fraxinello tradit Marchinus *dict. cap.34. n.10.* Ezpeleta *de casib. occurr. tract.12. resol.9.*

Anniversarium est nomen generale, & commune his, 4 quæ fiunt, aut solvuntur singulis annis, *l. Placet, C. de Sacros. Ecclesiis, l.1. C. de collat. donat. lib.10. cap. Inter nos 29. de verb. significat.* Amaya *in dict. leg.1. num.54.* Hìc tamen non de omnibus Anniversariis differimus, sed tantùm de his, quæ pertinent ad celebrationem Missarum quotannis celebrandarum: de aliis verò annualibus præstationibus virginibus maritandis, pauperibus, aut aliis personis concedendis, *lib.4.* dicemus.

Est igitur hoc Anniversariom, *Missa quotannis dicendæ*, 5 *& applicandæ pro voluntate fundatoris, certo redditu, vel stipendio assignato.* Observo tamen non semper Anniversarium à testatore, vel ab alio fundatore relinqui, verùm etiam à consuetudine: quapropter Summus Pontifex celebrat in sua Capella Anniversaria pro Papa immediatè defuncto, & similiter in Ecclesiis Cathedralibus celebratur Anniversarium pro Prælatis prædecessoribus, ut cum Gratiano, & Zerola notat Lara *d. capite 1. num.38.* Fagoan. *in cap.3. de celebr. Miss. à num.1.*

Fundantur dupliciter Anniversaria, nempe quando ali- 6 qua bona stabilia relinquuntur, quorum redditus, seu fructus in dicendis Missis per singulos annos ab aliquo patrono exhauriuntur. Aliter verò, quando fundus, aut aliqua bona stabilia cum onere Missarum quotannis dicendarum alicui à fundatore conceduntur, aut relinquuntur.

Et quoad primum advertendum, aliquoties bona con- 7 cedi Ecclesiæ, aut Monasterio cum onere Missarum quotannis dicendarum: & in his etiamsi testator non interdicat eorum alienationem, minimè tamen absque justa causa, & legitimis solemnitatibus valent alienari: quia licèt cum illo onere dentur, fiunt Ecclesiæ, seu Monasterii, quare nequeunt absque causa, & aliis solemnitatibus alienari. Gratianus latè *per tot.12. quæst.2. & tot. tit. de Rebus Ecclesiæ non alien.* Ita decreverunt plura Concilia. Guastabense sub Pasch.II. Oxoniense sub Honorio III. Lugdunense sub Gregorio, Salisburgense *tit. de alienat. rer. Ecclesiæ*, Palentinum sub Urbano VI. Constantiense *in confirmat. Const. Imper.* Basileense *sess.25. col.1.* Extant Motus Julii III. Pauli IV. Pii V. Barbosa *de univ. jur. lib.3. cap.30.* Osuald. *ad Donellum, lib.9. cap.11. lit. Q.* Bonac. *de alienat. bon. Ecclesiæ, quæst. unic. punct.1.*

Si verò bona illa non dentur Ecclesiæ, aut Monasterio, 8 sed per se subsistant, ut electus patronus omnes redditus, & fructus in annuis Missis dicendis resolvat, tunc similiter est dicendum, quia bona illa sunt pia, & nequeunt absque causa, & solemnitatibus alienari, *cap. Hoc jus porrectum*, aliàs *Ea enim* 2. 10. *quæst.2. Extravag. Ambitiosæ, de Reb. Ecclesiæ non alien.* Tiraquell. *de privil. piar. caus. priv.137.* Menochius *de recuper. remed.15. n.36.* Cæsar Barzius *decis.124.* Medicis *opuscul.4. num.29.*

Sed est dubium, an requiratur auctoritas Episcopi, ut 9 hæc pia bona, quæ relicta sunt ad Missas annuas dicendas, privilegio non alienandi absque solemnitatibus fruantur. Et aliqui asseruere esse necessarium, ut auctoritate Episcopi erigantur, ad illud obtinendum privilegium: ducuntur, nam quando deficit legatum illud, non est propriè pium, sed impropriè: hoc verò privilegium concessum est piis causis propriè. Ergo si deficiat auctoritas Episcopi, hoc privilegio bona ista non fruentur. Et confirmatur, nam si auctoritas Episcopi non adsit in his fundationibus, profanæ relinquuntur, & absque solemnitatibus, alienantur. Valasco *consult.105. num.34.* Mascardus *de probat. conclus.869. n.1.* Quaranta *in Summa Bull. verb. Alienatio rerum Ecclesiæ, num.18.* Borellus *in Summ. decis. tit.15. à num.41.* Itaque semper erit necessaria auctoritas Episcopi, ne bona ista absque solemnitatibus alienentur, ut in aliis bonis ad pias causas Hospitalium, & Collegii, tenent Riccius *in praxi forensi, resolut.40.* Redoanus *de spoliis, quæst.28.* Delbene *de immun. 2. part. cap.17. dub.1. num.14.*

Sed contrarium tenendum est in his bonis, quorum red- 10 ditus ad annuas Missas dicendas relinquuntur; nam ista bona pia propriè sunt, quæ ad Missas dicendas destinantur, nec

ad

ad id indigent aliqua Epiſcopi auctoritate; nam auctoritas Epiſcopi ſolum deſideratur quando cauſa pia facienda eſt religioſa, *cap. In Eccleſiaſtico*, 13. *quæſt.*2. *cap. Ad hæc* 4. *de Relig. domibus*, non verò quando tantùm agitur de pia: id enim fit quando in operibus piis ſeſe exercet, licèt non interveniat talis auctoritas. Valaſco *dict. conſult.*105. *n.*5. *& num.*38. Garcia *de Benef.* 5. *part. cap.*1. *n.*602. Ergo minimè poſſunt alienari abſque cauſa, & ſolemnitatibus à jure requiſitis. Præterea DD. aſſerentes bona relicta Hoſpitalibus, & aliis locis piis profana relinqui, intelligendi ſunt quando id conſtat ex voluntate fundatoris, ut ſi non perpetuò ad uſum pium deſtinentur, verùm poſſint ad profanum devolvi: nos verò loquimur quando bona perpetuò ad Miſſas dicendas relinquuntur. Unde propriè eſt cauſa pia, & conſequenter ejus bona ſunt inalienabilia abſque juris ſolemnitatibus. Riccius *in praxi forenſi*, *deciſ.*48. *n.*8. Joſeph. Ludov. *deciſ.*39. *num.*36. Leoncillus *de privileg. paup.* 2. *par. privileg.*13. *num.*1. Larrea *deciſ. Granatenſi* 61. *num.*2.

11 Sed quid dicendum de bonis iſtis, quoad collectas, ſeu gabellas ſolvendas? Et dubium movet doctrina Avendañ; *de exequend. mandat.* 2. *part. cap.*14. *n.*32. & Lara *de Capell. lib.*2. *cap.*1. *num.*41. aſſerens bona, quæ Clericis relinquuntur, ni Miſſas dicant, debere collectari: ergo ſimiliter Anniverſarii bona. At DD. iſti loquuntur in patronatibus laicorum, qui quidem à laicis poſſunt obtineri, habent tamen onus Miſſarum quotannis ab aliquo Clerico dicendarum: quæ quidem bona laicalia relinquuntur, quapropter poſſunt collectari, deducto onere Miſſarum. Abbas *lib.*2. *conſ.*29. Guido Papæ *deciſ.*187. Valaſco *d. conſult.*105. *n.*12. *&* 13. Paſqual. *quæſt.*1036. *num.*3. qui *n.*4. id extendit etiamſi ab aliquo Eccleſiaſtico poſſideantur.

12 Sed in noſtra ſpecie contrarium eſt dicendum, idque benè docet Mena *variar. lib.*1. *quæſt.*21. §.4. *n.*193. ibi: *Infertur etiam, quod ex Anniverſariis, aut bonis Capellaniæ non debet ſolvi collecta, quando tota bona, dico fructus bonorum Anniverſariis ſubjectorum, debent conſumi in ipſis Anniverſariis.* Et ratio eſt, nam iſta bona ſunt operis propriè pii, & conſequenter immunia à gabellis, *cap. Non minus* 4. *de immunit. Eccleſ.* Angelus, Baldus, & alii apud Jaſon. *in* §. *In maleficiis*, *Inſtit. de act. num.*4. Felicianus *de cenſibus*, *lib.*2. *cap. fin. num.*16. Parladorius *rerum quotidian. lib.*1. *cap.*3. §.1. *num.*17. ergo minimè ad gabellas tenebuntur. Tum, nam quando determinantur aliqua bona, quorum fructus, aut redditus in Miſſis annuis dicendis conſumuntur, quidquid gabellatur, ex numero Miſſarum decerpitur, & immediatè gabella cadit ſuper cauſam piam. Parladorius *d. num.*17. Guttierrez *de gabell. lib.*7. *quæſt.*74. *à num.*7. ergo minimè poterunt in his bonis tributa, ſeu vectigalia imponi. Laſſarte *de decim. vendit. cap.*20. *num.*63. Alvarado *de conject. ment. defunct. lib.*2. *cap.*1. §.2. *num.*17. Leon *de offic. Capellan. quæſt.*5. *ſect.*17. *num.*264. Paſqualigius *dict. quæſt.*1036. *num.*7.

13 Quid verò dicendum ſi fundator in ſimili Anniverſario dicat, quod ex bonis relictis ad Miſſas dicendas collectæ ſolvantur laicis, an tunc ſint perſolvendæ? Et affirmandum videtur; nam ſi bona relinquerentur Eccleſiæ hoc onere impoſito, præciſè eſt ſolvendum. Ancharranus *conſ.*707. Felinus *in cap. Eccleſia S. Mariæ*, *de conſtit.* quos refert, & ſequitur Riccius *in praxi*, *part.*1. *reſolut.*302. *num.*8. Ergo ſimiliter dicendum de Anniverſario Miſſarum; non enim habet diſtinctum privilegium, quia immunitas Eccleſiarum quoad tributa cauſis piis communicatur. Guttierrez *dict. quæſt.*74. *num.*8. Cæterùm, nam onus iſtud cenſetur impoſitum in his bonis: ſed quando bona legantur Eccleſiæ, aut cauſæ piæ, tranſeunt cum onere tributi ad ipſas, *cap. Si tributum* 27. 11. *quæſt.*1. *cap. Tributum* 22. 23. *qu.*8. *Authent. Item prædium*, *Cod. de Sacroſanct. Eccleſiis*. Mena *d. quæſt.*21. *num.*234. Marota *de collect. cap.*5. *à num.*1. Solorzanus *de Jur. Indiar. lib.*3. *cap.*21. *num.*28. Itaque ſi in his bonis deſtinatis ad dicendas Miſſas, onus imponatur à teſtatore, ut tributa ſolvantur laicis, proculdubio etiam à cauſa pia ſolventur. Gregor. *in l.*51. *tit.*6. *par.*1. *verb. Por razon*. Suarez *contra Regem Angliæ*, *lib.*4. *cap.*2. *n.*6. *&* 15. Sanchez *conſ. lib.*2. *cap.*4. *dub.*57. *num.*8. Rota apud Merlinum *deciſ.*902. *num.*64. ibi: *Secundò ſciendum eſt, quod ratione pacti, vel conditionis adjectæ in legato, Eccleſia tenetur ad collectas bonorum, ad quas alias non teneretur.*

14 Hæc doctrina temperanda eſt ſolùm in tributis merè realibus, quæ petuntur ratione rei; ſi autem petantur ratione perſonæ, nec Eccleſia, nec cauſa pia, etiam ex voluntate fundatoris, ad id tenebitur. Sanchez *d. dub.*57. *num.*3. nam fundator nequit facere Eccleſiam, aut cauſam piam affectam tributis laicis perſolvendis, & illam exuere privilegio immunitatis, prout nec facere poteſt, ut Clericus coram ſæculari judice conveniatur. Baldus *in leg.*2. *C. ut in poſſ. legat. eatur*, *num.*4. Ripa *n.*18. Guttierrez *in l. Nemo poteſt*, *n.*105. nec Eccleſia, nec cauſa pia poteſt ſe ſubmittere gabellarum ſolutionibus. Thomaſſetus *de Gabell. cap.*2. *n.*44. *& cap.*6. *num.*1. *&* 2. Barboſa *de univ. jur. lib.*1. *cap.*39. §.5. *num.*13. Itaque gabellas perſonales ex tali onere, aut conditione ſimile Anniverſarium Miſſarum non tenetur ſolvere. Denique nam eſt diſpar ratio in tributis realibus, quia non ſolvuntur ut vectigalia, ſed tanquam conditio rei inhærens. Rota *d. deciſ.*902. *num.*59. Marinis *allegat.*76. *n.*11. *&* 12. At perſonalia tributa ſolvuntur, ut propria, à quibus immunis eſt cauſa pia Anniverſarii, *d. cap. Non minus* 4. *de immunit. Eccleſiar.* Unde Paſqual. *d. quæſt.*1036. *n.*8. ſcripſit, quod licèt hæc bona Anniverſarii vendantur, minimè ad decimam venditionis tenebitur. Lara *dict. lib.*1. *cap.*20. *num.*7. Quapropter in perſonalibus tributis, etiamſi fundator dicat ſolvenda eſſe tributa laicis ex illis bonis, minimè perſolvenda erunt à cauſa pia.

Præterea diſquirendum, an hoc Miſſarum Anniverſarium poſſit ab Epiſcopo erigi in Beneficium? Quâ in re dicendum, minimè erigi poſſe in Beneficium, quoties id repugnaret voluntati teſtatoris: quare Garcia *de Beneficiis* 1. *par. cap.*2. *num.*105. aſſeruit malè agere Ordinarios, qui ſimiles memorias collativas faciunt, & erigunt in titulum Beneficii: unde ſequitur, quod ſi ſimile legatum Miſſarum ſit temporaneum, nequit in Beneficium erigi, repugnat enim perpetuitati Beneficii. Idem dicendum ſi teſtator diſponeret, ne Epiſcopus ſe intromittat in illa Miſſarum memoria, aut ſi diſpoſuerit electionem Capellani pertinere ad hæredes, vel ſi Anniverſarium habuerit exequutionem in vita fundatoris. Leon *de offic. Capellani*, *quæſt.*5. *ſect.*10. *à num.*141. Paſqualigius *quæſt.*1040. *&* 1041. Valenzuela *conſ.*188. *à num.*16. 15

Hæc enim certa videntur præter caſum illum, quando teſtator diſponat electionem pertinere ad hæredes; ſunt enim aliquæ Rotæ deciſiones apud Gonzalez *in regul.*8. *gloſſ.*5. *num.*58. quæ videntur contrarium aſſerere; ſed ut advertit Leon *dict. ſect.*10. *num.*150. ex his deciſionibus aſſumptum non probatur, quin potiùs contrarium deſumitur. Sed in re animadverto, maxima conſideratione penſanda eſſe verba fundatoris, quomodo committat ſuis hæredibus, aut patronis electionem Clerici ad dicendas Miſſas; ſi enim tantùm vellet eos præſentari, neutiquam repugnaret voluntati teſtatoris, ut memoria erigatur in Beneficium; ſecus ſi vellet teſtator, ut tota proviſio, ſeu electio ad hæredes, ſeu patronos pertineret independenter ab Epiſcopo; nam tunc apparet repugnare voluntati illius, ut erigatur in Beneficium memoria illa Miſſarum: quo in ſenſu intelligendi ſunt DD. aſſerentes in iſto caſu non poſſe Anniverſarium in Beneficium erigi. Garcia 1. *part. cap.*2. *num.*3. *in fin.* Moneta *de commut. cap.*10. *num.*80. Leon *dict. num.*150. Paſqual. *dict. quæſt.*1040. *num.*9. Cavaler. *deciſ.* 639. *num.*6. Valenzuela *d. conſ.*188. *num.*17. 16

Si verò memoria Miſſarum, ſeu Anniverſarium exequendum ſit poſt mortem teſtatoris, verùm non conſtet de voluntate illius, ſi non repugnet, erigi poterit in Beneficium ab Epiſcopo; iſtud verò non eſt agere contra ejus voluntatem, ſed memoriam Miſſarum in melius erigi: quapropter poterit id fieri ab Epiſcopo, ut cum aliquibus Paſqualig. *d. quæſt.*1040. *à num.*4. qui *quæſt.*1042. agit, an ex obſervantia legatum hoc Miſſarum fiat Beneficium, de qua re latè agemus *lib.*3. *cap.*2. *num.*18. 17

Alter modus efficiendi Anniverſarium eſt, quando alicui bona relinquuntur cum onere Miſſarum quotannis celebrandarum pro ſua anima, aut aliorum, quæ quidem bona profana, & laicalia relinquuntur; nec enim aliud habent, niſi onus Miſſarum, quod ſalvum ſemper debet remanere. 18

Eſt verò quæſtio non prætereunda, an hæc bona ex eo quod relinquantur cum onere Anniverſarii perpetui, vinculata remaneant, & in modum majoratus. Et ut hanc difficultatem clarè ſumamus, animadvertendum non adeſſe aliquam repugnantiam, ut hæc bona onere Miſſarum gravata, pro modo vinculi, aut majoratus diſponantur; onus 19

enim

enim pium materialiter se habet, & bona remanent subjecta dispositioni fundatoris. Idcircò si in modum majoratus relinquantur, omnes regulæ, & juris dispositiones ad majoratum concernentes debent observari, ut cum Covarruv. Menchaca, & Padilla tenet Castillo *controvers. lib.3. cap.19. num.175.* Lara *de Anniversf. lib.1. cap.5. n.8.* Guttierrez *lib.2. pract. quæst.86. num.2.* Garcia *de expens. cap.13. n.46.* Pasq. *quæst.1053. à num.1.*

20 Quapropter fundator bona illa Anniversarii poterit, prout majoratum, instituere, aut expresè, aut alius verbis inducentibus majoratum, de quibus agere nostri otii non est, sufficiet tamen aliqua attingere. Si enim fundator vinculi, aut majoratus, nomen in fundatione imponat, majoratus censetur. Cæterùm ex qualitate bonorum, & insimul quod voluerit ea in familia remanere, inducitur vinculum, seu majoratus. Quod idem dicendum si ex verbis testatoris constet velle conservare familiam, vel agnationem: itidem si dicat, quod filius, & ejus descendentes succedant, & si sine liberis decesserit, in alium filium illa bona perveniant: similiter dicendum, si testator disponat appositis illis dictionibus, *perpetuò*, *semper*, aut quod successor trahat sua arma, aut cognomina: aut si dicat, *Transeat Anniversarium de majore ad majorem*; vel, *de primogenito ad primogenitum*; aut, *Succedant ordine primogenituræ*. Denique si plures sint conjecturæ ad inducendum majoratum, latè Molina *de primog. lib.1. cap.5.* Gomez *in leg.40. Tauri, à num.44.* Covarruv. *lib.3. variar. cap.5. per tot.* Mathienzo *in leg.1. tit.7. lib.5. Recopilat. à gloss.7.* Castillo *controvers. lib.4. cap.9. per tot. & lib.5. cap.93. à §.1.* Barbosa *lib.2. vot.72.*

21 Hoc supposito difficultas est, quando nec expresè, nec ex verbis inductivis majoratus colligitur, velle testatorem in modum vinculi, aut primogenii Anniversarium instituere, an ex solo onere Missarum intelligatur majoratus? Et nonnulli affirmarunt, *ex leg. Annuam 6. ff. de Anniverf. legat.* ubi ex eo solùm, quod annua præstatio imponitur super bonis, fideicommissum inductum videtur, non quidem temporale, sed perpetuum: ergo sicut fideicommissum inducitur, similiter majoratus, cùm non sit dissimilis causa. Burgos de Paz *conf.2. num.114.* Molina *de primogen. lib.1. cap.4.* Textus tamen iste non plenè assumptum probat; nam inter fideicommissum, & majoratum sunt plures differentiæ. Parladorius *diff.18.* Ast inter alias illa excellentior est, ut bona divisibilia sint inter plures ejusdem gradus, *leg. Omnia 32. aliàs cùm ita, §. in fideicommisso, leg. Peto 69. §. Fratre 3. ff. de legat.2.* Lara *dict. lib.1. cap.4. n.27.* quod secus se habet in primogeniis, quæ tantùm ad unum pertinent: quapropter in primogeniis, seu majoratibus majores conjecturæ sunt necessariæ, quàm in fideicommissis. Valenzuela *conf.35. num.46.* in quibus leves sufficere affirmant plures, quos refert Fusarius *de substit. qu.276. num.5.*

22 Cæterùm probant suam sententiam ex variis conjecturis inducentibus majoratum ex solo onere Missarum; nam dicunt (ut conservetur onus Missarum) velle testatorem bona inalienabilia permanere, & quod in una persona conserventur: tum ne memoria familiæ pereat; quæ quidem qualitates sunt inductivæ majoratus, ut diximus suprà, *num.20.* Fusarius *de substit. quæst.384. per tot.* Ergo ex solo onere Missarum majoratus inductus censetur: resolvunt Angelus, Aretinus, Alex. & Xuarez, relati à Flores de Mena *lib.1. variar. quæst.17. num.23.* Meneses *in leg. Cum quidam, ff. de legat.2. num.2.* Molina *de primog. lib.3. cap.6. num.42. & cap.7. num.19.* Otero *1. part. divers. quæst.5. per tot.*

23 Sed hæ doctrinæ non rectè inducunt illas conjecturas ex solo onere Missarum, ut postea videbimus: valent tamen intelligi, si Anniversaria in modum majoratus fuerint instituta, ut benè explicat Lima *ad Molinam, dict. cap.7. num.9.*

24 Itaque contrarium est tenendum, & ad id probandum adducitur textus *in leg. Nihil proponi 123. ff. de legat.1.* ubi res valet alienari super qua annua præstatio imposita est: adest similiter textus *in leg. Fundi Trebatian. 38. ff. de usufruct. legat.* ubi legatis redditibus fundi uxori quoad vivat, non impedit quominus hæres illum valeat alienare, unde deducitur ex solo onere annuæ præstationis non induci majoratum, nec fideicommissum, aliàs alienatio non valeret. Sed Mena *d. quæst.17. num.5.* asserit hæc jura non benè assumptum probare, quia ex eis constat, voluisse testatorem tantùm hæredem actione personali teneri ad annuas præstationes, fundosque tantùm demonstrationis causa fuisse designatos: quod secus est in Anniversariis, in quibus annuæ pensiones ponuntur in prædiis, ut onera realia. Attamen licèt hęc jura non probent hanc sententiam quoad onus reale, comprobant tamen sufficienter, ex sola annua præstatione velle testatorem salvam fore causam legati, non tamen extendi ad alias conjecturas inducentes majoratum.

Cæterùm fideicommissum non inducitur nisi ex pluribus conjecturis, Bursatus *lib.1. conf.51. num.9.* Fusarius *dict. quæst.276. n.4.* Castillo *dict. lib.4. cap.9. num.68. in fine*: quæ quidem omnes nequeunt induci ex solo onere annuæ præstationis, quin potiùs Oldradus *conf.21.* scripsit fideicommissum non induci ex onere perpetuo, licèt habeat plures substitutiones: nec bona esse feudalia ex conditione cognoscendi Dominum, & ideò nec constitui majoratum ex solo onere Missarum. Deinde in testamentis non censetur volitum, quod non apparet dispositum: nec prudenter potest imaginari de voluntate testatoris, quod non possit ex verbis concipi, *leg. Gallus 29. §. Quidam rectè 1. ff. de lib. & posthum. leg. Si alii 19. ff. de usu, & usufruct. leg.* Tiraquell. *in l. Si unquam, C. de revocand. donat. verb. Libertis, num.18.* Mantica *de conjectur. lib.3. tit.3. num.3.* Ast ex solo onere Missarum nihil aliud concipitur, nisi annua præstatio ad onus Anniversarii adimplendum, non verò adsunt aliæ conjecturæ majoratus, cùm ex verbis nequeat id imaginari. Ergo ex solo onere Missarum nequit considerari majoratus: tenent Gamma *decis.30.* Mena *d. quæst.17. num.31.* Felicianus *de censibus, in Addit. ad lib.2. cap.3. num.19.* Vela *tom.2. dissert.35. num.152. in fin.* Robles *de repræsent. lib.3. cap.3. num.3.* Castillo *dict. cap.9. num.9.* Lara *de Anniverf. lib.1. cap.4. per tot.* Rojas *de incompatib. 1. par. cap.7. num.36.* 25

Hinc adnotanda est doctrina Valasci *consult.82. num.3.* asserentis ex solo onere Missarum, licèt fundator aliquas faciat vocationes, adhuc majoratum non præsumi: consentit Mena *d. quæst.17. num.3. ad fin.* Id verò intelligas, quando vocationes illæ non se extendunt ad regulas majoratus, verùm ex ordine communis successionis in bonis liberis cognoscatur, illas vocationes ad majoratum non pertinere. Si verò ex similibus vocationibus sint conjecturæ ad primogenium, aliter est dicendum, ut ipse scripsit *num.7.* Castillo *dict. cap.9. num.80.* & eas in terminis referunt Mena *dict. quæst.17. à num.32.* Lara *dict. cap.4. num.46.* Rojas *d. cap.7. num.37.* 26

Si verò consuetudo sit in aliqua regione, ut bona ex solo onere Missarum vinculata remaneant, id erit observandum; nam ex eo quod testator in contrarium nihil disposuit, videtur se conformem reddere cum consuetudine. Merlin. *decis.447. n.13.* Mantica *de conjectur. lib.6. tit.8. num.13.* & ita ex solo onere Missarum inducetur majoratus. Mena *d. quæst.17. n.44.* Lara *d. cap.4. n.40.* Pasqual. *quæst.1053. n.5.* Est tamen mirabilis consuetudo, quam refert vidisse Mena in quadam ditione, in qua bona affecta oneri Missarum, vendi permittebantur, non verò inter hæredes dividi, quod de jure communi admittendum non est: bona enim Anniversario affecta, divisibilia sunt inter hæredes, salvo semper onere Missarum, ut per Laram *d. lib.1. cap.7.* de qua re infrà dicemus. 27

Interrogabit aliquis, quæ facultas requiratur ad alienanda bona Anniversarii per modum vinculi, aut majoratus instituti? Et videtur esse necessariam facultatem Episcopi; nam bona illa debent censeri spiritualia, utpotè fundamentum obligationis dicendi Missas: quapropter facultas Episcopi erit necessaria. 28

Sed tamen in re dicendum, Regiam facultatem esse necessariam: & ratio est, nam bona ista, licèt habeant onus Missarum adjunctum, temporalia sunt. Valasco *consult.60. num.12.* ex qua quidem causa facultas Regia erit necessaria ad alienanda illa bona, ut cætera aliorum majoratuum: erit tamen advertendum, in his alienationibus salvam debere esse causam Anniversarii, quapropter Episcopo competit videre, ne aliquo modo onus Missarum detrimentum patiatur. Pasqual. *quæst.1055.* Verùm si vis, ut alienatio ista certa, & indubitabilis remaneat, Regis, ac Episcopi facultatem consequeris, ne aliquo modo alienatio claudicet. Perez de Lara *de Anniverf. lib.1. cap.5. num.61.* 29

Est

30 Eſt tamen caſus, quando præciſè requiritur auctoritas Epiſcopi, nempe quando alia bona ſtabilia ſubrogarentur, ut ad illa tranſeat onus Miſſarum; tunc enim proſpicere debet Epiſcopus, ne onus Miſſarum deterius fiat per translationem oneris ad alia bona, reſpectu cujus ſpiritualia cenſentur, licèt extra onus Miſſarum ſint laicalia. Paſqualig. *dict. qu.* 1055. *n.* 4. qui *n.* 5. aſſerit Epiſcopum in his alienationibus procurare debere, ne alienatio fiat in potentiorem; nam præjudicaretur exequutioni piæ diſpoſitionis; & ideò in tali caſu ſat erit, quod onus remaneat penes alienantem, cum ſubrogatione alterius fundi ſufficientis ad onus Miſſarum.

31 In aliis verò bonis, quæ relicta ſunt libera cum ſolo onere Miſſarum, nulla facultas eſt neceſſaria, ſed tantùm quod onus Anniverſarii ſemper ſalvum remaneat, *ex d. leg. Nihil proponi, & ex leg. Fundi Trebatiani*. Lara *dict. lib.* 1. *cap.* 2. Sed eſt difficultas, licèt non gravis, an ſi teſtator dicat, ne bona Anniverſarii alienentur, clauſula iſta ſit ſervanda? Ratio dubitandi deſumitur *ex leg. Filiusfamilias* 117. *§. Divi, ff. de legat.* 1. *leg. Pater filium* 38. *§. Iulius Agrippa, ff. de legat.* 3. ubi talis clauſula non alienandi irrita cenſetur. Sed in præſentiarum contrarium eſt tenendum; nam quoties clauſula de non alienando apponitur abſque aliqua cauſa, non ſuſtinetur, ſed ut nudum præceptum exiſtimatur. Probant duo jura allegata, & communiter Scribentes *in leg. Lucius, ff. de leg.* 3. *leg.* 44. *tit.* 5. *part.* 5. Azevedus *conſ.* 18. *num.* 7. Molina *de primogen. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 30. Verùm quando ineſt cauſa in ipſa diſpoſitione, prout eſt in Anniverſariis, nempe ut opus pium perpetuò conſervetur, aut memoria familiæ, tunc clauſula illa debet obſervari, ut tenent Azevedus, & Molina nuperrimè allegati. Gratian. *diſcept. forenſ. cap.* 280. *n.* 15. Caſtillo *lib.* 4. *controv. cap.* 9. *n.* 16.

32 Eſt tamen dubium majoris ponderis, an clauſula iſta, licèt valeat, debeat eſſe perpetua? Et aſſerendum videtur tantùm ad quartam generationem duraturam, *ex Authent. de reſtitur. fideicommiſſ. §. Nos igitur, collat.* 9. ubi alienatione probibita, ne bona extra familiam exeant, non extenditur prohibitio, niſi uſque ad quartam generationem. Peregrinus *de fideicommiſſ. art.* 30. *num.* 11. Molin. *de primog. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 12. Quod idem dicendum videtur in Anniverſariis: & confirmatur, nam clauſula de non alienando eſt odioſa, præcipuè in Anniverſariis, quorum bona, ſalvo onere, ex natura ſua alienabilia ſunt, idcircò ultra quartam generationem non debet prohibitio extendi. Decius *conſ.* 377. *n.* 5. *verſ. Et hoc*. Gratian. *d. cap.* 280. *n.* 17.

33 Obſervandum eſt, Authenticam allegatam de jure communi procedere, ſed de jure noſtro Regio non ita; plurimi enim abnegarunt locum habere, *ex leg.* 27. *Tauri*, Azevedus *d. conſ.* 18. *n.* 34. Sed quidquid ſit, in Anniverſariis contrarium eſt tenendum, ſcilicet clauſulam illam perpetuò duraturam: & ratio eſt, nam voluntas relinquentis onus Miſſarum perpetuum, dum clauſulam non alienandi appoſuit, proſpexit perpetuitatem illius oneris; itaque mens ejus eſt, ut obſervetur perpetuò, ut ſemper conſervetur onus Miſſarum. Confirmatur doctrina Covarruv. *lib.* 3. *variar. cap.* 5. *n.* 4. *verſ. Secundum quod*, ubi ſcribit diſpoſitionem Juſtiniani in prædicta Authentica non habere locum quoties ex voluntate teſtatoris protraheretur ad alias plures generationes, *ex l. Pronunciatio, §. Iure enim proprio, ff. de verb. ſignificat.* Ergo cùm ex natura Anniverſarii conſtet perpetuum eſſe debere, & inſimul adſit clauſula de non alienando, illa intelligitur ſimiliter perpetua ex voluntate teſtatoris, ut in majoratibus tenent Molina *dict. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 12. *& cap.* 6. *n.* 30. Mieres *de majorat.* 4. *part. quæſt.* 1. *num.* 5. Alvarado *de conjectur. ment. defunct. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 94. Caſtillo *dict. cap.* 9. *num.* 84. Denique licèt hæc clauſula ſit odioſa in bonis profanis, non tamen quando immediatè ponitur pro conſervanda cauſa pia, prout eſt onus Miſſarum; itaque faciliciter extendi poteſt ad perpetuitatem in his Anniverſariis. Navarr. *conſ.* 5. *de de præb.* Lara *de Anniverſ. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 18. Valenzuela *conſ.* 109. *num.* 44. Leoo *de offic. Capell. quæſt.* 5. *ſect.* 13. *n.* 223. Paſqualig. *quæſt.* 1052.

34 Sed adeſt contra textus *in d. leg. Pater filium* 38. *§. Iulius Agrippa* 4. *ff. de leg.* 3. ibi teſtator clauſulam non alienandi impoſuit prædio ſuburbano, ubi ejus reliquiæ, & majorum permanebant; & aſſerit Scævola clauſulam iſtam non tenere, quia eſt nudum præceptum non alienandi: eſt tamen in hoc caſu monumentum, & ſepulchrum majorum, & teſtatoris, cujus cauſa pia eſt. Ergo in Anniverſariis, licèt pientiſſimum ſint opus, nequit hæc clauſula eſſe perpetua, cùm de jure nulla ſit, etiam in piis cauſis. Bartol. *in dict. §. Iulius Agrippa*, aſſeruit hanc clauſulam alienandi, *in d. §.* fuiſſe appoſitam favore hæredis, nempe filiæ, quam quidem potuit ipſa non admittere, itaque ut nudum præceptum relinquitur. Confirmatur ejus doctrina; nam cùm Julius Agrippa nullam expreſſiſſet cauſam ponendi illam clauſulam, nec ex natura actus, cui adhæret, conjectetur, ut nudum præceptum exiſtimatur. Surdus *deciſ.* 238. *n.* 16. Ergo tantùm favore hæredis clauſula illa fuit appoſita, cui potuit filia hæres renunciare.

Bartoli intellectus non diſſolvit difficultatem; erat enim aliqua cauſa ad illam clauſulam, nempe conſervandi reliquias, & monumenta majorum, ne per alienationem memoria eorum finiretur: itaque ex defectu cauſæ non eſt relicta ut nudum præceptum. Quamobtem dico cauſam non defeciſſe ad clauſulam illam de non alienando, ſed illam; quam conſideravit Julius Agrippa, non fuiſſe ſufficientem; nam in homine ethnico non facilè cauſa pietatis eſt præſumenda, ſed voluiſſe iſta non alienari ob affectionem erga prædium, & monumenta majorum; quæ quidem affectio non eſt ſufficiens de jure communi ad ſuſtinendam clauſulam non alienandi. Ruinus *lib.* 6. *conſ.* 632. *num.* 113. Ergo neceſſariò relinquenda erat ut nudum præceptum. Gratianus *dict. cap.* 280. *à num.* 19. In præſentiarum igitur eſt cauſa graviſſima conſervandi onus Miſſarum, & ideò non ſolùm valet, ſed in perpetuum ſuſtinetur. Caſtill. *lib.* 6. *cap.* 146. *num.* 16. 35

Ex his colligitur, ſtante dicta clauſula de non alienando in bonis Anniverſarii, neutiquam dividi poſſe inter hæredes; nam quoties alienatio prohibetur, interdicta eſt etiam diviſio. Gamma *deciſ.* 300. *n.* 4. Valaſco *conſult.* 53. *num.* 4. Guzman *de evict. quæſt.* 1. *num.* 4. 36

Dubitari verò poterit, an ſtante dicta clauſula de non alienando in bonis Anniverſarii, in modum majoratus inſtitutum videatur? Et aliqui affirmant; nam quoties hæc bona inalienabilia, ac individua relinquuntur, ad majorem pertinent, *l. fin. ff. de fide inſtrum.* ibi: *Seniorem juniori, l. Cum pater* 77. *§. Pater, ff. de legat.* 2. Lara *d. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 9. onde cognoſcitur voluiſſe teſtatorem majoratum inſtituere, ut cum Aretino, Suarez, & aliis tenet Covarr. *lib.* 3. *variar. cap.* 5. *n.* 3. Valaſco *conſult.* 82. *num.* 5. 37

Hæc tamen doctrina ſimpliciter ſumpta vera non eſt, quin potiùs DD. illi, ſi attentè perlegantur, id non aſſerunt, ſed tantùm quando aliquod individuum relinqueretur jure primogenii, aut majoratus; quia tunc clauſula illa primogenium induceret, non per ſe, ſed ſimul cum aliis majoratum ſignificantibus. 38

Igitur diſtinguere oportet, quando in Anniverſario ponitur clauſula de non alienando, & inſimul teſtator alia verba apponit vinculum inducentia, utpote quod remaneat in familia; tunc enim in modum majoratus Anniverſarium inſtituitur, quia hæc verba ſunt inductiva illius. Molina *dict. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 16. Mena *dict. quæſt.* 17. *num.* 36. Si verò clauſula iſta apponatur ſimpliciter, ſecus dicendum eſt, quia per ſe ſola non inducit majoratum. Azevedus *dict. conſult.* 18. *num.* 5. Valaſco *dict. conſult.* 82. *num.* 7. *verſ. In hac ſpecie*, Caſtillo *dict. cap.* 9. *num.* 80. nec aliud voluit teſtator, niſi ut Anniverſarium perpetuò adimpleretur, nec ad alios modos ſuccedendi proſpexit. Denique fundamentum contrariorum incertum eſt; nam ex ſola clauſula non alienandi, ad majorem præciſè Anniverſarium non pervenit, ſed ad alium quemlibet hæredem, ut dicam infrà. 39

Præterea diſquirimus, an quando fundus, ſuper quo fundatum eſt Anniverſarium, alienatur, cum ſuo onere tranſeat ad tertium poſſeſſorem? Et affirmandum videtur, non tranſire, *ex l. fin. §. fin. ff. de contrah. empt.* ubi teſtator de fundo ſuo promiſit Caio Seio centum millia modiorum frumenti pro penſione annua: poſtea fundum vendidit. Quærebatur an emptor ad ſimilem præſtationem teneretur? Et reſpondet Conſultus, non teneri. Unde colligitur onera annuæ præſtationis ad tertium poſſeſſorem non tranſire. Ergo ſimiliter nec Anniverſarium ſuper fundo impoſitum. Eodem enim modo expendi valet textus *in l. Fundi* 38. *ff. de uſu, & uſufruct. legat.* 40

Hæc verò jura varia recipiunt interpretamenta. Alvar. Valaſc. *de jure emphyt. quæſt.* 4. *num.* 7. diſtinctionem facit, 41

quando pro annua præstatione assignatur fundus in testamento, aut in aliquo contractu. Primò casu semper dicit esse onus transiens ad tertium possessorem, secus verò in secundo; nam in contractibus non obligatur fundus, sed persona. Sed hæc distinctio rejicitur *in d. l. Fundi*, quæ loquitur de causa legati facti in testamento, quare displicent Garciæ *de expens. cap. 4. num.* 32.

42 Admittenda igitur erit Gloss. *in leg. Hactenus* 8. *ff. de usufruct. verbo Abeo*, dicens textum *in dict. §. fin.* intelligendum, quando testator designavit ad annuam præstationem demonstrativè, non verò taxativè: dupliciter enim id poterit fieri à testatore, nempe quando hæres tantùm obligatur actione personali, & fundus ad demonstrationem ponitur, ut inde redditus, aut pensiones annuæ solvantur, nullo modo obligando fundum ad præstationem; tunc enim dicitur demonstrativè positus. Aliter quando prædium, seu fundus ponitur in obligatione pensionis annuæ actione reali, ita ut remaneat affectus ad solutionem, & hoc modo dicitur taxativè positus, ut explicant Covarr. *in cap. Raynutius, de testament.* §. 10. *num.* 8. Moneta *de commut. ult. volunt. cap.* 6. *à num.* 172. *conclus.* 6. Castillo *lib.* 4. *controvers. cap.* 54. *per tot.* Crespi *observat.* 40. *n.* 13. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disput.* 21. *num.* 36.

43 Quando demonstrativè ponitur fundus, onus illud non transit ad tertium possessorem, sufficiet tamen ut ad onus se obliget hæres, prout remanet obligatus à testatore: quo in sensu intelligendus est textus *in d. §. fin. & in dict. leg. Fundi*; secus verò si taxativè, tunc enim ad tertium transibit, ut onus reale illius, Lara *de Anniverf. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 4. Pasqual. *qu.* 1051. *num.* 4. plures relati à Marchin. *de Ordin. tract.* 3. 2. *part. cap.* 22. *num.* 5.

44 Sed istinc restat dubium, an quando Anniversarium Missarum relinquitur, & fundus ad illud designatur, intelligatur demonstrativè, aut taxativè positus? Et dicendum videtur demonstrativè esse designatum; nam hæc distinctio demonstrationis, aut quando taxativè ponitur, admittitur etiam in Anniversariis, Capellaniis, aut aliis causis piis. Garcia *d. cap.* 4. *num.* 35. Castillo *dict. lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 22. Sed in dubio quando fundus designatur ad annuam præstationem, intelligitur demonstrativè positus, *l. fin. §. Titia, ff. de lib. legat. l. Lucius* 12. *ff. de aliment. legat. leg. Quidam testamento* 96. *ff. de legat.* 1. plurimi recensiti, & sequuti à Castillo *d. cap.* 54. *n.* 6. Ergo in Anniversariis, aut in aliis causis piis in dubio fundus præsumitur demonstrativè tantùm positus.

45 Sed in Anniversariis, & aliis causis piis contrarium tenent plurimi, ita ut semper intelligatur fundus taxativè positus; nam cùm testator prospexerit ad perpetuitatem Anniversarii, mens ejus est, ut taxativè ponatur, ut onus reale annexum fundo majori duratione persistat; & hoc à paritate alimentorum, in quorum favore semper præsumitur fundus taxativè positus, *l. Si quis libertis* 2. *ff. de aliment. legat.* ut intelligit Bart. sicut etiam in alia causa pia Tiraquell. *privileg.* 63. Mascardus *de probat. concl.* 1171. *num.* 54. Martin. Coler. *de aliment. lib.* 3. *cap.* 8. *à num.* 36. Gratianus *discept. forens. cap.* 683. *num.* 15. quod idem est dicendum in Anniversariis, quæ pientissima sunt. Lara *d. cap.* 2. *num.* 20. Garcia *dict. cap.* 4. *num.* 35. Castillo *dict. cap.* 54. *num.* 21. Cyriacus *controvers.* 659. *à num.* 5. Leon *de offic. Capell. quæst.* 5. *sect.* 13. *n.* 220. Pasqual. *d. quæst.* 1051. *à num.* 5. Starban *cent.* 2. *resol.* 106. *à num.* 71.

46 In hac difficultate dico maxima consideratione prospiciendum esse, quid veniat ex vi legati? Idque ex verbis testatoris concipi valet; nam si utatur verbis denotantibus obligationem fundi, tunc dicendum est fundum obligatum remanere taxativè, ut: *Lego Anniversarium super fundo*; aut, *ex tali fundo*. Pasqual. *d. qu.* 1051. *à num.* 6. aut si aliis verbis utatur, quæ denotent quantitatem ad certum fundum, ut latè tradit Garcia *d. cap.* 4. *à num.* 35.

47 Si verò verba non dirigantur ad fundum, verùm ad personam hæredis, tunc demonstrativè appositus censebitur, ut *in leg. Quidam testamento* 96. *ff. de legat.* 1. *leg. Firmio, ff. quando dies legat. cedat.* Sed est difficultas, quando Anniversarium imponeretur super fructibus fundi, an demonstrativè, aut taxativè fundus apponatur? Et affirmandum videtur, tunc demonstrativè potuisse testatorem, *ex leg. Fundi* 38. *de usu, & usufruct. legat.* ubi dicitur, legatis fructibus fundi, posse hæredem illum alienare, & legatario offerre annuam quantitatem; unde cognoscitur fundum non obligari, nec concipi in obligatione, sed tantùm demonstrativè fuisse appositum. Cæterùm, nam illa est natura obligationis super fructibus impositæ, ut minimè astringat fundum, nisi expressè à testatore disponatur, Craveta *consil.* 217. *num.* 4. Ergo si Anniversarium imponitur in redditibus, aut fructibus alicujus fundi, non remanebit in obligatione, sed tantùm causa demonstrationis. Pasqualig. *qu.* 1051. *à num.* 5.

48 Sed teneo contrarium cum Castillo *d. lib.* 4. *cap.* 54. *n.* 21. *vers. Cæterùm advocati*; est enim gravis distinctio, quando imponitur onus super fructibus in causis profanis, aut in piis; in profanis enim fundus obligatus non remanet, secus verò in piis: nam ut docet Tiraquell. *dict. privileg.* 63. tunc tacitè favore piæ causæ intelligitur obligatus, idcircò taxativè semper impositus præsumitur in his Anniversariis; unde doctrina Pasqualigii locum non habet, quia jura, & rationes pro sua opinione non in piis legatis loquuntur, & si de eis loquerentur, intelligendi erunt quando expressè, aut evincentibus conjecturis vellet testator, ne fundus obligaretur. Roman. *consil.* 412. quem benè explicat Castillo nuperrimè allegatus.

49 Hæc quæ hucusque dicta sunt, ut in dubio semper fundus intelligatur taxativè positus in Anniversariis, ac in aliis legatis piis, clarè procedunt quando relinquuntur in testamentis, nam in legatis competit hypothecaria, §. *Nostra, Instit. de legat. l.* 1. *C. commun. de legat.* Ergo quolibet modo designetur ad Anniversarium, vel ad aliam quamlibet causam piam, taxativè appositus censebitur, cùm ex natura legati specialiter ad id obligetur. Rota *in noviss.* 3. *part. decis.* 689. *n.* 4. Cyriac. *controv.* 659. *à num.* 1.

50 Si verò Anniversarium per contractum fundetur, veluti per donationem inter vivos, & fundus designetur ad hypothecam, certum est fundum remanere obligatum, *l.* 1. §. *Lucius, ff. de adimend. leg.* Garcia *de expens. dict. cap.* 4. *num.* 30. Sed quando nihil expresserit, erit aliquod dubium, quia deficit hypotheca, quæ consideratur in ratione legati. Verùm in hac specie adhuc taxativè appositum prædium censebitur, quia licèt deficiat hypotheca, favore causæ piæ tacitè videtur obligari. Tiraquell. *dict. privil.* 63. Simon de Prætis *de interp. ultim. volunt. lib.* 4. *solut.* 3. *num.* 18. *fol.* 430. Medic. *opusc.* 4. *n.* 28. Gigas *de pension. quæst.* 51. *n.* 1. & 3. Ergo cùm Anniversarium sit pia causa, etiam in contractibus fundus taxativè positus existimabitur.

51 Quid verò si Anniversarium non sit perpetuum, sed temporale, usque ad certum tempus adimplendum, & ad ejus solutionem fundus designetur? Si enim in testamento relinquatur, taxativè appositus censebitur, cùm in quolibet legato etiam temporali hypothecaria competat; si verò non designetur, omnia bona hypothecæ subjacent. Cyriacus *d. controvers.* 659. *n.* 3. Sed tunc resistit textus *in l. Fundi* 38. *ff. de usufruct.* ubi legatum erat temporale, quoad mulier vivat, seu ejus uxor, & tamen fundus non obligatur, sed demonstrationis causa positus est: occurrit verò Lara *d. cap.* 2. *n.* 22. dicens ibidem non fuisse legatam nisi quantitatem, id est æstimationem, quam testator ex locatione fundi percipiebat, prout sumitur ex verbis Consulti: itaque fundus in legato illo temporali non ponitur, nisi demonstrativè, & sufficiet ut hæres illam quantitatem præstet.

52 Si per contractum Anniversarium temporale imponitur, videtur fundum demonstrativè positum; nam cùm perpetuum non sit, ad ejus durationem ut fundus obligetur, sufficiet personalis obligatio hæredis. Sed contrarium tenendum est; nam licèt sit temporale, est causa pia, in qua tacitè intelligitur fundus obligatus, quoties designatus fuerit à testatore, rejecta distinctione demonstrationis, aut taxationis, ut cum Romano, & Castillo diximus suprà, *n.* 49. & 50.

CAPUT VIII.

De bonis in quibus imponi valet Anniversarium.

SUMMARIUM.

Anniversaria perpetua duobus modis institui possunt, n. 1.

Anniversarium debet constitui in bonis stabilibus, num. 2. *An possit imponi super bonis emphyteuticis, late discutitur, à num.* 3. *Fiunt duo membra distinguendo, & quando adest clausula de non alienando, usque ad num.* 20.

An

An Anniversarium possit imponi super bonis feudalibus, late disquiritur, à num.21. ubi plura explicantur usque ad num.33.

Et quid an possit imponi in bonis fideicommisso subjectis, à n.33. usque ad num.37.

Super bonis majoratus nequit Anniversarium imponi, si habet clausulam expressam de non alienando, num.38.

An imponi possit in usufructu, à num.39. Explicantur aliqua jura ad hoc, à n.40. & seqq. Resolvitur Anniversarium institui non posse in usufructus, n.46. Explicatur textus in cap.6. de donat. inter, *num.47.*

An quando bona Anniversarii evincuntur, teneatur hæres de evictione, à num.49. Quæstio hæc luculenter tractatur, usque ad finem.

1 IN Anniversariis perpetuis duobus modis à fundatoribus fit institutio, aut quando super bonis stabilibus fundantur, aut quando certa quantitas pecuniæ Ecclesiæ, seu Monasterio conceditur, ut in bonis illis collocetur ad celebrandum Anniversarium; de his enim duobus modis agendum est nobis.

2 Et in primis certum est, in bonis stabilibus constitui posse, & debere Anniversarium, cùm id pertineat ad necessariam perpetuitatem illius. Adsunt verò aliqua dubia necessariò exaranda circa hanc impositionem: quapropter disquirere oportet, an possit imponi super bonis emphyteuticis, idque dupliciter valet evenire, nempe concedendo fundum emphyteuticum Ecclesiæ cum onere Anniversarii, aut dando alicui laico, ut quotannis Anniversarii onus persolvat.

3 Quoad primum dicendum est fieri non posse, quia fundus emphyteuticus nequit in Ecclesiam alienari, cùm nequeat alienari in potentiorem, *l. fin. vers. Sunt autem, Cod. de jur. emphyt.* Clarus *lib.4. sent. §. Emphyteusis, qu.22.* Ecclesia verò potentior est, habet enim plura privilegia adhoc conducentia. Mantica *lib.22. de tacit.tit.28. num.64.* Ergo nequit Anniversarium sustineri illo modo, ut transeat fundus emphyteuticus cum onere Anniversarii ad Ecclesiam. Marchin. *de Ordin. tract.3. part.2. cap.28. num.8.* Garcia *in Summ. tract.3. diff.10. dub. ult. à num.3.* Leon *de uffic. Capell. quæst.5. sect.27. n.375.* Lara *d. lib.1. cap.19. à n.1.* Pasqual. *quæst.*1018. *num.3.*

4 Ast non semper ista doctrina est certa, adest enim casus in quo contrarium est tenendum, nempe quando emphyteusis est perpetua, & eo modo constituta, ut sit pro filiis, & hæredibus; & tunc transit ad quoslibet, etiam extraneos. Castillo *controv. lib.3. cap.19. n.29.* & consequenter ad Ecclesiam transibit, si illi concedatur, aut legetur. Rota in Mediol. *bonor. 16. Februarii* 1601. coram Lancellotto, Alexand. *lib.1. cons.*120. *num.3.* Gratian. *discept. forens. cap.* 533. *n.39.* quare in hac specie fundus emphyteuticus potuit Ecclesiæ legari cum onere Anniversarii.

5 Si verò emphyteusis has qualitates non habeat, nec fundus transire possit ad Ecclesiam, adhuc Anniversarium sustinebitur, non tanquam onus reale ipsius fundi emphyteutici, sed in pretio, valet enim intra annum illum vendere; nam cùm non possit emphyteusim retinere, concessum est ei, ut fundum intra annum vendat, & emolumentum pretii percipiat, quod ex consuetudine receptum asserit Speculator *tit. de emphyt. §. Nunc aliqua, n.*142. & 143. Mastrillo 2. *part. decis.*228. *num.*8. Cancer. *variar. 1. part. cap.11. n.61.* Gratian. *d.cap.*533. *n.39.* & ita Anniversarium emptis bonis stabilibus fundabitur, & sustinebitur. March. *d. cap.28. n.10.* Pasqual. *d. qu.*1018. *n.5.* Lara *d.lib.1. cap.19. num.14.*

6 Aliter poterit Anniversarium fundari in re emphyteutica, non in ipsa re, sed in fructibus, ita ut ex illis aliqua portio detur Ecclesiæ ad Missas Anniversarii dicendas: & negandum videtur, ex doctrina aliquorum, quos refert Surdus *de aliment. tit.4. qu.10. à n.6.* asserentium ex fundo feudali, seu emphyteutico nihil detrahi posse, nec portionem ad alimenta alicujus: ergo nec ad fundandum Anniversarium.

7 Verùm contrarium tenendum est cum Marchino *d. cap. 28. n.11.* & ratio est, nam tunc Anniversarium non imponitur in fundo emphyteutico, sed tantùm in fructibus, qui considerantur tanquam à solo separati: quapropter benè imponitur onus Missarum, absque aliquo damno Domini directi dominii. Cæterùm in fundo emphyteutico, in quo interdicta non est alienatio, imponi potest servitus, hypotheca, vel pignus. Afflict. *decis.*191. *n.3.* Clarus *verb. Emphyteusis, qu.18. vers. Et ideo,* Rota apud Cencium *decis.40. n.3. & decis.77. n.1.* Idcircò inconveniens non est, ut legetur ex fructibus certa portio Ecclesiæ concedenda ad adimplendum Anniversarium, ut in alia qualibet causa pia tenent Bald. *in cap.1. de success. feudi, n.8.* Surdus *d. qu.10. n.9.* Menochius *de arbitr. casu* 560. *n.17. &* 18. Gratian. *discept. for. cap.43. n.17.* unde contrariorum sententia admittenda non est, prout nec admittunt Surdus, nec Gratianus.

Præterea deveniendo ad secundum modum, quando Anniversarium imponitur in fundo emphyteutico, qui apud laicos relinquitur cum illo onere, dubium est an Anniversarium valeat imponi? Et aliqui negant, nam Anniversaria sunt privilegiata. Guido Papæ *decis.*576. quapropter alienatio fieret in potentiorem, saltem in illa parte, quæ correspondet oneri Missarum: tum, nam de feudo ad emphyteusim validum est argumentum. Ripa *in l.2. in princ. ff. si cert. petat. n.39.* Gamma *decis.*233. *n.16.* Mantica *de tacit. lib.22. tit.4. num.19.* Cæsar Argel. *de legit. contradict. quæst.18. n.18.* At in bonis feudalibus nihil pro anima relinqui valet. Isernia, Rolandus à Valle, Afflict. & alii apud Laram *dict. cap.19. num.6.* Ergo in fundo emphyteutico, etiamsi apud laicos remaneat, nequit fundari Anniversarium. Gamma *decis.*214. D.Gonzal. de Salced. *de leg. polit. lib.2. cap.2. n.97.* 8

Hæc fundamenta debilia sunt; nam licèt Anniversarium habeat plura privilegia, non tamen ad Ecclesiam, vel ad causam piam illius transit fundus emphyteuticus, nec Dominus directus aliquod incommodum percipit ratione laudemii, pensionis, aut finis emphyteusis. Argumentum desumptum à feudo ad emphyteusim, non ita premit; nam quoties contrarium est expressum, aut dispar ratio, validum non est, ut cum Socino tradit Mant. *d. tit.5. num.19.* Velasco *inter axiomat. jur. lit. A, num.*417. In feudo Anniversarium imponitur, ut statim dicam, unde nullum est illud fundamentum. 9

Quapropter asserendum est, validè Anniversarium imponi super fundo emphyteutico, nam rectè valet alienari Domino requisito. Clarus *verb. Emphyteusis, quæst.23. n.1.* Cancerius *dict. cap.11. num.39.* Ergo rectè in eo onus potest imponi. Cæterùm, nam ut dictum est suprà, nullum damnum percipit Dominus directus ex tali onere; nam in sua pensione, seu canone omnes creditores antecellit, quantumvis pios. Cancer. *dict. cap.11. num.42.* Anton. Faber *in Cod. lib.7. tit.32. diff.2.* Salgado *in Labyrint. 3. part. cap. 3. num.90.* nec damnum sentit in decima, aut laudemio, aut quominus finiatur, ex causis recensitis à Mantica *de tacit. dict. lib.22. tit.25.* Ergo poterit imponi. Idque clariùs demonstratur, quia onus Anniversarii cum ipsa emphyteusi finitur, & ad illud usque tempus impositum censetur, & non amplius. Ergo patet nullum detrimentum percipere Dominum directum, ne valida sit impositio Anniversarii. March. *d. cap.28. n.5.* Garcia *d. dub. ult. nu.5.* Leon *de uffic. Capell. q.5. sect.27. à n.*365. Lara *d. cap.19. à n.9.* Pasqual. *d. quæst.*1018. *num.3.* 10

Sed quid si fundus emphyteuticus nequeat alienari, ex eo quod pactum habeat non alienandi? In hoc dubio duas resolutiones involvit Lar. *d. cap.19. n.12.* Prima, quando Dominus directus pactum apposuerit, ne bona, aut fundus emphyteuticus alienentur. Secunda, quando ipse emphyteuta Anniversarium reliquerit super fundo emphyteutico, simili conditione, ne alienetur. 11

Quoad primum videtur Anniversarium imponi posse, non obstante pacto de non alienando; nam clausula ista, licèt à Domino directi dominii imponatur, jam de jure imposita est, siquidem nequit illum alienare irrequisito Domino, *l.2. l. fin. C. de jur. emphyt. cap. Potuit, de locat.* Sed non refragante dicta conditione tacitè intellecta, adhuc Anniversarium valet imponi, sicut etiam censuit Felician. *de cens. lib.2. cap.4. n.5.* Avend. *de censib. Hisp. cap.68. num.4.* Rodrig. *de ann. redd. lib.1. quæst.3. nu.7.* Salgado *d. 3. part. cap.3. num.19.* Ergo similiter quando per pactum fuerit expressa; nam expressum, & quod tacitè inest, idem operantur, *l.3. C. de fidejus.* Grat. *discept. for. cap.*378. *num.4.* Fusar. *de subst. qu.249. num.8.* 12

Sed hoc fundamentum solidum non est; nam regula illa, *Expressum idem operatur ut tacitum*, intelligitur quando in expresso amplius non intelligitur, quàm in tacito, *l. Maritus, ff. de Procurat.* Surdus *cons.*175. *n.22.* Gonzal. *ad* 13

regul. octav. Cancell. gloss. 15. §. 1. num. 62. Conditio de non alienando irrequisito Domino, tacitè à jure imposita, alienationem non impedit, ut aliis oneribus pignoris, vel hypothecæ subdatur fundus emphyteuticus. Avendañ. d. cap. 68. n. 4. Molin. de primog. lib. 1. cap. 20. à num. 1. de Lugo de justit. disp. 29. sect. 6. n. 98. Palao de justit. disp. 10. punct. 14. à num. 1. quod secus est si conditio de non alienando expressè apponatur, unde amplius in expresso, quàm in tacito inest, & consequenter regula illa non procedit.

14 Quare asserendum, quod si ex pacto sit ne bona, aut fundus emphyteuticus alienentur, minimè Anniversarium possit imponi super illis bonis taliter, ut remaneant affecta, ut benè Lara d. cap. 19. n. 2. Leon de offic. Capell. d. sect. 27. à n. 365. nam ex tali conditione expressa nequeunt bona emphyteutica gravari aliquo onere, nec subjici hypothecæ, cùm sit species alienationis. Rota apud Seraphin. decis. 794. n. 9. & apud Cenc. de censib. decis. 73. & 74. Gratian. discept. forens. cap. 903. n. 9. Cencius de censib. quæst. 22. à n. 7. Salgado in labyr. 3. par. cap. 3. num. 46. Ergo nec in eis Anniversarium imponi. Cæterùm conditio tacita in emphyteusi, non alienandi irrequisito Domino, nullum alium effectum tenet, nisi ut directus Dominus aliis emptoribus præferatur, si velit rem retrahere. Cenc. de censib. quæst. 64. n. 16. Palao d. disp. 10. punct. 13. n. 12. Sed non impedit quominus re apud emphyteutam manente, possit aliquo onere gravari, l. fin. C. de jur. emphyt. Pichard. in §. Adeò, Instit. de locat. num. 42. Gratus lib. 1. cons. 55. n. 14. Clarus d. §. Emphyteutica, quæst. 18. Mant. d. lib. 22. de tacit. tit. 28. à n. 50. Si verò sit expressa conditio non alienandi, contrarium est dicendum, ut probatum est: ergo stante tali conditione, nequit Anniversarium imponi super bonis emphyteuticis.

15 Advertendum est tamen cum eodem Lara, & Leone quoque, adhuc in hac specie Anniversarium sustineri, quamvis non in re, attamen in pretio, quod hæres præstare tenetur, ut fundetur onus Missarum. In fructibus verò illud poterit instituere, non obstante dicta clausula non alienandi; nam fructus non afficit, quominus alienari, aut hypothecæ subjici impediat. Cenc. d. quæst. 22. n. 10. Salgado d. cap. 3. num. 48. & in majoratibus observat Valenzuela cons. 56. n. 13. si donec vivat possessor, imponatur: ergo etiam non obstante dicta conditione non alienandi in fructibus, benè imponitur Anniversarium. Leon d. sect. 27. num. 377.

16 Secundus verò casus est, quando ipse emphyteuta Anniversarium reliquerit super bonis emphyteusis, cum conditione ne alienentur: & Lara d. cap. 19. n. 12. videtur asserere, Anniversarium imponi non posse; nam grave detrimentum inferretur Domino directo ex tali clausula, quia privaretur laudemiis ex venditionibus ad illum pertinentibus: tum, nam majoratus nequit fundari super rebus emphyteuticis, quia efficerentur inalienabiles, cum damno Domini directi. Gamma decis. 214. à n. 2. & admittit Lara num. 13. Ergo nec Anniversarium potest imponi in his bonis cum conditione oon alienandi.

17 Hanc sententiam admitterem si Anniversarium imponeretur cum hac clausula, & insimul conditione resolutiva, ut nisi observaretur, nollet testator Anniversarium sustineri, aliàs semper valebit, donec bona ista ad Dominum directum perveniant: & ratio est, nam ut docet Jason in l. fin. C. de jur. emphyt. num. 95. & alii relati à Lara d. num. 13. clausula de non alienando, imposita ab emphyteuta, nullius est momenti; idcircò sicut in aliis bonis emphyteuticis sustinetur Anniversarium, similiter in istis, explosa illa clausula de non alienando: & confirmatur, nam actus semper debet interpretari, ut aliquid operetur, l. Quoties 11. ff. de reb. dubiis, l. Titia 34. §. Lucius, ff. de legat. 2. Tuschus lit. A, concl. 135. Ergo præsumendum est velle testatorem, ut si clausula illa non valeat, & rejiciatur, Anniversarium sustineri in bonis emphyteuticis, tanquam si posita non fuisset. Denique non facilè credendum est in hoc casu velle testatorem in æstimatione Anniversarium imponere, quando habet jus imponendi in ipsis rebus emphyteusis; quoties enim aliquis habet jus in aliqua re, illud legatum censetur, non æstimatio, leg. Servi 5. §. fin. ff. de legat. 1. cap. Pastoralis 7. de donat. Gomez variar. tom. 1. cap. 12. num. 13. Morquecho de divis. bonor. lib. 1. cap. 8. num. 21. Ergo in præsentiarum Anniversarium in ipsis bonis emphyteusis manebit impositum, & clausula de non alienando, tanquam non adjecta habebitur.

Quid verò in melioramentis factis in re emphyteutica, an in illis possit imponi Anniversarium: Et ad resolutionem dico, dupliciter rem emphyteuticam meliorari posse. Primò quando melioratio non fit in ipsa re, sed sejuncta, & separata, veluti si emphyteuta prædium contiguum emeret valdè utile emphyteutico; & in hoc casu certum est posse Anniversarium imponere super fundo meliorato; nam est proprium emphyteutæ, illumque valet vendere liberè, ac quolibet onere gravare, ut cum Valasco tenet Molin. de just. tract. 2. disp. 463. n. 7. ergo etiam Anniversarium imponere. 18

Secundò, quando melioramenta fiunt in ipsa re emphyteutica, & tunc super illis rectè Anniversarium imponitur: & ratio est, nam meliorationes sunt propriæ ipsius emphyteutæ, & ad illum pertinent; nam cùm habeat in re ipsa dominium utile, quæ fecerit melioramenta, fiunt propria facientis: quamobrem super illis onus quodlibet poterit imponere, sive sit Anniversarii, sive census. Cenc. de cens. q. 22. n. 17. idque non solùm durabit pro tempore, quo duret emphyteusis, sed in perpetuum; nam finita emphyteusi, melioramenta ista pertinent ad emphyteutam. Mant. d. lib. 22. tit. 28. n. 14. Clarus §. Emphyteusis; q. 45. Molin. d. disp. 463. n. 2. Palao de justit. disp. 10. punct. 5. à n. 2. itaque semper onus durabit; & si melioramenta inseparabilia sint à fundo, æstimatio debetur, ex qua deducetur quidquid necessarium fuerit ad stabilendum Anniversarium, nisi in pacto deductum fuerit, quod melioramenta finita emphyteusi ad Dominum directum pertineant, quia tunc Anniversarium cum emphyteusi finietur. Molina nuperrimè allegatus n. 1. Palao num. 3. Cenc. d. num. 17. vers. Et hinc fit. 19

Dominus verò directi dominii de dominio rei emphyteuticæ rectè disponit, non verò interim quod durat emphyteusis, valet imponere Anniversarium, cùm id fieret in præjudicium habentis dominium utile: poterit tamen onus Missarum adjungere, quod correspondeat pensioni, seu canoni solvendo ex re emphyteutica, considerando etiam laudemia ex venditionibus. Alio etiam modo poterit Anniversarium relinquere fructibus correspondens, scilicet si conferatur in tempus quando emphyteusis finiatur. Lara d. cap. 19. à n. 18. Pasqual. quæst. 1018. num. 7. 20

In feudalibus bonis est etiam disceptatio, an imponi possit Anniversarium? Et ad rem noto, feuda esse in triplici differentia; aliqua enim sunt merè ex pacto & providentia, aliqua merè hæreditaria, & alia mixta: & quoad prima, in illis Anniversarium nequit imponi; nam hæc sunt purè inalienabilia, nec aliquo modo subjici valent alicui oneri, seu hypothecæ, nec successor aliquid percipit judicio testatoris, sed providentia legis; quare nequit in his feudis aliquod onus imponi, nec Anniversarium, ut cum Isernia docet Lara d. cap. 18. n. 6. Leon d. sect. 27. n. 371. 21

Est tamen dubium, an tunc in pretio sustineatur Anniversarium? Et negandum videtur, quia æstimatio debetur quando legatur res aliena, si sit in commercio communi hominum, secus si non: cùm ergo res feudalis sit extra commercium, & nequeat alienari etiam pro anima, cap. 5. vers. Vel pro anima judicare, de prohibita feudi alienat. Roland. volum. 2. cons. 79. num. 5. Parisius vol. 1. cons. 7. num. 14. Purpuratus cons. 101. num. 6. Socin. Junior volm. 2. cons. 41. num. 32. qui asserunt non solùm alienari non posse pro anima, verùm nec æstimationem deberi, ut tenet etiam Baldus in l. 1. C. de Sacr. Eccles. in 1. lect. ideo Anniversarium nequit sustineri in re feudali, ut nec æstimatio debeatur. 22

Sed contrarium est tenendum, & fundamentum principale est, nam licèt res quæ extra commercium est, nequeat legari, ita ut nec æstimatio debeatur, l. Apud Julianum 40. §. Constant 7. ff. de legat. 1. §. Non solum, Instit. de legat. id tamen fallit quando de sua natura alienabilis est, verùm ex aliquo pacto, aut ex aliqua solemnitate deficiente non alienatur, ut videre est in rebus dotalibus, pupillorum, & Ecclesiæ, quæ si legentur, licèt sint extra commercium, æstimatio debetur. Pichard. in d. §. Non solum, à num. 43. quod idem dicendum est, quando testator legaverit rem feudalem sciens feudalem esse, quia ex natura sua acquiritur præscriptione, successione, vel emptione, licèt ex prohibitione non sit alienabilis, ut cum Isern. & aliis notat Pasqualig. quæst. 1019. num. 7. ergo æstimatio debebitur, si legetur res feudalis ad Anniversarium, ut cum pluribus docet ipse Pasqual. dict. quæst. 1019. Lara dict. cap. 19. num. 16. vers. An in feudo. 23

Si verò bona feudi sint secundæ, aut tertiæ speciei, 24

aliqui

aliqui dicunt nec Anniversarium sustineri posse; nam hæc bona nec alienari, nec hypothecæ, aut pignori obligari possunt absque Domini consensu: ergo nec super eis Anniversarium imponi, prout nec census. Avend. *de cens. cap.* 66. *à n.*4. Marta *vot.*132. *à n.*1. Tamb. *oper. mor. lib.9. tract.* 2. *cap.*6. §.3. *n.*15. Bonac. *de contract. disp.*3. *qu.*4. *punct. unic. num.*12. Cenc. *de cens. quæst.*21. *à num.*1.

25 Sed contrarium tenent plures si Anniversarium relinquatur tamdiu quandiu duraverit feudum, nec ad Dominum revertitur. Afflict. *decis.*240. *dub.*3. Capicius *decis.*47. Gizarel. *decis.*28. *per tot.* Palao *de justit. disput.*6. *punct.*23. §.4. *n.*2. Leon *d. quæst.*5. *sect.*27. *num.*375. Pasqual. *quæst.*1020. *à num.*3.

26 Hæc sententia est admittenda prout explicatur ab ipsis Doctoribus; nam licèt feudum absque aliquo onere sit relinquendum, & ne officiat Domino illius, nec investituris in eo faciendis, adhuc ex actione personali hæres ad Anniversarium obligatur; nam cùm præcisè ad successiooem requiratur ut sit hæres, nequit acceptare jus hæreditatis absque eo quod acceptet onus Missarum annexum illi juri, ut benè Franch. *decis.*1. *num.*33. Cæterùm, nam testator potest gravare, aut legare rem hæredis, & hæres tenetur ratum habere, §. *Non solum*, *Instit. de leg. l. Vnum ex familia* 67. §. *Sed si uno*, & §. *Si rem*, *ff. de leg.*2. *l. Filiusfamilias* 14. §. *Cum pater*, *ff. de legat.*1. itaque licèt fructus feudi sint hæredis, potest eos testator gravare onere Missarum, prout in censu tenet Palao *d.* §.4. *num.*2. ergo hæres ad Anniversarium tenetur ex actione personali, unde nullum damnum resultat in feudo, usquedum ad Dominum perveniat, & tunc Anniversarium cessat.

27 Istinc resolvitur, æstimationem non deberi ab hærede, licèt hæreditas esset ad id sufficiens; videtur enim in hac specie tantùm voluisse testatorem gravare hæredem, prout poterat, non verò æstimationem præstare. Cancer. 3. *part. cap.*20.

28 Si verò feudum sit vendibile, & transmissibile ad quascumque personas, Anniversarium rectè super bonis illius imponitur; tunc enim non est propriè feudum, sed allodium, in quo res ut propria habetur, & tantùm ex ea servitium, aut tributum solvitur: quapropter Anniversarium super ea rectè imponitur, sicut hypotheca, & census. Speculator *tit. de locat.* §. *Nunc aliqua*, Cenc. *dict. quæst.*21. *num.*15.

29 Interrogabis fortè, an si culpa successoris feudum ad Dominum revertatur, Anniversarium finiatur? Et Leon *de offic. Capell. d. quæst.*5. *sect.*27. *num.*379. scripsit minimè finiri; nam ex culpa successoris nequit damnum irrogari animæ relinquentis: & licèt feudum ad Dominum perveniat, ipse successor ad damnum resarciendum tenebitur adimplendo Anniversarium.

30 Sed Pasqualigius tenet contra ipsum *quæst.*1021. *à num.*3. nam feudum hæreditarium habet periculum, ut ob culpam successoris amittatur, idque prævisum à testatore: quamobrem Anniversarium imposuit, ita ut si ob culpam successoris perderetur, non amplius adimpleretur. Cæterùm culpa successoris non influxit immediatè in damnum Anniversarii, sed tantùm præbuit occasionem, ut feudo privaretur: ergo minimè tenetur ad adimplendum Anniversarium.

31 Hæc sententia probabilis est, & sustinenda, nisi aliàs successor animo fraudandi Anniversarium culpam commiserit; tunc enim cùm culpam commiserit eo animo, ut Anniversarium deperderet, fuit occasio illius damni, & ad resarciendum tenetur. S. Thom. 2. 2. *quæst.*62. *art.*7. Lessius *de justit. lib.*2. *cap.*13. *dub.*2. Secus verò quando id non intenderit, sed delictum commisit, ex quo feudo privatur; tunc enim per accidens destruitur Anniversarium, quod lædere non intendebat successor criminosus. Illud tamen cum eodem Pasqualig. *quæst.*1022. *n.*3. observo, quod si Dominus culpam condonet, & successor possessionem continuet, tenebitur ad continuandum Anniversarium, quia non est novum feudum, sed antiquum continuatum, Jacobus de Franch. *in prælud. ad feud. usus*, *qu.*2. *n.*89. Secus si finito feudo renovetur investitura. Leon *d. sect.*27. *num.*380.

32 Dominus itidem feudi benè super bonis illis Anniversarium imponet, ut ex canone, aut pensione illius solvatur, aut ex illius emolumentis, aut solvendum quando ad Dominum revertatur, ut in censu tenent Avend. *dict. cap.*66. *num.*7. & *cap.*67. *num.*2. Palao *dict.* §.3. *num.*4.

sicut de emphyteusi diximus suprà, *num.* 20.

Præterea disquiramus, an Anniversarium imponi possit in bonis fideicommisso subjectis? Et ut clarè procedamus prænotandum, bona fideicommisso subjecta posse dupliciter considerari: in primis quando simpliciter relinquitur alicui fideicommissum restituendum: aliter quando vocantur de familia ad illius successionem per varias vocationes, cum clausula de non alienando, ad instar majoratus. 33

Quoad primum dicendum, ex voluntate personæ cui bona restituenda sunt, benè imponi posse in illis bonis Anniversarium perpetuum, & hoc est certum: si verò illius non adsit assensus, nequit imponi in illis bonis restituendis, nisi pro vita hæredis, aut personæ restituere debentis, quia pro illius vita rectè illa bona alienare valet; est enim hæres dominus illorum bonorum, donec fiat restitutio, itaque rectè poterit ea alienare, aut in illis onus imponere, aut hypothecæ subiicere. Fusarius *de substit. quæst.*603. Salgado *in Labyrint.* 2. *part. cap.*22. *num.*17. sicut etiam censum imponere. Cencius *de cens. qu.*19. *à num.*1. Rota apud eundem *decis.*40. *à n.*8. quod idem observandum in alio quoque fideicommisso, in quo prohibita expresè non est alienatio, ut in bonis majoratus observat Avendañ. *de cens. cap.*62. *num.*6. 34

Quoad secundum modum fideicommissi, nequit Anniversarium imponi, si habeat clausulam non alienandi; nec ab initio valebit, etiam pro vita possessoris, tanquam onus impositum in ipsis bonis fideicommissi: & ratio est, nam clausula illa ita impedit alienationem, ut nec permittat onus aliquod reale, nec hypothecam. Avendan. *d. cap.*62. *n.*7. Rota apud Seraph. *decis.*321. *num.*1. & *decis.*751. *n.*2. Cenc. *d. qu.*19. *num.*3. Ergo nec Anniversarium, sed alio modo sustinebitur, nempe ut hæres remaneat obligatus ad præstandam æstimationem, aut aliam rem comparare, sicut quando legatur res aliena, §. *Non solum*, *Instit. de legat. l. Cum alienam* 10. *Cod. eod. tit.* Gomez *var. tom.*1. *cap.*12. *num.*13. Canc. 3. *part. var. cap.*20. *à num.*289. Castillo *lib.*4. *controv. cap.*33. *à num.*5. Spin. *de testam. gloss.*8. *ex num.* 55. & ratio est, nam cùm fideicommissum sit restituendum, & habeat clausulam non alienandi, censetur res aliena: quapropter hæres ad æstimationem tenetur, aut alia bona comparare, ubi Anniversarium stabiliatur. Leon *d. sect.*27. *in fin.* Pasqual. *qu.*1017. *n.*3. & 4. 35

Quod non solùm teneas si testator scierit bona illa fideicommisso subjici, verùm etiam si ignoraverit; nam licèt quando legatur res aliena ignoranter, nec pretium, nec æstimatio debeatur, *dict.* §. *Non solum*, *l.*10. *tit.*9. *part.*6. Gomez *dict. num.*13. Menoch. *lib.*4. *præs.*116. *num.* 13. id fallit in legatis piis, in quibus favore animæ præsumitur testatorem similiter legaturum, etiamsi rem scierit alienam, argumento sumpto quando legatur conjunctæ personæ; nam etiamsi res aliena ignoranter legetur, validum est legatum, *d. leg. Cum alienam* 10. *C. de legat.* Fallit etiam in libertate, *l. Quidam* 25. §. *Si quis filium*, *ff. ad Trebell. l. Paulus* 39. *ff. de fideicomm. libert.* Ergo similiter in legatis piis, ut est Anniversarium. Tiraquell. *privileg.*66. Menoch. *dict. præs.*116. *num.*30. Valasco *consult.*108. *num.*17. Mant. *de conject. lib.*9. *tit.*9. *n.*4. optimè Gratian. *discept. for. tom.*4. *cap.*611. *à num.*8. 36

Quid verò dicendum in bonis majoratus, si Anniversarium fundetur? Et cum distinctione respondendum: aut habet clausulam expressam non alienandi, vel non: si non habet, pro vita possessoris validè institueretur; nam pro vita sua proprietarius est, & valet servitutem imponere morte resolvendam. Molina *de primog. lib.*1. *cap.*20. *n.*4. Fusarius *de substit. qu.*527. *n.*2. Peregrin. *de fideicom. art.*40. *num.*112. ergo etiam Anniversarium instituere in illis bonis, ut in censu tenet Avend. *de cens. cap.*62. *num.*6. 37

Si verò majoratus habeat clausulam expressam non alienandi, minimè Anniversarium super illo institui valet; prohibitio enim illa quodlibet onus, aut servitutem excludit, etiam in vita possessoris, ita ut nec in proprietate, nec in usufructu valeat imponi onus Missarum, sicut nec aliud quodlibet; nam expresè prohibita alienatione, non solùm res, verùm ususfructus alienari interdicitur, utpote pars dominii, *l.*4. *ff. de usufruct.* sed poterit Anniversarium imponi super ipsa commoditate ususfructus, dum possessor vixerit; hæc enim prohibita alienari non censetur ex clausula illa, etiam expresè posita, quia per hanc facultatem, seu commo- 38

ditatem nullum jus in re constituitur; diversum enim quid est ususfructus à commoditate, seu facultate percipiendi fructus, *leg. Si ususfructus 66. ff. de jur. dot. l. Vsusfructus 57. ff. solut. matrim.* Itaque in illa commoditate rectè instituitur Anniversarium, secus in proprietate, aut usufructu; aut in usufructu, & proprietate, ut in censu tenet Avend. *d. cap.62. n.7.* Molina *d. cap.20. n.13.* Fusar. *d. quæst.527. à n.3.* Castillo *lib.4. controv. cap.54. num.3.*

39 Unde videamus, an usufructuarius alicujus rei valeat Anniversarium imponere super illam? Et in primis certum est, in proprietate minime imponere posse Anniversarium; nam est res aliena, in qua nequit servitus constitui, §. *Adeò, Inst. de serv. l.2. ff. eod. tit. l.1. ff. de comm. prad.* nec pignus, nec hypotheca, *l. Aliena res 20. l. Si res aliena 9. ff. de pign. act. l. fin. C. si res alien. pign. data sit*, Molina *d. cap.20. n.1.* Garcia *de expens. cap.10. à n.20.* quare nec in proprietate poterit usufructuarius Anniversarium imponere, sicut nec censum. Avendañ. *cap.70. num.6.* Cencius *de censib. qu.25. num.2.*

40 Erit verò difficultas, an in ipso usufructu possit Anniversarium constituere? Et affirmandum videtur; nam usufructuarius habet dominium in ipso usufructu, quapropter poterit illum alienare, pignori, aut hypothecæ subjicere, *l. Arboribus 13. §. Vsufructuarius, ff. de usufructu, l. Non utitur 45. l. Cui ususfructus 74. ff. eod. §.1. Instit. de usu, & habit. l. Vsufructu 58. ff. solut. matrim.* quæ quidem jura apertè ususfructus alienationem permittunt, unde inferunt DD. pignori vel hypothecæ obligari posse, ut sunt plurimi recensiti à Castill. *lib.1. controv. cap.69. num.4.* ergo usufructuarius rectè in ipso usufructu imponere potest Anniversarium pro vita usufructuarii, pro qua durat ususfructus, §. *Finitur, Inst. de usufruct. l. Titio 58. ff. eod. tit. l. Vsusfructus 5. ff. de usufr. legat. l.24. tit.31. part.3.* Connan. *lib.4. Comm. cap.6.* Petr. Gregor. *Syntag. lib.4. cap.5. num.7.*

41 Hoc fundamentum solidum non est, nam sunt alia jura probantia usumfructum minimè alienari posse, *d. §. Finitur, Inst. de usufruct. l. Si ususfructus 67. ff. de jure dot. leg. unic. §. Sin autem, C. comm. de manum. l.24. tit.31. part.3.* Unde colligunt DD. alteri, nec usumfructum pignori, aut hypothecæ obligari posse, quin potiùs si cedatur, aut alienetur, cum proprietate consolidabitur, ut tenent quamplurimi recensiti à Castillo *d. cap.69. num.3.* Covarr. *lib.1. var. cap.8. n.7.* Sanchez *in Decal. lib.7. cap.13. à n.10.* & de jure nostro Regio indubitabile dicit *ex d. l.24.* D. Olea *de cess. jur. tit.2. quæst.5. num.2.* unde prospicitur fundamentum illud solidum non esse.

42 Quapropter alii DD. ut hanc contrarietatem ad concordiam addocant, dicunt in usufructu duo esse consideranda, jus ipsius usufructus, & commoditatem illius; & asserunt jus ipsius usufructus non posse alienari, cedi, aut hypothecæ subjici, sed tantùm commoditatem illius: quod in dubio semper intelligendum, ne usufructuarius cadat à jure suo per cessionem, vel alienationem usufructus formalis. Covarr. *d. lib.1. cap.8. n.7. vers. Quod si patre*, Gomez *tom.2. cap.15. n.17.* Morla *in Empor. tit.6. qu.1. n.4.* Pich. *in d. §. Finitur, n.14.* Garc. *de expens. cap.10. à n.28.* unde asserendum videtur, Anniversarium rectè imponi super commoditate ususfructus, interim quod usufructuarius vixerit, sicut in ea census rectè ab usufructuario imponeretur. Avend. *de cens. cap.71. à n.2.* Cenc. *eod. tract. qu.25. à num.7.*

43 Hæc sententia, ut ab his Doctoribus explicatur, admittenda est: illud verò, quod ab aliis affirmatur, nempe usumfructum formalem alienari posse, de jure nostro Regio admittendum non est, *ex d. l.24. tit.31. part.3.* quam aliter accipiendam asserunt D. Olea *ubi suprà*, Garc. *dict. cap.10. n.33.* De jure verò communi similiter admittendum, quidquid resistat Castill. *cap.69. jam relato*; est enim ususfructus servitus personalissima ipsius usufructuarii, *l.1. ff. de serv. l.1. tit.31. part.3.* quæ nequit cessione, nec alio modo alienationis ad alium transferri, nisi ad proprietarium, ut disponitur *in d. §. Finitur*. Tum ususfructus ita inhæret proprietati, ut pars sit dominii, *leg.4. ff. de usufruct.* quod inspecto toto dominio fundi certum est, cùm plenum dominium constet proprietate & usufructu, *leg. 2. ff. quib. mod. usufr. amittatur*, Morl. *d. qu.1. num.13.* quamobrem nequit alienari ab usufructuario, cùm sit pars ipsius dominii inalienabilis ab eo, ut diximus suprà, Millius *observ. 120. num.10.*

44 Jura verò asserentia usumfructum vendi posse, varia recipiunt interpretamenta: ast illud communiter receptum est, ut intelligantur non de ipso usufructu formali, sed de commoditate illius in fructuum perceptione; hæc enim venditio, seu alienatio præcisè est sustinenda: nam remanet ususfructus penes usufructuarium absque aliqua translatione, quapropter venditio & alienatio illa sustinetur solùm in perceptione, & commoditate fructuum: cæterùm hæc commoditas fructuum facit, ut considerentur tanquam à solo separati, ut diximus suprà, *num.7.* itaque venditio necessariò in commoditate ista valebit, non in usufructu formali, qui de sui natura nequit ab usufructuario avelli, & ad alium transferri. Sarmient. *selectar. lib.3. cap.9. n.2.* Matienzo *in leg.13. tit.11. lib.5. gloss.3. num.15.* Quesada *divers. quæst. cap. ult. n.16.* unde sequitur Anniversarium rectè imponi posse ab usufructuario in usufructu, quia impositum remanet in commoditate fructuum.

45 Hucusque dicta benè procedunt quando absolutè Anniversarium imponitur in usufructu, quia intelligitur impositum in commoditate fructuum. Quid verò si usufructuarius expressè dixerit, non imponere super commoditate, sed in ipso usufructu formali, animo illum alienandi, & transferendi ad ipsum Anniversarium pro toto tempore suæ vitæ. Et in sententia illorum asserentium, rectè jus formale ususfructus alienari posse, facilis est resolutio dicendo valere Anniversarium, idque confirmationem recipere videtur *ex cap. Nuper 6. de donat. inter*, ubi maritus in dotem dedit uxori tertiam partem fundi, in quo usumfructum habebat: & asserit Pontifex ad ipsam transtulisse jus, quod pro sua vita habebat: quod idem dicendum est in Anniversario, cùm causa non sit minùs pia, quàm dotis causa.

46 Sed tamen dicendum, minimè Anniversarium sustineri posse in ipso usufructu; nam, ut diximus, inalienabilis est, & adhæret ossibus usufructuarii quoad illius formalitatem: quapropter nequit sustineri Anniversarium non solùm in ipso formali usufructu, verùm nec in commoditate illius; nam ex hac culpa finitur ususfructus, & consolidatur proprietati, ut dicunt relati à Castill. *d. cap.69. n.9.* Rota apud Millium *observ. for. decis.64. num.12.*

47 Nec obstat textus *in d. cap. Nuper*; ibi enim quæstio non erat quando maritus voluisset dare in dotem usumfructum formalem cum translatione illius; sed tantùm an defuncto marito extingueretur ususfructus datus uxori? Et asserit Pontifex extingui, nec ab illa retineri posse, cùm regulariter nullus plus juris in alium transferre debeat, quàm eum constet habere, *leg. Nemo 54. ff. de regul. jur. leg.4. ff. de pign. action. cap. De abortum 1. quæst.7.* Ex hoc tamen textu non probatur maritum ad uxorem transtulisse ipsum jus ususfructus cum sua formalitate, sed tantùm commoditatem illius, ut benè advertit D. Gonzalez *ibid. n.17.* Galban. *de usufruct. cap.38.* unde in proposita specie in ipso usufructu non sustinebitur Anniversarium.

48 Verùm alio modo sustinebitur, nempe in æstimatione; nam ut diximus suprà, quoties imponitur in re de sua natura inalienabili, & quæ nec pignus, nec hypothecam recipit, fundatur in æstimatione; vult enim fundator, ut quæ ad animam suam constituit, si non valent eo modo quo constituit, altero sustineantur, prout si Anniversarium reliquerit in melioramentis factis in re fructuaria, tunc Anniversarium non sustinetur, quia melioramenta facta ab usufructuario statim quoad proprietatem fiunt domini fundi; licèt enim possit facere fundum meliorem, non tamen id jure suo facit, *leg. Vsufructuarius 51. ff. de usufruct.* itaque super illis nequit Anniversarium institui, sicut nec census. Rota apud Cenc. *decis.541. n.18.* ipse Cenc. *de censib. qu.25. à n.10.* Verùm quia hæc melioramenta utilia, & necessaria repetet, Rota *d. decis.541. num.24.* Castill. *d. lib.1. cap.57. per tot.* in æstimatione sustinebitur Anniversarium, ut jam dictum est suprà; eodem enim modo dicendum est in nostra specie.

49 Denique in hoc capite disquirendum, an quando bona, in quibus fundatum est Anniversarium, deficiunt, hæres teneatur de evictione? Hæc disquisitio dupliciter est consideranda, vel quando res non est tradita, aut quando legatario tradita est. Quoad primum, si certa quantitas relinquatur, & ante traditionem pereat, hæres supplere tenetur, quia obligatio illa est in tota hæreditate, quapropter pereunte illa quantitate, adhuc hæres tenebitur illam supplere. Pasqualig. *quæst.1026. num.1.*

Quod

50 Quod idem asserendum affirmat, quando res legata in specie ad Anniversarium, apud hæredem pereat ante traditionem; quia res illa intelligitur legata tanquam medium ad fundandum Anniversarium, itaque voluntas est testatoris, ut si medium illud pereat ex aliquo casu fortuito, præstetur æstimatio, ut Anniversarium fundetur, *l. Vir uxori* 8. *ff. de dot. prælegat. leg. fin. C. de pericul. & commod. rei vend.* Tum quia si res illa in specie legata evincatur ab altero, consideratur tanquam legatum rei alienæ ignoranter legatæ, quod cùm sit in causa pia, in æstimatione substinebitur. Leon *de offic. Capel. quæst.* 5. *sect.* 24. *num.* 330. & in dote Ecclesiæ, Genuens. *in praxi*, *tricen.* 12. *quæst.* 342.

51 Hæc doctrina quando evincitur res in specie legata, satis firma videtur; sed quando casu periret, non ita certa est ratio: nam quando legatur certa species, aut pars bonorum, usque ad valorem centum, mens est testatoris non ampliùs gravare hæredem, quàm in ipso legato: quapropter si casu pereat, periculo legatarii perit, etiamsi tradita non sit, cùm dominium statim ad eum transierit; & si diminuatur, diminutio ad legatarium pertinet, *leg. Si ex toto* 8. *l. Si grege* 22. *in fin. ff. de legat.* 1. Gomez 1. *tom. cap.* 12. *n.* 16. Castillo *lib.* 1. *controv. cap.* 27. *n.* 5. & 7. Ergo in præsentiarum, si certa res ad Anniversarium legaretur in specie, etiamsi tradita non sit, si casu pereat, ad hæredem non attinet aliam subministrare ad illud instituendum.

52 Verumtamen licèt res certa in specie legetur, & casu pereat ante traditionem, poterit duobus modis considerari. Primò quando non taxativè legaretur, sed tantùm demonstrativè; & in hoc casu non solùm si pereat ante traditionem, verùm si post, adhuc Anniversarium erit ab hærede supplendum, *leg. Lucius* 54. *ff. de aliment. & cib. legat.* & tradidimus suprà, *cap.* 7. *num.* 42. & quæ refert Guzman *de eviction. quæst.* 30. *à n.* 22. Secundò, quando etiam taxativè relinqueretur, & hoc casu supplenda erit ab hærede, etiamsi casu pereat, ut diximus *n.* 50. cum Leone, & Pasqualigio; est enim illorum optima interpretatio favore animæ, quæ semper largè est interpretanda. Gratianus *disceptat. tom.* 4. *cap.* 611. *n.* 14. itaque credendum semper est, velle Anniversarium fundari, etiamsi casu res certa legata periret ante traditionem.

53 Si verò post traditionem pereat, hanc disquisitionem inspiciamus, & legata quantitas sit Ecclesiæ, aut Capellano tradita ad emendum fundum super quo Anniversarium fundetur, sive instituatur. Si pereat fundus, aut quantitas antequam fundus ematur, tunc hæres ad nihil tenetur, quia ad nihil aliud tenebatur, nisi ad tradendam quantitatem, prout disposuerat testator. Pasqual. *d. quæst.* 1026. *à num.* 3. quod optimè defendit Guzman *d. qu.* 30. *à n.* 59. in casu Capellaniæ, ubi certi redditus ad ejus fundationem relicti sunt, quos ex censibus tradidit hæres Capellano, etsi postea ex Edicto Principis minuerentur; nam ex eo, quod tradidit, liberatus fuit ab ea obligatione, nec semel extincta revivifcit, ut cum multis docet Guzman *n.* 61. quod idem dicendum est in fundatione Anniversarii, quando quantitas certa relicta Capellano, seu Ecclesiæ, traderetur ad fundandum Anniversarium. Pasqual. *d. qu.* 1026. *à num.* 3.

54 Si verò certa species, aut fundus fuerit legatus ad Anniversarium, post traditionem non teneri hæredem ad evictionem, asserit contra Lambertinum Leon *de offic. Capell. quæst.* 5. *sect.* 24. *à num.* 334. & probat; nam tunc hæres est tantùm debitor speciei, quam cùm jam legatario tradiderit, liberatus est, & insimul periit periculo legatarii, ut tradunt Caballin. & Valasc. ab eo recensiti. Cæterùm comprobat; nam quando quis consequitur jus Patronatus ex dotatione Ecclesiæ, si tunc bona pereant, non tenetur alia refundere, sed peribit solum jus Patronatus, quod alter consequetur, si Ecclesiam iterùm dotet. Vivianus *in praxi jur. Patronat. lib.* 15. *cap.* 1. Ergo similiter si bona tradita ad Anniversarium perierint, hæres non tenebitur ad alia danda bona, sed Anniversarium cum ipsis bonis finietur, aut in totum, si omnia bona deficiant; aut in parte, si pars eorum tantùm pereat.

55 Hæc doctrina indiget explicatione, confundit enim duos casus, scilicet quando bona in specie relinquerentur Anniversario, & ut aliena ab aliquo evincerentur; tunc enim non rectè Leon asserit, hæredem ad alia danda non teneri; nam ut diximus suprà, tunc intelligeretur tanquam legatum rei alienæ ignoranter factum, quod validum est, si fiat causæ piæ: quare tenebitur, aut illa bona comparare, aut æstimationem refundere, ut in specie tradit Pasqualig. *d. quæst.* 1026. *num.* 5.

Alter casus est quando casu perirent absque culpa aliqua Administratoris, aut Rectoris Ecclesiæ, quæ si interveniat, ipse Administrator, & Rector ad resarciendum tenebitur, ut cum Lambertino tenet ipse Leon *dict. sect.* 24. *n.* 331. In hac ergo secunda specie hæres non tenetur ad alia bona concedenda, sed rectè procedit doctrina Leonis, & facilè probatur; nam hæc bona jam tradita, fiunt propria ipsius Anniversarii, aut Ecclesiæ, si ad id fuerint legata. Itaque augmentum eorum, si aliquod perceperint, non ad hæredem pertinet, sed ad Anniversarium, seu Ecclesiam: ergo etiam diminutio, aut damnum. Costa *de re integr. dist.* 99. *n.* 6. Ergo hæres non tenebitur ad damnum illud refundendum. Rota *in antiq. decis.* 11. *de testament.* Guxman *de evict. quæst.* 30. *à num.* 73.

56 Quid verò dicendum, si annui redditus sint legati ad Anniversarium, & hæres certum fundum tradiderit legatario, aut quantitatem pecuniæ, ut fundus emeretur? Et in hoc casu si fundus ab aliquo vendicetur ut proprius, adhuc hæres tenetur supplere; non enim cum effectu legatum persolvit, sed remanet obligatus. Erit major difficultas, si casu pereat absque culpa legatarii: & in illo casu Guxman *dict. qu.* 30. *à num.* 31. plura adducit fundamenta, ne hæres teneatur ad illa bona supplenda, etiam quando annui redditus fuerint legati; nam illa obligatio est propria bonorum ipsius testatoris, quapropter si aliqua bona ab hærede tradantur, unde redditus illi percipiantur, & Anniversarium, seu Ecclesia illa suscipiat, si postea casu pereant, ad amplius non tenebitur hæres, cùm adimpleverit suam obligationem tradendo testatoris bona, quæ erant obligata ad annuos redditus præstandos: itaque si casu pereant, iterùm non obligabitur ad alia tradenda, *l. Si socius pro filia* 81. *ff. pro soc.* ubi communiter DD. asserunt, pactum de dotando pio unica vice intelligi; nec tamen si dos pereat, iterùm dotare tenebitur, ut ibidem docet Fulgosius *num.* 5. Ancharranus *cons.* 404. Tiraquell. *in leg. Boves*, §. *Hoc sermone*.

57 Pasqualigius verò *d. quæst.* 1026. *à n.* 6. in terminis Anniversarii contrarium tenet; nam quando annui redditus relinquuntur, intelligitur obligata tota hæreditas; idcircò si hæres aliquem fundum, aut bona tradiderit Ecclesiæ, seu Anniversario, tantùm intendit illa designare ad percipiendam commoditatem redditus, non verò ad extinguendam obligationem totius hæreditatis, *l.* 3. *in init. Cod. de novat.* Gloss. *in l. Legavi*, *in fin. ff. de lib. legat.* Gabriel *lib.* 1. *conf.* 155. *per tot.* Cancerius 2. *part. cap.* 6. *n.* 68. Duran. *decis.* 266. *num.* 17. Ergo si casu perierint, adhuc hæres tenebitur ad alia bona danda ex ipsa hæreditate ad annuos redditus Anniversarii. Cæterùm nec sufficiet, quod ipsa Ecclesia, seu Anniversariam dicant bonis illis esse contenta, renunciando omni juri: nam hujusmodi renunciatio est in præjudicium defuncti, legatarius enim habet jus ad legatum secundùm dispositionem testatoris, nec valet renunciare, tanquam implicatum cum ære alieno: quapropter pereunte fundo, aut bonis designatis, adhuc non obstante renunciatione, poterit alia bona petere, & tenebitur hæres præstare, aliàs gravaretur jus tertii, & faceret nullam renunciationem. Seraphinus *decis.* 334. *n.* 8. Rota 2. *part. div. decis.* 32. *num.* 8. Suarez *de legibus*, *lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 2. Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 29.

58 In hoc dubio dicendum, facilè ad concordiam posse adduci has duas opiniones. Prima intelligenda est, quando testator dixerit annuos redditus relinquere ad Anniversarium ex suis bonis; tunc enim si bona tradantur testatoris, unde Ecclesia, seu Anniversarium percipiat annuos redditus, & casu pereant absque culpa hæredis, non tenebitur alia refundere; fit enim solutio in bonis testatoris, prout ipse disposuerat. Itaque hæres rectè liberatur, nec si sine ejus culpa perierint, ad aliquid tenebitur, argumento à contrario sensu sumpto, *in l. Si servus* 108. §. *Quicumque*, *in fin. ff. de legat.* 1. *l.* 18. *tit.* 9. *part.* 6. quo in sensu libet intelligere Guzman *d. quæst.* 30. *num.* 31.

59 Pasqualigius verò loquitur quando simpliciter testator reliquerit redditus annuos ab hærede solvendos ad Anniversarium, quo casu tota hæreditas est obligata ad eorum solutionem, & rectè procedunt fundamenta illius.

CAPUT IX.

De pecunia relicta ad Anniversarium, quomodo collocanda, ut stabiliatur.

SUMMARIUM.

Refertur declaratio Card. 21. Iun. 1625. & datur ratio decidendi, num. 1. & 2. & quando currat obligatio investiendi, num. 3. & 4.

Depositio pecuniæ statim facienda est, & quomodo intelligatur, num. 5. & in Aede Sacra, num. 6.

An declaratio Cardinalium habeat locum, quando Anniversarium est ad certum tempus? negant aliqui, à num. 7. contrarium tenent alteri, num. 8. resolvitur, à n. 9.

In dubio, quando non constat an Missæ sint perpetuæ, necne, si magna quantitas relinquatur, intelliguntur perpetuæ, nisi relicta fuerit à Magno Principe, num. 11.

Pecuniæ sunt quamprimùm investiendæ, num. 12. Administratores de incuria facile non esse condemnandos asseritur, & quomodo negligentia probetur, num. 13. Non tamen si legatum fuerit nominum, tenentur statim de negligentia, quando urbanè requirunt debitorem, num. 14. Obligatio dicendi Missas currit à die acceptationis legati, n. 15.

Pecunia collocanda est in bonis stabilibus fructiferis, n. 16. Sed an imponi possit in censu redimibili, disceptatur, à n. 17. Affirmativè resolvitur, num. 19.

An pecunia ad Anniversarium possit implicari ad redimendum prædium venditum cum pacto de retrovendendo? negant aliqui, à n. 20. Sed contrarium tenendum, à n. 21.

An Ecclesia, vel alius pius locus, cui relicta est pecunia ad Anniversarium, possit cum ea censum redimere? respondetur affirmativè, à n. 23. dummodo Ecclesia sit sufficienter dotata, ut onus adimpleatur, num. 25.

An Ecclesia possit creare censum illa pecunia in suis bonis ad stabiliendum Anniversarium, explicatur quæstio, à n. 26. Aliqui negant, num. 28. sed contrarium tenetur, à n. 29.

Sed non potest census iste imponi super domibus, ubi habitant Religiosi, nec in horto ipsius domus, num. 32.

An cum hac pecunia possint emi actiones ad immobilia, à n. 33. negativè resolvitur, à n. 34. limitatur nisi in alia re collocari non speretur, num. 36.

Nec valet collocari apud campsorem ad lucrum, à n. 37.

Potest implicari in molendinis, prout in Hispania, num. 41. & 42.

Onus Missarum perpetuarum nequit admitti absque Superiorum licentia, n. 43. Refertur constitutio 8. de reb. Ecclesiæ, *hujus Archiepiscopatus, n. 44. explicatur, n. 45.*

An sit peccatum mortale acceptare onus Missarum absque licentia? sunt duæ sententiæ, num. 46. & 47. resolvitur, num. 48. & 49.

An acceptatio oneris Missarum absque licentia sit ipso jure irrita? sunt duæ sententiæ contrariæ, num. 50. Explicantur, num. 51. & 52.

Explicantur textus in l. 5. C. de legib. cap. Imperiali, 25. quæst. 1. *num. 53. & seqq.*

Licentia non est necessaria quando onus non suscipitur dicendi Missas, sed tantùm obligatio faciendi ut dicantur, n. 58.

An hæc licentia danda sit in scriptis necessariò, sunt duæ sententiæ, à n. 59. negativa admittitur, & probatur, n. 62. & seqq. Non est similiter de essentia, ut gratis conferatur, num. 65.

Clerici absque licentia acceptantes onus Missarum, interdicto feriuntur: Regulares voce activa, & passiva, & omnibus officiis privantur, n. 66. & 67. & an sit necessaria declaratio criminis, disceptatur, à num. 67. Duæ circa hoc sententiæ referuntur, num. 68. & seqq.

Ab his pœnis possunt absolvi sæculares Clerici ab Episcopo, vel in foro interno à proprio Sacerdote; Regulares à suis immediatis Prælatis, num. 71.

1 SAcra Congregatio jussu Urbani VIII. 21. Junii 1625. *vers. Præterea*, illud jam decrevit, quod quando pecunia relinquitur ad instituendum usum Missarum, seu Anniversarium, in Ecclesia, aut apud personam idoneam deponatur, ut statim à die requisitionis immobilia bona comparentur, ut Anniversaria expresso nomine, & declarato instituantur: si verò postea immobilia ista auctoritate Apostolica vendantur, pecunia ex venditione proveniens in bonis stabilibus, & fructiferis est collocanda, idque præcipit in Ecclesiis, Hospitalibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam sæcularibus, quàm regularibus observari, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ; idemque decernit si bona mobilia relinquantur. Refert Tamburin. *in Meth. dicend. Miss. lib. 3. cap. 1. n. 11.* Pasqual. *de Sacrif. Miss. quæst.* 1062. *num. 2.*

2 Istud verò justissima ratione est observandum, nam cùm hujusmodi legata sint conjuncta cum onere habente tractum successivum annuum, inde est, ut pecunia, seu bona mobilia in bonis stabilibus, & fructiferis sint collocanda, ut inde in perpetuum annui redditus percipiantur, & Anniversarium adimpleatur. Cæterùm, nam grave detrimentum irrogaretur successoribus, ipsi enim tenerentur adimplere Anniversarium: ast primi perciperent pecuniam, seu bona mobilia, cum præjudicio successorum, contra regulam 10. *ff. de reg. jur. leg. 2. §. Damnum, ff. Ne quid in loco publico, leg. Si igitur, in fin. ff. pro soc.* Ergo justissimè sancitum est, ut pecunia, seu bona mobilia ad Anniversarium in bonis stabilibus, & fructiferis collocentur, unde annui redditus sumantur ad illud adimplendum. Pasqual. ubi suprà, *n. 3.*

3 Qui *num. 4.* scripsit hanc obligationem investiendi pecuniam, aut bona mobilia in rebus immobilibus fructiferis, currere à die realis acquisitionis, scilicet quando bona, aut pecunia pervenit ad manum legatarii: unde affirmat, non sufficere acceptationem tantùm legati, ut à die illo obliget, prout existimavit Tambur. *d. lib. 3. cap. 1. §. 6. n. 1.*

4 Verùm censeo, non solùm Sacram Congregationem hanc obligationem curandi, deponendique illa bona, & insimul investiendi imposuisse post realem acquisitionem, verùm etiam antea: voluit enim, ut statim cognito legato, curarent administratores, seu Prælati Ecclesiarum, ut acceptent absque mora aliqua, & post acceptationem realiter acquirant, deponant, & collocent in bonis stabilibus, & fructiferis; quia nimia dilatio esset nociva iis, pro quibus Missæ dicendæ sunt: illa verò verba significantia realem acquisitionem, posita sunt ad effectum pœnæ positæ in dicta declaratione, ibi: *Sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda*; extra illam tamen est altera obligatio adstringens, prout diximus.

5 Dubitari adhuc poterit in dicta declaratione, quomodo sunt illa verba intelligenda, *Statim deponi debeant*? Et Tamburinus *d. §. 6. n. 15. vers. Quod intra*, asserit dictionem illam intelligendam esse intra triduum, *l. fin. C. de error. advocat. l. fin. C. de judiciis*. Sed in hoc nihil certum assignari valet; nam dictio illa aliquando intra mensem sumitur. Alex. *in l. Divortio, ff. solut. matrim. n.* 10. Surdus *cons.* 550. *num. 6.* Quapropter admittenda est doctrina Pasqualigi *d. qu.* 1062. *num. 7.* asserentis, quando illa dictio non admittit temporis intervallum, intelligendam esse cum temperamento juxta subjectam materiam, *l. Quod dicimus, ff. de solut.* Gonzalez *ad reg. 8. gloss. 9. §. 1. in Annot. n. 217.* Gratianus *discept. cap. 41. n. 12.* Barbosa *Dict.* 383. *n. 4.* unde in præsentiarum importabit illud spatium, quod attentis circumstantiis est necessarium ad commodè deponendum, etiamsi sit plurium dierum.

6 Illud verò non prætermittas, disponere Congregationem, in Æde Sacra deponendam esse pecuniam, aut bona mobilia: quo quidem nomine non solùm intelligas Ecclesiam, verùm etiam Monasterium, Hospitalia, vel Montes pietatis, destinatos ad conservanda hæc bona: verùm si non sint, tunc sufficit quod fideliter conserventur: & si non adsit Ædes Sacra, non ibi præcisè est faciendum depositum, sed sufficiet ut apud personam idoneam pecunia deponatur, ex arbitrio deponentis, ut cum Tamburino advertit Pasqual. *d. quæst.* 1062. *num. 8.*

7 Sed an decreta ista Congregationis Sacræ habeant locum quando Missæ non sunt perpetuæ, sed tantùm ad certum tempus, dissensio est inter DD. Prima sententia asserit, tantùm esse intelligenda in Missis perpetuis, nec sufficiet si pro triginta, aut quadraginta annis pecunia, seu bona mobilia relinquantur; nam ipsum decretum *in dict. §. Præterea*, apertè loquitur de Missis perpetuis; illud enim verbum *Perpetuò*, aut *in perpetuum*, tempus sine præfinitione significat, nec habens certum finem, & idem est quod semper, & omni tempore, *l. Puto, in fin. ff. de except. l. Jurisperitos, ff. de excusat. tut.* Garcia *de nobilit. gloss. 1. §. 1. num. 29.* Barbosa *dict.* 254. *num. 1.* Ergo non sufficiet,

si Anni-

si Anniversarium relinquatur pro certo tempore. Lezana *verb. Missa, n.37.* Tambur. *dict.§.6.n.16.* Bordon. *Cons.Reg. resol.25.n.26.*

8 Secunda sententia tenet contrarium, nempe sufficere, quod Anniversarium relinquatur pro triginta, aut quadraginta annis, aut pluribus. Ratio desumitur ex ipso decreto; *Nam Sacerdotes in eis, ut par est adimplendis, eo tepidiores, ac segniores redduntur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta.* Hæc verò ratio non solùm procedit in Missis perpetuis, verùm etiam in onere Missarum usque ad certum tempus, triginta nempe, aut quadraginta annorum: ergo intelligendum est decretum etiam in his Missis dicendis usque ad certum tempus. Et confirmatur, nam in legibus potiùs attendenda est ratio, quàm verba illius, *l.Cum pater 77.§.Dulcissimis, ff.de legat.2.* Surdus *decis.19.n.1.& 2.* Menochius *cons.998.num.131.* Fusarius *de subsstit.quæst.480. num. 40.* Cùm ergo ratio ipsius decreti se extendat etiam ad onus Missarum certo tempore dicendarum, de hoc etiam est intelligendum. Denique perpetuitas diversimodè accipitur, *l. 1. ff. pro socio.* Rota *5. part. recent. decis. 194. num. 89.* Barbosa *d. dict.254.à num.6.* Idcircò non semper tempus absque certo fine significat. Ita cum Aversa tenet Pasqual. *quæst. 1062.*

9 In hoc dubio assero admittendam esse doctrinam Pasqualigii, quæ ut ex epigraphe quæstionis constat, loquitur quando Missæ dicendæ sunt per spatium triginta, aut quadraginta annorum, aut plurium: quo quidem casu illa dictio, *in perpetuum,* verificatur, *princip. Inst.de perpet. & temporalib.act.* Tuschus *lit. D, conclus. 326.n.6.* Barbosa *d.dict. 154.n.13.* Quare non solùm ob rationem ipsius decreti, verùm etiam ex littera ipsius, quæ verificatur in triginta, aut quadraginta, & in pluralitate annorum, admittenda est. Addo verò admittendam, etiamsi spatium sit minorum annorum, non solùm per decem, sed per illos, in quibus probabiliter utilitas pecuniæ, & aliorum bonorum mobilium ad successores non perveniret. Ratio est, nam tunc tepidiores, & segniores redderentur ad adimplendas Missas, cùm utilitas aut nulla, aut parva fuisset: & intrat ratio legis, quæ est anima illius, *l.Cum ratio 6. ff. de bon. damn.* Franciscus Leo *in Thesaur. for.2.part. cap.9. n.176.* Novarius *quæst. for. lib. 1. quæst.144. num.12.* Quare semper curandum est, etiamsi onus Missarum sit pro annis illis, in quibus probabiliter, & moraliter loquendo successores præjudicium non perciperent, ut pecunia in re fructifera collocetur, ut rectè onus Missarum adimpleatur.

10 Secus si deposita pecunia, aut bonis mobilibus, ita conserventur, ut per annos illos à testatore designatos rectè distribueretur, ita ut nec antecessores, nec successores aliquod nocumentum perciperent, quo quidem casu admitto primam sententiam.

11 In dubio, si magna quantitas pecuniæ ad Missas relinqueretur, nec testator demonstraverit, an sit onus perpetuum Missarum, an pro unica vice, asserendum esset perpetuum: illa enim magna quantitas ostendit voluntatem testatoris esse ad fundandum Anniversarium perpetuum; quia ad Missas pro unica vice dicendas, tam magna non soleat quantitas concedi. Gloss. *in l. Gaius, ff. de Ann. legat.* Bonacina *de contract. disp.13. q. 17. punct.7. num.6. vers. Ex quo sequitur,* Lara *de Anniversf. lib. 1. cap. 3. à num. 9.* Tamburinus *dict. cap. 1. §. 6. num. 3.* Qui benè animadvertit, quod si hæc magna quantitas relinquatur à Magno Principe, vel ab alio homine ditissimo, non pro Anniversario perpetuo relicta præsumitur, sed pro Missis unica vice celebrandis. Genuensis *in praxi, cap.18. num. 16.* Trullench *lib. 7. Decalog.cap.18. dub. 11. num. 9.* Leon *de offic. Capell. quæst. 5. sect.1.num.7.*

12 Deposita enim pecunia quamprimùm est investienda, ut asserit decretum Congregationis: quod intelligendum de prudenti, & utili negotiatione, ita ut non adsit mera negligentia. Tamburinus *dict.§.6.n.15.vers.Respondeo.* In jure verò illud est decisum, dictionem *quamprimum,* importare in magnis spatium trium mensium, in parvis duorum, *l. In fraudem 45. §. Fiscalibus 10. ff. de jur. fisc.* ubi Scribentes, Barbosa *dict.302.* Verùm in specie nostra nequit tempus determinari; id enim pensandum secundùm regionem. Sunt aliqua loca in quibus facilè invenitur, ubi pecunia collocetur, in aliis non ita facilè, quare majus tempus desideratur. Pasqual.*q.1065.n.3.*

13 In Administratoribus, quibus competit cura pecunias investiendi, illud observandum, non facilè de negligentia esse condemnandos; nam præsumptio stat pro ipsis, ut existimemus minimè fuisse negligentes. Bart. *in leg.Tutor qui repertorium, §. Si post depositionem, & in l. Cum plures, §. fin. ff. de administr.tut.* Rota apud Merlinum *decis. 816.n.13.* quapropter necessariò est probanda. Rota apud Seraphinum *decis.455.num.3.* Rota Genuensis *decis.76.n.8. & 9.* Escobar *de ratiociniis, cap. 19. num. 23.* Probatur verò per indirectum, veluti quando quis erat obligatus facere, & data opportunitate non fecit. Mascardus *concl.1093.num.4.* Escobar *dict.cap.19. à n. 24.* unde in præsentiarum probandum, Administratorem pecuniæ habuisse occasionem investiendi, verùm ipsum absque impedimento præteriisse. Pasqualig. *d.q.1065. n.4.*

14 Si verò legatum in actionibus, & nominibus debitorum consistat, eo ipso quod legatarius acceptet, tenetur ad illud recuperandum, aliàs si negligentia deperdatur, de ipso tenebitur, *l. Si tutor constitutus 15. ff. de Administr. tut. l. fin. §. Item ij rescripserunt, ff. de administrat. rer. ad civit. pertinent. l. Nomina 2. C. Arbitr. tutel.* non tamen tenebitur, si interim quod urbanè, & extrajudicialiter debitorem interpellat, fiat non solvendo, cùm antequam quis judicialiter conveniatur, urbanè debeat interpellari, *leg. Quidam Iberus 13. ff. de servit.urb. l. Debitores 10. C. de pign. l. Si bona 33. ff. de usuris:* quod quidem effectum habet, ut reus in expensis condemnetur, Paz *in praxi, 1. part. tom.1. 3. temp. num.27.* quare si eo tempore non solvendo fiat, Administrator de negligentia non tenebitur. Escobar *d.cap.18. num.28. & 29.* & in terminis Pasqualigius *quæst.1066. à num.2.* Secus verò dicendum, si debitores sint personæ, de quibus decoctio, aut fuga timeretur, aut debita secura non fuissent; tunc enim celeriter percurrendum est ad assecuranda, vel recuperanda debita, aliàs administrator tenebitur ut negligens. Escobar *d.c.19. à n.30.*

15 Obligatio verò dicendi Missas non eo ipso, quo pecuniæ, aut mobilium legatum acceptatur, currit, sed quando est facta investitura in fundo fructifero, secundùm decretum Congregationis; nam tunc currunt fructus, & ad legatarium pertinent, prout quando fundus fructifer legaretur, quia à die acceptationis currit obligatio, siquidem ad legatarium fructus pertinent. Pasqual. *q. 1068.* Marchinus *tom. 3. de Ordine, part.2. c.15. n. 18. vers. Quæro 5.* Tamburinus *d. §.6. num. 4.*

16 Præterea disquiramus in quibus bonis investienda sit pecunia ad instituendum Anniversarium? Et illud generaliter dicendum, in bonis stabilibus, & fructiferis esse collocandam, ex quibus perpetuum emolumentum percipiatur, ut præcipit decretum Congregationis: itaque emi valet prædium, hortus; pomarium, vinetum, quæ quidem ex cultura perpetua redduntur, quibus adjungere libet censum perpetuum; nam inter stabilia bona fructifera numeratur, *Clem. Exivit, §.Cumque annui redditus, de verb. sign.* Riccius *3. p. collect.668.* Mieres *de majorat. 1.part. c. 40. n. 6.* Rodriguez *de Annuis reddit. lib.1. q.3. n.8.* Delbene *de immunit.cap.17. sect.1. dub.2. n.1.*

17 Sed est dubium, an imponi possit pecunia in censu redimibili, ad fundandum Anniversarium? Difficultas ista dependet ab alia, an census redimibilis computetur inter bona immobilia? Et nonnulli abnegant, nam bona immobilia sunt quæ dicunt ex natura sua stabilitatem & perpetuitatem, quam non habent census redimibiles, cùm possint redimi quando debitori placuerit. Gomez *de censibus, c. 3. num. 4.* Cavalcanus *de usufruct. mulier. num. 83.* Matienzo *in l.2. tit.9. lib. 5. gloss. 1. num.83.* Garcia *de Benefic. 2. part. cap.5. n.96.*

18 His verò alteri adversantur; nam cùm census isti in stabilibus fructiferis imponantur, sequuntur naturam illorum bonorum: quod verò redimi possint, per accidens est, quia potest accidere, ut perpetuò remaneant. Salas *de censibus, dub.44.* Felicianus *de censibus, lib.1. c.7.* Rota apud Cencium *decis.81. n.1.* Palao *de just.disp.6. punct.14. n.2.*

19 Unde anceps redditur quæstio ista: quare Marchinus *d. cap. 15. num. 18. vers. Quære tertiò,* asserit non facilè in his censibus redimibilibus investiendam esse pecuniam ad Anniversarium. Attamen praxis contrarium admisit; nam licèt prima sententia inter mobilia numeret, attamen statim ac in causis piis redimitur, deponitur ut quamprimùm in alia re stabili, & fructifera collocetur: quapropter similes census in illa sententia immobilia bona dicuntur, ut benè

Palao

Palao *dict.* *num.* 2. Verùm cum Marchino animadverto, quantum fieri valeat, in fundationibus Anniversariorum, & Capellaniarum census redimibiles esse ablegandos, cùm per breve tempus pereant, aut ad creditorum concursum pertrahantur. Tamburinus *dict.* §. 6. *num.* 6. Pasqualigius *quæst.* 1070. *num.* 3. Riccius *in praxi for. decis.* 103. *n.* 6. *vers. Legans censum*.

20 Est altera difficultas, an pecunia ad Anniversarium implicari possit pro redimendo prædio Ecclesiæ vendito cum pacto de retrovendendo? Marchinus *dict.* *num.* 28. *vers. Quæro primò*, scripsit id fieri non posse, nec satisfactum remanere decretum Congregationis; nam quando redditur prædium venditum cum pacto de retrovendendo, emptio non est, sed prioris emptionis dissolutio. Bart. *in leg. fin. ff. de Publician. in rem act.* Rodriguez *de Annot. reddit. lib.* 2. *quæst.* 18. *num.* 22. Cencius *de censib. quæst.* 103. *num.* 5. Palao *de just. disp.* 5. *punct.* 31. §. 10. *num.* 2. unde ex tali redemptione gabella non debetur. Gomez *var. tom.* 2. *cap.* 2. *num.* 31. Lassarte *de decim. vendit. cap.* 14. *num.* 36. Gutierrez *de Gabellis*, *quæst.* 10. *num.* 22. Parlador. *lib.* 1. *quot. cap.* 3. §. 4. *num.* 5. Itaque cùm decretum petat emptionem, per impropriam illi non satisfit. Tum si pecunia ista collocetur in hac redemptione fundi venditi, creditores anteriores illum pro hypotheca habentes præferuntur, *leg. Sicut* 19. *Cod. de pign. & hypoth.* Franchis *decis.* 97. Caval. 2. *part. decis.* 27. *num.* 27. Idcircò cautum non est Anniversario, cujus pecunia in certo prædio fructifero est collocanda; nec istud fieri valet, ut decreto satisfiat.

21 Fundamenta ista levia sunt, quia decretum non petit emptionem propriè, & rigorosè, sed acquisitionem rei immobilis fructiferæ ad instituendum Anniversarium cum perpetuitate: quod an sit per emptionem propriam, aut per impropriam, nihil interest. Ad aliud fundamentum perfacilè respondetur: supponimus igitur in hac difficultate, prædium redemptum liberum esse debere ab omni hypotheca, aliàs si illi subjaceret, nec poterit emi ad stabiliendum Anniversarium.

22 Unde admittimus contrariam sententiam, nempe rectè redimi ab Ecclesia prædium venditum cum pacto de retrovendendo, cum ista pecunia, ad fundandum Anniversarium, in cujus fructibus onus Anniversarii imponitur, quo modo satis adimpletur mens Sacræ Congregationis. Tamburinus *dict.* §. 6. *num.* 11. Pasqualigius *quæst.* 1069. *num.* 6.

23 Consequens est huic difficultati disquirere, an Ecclesia, vel alius locus pius possit hac pecunia ad Anniversarium destinata censum contra se extinguere, aut redimere? Et negandum videtur; nam decretum petit rem immobilem fructiferam per se existentem: at extinguere, aut redimere censum, non existit, quin potiùs semel extinctus non revivìscit, *cap. Quàm periculosum* 8. 7. *quæst.* 1. *l. Qui res* 98. §. *Aream*, *ff. de solut.* Gonzalez *ad reg.* 8. Cancellar. *gloss.* 7. *n.* 30. & 32. Ergo per census redemptionem non satisfit decreto Cardinalium.

24 Sed contrarium tenendum; nam Ecclesia, vel alius locus pius aliquid de novo acquirit, nempe illud jus, quod venditur ad solvendam annuam pensionem. Cencius *de censib. quæst.* 1. *à num.* 12. aut jus reale cohærens inseparabiliter fundo, Avend. *de cens. cap.* 23. *num.* 9. & 10. quod erat in domino census: tum etiam acquirit utilitatem illius quantitatis, quæ pro censu solvebatur: ergo benè satisfit decreto. Tum, nam illa redemptione facta, & censu extincto, Avend. *cap.* 102. *à num.* 1. onus Missarum imponitur super bonis illis immobilibus, super quibus erat impositus census, idque necessariò faciendum: ergo plenè satisfit decreto. Marchin. *dict. num.* 28. *vers. Quæro quarto*. Tambur. *dict.* §. 6. *num.* 9. Pasqualig. *quæst.* 1069. *num.* 4. qui *num.* 5. asserit hanc pecuniam Anniversarii adhiberi posse pro solvendo residuo pretii alicujus prædii, aut alterius rei immobilis ab Ecclesia emptæ. Tambur. *dict.* §. 6. *numer.* 10. Marchinus *dict. num.* 28. *versic. Quæro* 2.

25 Illud verò cum Pasqualigio, & Tamburino nuperrimè citatis, animadvertendum, ut hoc rectè fiat, requiri ut Ecclesia, aut alius locus pius sit sufficienter dotatus, ut possit onus Missarum perpetuò adimplere, aliàs non rectè redimeretur census cum ista pecunia: idem dicendum si Ecclesia, aut locus pius habuisset aliam pecuniam, unde censum redimeret, quia nihil de novo acquireret, Pasqualig. *dict. num.* 4.

26 Præterea inquirendum, an ex pecunia investienda pro onere Anniversarii, possit creari census super bonis immobilibus Ecclesiæ, seu Monasterii, cui relinquitur collocanda? Et affirmandum videtur; nam quandò census super bonis immobilibus creatur, alienatio non fit bonorum. Rota apud Cencium *de censib. decis.* 1. *num.* 2. & *decis.* 81. *num.* 8. Ergo etiam absque aliqua solemnitate poterit ex his pecuniis imponi census super bonis Ecclesiæ, aut Monasterii, ex cujus redditibus Anniversarium adimpleatur.

27 In hoc dubio animadverto, mandato Urbani VIII. Sacram Congregationem decrevisse, ne Regulares super bonis propriis census perpetuos, seu vitalitios crearent, sub pœnis in eodem decreto contentis: refert Pasqualigius *quæst.* 1071. *num.* 1. idque erit observandum in aliis Ecclesiis, ut nisi adhibitis solemnitatibus censum accipere nequeant, quia sub generali prohibitione, bona hypothecare continetur. Bonacina *de alien. bon. disput.* 2. *quæst. unic. punct.* 2. *num.* 23. Riccius *in praxi for. decis.* 49. estque textus *in cap. Nulli* 5. *de reb. Ecclesiæ alien. vel non*. Quamobrem erit quæstio, quando id fieri possit, nempe si adsint solemnitates, & in Monasteriis licentia S. Congregat. aut ita premat necessitas, aut nequeat Pontifex adiri, aut sit consuetudo legitimè præscripta, ut cum Lezana advertit Delbene *de immunitat.* 2. *part. capit.* 17. *dub.* 8. *numer.* 3. & 4.

28 Et in hoc casu Tamburin. *dict.* §. 6. *num.* 9. *vers. Non sic*, Lezana *verb. Missa*, *num.* 37. asserunt minimè hanc pecuniam in simili censu collocandam: quod idem tenet Pasqualigius *quæst.* 1072. *à num.* 2. si imponatur in bonis Monasterii. Bordon. *consil. regul.* 25. *num.* 34. & ducuntur, quia tunc de novo nihil acquirit Ecclesia, seu Monasterium: quapropter Sacerdotes, seu Religiosi segniores efficerentur ad adimplendum onus Missarum, quæ est ratio decreti.

29 Sed hæc doctrina mihi admittenda non videtur; nam census imponitur super bonis Ecclesiæ fructiferis, legitimis adjectis solemnitatibus, aut sine illis, præscripta legitima consuetudine, aut urgente necessitate; & tunc rectè imponitur census. Delbene *dict. dub.* 8. *num.* 3. & 4. ex cujus redditibus Anniversarium rectè adimpletur, ut dicebamus suprà, quando prædium redimitur ex pacto de retrovendendo, aut solvitur pars pretii ab Ecclesia empti fundi. In quo quidem casu rectè implicatur pecunia ad adimplendum Anniversarium.

30 Sed dices, Ecclesiam tunc aliquid de novo acquirere, quod secus est quando censum super suis bonis imponit, quia nihil acquirit de novo, sed tantùm redimit onus solvendi. Sed respondetur multùm de novo acquirere; nam quando adsunt solemnitates juris, gravissima urget necessitas (ut est necessariò supponendum) aut grandis utilitas Ecclesiæ. Molina *de just. tr.* 2. *disp.* 648. Ugolin. *de potest. Episc. c.* 24. §. 7. *n.* 5. Bonac. *d. disp.* 2. *punct.* 3. *à n.* 1. Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *cap.* 30. *à num.* 12. quapropter recipiens censum non alienat illa bona, quæ præcisè erant alienanda ob ingruentem necessitatem, aut percipit de novo illam utilitatem, quam perciperet ex pecunia Anniversarii: ergo de novo aliquid acquirit.

31 Præterea quoad Sacerdotes minimè fient segniores, aut tepidiores ad adimplendum Anniversarium; nam aut sunt Regulares, & isti sive aliquid de novo acquiratur Monasterio, sive non, nihil percipiunt, sed totum ad communitatem pertinet: si sint Sæculares, ex redditibus Ecclesiæ suam portionem recipiunt; nam ut diximus suprà, illud est necessarium, ut Ecclesia sit sufficienter dotata, ut possit ex suis fructibus rectè Anniversarium adimplere: quare satisfit decreto Congregationis, & fundamenta contrariorum remanent dissoluta.

32 Illud tamen admitto, quod asseruit Pasqualigius *dict. quæst.* 1071. *num.* 5. non posse investiri hanc pecuniam super bonis incorporatis in ipso Monasterio, veluti in hortis, qui licèt fructuum habeant, est tantùm ad usum quotidianum Monasterii, non ad alios fructus, in quibus annui redditus fundantur dum stabilitate: quod idem dicendum est, si imponatur super domibus habitationis Religiosorum, quia non sunt destinatæ ad fructificandum, sed tantùm ad Religiosorum habitationem, ut tenet Delbene *de immu-*

immunit. 2. part. cap. 17. dub. 18. per tot. Pasqualigius *quæst.* 1073.

33 Sed quid de actionibus ad immobilia, an in his emendis collocari possit pecunia Anniversarii? Et affirmandum videtur; nam qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur, *reg. 15. ff. de regul. juris*. Itaque sicut valet pecunia illa imponi super rebus immobilibus, similiter in emendis actionibus ad immobilia. Et confirmatur, nam actiooes ad immobilia, tanquam res stabiles considerantur, & si sint Ecclesiæ, nequeunt ut immobile vendi absque solemnitatibus. Delbene *dict. cap. 17. dub. 12. num. 2. & 3.* ergo rectè pecunia ista valet implicari in emendis actionibus ad immobilia fructifera, prout petit decretum Congregationis: omnis enim actio ad immobile, immobile censetur; suscipit enim esse à rei qualitate. Gloss. *in leg. 1. Cod. Si adversus transact.* ubi Bart. Decius *in d. reg. 15. n. 2.* Vivius *decis. Neap.* 138. *num.* 46. Olea *de cess. tit. 2. quæst. 1. num.* 28.

34 Fundamentum verò istud solidum non est; nam licèt aliquando appellatione immobilium veniat actio ad immobile, Barbosa *de appellat. verb. appellat.* 117. *num.* 4. tamen considerando actionem ipsam per se, non est immobilis, verùm constituit tertiam speciem bonorum, quæ nec est mobilis, nec immobilis, *leg. Quam Tuberonis 7. §. ult. ff. de peculio*. Rebuffus *in leg. Moventium, ff. de verb. signific.* Valascus *consultat. 77. num. 1.* Menochius *lib. 4. præsumpt.* 142. *à num.* 19. Cùm ergo decretum Congregationis petat, ut pecunia Anniversarii collocetur in bonis stabilibus fructiferis, nequit collocari in sola actione ad immobilia, quæ coostituit tertiam speciem bonorum, nec mobilium, nec immobilium.

35 Unde asserendum, has pecunias imponi non posse in emendis his actionibus ad immobilia; nam non sunt per se bona stabilia & fructifera, ut petit Sacra Congregatio, quod talis pecunia investiatur: & à paritate probatur, nam census nequit imponi in his actionibus ad immobilia. Avend. *de censibus, cap. 56. num.* 15. quia per se non sunt immobilia, & fructifera: Ergo similiter pecunia Anniversarii oequit in his actionibus collocari.

36 Ex necessitate aliquando id liceret, scilicet si pecunia in deposito remaneret, nec aliquid immobile fructiferum emendum speraretur per multum temporis; actio verò venderetur ad stabile certa, & facilis recuperationis: tunc sanè crederem satisfieri decreto, ob urgentem necessitatem, ne diu remanetent pecuniæ in deposito, & insimul Missæ Anniversarii non dicerentur.

37 Cæterùm investigandum, an pecunia ista Anniversarii deponi valeat in banchis campsorum ad honestum lucrum, ut ex illo onus Missarum adimpleatur? Et affirmandum videtur, nam pecunia in banchis posita, inter immobilia numeratur, & ob lucrum fructifera dicitur. Tiraquellus *de retract. lignag. §. 1. gloss. 7. num.* 114. Baiard. *ad Clarum, §. fin. quæst. 78. num.* 151. Simoncellus *de decret. lib. 3. cap. 8. num.* 118. Uode si Ecclesia pecuniam in banchis ad hooestum lucrum habuerit, inter immobilia numeratur, & absque solemnitate nequit alienari. Bonacina *de alienat. reb. Eccles. punct. 2. num.* 5. Barbosa qui alios refert *3. part. de offic. Episcop. allegat. 95. n.* 44. Ergo rectè pecunia Aoniversarii poterit in banchis collocari ad honestum lucrum, unde Missæ dicantur.

38 Hoc fundamentum solidum oon est; nam in terminis, de quibus loquuntur Tiraquellus & alii, abnegant plures, pecuniam rem immobilem esse: est enim pecunia per se res mobilis, ac mobilibus comparatur, *leg. Moventium, ff. de verb. significat.* Josephus Ludovisius *decis. 63. num.* 24. quapropter in legato mobilium iotelligitur. Mantica *de conjectur. lib. 9. tit. 3. num.* 2. Thesaurus *decis.* 160. Stracha *de mercat. part. 1. num.* 70. Et quamvis in bancho ad lucrum imponatur, res mobilis est, cùm quidquid ex illa proveniat, noo ex ipsa, sed ex industria proveniat, aliàs esset usura, ut rectè considerat Cencius *de censib. quæst. 34. num.* 20. Ergo quamvis sit in bancho, tanquam res mobilis est existimanda, ut cum aliquibus docet Thesaurus *d. decis.* 160. Paulus Montan. *de tutelis, cap.* 33 *num.* 180. Cæterùm licèt aliqui dicant pecuniam apud campsorem depositam esse immobilem, id non dicetur, nisi consideratis diversis effectibus, nempe quatenus lucrum ex ejus impositione percipitur, aut quatenus ad ejus alienationem requiruntur solemnitates. Gratianus *decis. March. 95. num.* 8. Riccius *in praxi forens. 1. edit. decis. 70. à num.* 5. de Lugo *resol. mor. lib. 3. dub. 10. num.* 2. aut quando deponuntur ad emenda immobilia apud mercatorem, respectu habito ad causam destinatam. Riccius *dict. num.* 5. Rota apud Cencium *de censibus, decis. 441. num.* 4. Avend. *de censibus, cap. 56. num.* 20. non tamen quia sua natura immobilis sit, etiam in banchis posita: ergo pecunia destinata ad fundandum Anniversarium, nequit imponi in banchis, ut ex lucro adimpleatur.

39 Ex his ergo teneo, pecuniam istam imponendam non esse ad lucrum apud campsorem, nec per hoc satisfieri decreto Cardinalium decernenti investiendam esse in re stabili fructifera, quod non solùm respicit lucrum, ut inde adimpleatur onus Missarum, sed perpetuitatem, quæ oon facilè conspicitur in his pecuniis apud Mercatores, seu campsores depositis, cùm quotidie decoctos videamus, unde pereunt facilè, & difficillimè recuperantur, quod est quasi deperdere, ut benè considerat Rota apud Cencium *decis.* 175. *num.* 6. Cæterùm id probatur à simili; nam in bis pecuniis apud campsorem depositis census nequit creari. Avend. *dict. cap. 56. num.* 22. ergo nec ad Anniversarium implicari; eadem enim ratio est, ut diximus *num.* 29.

40 In aliquo tamen casu id admitto, nempe si non appareat occasio investiendi, quæ sit opportuna: interim verò valet ad lucrum honestum imponi, sed eo modo, ut quoties adsit implicandi occasio in re stabili fructifera, possit retrahi; nam tunc utiliter agitur negotium testatoris, & Missæ ex lucro dicuntur, oec deperditur occasio investiendi. Pasqualigius *quæst. 1065. num.* 5. qui *num.* 6. animadvertit, dantes has pecunias ad lucrum, examinare debere mores, fidelitatem, patrimoniom, & alias qualitates ad assecurandam pecuniam, ne ex his defectibus persona recipiens nimùs idonea sit, aliàs ad damnum tenebuntur, *l. Qui sub conditione* 111. *vers. Cæterum, ff. de condit. & demonst. regula Qui cum alio* 19. *ff. de reg. jur.*

41 An verò in molendinis implicari possit pecunia ista, disceptat Pasqualigius *quæst.* 1071. Verùm in Hispania, ubi molendina sunt affixa, & bona immobilia, absque dubio emi possunt ad fundandum Anniversarium. Guttierrez *lib. 3. pract. quæst. 92. num.* 6. In molendinis Italiæ, aut in aliis partibus, ubi affixa non sunt, verùm inter mobilia annumerantur, coorrarium dicendum: quod idem dices si sita sint juxta flumen, obnoxia tamen inundationi, quia inter mobilia oumerantur, ut cum pluribus notat Guttierrez *dict. quæst. 92. n.* 4.

42 Unde non satis firma videtur doctrina Pasqoaligii *dict. quæst. 1071. num.* 4. asserentis molendina super navibus imposita, bona esse immobilia, & fructifera; & ideo pecuniam Anniversarii in his molendinis implicari posse: verùm quia similia molendina alluvionibus sunt faciliter obnoxia, cautè admittenda est doctrina illa.

43 Denique in hoc capite observes Sacram Congregationem jussu Urbani VIII. §. *Ad hæc*, decrevisse onus Missarum minimè accipiendum à quibusvis Capitulis, Collegiis, Congregationibus, Societatibus, necnon ab omnibus, & singulis Ecclesiarom, ac piorum locorum, tam Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, aut ab aliis ad quos pertinet acceptatio, dummodò perpetuum sit. Sæculares enim absque consensu, & licentia Episcopi, vel Vicarii Generalis; Regulares verò sine Generalis, aut Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda acceptare non possunt; alioquin Sæculares ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur, Regulares omnibus officii privantor, inhabiles ad alia redduntur, & vocis activæ, & passivæ privatione absque declaratione plectuntur. Referunt Tamburinus *dict. lib. 3. cap.* 1. Pasqualigius *quæst. 1101. num.* 1.

44 In hoc Archiepiscopatu Toletano adest constitutio 8. *de reb. Ecclesiæ non alien.* ubi interdicitur, ne Curiones, & Ecclesiarum Oeconomi, vel aliæ personæ acceptent Missarum onera perpetua nomine fabricæ Ecclesiæ, nec aliter obligent Ecclesias ad eorum adimplementum absque licentia Consilii Gubernationis, etiamsi ad fundationem bona relinquantur, dummodò fabricæ obligentur ad adimplendum cum bonis relictis, seu legatis, aut cum his, quæ pecuniis empta fuerint. Si verò fabrica non obligetur, sed tantùm bona, ita ut si damnum evenerit, non ad fabricam,

sed

sed ad bona pertineat, tunc acceptari poterit absque licentia; aliàs si aliter fiat, nullum, & attentatum decernitur.

45 Hæ enim duæ dispositiones diversos fines habent; nam Synodalis prospexit, ne fabricæ Ecclesiarum damnum percipiant, recipiendo Anniversaria, & onera Missarum, cum obligatione adimplendi in suis propriis bonis; potest enim accidere, ut pereant bona relicta ad Anniversarium, & Ecclesiæ fabrica obligata remaneat ad adimplendum propriis expensis, quod est maximum inconveniens. Decretum verò Cardinalium alium habet finem, scilicet ne Ecclesiæ, aut Monasteria recipiant plura Missarum onera, quàm valeant adimplere, ut ex ejus contextu depromit Pasqualigius *dict. quæst.* 1101. *num.*3. qui id extendit etiam ad Sacerdotes privatos, ut declaravit Sacra Congregat. *dub.* 15. sed non ad alios Capellanos, seu Clericos, qui habent Capellaniam collativam, necne; quia ipsi in se non suscipiunt Missarum onus, sed tantùm sunt exequutores illius: quod similiter dicendum in Capellania amovibili. Verricell. *tract.*8.*quæst. moral.* 45. Tamburinus *dict.lib.*3.*cap.*1.§.7.*n.*1. Pasqualig. *quæst.* 1107.

46 Sed est dubium breviter percurrendum, an si absque licentia Episcopi, aut Provincialis, aut Generalis onus Missarum acceptet Superior Ecclesiæ, aut Monasterii, graviter peccet? Affirmat Pasqualigius *quæst.* 1102. nam decretum enixè prohibet, ne absque licentia onus Missarum acceptetur, ibi: *Districtè prohibet*; signum quidem certum, velle obligare ad peccatum lethale: tum quia in ordine ad finem est materia gravis, vult enim Sacra Congregatio, ut piæ defunctorum voluntates strictè adimpleantur: ergo absque licentia grave erit peccatum acceptare.

47 Contrarium tenet Tamburinus *dict. cap.* 1. §. 8. *à num.*7. nam decretum hoc est pœnale, quod ex sua natura non obligat ad gravem culpam, nisi ex ratione pœnæ aliud perpendatur, ut si lata excommunicatio poneretur. Jason *in l.* 1. *Cod. de jur. emphyt. n.*143. Gomez *in c.*2. *de const. in* 6. *num.*6. Navarrus *in Man. c.*23. *n.*55. Menchaca *illustr. lib.* 1. *c.* 29. *num.* 6. plures apud Dianam 1. *part. tract.*10. *resol.*17. & 20. In hoc ergo decreto apponitur pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & in Regularibus privatio officiorum, & inhabilitas ad alia, & insimul vocis activæ, & passivæ: quæ quidem pœna non inducit obligationem gravis culpæ, ut ex Valentia, Azor, & aliis observat Tamburinus *dict. n.*7. Diana 1. *part. tract.* 10. *resol.*21. Ergo decretum hoc ad mortale non obligat.

48 In hoc dubio Tamburini sententiam admitto, si tantùm transgressio legis inspiciatur, non petendo licentiam; nam ut considerat Leander de Murcia *de legibus, lib.* 6. *disp.* 2. *resol.*7. *num.*4. *ad finem*, cum Caietano, aliquid præcipere, etiamsi addatur dictio *strictè*, minimè inducit obligationem gravem; nam levia etiam strictè præcipi valent: itaque licèt decretum hoc licentiam petendam strictè jubeat, non est ratio existimandi velle obligare ad mortale. Cæterùm, nam quando diversæ sunt sententiæ, an lex obliget ad mortale, seu veniale, relinquitur dubia ad hanc gravem obligationem; sed quando dubitatur, an lex obliget ad mortale, vel ad veniale, intelligitur tantùm ad leve peccatum obligare. Navar. *c.*23. *n.*50. Diana 1. *part. tract.* 10. *de legibus, resolut.*25. *vers. Sed ego:* ergo decretum hoc per se non obligat ad mortale.

49 Ex alio enim capite erit peccatum mortale, nempe si Ecclesiæ, aut Monasterium aliis implicaretur memoriis Missarum, ita ut adimplere non posset onus Missarum de novo acceptandum; tunc enim Rector, aut Prælatus graviter peccaret, dum acceptaret onus, quod minimè adimplere poterat. Istinc resolvendum contra Pasqualigium *d. quæst.* 1102. *à n.*6. quod si ipsi Prælati, aut Rectores, absque licentia acceptaret onus Missarum, quod rectè poterant adimplere, minimè graviter peccarent, licèt pœnis decreti punirentur; nam ut diximus satis probabiliter, decretum hoc minimè obligat ad mortale: tum quia est probabilis sententia illa, asserens minimè obligare legem, quantumvis publicam, cessante fine legis adæquato, quam tenent Diana 6. *part. tract.* 6. *resol.*49. Ludovicus à Conceptione *in examine Theolog. Mor.* 1. *part. tract.*4. *q.*1. *concl.*2. Diana 1. *part. tract.*10. *resol.* 28. verùm dicit Caramuel *in Theolog. Fundament. fundam.* 14. *q.*1. *n.*636. Igitur in hoc casu graviter non peccabit, quin potiùs admissa sententia Caramuelis, nec venialiter peccabit, & insimul à pœnis liberabitur.

Præterea in re est grave dubium, an si de facto absque licentia superioris admittatur Anniversarium, vel perpetuum onus Missarum, irrita sit talis acceptatio, ita ut tractatus nullus sit. Et Pasqualigius *q.* 1109. *à n.* 3. Asserit irritum esse ipso jure ex tali decreto; nam decretum petit illam licentiam, ut sit consensus auctorizans actum acceptandi onus Missarum, sine quo nequit subsistere, utpote deficiente necessario consensu, ut sustineatur, juxta tradita ab Abbate *in c. Cum nos, de his quæ fiunt à Prælat. n.*5. Felin. *in cap. Edoceri, de rescript. n.*7. & 8. Rota *part.* 4. *Recent. decis.*331. *n.*6. Cæterùm licentia ista petitur a decreto, tanquam forma substantialis istius acceptationis; nam quoties aliquid additur de novo, quod de jure communi non requiritur, existimatur forma. Decius *cons.*331. *n.*1. Duran. *decis.*18. *n.*17. Ast sine forma substantiali nequit actus sustineri, *l. Cum hi* 12. §. *Si Prætor, ff. de transact. l. Non dubium* 5. *C. de legibus*. Rota apud Farinac. 2. *part. decis.*671. *n.* 2. Guttierrez *pract. lib.*3. *q.*15. *n.*15. Grat. *Discept. Forens. tom.*5. *cap.* 853. *n.* 28. ergo nec hæc acceptatio valere poterit absque licentia Episcopi in Sæcularibus, & in Regularibus absque licentia Generalis, seu Provincialis. 50

Tamburinus *dict. cap.* 1. §. 7. *n.* 15. scripsit absque dubio admittendum contrarium, acceptationemque valere, licèt postea valeat irritari; nam ex communi sententia Theologorum, licèt lex prohibeat actum aliquem, minimè irritare præsumitur, nisi ab ea expressè annulletur. in quo differunt a Jurisperitis, qui ex sola prohibitione actum irritari asserunt, *ex l. Non dubium* 5. *C. de legibus*. 51

Tamburini sententiam admitto: verùm in eo quod asserit, Jurisperitos ex sola prohibitione actum irritari affirmare, res expedita non est, multi enim casus sunt in quibus contrarium tenent, adsuntque jura id probantia, *cap. Viduum* 29. 2. *quæst.* 6. *cap. fin. de clandest. desponsat. cap. ad Apostolicam* 13. *de regularib.* Trident. *sess.*24. *de matrim. cap.*1. *leg.*1. §. *Viduum, ff. Quando appel. cap. unic. de vot. in* 6. ubi matrimonium contractum ab eo, qui votum castitatis emisit, prohibetur, attamen validum est: estque etiam textus *in cap. Rursus* 6. *qui Cleric. vel vovent.* id probans; nam qui vovit ingressum strictæ Religionis, si tamen laxiorem profiteatur, valida est professio, licèt à jure prohibeatur: quare contra expressissima jura asserendum non est absolutè, Jurisperitos omnes asserere, ex sola prohibitione actum irritari, quin potiùs quamplurimi contrarium tenuere. Mendoza *de pact. lib.* 1. *cap.* 4. *à num.* 41. nisi aliàs quod præcipitur, ponatur pro forma substantiali. Barbosa *Axiomate juris* 12. *num. fin.* 52

Nec obstat textus *in dict. leg. Non dubium, cap. Imperiali*, 25. *quæst.*5. ex quibus aliqui DD. Juristæ decepti sunt; nam varia recipiunt interpretamenta: aliqui dicunt, in terris Imperii tantùm jura illa locum habere. Alteri asserunt esse accipienda, quando actus ponitur pro forma substantiali: & alii inquiunt esse intelligenda, non quòd prohibitum à lege, sit statim irritum, sed ope exceptionis: quapropter illud est asserendum, ex sola prohibitione actum non fieri irritum, nisi clausula sit irritans, aut verba nullitatem denotantia, ut latè prosequuntur Suarez *de legibus, lib.*5. *c.*25. *per tot.* Sanch. *de matrim. lib.*3. *disp.*5. *n.*8. & 9. Palao *tom.*1. *oper. mor. tract.* 3. *disp.*2. *punct.*8. *n.*2. Pontius *de matrim. lib.*12. *c.*7. §.5. Bonac. *de legibus, disp.*1. *q.*1. *punct.*7. §.5. *à n.*8. 53

Hoc adnotato, sententia Tamburini ampliùs probatur; nam licentia superioris ad acceptandum Anniversarium, seu onus perpetuum Missarum, non est de essentialibus illius acceptationis, quippe de jure communi valebat fieri acceptatio absque tali licentia, ex sola persona Rectoris, aut Prælati Ecclesiarum, ut in aliis legatis: quapropter licentia illa consideranda est tanquam extrinseca solemnitas ad acceptandum, ex cujus omissione actus non redditur nullus. D. Thomas *in* 4. *dist.*28. *quæst.*1. *art.*3. Sanchez *de matrim. lib.*3. *disp.* 3. *n.*2. Ergo in præsentiarum cùm lex non annullet acceptationem, si de facto fiat absque solemnitate licentiæ, valida erit donec revocetur. Cæterùm licentia illa non est necessaria, nisi ob causam, ne Ecclesia, seu Monasterium ampliores Missas recipiat, quàm valeat adimplere, ut ultimæ piæ voluntates rectè adimpleantur; hæc enim circumstantia extrinseca est ad acceptationem, nec intrat substantiam illius; quinimò per accidens est, si possit adimpleri, necne; idcirco nequit licentia ista considerari tanquam forma substantialis illius acceptationis, quia tota versatur circa circumstantiam, quæ per accidens se habet respectu acceptationis, præ- 54

cipuè

cipuè quando lex non annullat ipsam acceptationem aliter factam: unde perpenditur licentiam positam fuisse pro forma. Guttierrez *dict. lib.3. quæst.*15. *n.*4. Suarez *dict. cap.* 25. *n.*10. Anguianus *de legibus, lib.*3. *contr.* 7. *n.* 12. Ergo dicendum est, valere acceptationem oneris Missarum absque licentia, ipso jure, licèt posteà possit irritari. Deinde irritare est quid distinctum à prohibere; quapropter cùm decretum hoc non irritet, sed tantùm prohibeat, nequit acceptatio absque licentia annullari ipso jure; à diversis enim non fit illatio, *l.*3. §. *Generaliter, ff. de acquir. possess. l.*1. §. *Quartus, Cod. de vet. jur. enucleand. l.* 2. *ff. de milit. testament.* Idque magis confirmo, nam interest Ecclesiarum, seu Monasteriorum, ut ipso jure valeat talis acceptatio, cùm de sua natura sit illis proficua: si verò nullatenus Ecclesia adimplere possit, facilè illud onus dimittet; semper enim melior est conditio possidentis, *c. In pari* 64. *de Reg. jur. in* 6. §. *Retinendæ, Inst. de interdict. l. In pari* 125. *de Reg. jur.* Surdus *cons.*73. *n.*36. Tiraquel. *de jur. primog. q.*17. *opin.*11. *n.*20. Ergo valida erit acceptatio ipso jure, absque Superioris licentia, donec ope exceptionis annulletur.

55 Unde fundamenta Pasqualigii dilabuntur, quia licentia illa non requiritur ut auctorizans, & præstans consensum ad valorem acceptationis, nec ut forma substantialis illius, sed tanquam solemnitas extrinseca ad rectè, & ritè acceptandum onus Missarum. In Synodali Toletana secus dicere oportet, si absque licentia Consilii Archiepiscopalis ad onus Missarum obligetur Ecclesiarum fabrica; habet enim clausulam irritantem, ibi: *Desde luego lo damos por nullo, y attentado.* Quæ verba præcisam annullationem demonstrant ipso jure, *cap. Decet*, § *Ordinarii, de immunit. Ecclesiarum, lib.* 6. Suarez *dict. lib.*5. *cap.* 26. *num.* 2.

56 Restat verò scrupulus sedandus in hac disquisitione, nempe hanc licentiam decreti de novo adjectam esse juri communi ad acceptandum onus Missarum, quod formam inducit, ut dicunt relati *num.* 50. Guttierrez *dict. lib.*3. *quæst.* 15. *num.*8. Ergo necessariò acceptationem irritabit. Respondeo tamen, hanc propositionem absolutè sumptam non esse admittendam, quia plura de novo in legibus adduntur ad actus faciendos, quæ illos tantùm prohibent, & non annullant. Erit exemplum in legibus de novo inducentibus impedimenta matrimonii non dirimentia, sed tantùm prohibentia, cum quibus si contrahatur, validum est, licèt lex prohibeat, *c.*1. *cap. Ex litteris, de eo qui cogn. consanguineam.* Admittetur verò doctrina illa, quando aliquid de novo additur jure communi cum aliquibus verbis inducentibus irritationem, aut quando illud quod de novo additur, intraret substantiam totius actus, ut benè advertit Anguianus *dict. lib.*3. *controvers.*7. *à n.*20. aliàs minimè admittenda esset, maximè in hoc decreto, quod pœnale quod cùm sit, est præsumptio, ut lex pœna imposita nolit actum irritare, ut tradunt Sylvest. Abbas, Cardin. Joan. Andreas, Felinus, & alii relati à Suar. *d. cap.*25. *n.*4.

57 Unde cognoscitur contra Pasqualigius *quæst.* 1109. *num.* 10. onus Missarum rectè retineri ex sola Prælati, aut Rectoris acceptatione absque licentia Superioris, donec revocetur, aut irritetur ex defectu illius solemnitatis.

58 Illud verò admitto cum eodem Pasqualigio *quæst.* 1104. *à num.* 1. Tamburinus *dict.* §. 7. *num.* 14. ut si fundator reliquerit onus Missarum perpetuum, seu Anniversarium Regularibus, Collegiis, aut aliis Confraternitatibus, non ut suscipiant in se obligationem adimplendi, sed tantum procurandi celebrationem Missarum, minimè est necessaria licentia; casus enim iste non continetur in Decreto. Tum quia poterit adimpleri dando stipem aliis Sacerdotibus, si Monasterium, Collegium, vel Ecclesia, seu Confraternitates nequeant adimplere.

59 Rursus est alia difficultas ad rem necessariò investiganda, an ad valorem requiratur licentia in scriptis, ita ut si aliter concedatur, non sufficiat? Et ad hanc difficultatem præmitto, duobus modis posse scripturam requiri, aut quoad substantiam & formam contractus, taliter quod si scriptura non fiat, nequeat sustineri, prout in emphyteusi tenent plures, quos sequitur Cevall. *commun. quæst.* 356. vel aliter quoad probationem, ita ut contractus validus sit, etiamsi non fiat scriptura, quia non petitur quoad substantiam, sed quoad probandum. Gratianus *disceptat. forens. cap.*118. *num.* 2. Barbosa *in cap.* 1. *de postulat. Prælat. num.* 8. Amaya *in l.*1. *Cod. de apoch. publicis, num.* 23. & 26. Larrea *alleg.* 88. *num.*2.

60 Istinc oritur dubium, quia Decretum asserit in scriptis esse dandam talem licentiam: & Pasqualigius *quæst.* 1110. *num.* 40. asserit necessariò in scriptis esse concedendam; nam quoties scriptura à lege petitur, est de forma, & actus substantiæ, *l. Pactum quod bona fide* 17. *Cod. de pact.* ubi Scribentes. Surd. *decis.* 331. *num.* 3. Osuald. *ad Donell. lib.* 18. *cap.*13. *lit. l.* sicut etiam quando à partibus convenitur de scriptura, ne aliter contractus sustineatur. Larrea *decis.*56. Cancerius 1. *part. variar. cap.* 13. *à nu.* 10. Sed in præsentiarum decernitur, hanc licentiam in scriptis esse dandam: ergo intelligitur esse de substantiali forma, absque qua nequit actus sustineri. Cæterùm decretum dicit licentiam in scriptis & gratis esse concedendam; ablativus enim absolutus importat conditionem, *leg. A testatore* 109. *ff. de condit. & demonstrat. leg. Si debitor* 4. §. 1. *ff. quibus mod. pignus, vel hypothec.* Gratian. *discept. cap.*307. *n.*1. conditio verò servanda dat formam substantialem necessariam, sine qua actus corruit. Rota apud Merlinum *decis.*247. *n.*10. Ergo licentia ista si non detur in scriptis, valida non est.

61 Contrarium tenet Tamburinus *d. cap.*1. §. 7. *n.*10. nam Decretum hoc non requirit scripturam præcisè faciendam, ita ut si aliter fiat, annulletur; sed dat modum, ut meliùs, & securiùs constet de licentia, quamobrem etiamsi absque scriptis concedatur, valida erit.

62 Hæc sententia Tamburini amplectenda est; nam quoties lex, aut statutum scripturam petit ad aliquid agendum, non præsumitur id peti ad formam substantialem, nisi aliàs annullaret actum, sed tantùm ad meliorem probationem. Ratio est, nam scriptura de sua natura ad nihil deservit, nisi ad meliorem probationem, *leg. Contrahitur* 4. *ff. de pignor. act. leg. In exercendis* 15. *Cod. de fide instrument.* Quare optimè Cassiod. *lib.*1. *variar. cap.*33. ait: *Est scriptura humanorum actuum servans fidele testimonium, præteritorum loquax, oblivionis inimica; nam memoria nostra, etsi causas retinet, verba tamen commutat: illic autem securè reponitur, quod semper æqualiter audiatur.* Itaque si à lege petatur, vel desideretur, ad probandum tantùm requiri existimandum est, nisi ex aliis probetur pro forma peti, aut annullet actum, ut est optimus textus *in leg.*28. *tit.*8. *part.*5. ibi: *E por escritura, cà de otra guisa non valdria.* Optimè cum aliquibus explicat Castillo *lib.*6. *controv. cap.* 149. *à num.* 24. Ergo in præsentiarum, licèt Decretum petat, ut in scriptis licentia concedatur, quia tamen aliter factam non irritavit, aut clausulam aliam non apposuit, unde pro forma existimetur fuisse petitam scripturam, valida erit Superiorum licentia, etiamsi in scriptis non detur.

63 Sed dices hoc fundamentum solidum non esse, multi enim sunt DD. asserentes, ex eo solùm quod à lege petitur scriptura, præsumi pro forma peti: aliquos refert, & sequitur Vela *dissertat.*12. *à num.*79. Avendañ. *de censibus*, *c.* 84. *num.* 6. Ergo ruit illud fundamentum. Hanc verò doctrinam non admitto ex fundamento numero antecedenti relati relato, sicut nec eam admittit Amaya *in l.*1. *Cod. de apoch. public. lib.*10. *num.*26. Anguianus *de legibus lib.*1. *controv.* 9. *num.* 18. ubi leges asserentes legem scribendam, intelligit non esse ad formam, sed tantùm ad majorem commoditatem, & congruentiam: unde ex eo solùm quod lex petat scripturam, non intelligere oportet formam induxisse, quippe ut dicebamus, scriptura ex sua natura est ad probationem, itaque ad id præsumendum illam adducere voluit, quia potentior est conjectura, & præsumptio, quæ desumitur ex natura actus. Covarruvias *lib.*3. *variar. cap.*15. *num.* 2. Barbosa *in leg. Quia tale* 14. *ff. solut. matrim. num.*4. Mesa *var. lib.*2. *cap.*27. *n.*5. Idcircò illorum Doctorum non admitto sententiam.

64 Cæterùm aliud fundamentum Pasqualigii, desumptum ex ablativo absoluto, non convincit; nam licèt regulariter loquendo importet conditionem, Rota apud Merlinum *decis.* 684. *num.*1. Marescotus *variar. lib.* 2. *cap.* 66. *num.* 7. & operetur plusquam si conditio expressè poneretur, Cyriacus *tom.*3. *controv.* 424. *n.*1. latè Castillo *lib.*4. *controvers. cap.*57. *à num.*1. Attamen regula ista plures admittit limitationes, nec certum est semper inducere conditionem, ut cum multis docet Barbosa *in rubric. solut. matrim.* 1. *part. num.*25. Castillo *dict. cap.*57. *à n.*30. Illud verò ad rem observandum, ut quoties lex illum ponit per modum dispositionis, ut in præsentiarum, minimè inducat conditionem. Castillo *d. cap.*57.

cap. 57. à num. 47. quapropter ablativus absolutus in dicto Decreto conditionem non imponit, ita ut illa deficiente, actus, seu acceptatio corruat; idcircò etiamsi non scripta concedatur licentia, sustinebitur.

65 Illud verò quod gratis concedatur, non est ita necessarium, ut præcisè corruat, si pro pecunia concederetur; est enim pecunia quid extrinsecum, quod nequit concessionem annullare: ideo licentia pro pecunia concessa, ex eo non erit nulla. Tamburinus *dict. §. 7. num.* 11. Pasqualig. *quæst.* 1111.

66 Circa pœnas interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ac alias contentas in dicto decreto, animadvertendum, sæculares Clericos absque ulla declaratione incurrere interdictum; nam licèt quoad illos id non exprimatur in dicto Decreto, ex natura tamen illius pœnæ est, ut absque aliqua declaratione incurratur, ut cæteræ censuræ. Molina *de justit. tractat. 2. disput. 96. num. 2.* Layman *tractat. 4. de legib. lib. 1. cap. 15. num.* 5 Itaque absque aliqua declaratione sæculares Clerici, si absque licentia acceptent onus Missarum, seu Anniversarium perpetuum, interdictum illud incurrunt. Pasqual. *q.* 1113.

67 Regulares voce activa, & passiva, & insimul omnibus officiis privantur absque aliqua declaratione. Tamburinus *dict. §. 7. n. 6. vers. Ex his*: id apertè ostendit dictum Decretum. Est tamen dubium, an ad incurrendam prædictam pœnam privationis, adhuc sit necessaria declaratio criminis; est enim distinctum declarare pœnam à declaratione criminis; quapropter licèt Decretum dicat ad incurrendam illam pœnam declarationem non esse necessariam, nihil tamen disponit quoad declarationem criminis.

68 In hoc dubio sunt duæ sententiæ. Prima asserit non esse necessariam declarationem criminis quoties lex dicit non esse necessariam pœnæ declarationem; nam ex eo quod dicat, *absque declaratione*, illa universalitas comprehendit criminis declarationem: Ergo non erit necessaria talis declaratio. Suarez *de legibus lib. 5. cap. 7. num.* 7. Sylvester, Valentia, Salas, Reginaldus, & alii sequuti à Bonacina *de legibus disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 2. num. 16. vers. Alii verè*, Azor. *tom. 1. Instit. Moral. lib. 5. cap. 7. quæst.* 6.

69 Secunda sententia contrarium asserit, ut nempe requiratur criminis declaratio, etiamsi lex dicat, *absque aliqua declaratione*, ut *in l. 1. tit. 21. lib. 8. Recopilat. extravag. Ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ*: nam ut docet Molina *tract. 2. disp. 96. n. 4.* ad hoc ut nulla declaratio sit necessaria ad incurrendam pœnam, clarissima verba sunt necessaria, quæ quidem non sufficiunt, si tantùm lex dicat, *Absque declaratione*; nam clausula illa intelligitur de declaratione pœnæ, non autem criminis: idcircò illa non obstante, criminis declaratio erit necessaria, ut *in leg. 5. tit. 11. lib. 5. Recopilat.* ubi notat Azeved. *n.* 1. Mathienzo *gloss. 1. num.* 4. dicit probabilius Sanch. *in Summa, lib. 2. cap. 22. n.* 20. & alii quamplurimi recensiti à Pasqualig. *quæst. 1113. n.* 3. Henriquez *lib. 13. de excomm. cap. 56. num.* 3.

70 Hanc ultimam sententiam admitto in hoc decreto; nam cùm nulla alia verba addat, nisi illa, *absque declarationo*, intelligenda sunt ad incurrendam pœnam, non verò excludunt criminis declarationem. Secus tamen censeo (quidquid resistat Sanchez *d. cap. 22. n. 20. ad finem*) si alia apponerentur, nempe *ipso facto, ipso jure*, & insimul *absque declaratione*; tunc enim nulla declaratio criminis erit necessaria, quia per illa verba, seu dictiones, *ipso facto, ipso jure*, incurritur pœna absque declaratione, *cap. 1. de homic. lib. 6.* ubi Gloss. *verb. Ipso facto, cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi, eodem lib. Clementin. Attendentes, de stat. Monach.* ubi Gloss. ultima. Suarez *de legibus lib. 5. cap. 7. n. 4.* Farinac. *in fragm. 2. part. lit. L. num.* 93. Salas *de legibus quæst. 96. tractat. 14. disp. 15. sect.* 6. quapropter altera verba, *absque declaratione*, adduntur ad excludendam criminis declarationem; non enim facilè admittendum in legibus verba superfluè, aut absque causa multiplicari.

71 In calce hujus capitis sciendum restat, pœnam interdicti positam sæcularibus Clericis absque licentia admittentibus Anniversarium, seu onus Missarum, sequuta emendatione posse absolvi in foro externo ab Episcopo, in interno etiam à proprio Sacerdote, *cap. Nuper 29. de sentent. excommunic.* Tamburinus *dict. §. 7. numer.* 9. Pasqualigius *quæst. 1114. num.* 2. Quoad pœnas Regularibus inflictas dicendum, posse absolvi à suis Prælatis immediatis; nam ex Constitutione Pii V. Prælati Regulares quoad suos subditos habent eandem jurisdictionem, & facultatem, quam habent Episcopi quoad suos. Pasqualigius *dict. quæst. 1114. à num.* 3.

CAPUT X.

Quonam modo Missarum Anniversaria sunt adimplenda.

SUMMARIUM.

Gravis est culpa non adimplere Anniversaria, num. 1. & sunt adimplenda cum omnibus circumstantiis fundationis, num. 2.

An Anniversarium sufficiat pro unica vice adimplere? Et negative resolvitur, à num. 3. ubi aliqua explicantur, usque ad num. 9.

Ex magna quantitate pecuniæ præsumitur Anniversarium perpetuum, quod explicatur n. 10.

An si Anniversarium fundetur per contractum, sit perpetuum, n. 11. respondetur affirmative, n. 12.

Causæ piæ debent adimpleri initio anni, num. 13. secus Anniversarium, n. 14.

Ast quando est celebrandum à Capellano, de bimestri in bimestre solvitur salarium, n. 15.

An quando fructus Anniversarii crescunt, aut decrescunt, augenda, aut minuenda sint Missæ, latè discutitur, à n. 16. usque ad 20.

Et quid si diminutio sit ad tempus? aliqui negant Missas esse diminuendas, num. 21. Alia est sententia affirmans, num. 22. admittitur, & explicatur hæc sententia, num. 23.

Quando fructus augentur, an augeantur Missæ, ponitur status quæstionis, num. 24. Prima sententia affirmat, n. 25. Secunda negat, & tertia distinguit, n. 26. & 27. Resolvitur, & explicatur, à num. 28. Limita quando fructus crescerent, & stipendium, n. 30.

Quando testator certam quantitatem relinqueret ad instituendum Anniversarium, & aliquid superest, an ad heredem devolvatur, ponitur quæstio, n. 31. Prima sententia affirmat, num. 32. negat altera, num. 33. resolvitur, à n. 34. usque ad n. 37.

An Anniversarium sit perpetuò adimplendum, vel sufficiat per centum annos adimpleri? Prima sententia asserit non esse perpetuò adimplendum, n. 38. affirmat altera, n. 39. admittitur ista, & defenditur, n. 40. & seqq.

Si error sit in numero Missarum, an præscriptione, aut consuetudine Capellanus ad majorem numerum teneatur. Prima sententia affirmat, num. 43. Secunda negat, num. 44. resolvitur, à num. 46. Sunt aliqui casus ubi numerus Missarum non adimpletur, num. 49. & quid si fiat transactio, à num. 50. usque ad finem.

IN Anniversariis adimplendis maxima cura est impendenda, aliàs verò graviter peccabunt, qui gravem fecerint dilationem, ut diximus *lib. 2. cap. 4. à num.* 46. In hoc Archiepiscopatu Toletano adest Constitutio 1. *de testament.* multa præcipiens, ut statim Missæ dicantur, tam pro unica vice dicendæ, quàm in Anniversariis, & Capellaniis. Verùm quia tanta sunt ibidem disposita nimia scrupulositate, praxis aliqua non accepit; quæ autem recepta sunt, servabuntur considerando quidquid in qualibet Ecclesia receptum fuerit. 1

Illud verò prætereundum non est, ne exequutores Anniversariorum, aut Capellaniarum modos, conditiones, aut alia à fundatoribus disposita omittant, quin ad unguem observent, prout facere tenentur, *cap. Eleuterius 18. quæst. 2. cap. Quanto, de consuetud. l. 9. tit. 6. lib. 1. Recopilat.* Rota apud Farinacium *decis. 582. num.* 1. Vivianus *in praxi jurispatron. 2. part. lib. 6. cap. 6. num.* 3. nisi à lege irritentur, aut aliter rejiciantur. Cacheran. *cons. 191. à num.* 3. Riccius *in praxi forens. decis.* 174. Valenzuela *cons. 105. à num. 1. & cons. 63. à num.* 205. Quamobrem locus, tempus, Altare, & Capella semper observetur, prout dictum est. 2

Est verò dubium, quando legatum Missarum relinquitur, 3
an sit

an sit pro unica vice adimplendum, vel an sit perpetuum Anniversarium annualiter celebrandum? Et affirmandum videtur unica vice dicendas esse Missas, ex regula *in leg. Boves* 89. §. *Hoc sermone, ff. de verb. signific.* unde communiter DD. dicunt, verba simpliciter prolata, pro unica vice suscipienda, *leg. Dotis promissio* 69. *ff. de jur. dot. l. Cum Pater, §. Pater certum, ff. de legat.* 2. Rota apud Farinac. *tom.* 1. *decis.* 423. Marius Antonin. *lib.* 1. *resolut.* 74. *num.* 4. illa annuente ratione; nam in dubio facienda est interpretatio, ut minùs censeatur hæres gravatus, *l. Unum ex familia* 11. §. *Si rem, ff. de legat.* 2. quod extenditur etiam ad legata pia, ex doctrina Bartoli *in leg. Cum quidam, ff. de ann. legat. n.* 3. ubi tenet, quod si testator reliquerit Fratribus pitanciam in die Sancti Francisci, intelligitur de pitancia semel præstanda: cujus sententiam sequuntur plures apud Laram *de Anniversariis*, *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 4. Leoncillus *de privileg. paup.* 2. *part. privileg.* 205. *num.* 5. Ergo quando legatum Missarum relinquitur, pro unica vice intelligitur, non autem Anniversarium reiterabile.

4 In re considerandum, an mens, seu voluntas testatoris tendat ad unicum actum; quod duobus modis valet considerari, aut quando verba sunt expressa, & tunc certum est legatum Missarum unica vice esse adimplendum, Leon *de offic. Capell. quæst.* 5. *sect.* 1. *num.* 3. vel quando coarctarentur ad certos dies, qui tantùm unica vice eveniunt, veluti si legaret tot Missas in die tertio, aut septimo exequiarum, quo quidem casu Anniversarium nequit considerari, sed Missæ unica vice adimplendæ. Leon *dict. n.* 3. Gomez *variar. tom.* 2. *cap.* 11. *n.* 48. *ad finem.* Lara *dict. cap.* 3. *n.* 48. Pasqual. *quæst.* 1005. *n.* 1.

5 Unde examinanda est doctrina Bartoli *in dict. leg. Cum quidam, num.* 3. asserentis pitanciam relictam Fratribus in die Sancti Francisci, unica tantùm vice adimpleri, *ex leg. Eum qui kalendis* 41. *ff. de verbor. obligat.* ubi stipulatio de qualibet re facta kalendis Januarii, intelligitur, de primis kalendis, non autem de annuis. Sequuntur Bart. Natta *lib.* 2. *cons.* 379. Cephalus *lib.* 4. *cons.* 612. *num.* 17. Barbosa *in l. Divortio* 8. §. *Quod in anno, ff. solut. matr. m. n.* 13. Thoro *privil.* 240.

6 Contrarium tenent Lancellot. Decius *in dict. leg. Cum quidam*, Gomez *dict. cap.* 11. *n.* 48. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 132. *n.* 8. Castillo *lib.* 8. *controvers. cap.* 3. *nu.* 16. ex decisione textus *in l. Cum quidam* 24. *ff. de annuis legat.* ubi relictum Decurionibus in die suo natali, quotannis relictum videtur. Idque non ex intellectu, quem nonnulli præstiterunt, quia parva quantitas eis relinquebatur, unde verisimile non erat, ut pro unica vice legaretur; sed quia dies illa reiterabilis est quotannis, ut benè notat Barbosa *in dict. leg. Divortio, num.* 13. quæ quidem ratio militat in casu, quando pitancia relinqueretur Fratribus in die S. Francisci, qui quotannis reiterabilis est.

7 Verùm in re dicendum, quod si dies illa D. Francisci apponitur à testatore præcisè coarctando, & restringendo legatum ad festum Sancti illius proximi venturi, pro unica vice adimpleretur; aliàs doctrina Bartoli non est admittenda, sed secunda sententia, ex natura reiterabilitatis. Quod majori ratione admittendum, si Fratribus Sancti Francisci relinqueretur, aut aliis Mendicantibus paupertate laborantibus, quia benè præsumitur quotannis voluisse testatorem eorum necessitatibus occurrere. Menochius *dict. præsumpt.* 132. *num.* 8.

8 Si verò legatum Missarum relinqueretur pro Anniversario, in certis diebus, aut hebdomadis celebrandarum, perpetuum censebitur, quia de sui natura reiterabile, quapropter legatum perpetuum erit. Cæterùm in his dispositionibus sufficit ex verbis, aut ex actus natura considerare perpetuitatem, *leg. Caius, ff. de ann. legat.* illa enim quæ annua sunt, censentur perpetua, *l. Annua* 20. §. *Atria*, *leg. fin. ff. de ann. legat.* Ergo erit legatum perpetuum, nec sufficiet pro unica vice adimplere. Denique in dubio favore causæ piæ legatum præsumitur perpetuum, non verò pro unica vice. Tiraquell. *in dict. leg. Boves, §. Hoc sermone, ff. de verb. signific. limit.* 3. *num.* 6. Menochius *dict. præsumpt.* 132. *num.* 3. prout observatur in causa dotis, *l. Legatum* 17. *ff. de ann. legat.* & dos legata favore matrimonii, & à patre relicta, non solùm præsumitur pro primis, sed etiam pro secundis nuptiis, *leg. Cum pater* 77. §. *Pater centum*, *ff. de legat.* 2. & in alimentis legatis donec vivat, *leg. Sicut annos* 3. *ff. quibus mod. ususfruct. amittatur*, Gomez *dict. cap.* 11. *num.* 48. Tiraquell. *in dict. §. Hoc sermone, limit.* 3. *num.* 13. Mantica *de conject. lib.* 6. *tit.* 11. *num.* 19. Ergo in dubio quando legatum Missarum relinquitur ad Anniversarium, vel ad Missas certis diebus, aut hebdomadis dicendas, erit perpetuum, nec unica vice adimplebitur. Lara *dict. cap.* 3. *à num.* 9. Leon *de offic. Capell. quæst.* 5. *sect.* 1. *à num.* 2. Garcia *in Sum. tract.* 3. *diff.* 11. *dub.* 2. *à n.* 1. Pasqualigius *quæst.* 1005. *à num.* 2. Thoro *in Sum. privileg.* 199.

Quod idem dicendum quando ex qualitate rei legatæ, 9
ad adimplendas Missas conjecturaretur voluisse testatorem Anniversarium, seu onus perpetuum Missarum, veluti si fundum legasset fructiferum, & qui quotannis pensionem, seu fructus redderet; nam ex qualitate rei legatæ cognoscitur velle onus perpetuum Missarum. Tiraquell. *in d.* §. *Hoc sermone*, *limitat.* 18. Lara *dict. cap.* 3. *num.* 29. Leon *dict. sect.* 1. *n.* 6.

Ex magna verò quantitate pecuniæ relicta ad Missas di- 10
cendas Anniversarium non præsumitur ut onus Missarum perpetuum, ut eum Leone tenet Pasqualigius *quæst.* 1008. *à num.* 2. Sed melior est distinctio, quam suprà scripsimus, *cap. anteced. n.* 11.

Quid verò dicendum si Anniversarium, aut onus Missa- 11
rum relinquatur per contractum, an sit perpetuum, an verò sufficiat unica vice adimpleri? Et dicendum videtur, sufficere per unicam vicem adimplere, ex doctrina Bart. Lancelloti, & Dini, quos refert Gomez *in dict. cap.* 11. *num.* 48. asserente quod si aliquid donetur alicui quoad vivat, non esse annuam præstationem, sed pro prima vice adimpleri. Cæterùm confirmatur ex Baldo dicente, quod si aliquis rosas venderit, licèt rosæ sint reiterabiles, pro prima vice tantùm intelligitur. Barbosa illum refert, & sequitur *in dict. leg. Divortio*, §. *Quod in anno, ff. solut. matrim. n.* 11. Ergo similiter Anniversarium, seu onus Missarum, si per contractum relinquatur, pro unica vice sufficiet adimpleri.

Sed contrarium tenendum est cum Lara *dict. cap.* 3. *num.* 12
43. nam contractus, & ultimæ voluntates recipiunt esse à voluntate contrahentium, sive clara, sive interpretativa, *leg. Non omnis* 19. *ff. de reb. credit.* Decisio Genuensis 63. *num.* 3. Gomez *in leg.* 22. *Taur.*, *num.* 24. Connanus *lib.* 7. *comment. cap.* 1. *num.* 13. Cùm ergo Anniversarium, seu onus Missarum dicat ex sui natura perpetuitatem, rectè præsumitur contrahentes voluisse, ut fieret perpetuum, nec sufficiet unica vice adimpleri. Cæterùm sententia ista confirmatur ex doctrina Gomesii *dict. num.* 48. *versic. Item adde*, ubi si per contractum aliquid relinquatur pauperi quoad vivet, intelligitur annua præstatio: ergo similiter si per contractum relinquatur Anniversarium, perpetuum intelligetur, cùm eadem sit causa pietatis, ne dicam major. Denique fundamenta quæ suprà pro contrario adduximus, debilia sunt, nam contra Bartol. & sequaces contrarium tenet Gomez *dict. num.* 48. venditio enim rosarum semper intelligitur de anno præsenti, nec aliud intelligitur de sequentibus, nisi exprimatur.

Præterea disquirendum venit, quo tempore adimplen- 13
dum sit Anniversarium, & ab initio anni adimpleri debere suadetur; nam in qualibet causa pia illud est observandum, ut in initio anni adimpleatur. Tiraquell. *de privil. causa piæ, privil.* 22. Thoro *in Summa privil.* 11. Gomez *in l.* 36. *Taur. num.* 2. *vers.* 11. ut in legato facto scholari apparet, quod debetur in principio anni. Rebuff. *de privileg. schol. privil.* 136. Ergo similiter asserendum videtur in Anniversariis.

Sed in Anniversariis contrarium dicendum, adimplenda 14
enim sunt anno revoluto à die mortis defuncti; nam ut docet Gloss. *in cap. Cùm creatura*, *de celebrat. Miss.* annumeratur Anniversarium revoluto anno per trecentos & sexaginta quinque dies à die mortis testatoris, *leg. Anniculus* 134. *ff. de verb. signific.* Lara *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 32. Ergo anno completo adimplendum est Anniversarium, procedendo eadem observatione ad singulos annos, prout usus communis obtinuit, & similiter tunc facienda est solutio. Lara *d. cap.* 9. *per tot.* Leon *de offic. Capell. q.* 5. *sect.* 6. *n.* 69. Pasqual. *quæst.* 979. *à n.* 2.

Quando verò Anniversarium, seu onus Missarum re- 15
linquitur, ut quoties celebretur, aut certis diebus per hebdomadas, & Missæ Capellano commendantur, tunc ab initio anni sunt solvendæ pensiones, seu stipendia Capellani, *leg. Filia mea* 22. *ff. de annuis legat.* quia considе-

siderantur ut alimenta Capellani : verùm ne fortè moriatur, & Missæ non adimpleantur, Sacra Congregatio 17. Decembr. 1591. decrevit, quod hæredes non teneantur anticipatè solvere, nisi Capellanus caveat : verùm periculum illud, si onus Missarum relinquatur Ecclesiis, omninò cessat. Illud verò in praxi observare convenit, ut de bimestri in bimestre, aut trimestri in trimestre solutio fiat, ut postea in alimentis dicemus. Pasqualigius *quæst*. 980.

16 Præterea disquirere oportet, an quando diminuuntur, aut augentur fructus Anniversarii, numerus Missarum augeatur, aut diminuatur? Et in hac disquisitione animadvertendum quæstionem versari, quando aliqui fructus taxativè ad adimplendas Missas relinquuntur, ita ut hæres ad aliquid amplius non teneatur : & in primis illud est certum, quod si cessant fructus designati ad adimplendum Anniversarium, vel exigi nequeant, cessare onus Missarum, quia onus adhæret fructibus, quibus cessantibus cessat etiam Missarum onus. Tamburinus *dict. lib*. 3. *cap*. 1. §. 3. *num*. 8. Leon *de offic. Capellani*, *quæst*. 5. *sect*. 14. *num*. 236. Pasqual. *quæst*. 1074. *à num*. 2. qui *num*. 6. scripsit, quod si deficiant fructus ad tempus, ad tempus etiam cessare obligationem Missarum, de quo infrà. Capponi *tom*. 3. *discept*. 154. *cap*. 2. *n*. 9.

17 Major est difficultas quando tantùm fructus minuerentur? & Pasqual. *q*. 1175. *nu*. 1. dicit quæstionem hanc non currere, quando diminutis fructibus consuetis, remanent ad adimplendum onus Anniversarii; nam mens fundatoris ea est, quando grandes proventus relinquit, ut si tempore currente diminuerentur, & soliti, & consueti remanerent, non deficiat Missarum onus, idque providentiæ illius fuit, quia hæc damna ob temporum injuriam communiter eveniunt.

18 Hæc conjectura absolutè loquendo certa non est; nam licèt in Anniversariis, & memoriis Missarum per extraneos adimplendis fieri valeat; attamen si propinquos Clericos, & consanguineos ad illa adimplenda vocaverit, incerta est: illis enim majores proventus ultra Missarum onus, ratione sanguinis relicti videntur, quare in similibus Anniversariis, aut Missarum memoriis nequit consideratio illa vim habere, verùm diminutis fructibus, etiam onus Missarum diminui videtur, quod probabile existimare absurdum non est.

19 Ad rem enim in primis dicendum, quod si fructus diminuantur culpa administratoris, aut Capellani, illos administrantes damnum resarcire tenentur, nec Missæ diminuentur. Tamburinus *dict. lib*. 3. *cap*. 1. §. 3. *n*. 9. Si verò absque culpa alicujus, veluti casu, aut temporum injuria onus Anniversarii minuatur, nisi restent consueti fructus ad illud adimplendum, vel major quantitas alia ratione relinqueretur, proportionaliter onus Missarum minuetur, & probatur ex regula generali legatorum, quæ cum onere relinquuntur; nam illis diminutis, onus minuitur, *leg. Ei qui* 20. *ff. de mort. causa donat*. & in hæreditate onera relicta, *leg. Plautius rogatus* 43. *ff. de condit. & demonstrat*. & facilè ratione comprobatur ex natura oneris, & emolumenti inter se correspondentium secundùm regulas justitiæ : idcircò in tantum est onus quatenus emolumentum, quippe diminutis fructibus, & onus etiam diminuitur : quod idem dicendum in Anniversariis, & Missarum oneribus. Alvarado *de conjectur. ment. defuncti, lib*. 2. *c*. 2. §. 1. *n*. 37. Garcia *in Sum. tract*. 3. *diff*. 10. *dub*. 10. *n*. 3. Lara *de Anniversar. lib*. 1. *cap*. 15. *à n*. 1. Leon *de offic. Capellan. quæst*. 5. *sect*. 14. *n*. 233. Guzman *de evict*. *q*. 30. *n*. 93. Amaya *in leg. unic. Cod. de collat. donat. lib*. 10. *n*. 45. Garcia *de beneficiis*, 7. *part. cap*. 1. *nu*. 124. Pasqual. *d. quæst*. 1074. *à n*. 3.

20 Idem dicendum si fructus alicujus fundi relinquerentur ad dicendas quotannis viginti, v. g. Missas; licèt enim fructus minuerentur, si consueta stipendia remaneant, illis diminutis, adhuc integrè Missæ dicendæ sunt, nisi ita diminuerentur, ut non remaneret ad integram stipem, *leg. Cùm certus* 5. *ff. de tr. tic. vin. & oleo legat. leg. Si debitor* 39. §. 1. *ff. de contrahend. empt*. D. Olea *de cess. jur. tit*. 4. *quæst*. 4. *num*. 31.

21 Est tamen dubium, an quando ad tempus fructus minuuntur, etiam Missæ minuantur? Et negant aliqui; nam licèt pro sterilitatis tempore diminuantur, tamen ubertate annorum sequentium compensantur : quapropter Missæ nequeunt minui, ut videre est in locationibus per plures annos, in quibus pensio integrè solvitur, si sterilitas unius anni cum aliorum ubertate compensetur, *cap. Propter sterilitatem* 3. *in princip. de locat. l. Licèt* 8. *Cod. de locat*. Amaya *observation. lib*. 3. *cap*. 3. *per totum* quod idem dicendum est in Anniversariis, Lara *dict. cap*. 15. *num*. 15. Leon *dict. sect*. 14. *num*. 232. Henao *de sacrific. Miss. disp*. 31. *sect*. 10. *n*. 95.

22 Contrarium tenet Pasqual. *q*. 1075. *n*. 7. quia si fructus permanenter diminuuntur, similiter Missæ : ergo similiter ad tempus, cùm reverà pro illo tempore cesset commodum fructuum, & consequenter onus; eadem enim ratio est de toto quoad totum, quæ de parte quoad partem, *l. quæ de tota, ff. de rei vindic*.

23 Hæc doctrina Pasqualigii tantùm erit admittenda, quando fertilitas annorum sequentium non excederet justa stipendia Anniversarii; tunc enim pro rata temporis rectè fiet diminutio Missarum, cùm nec de præsenti, nec de futuro emolumentum sit : secus verò si ubertate annorum sequentium fructus justa stipendia excedant, quia datur compensatio. Illud verò notandum, in Anniversariis justa stipendia non esse pensanda secundùm taxam Missarum manualium, sed esse majora pro obligatione perpetua dicendi Missas, tum pro administratione bonorum, si fortè Capellanus, aut Sacerdos ipse illa administraverit, Pasqualigius *dict. quæst*. 1075. *num*. 8.

24 Deinde est aliud dubium, an auctis fructibus, numerus Missarum augi debeat? Et ut clarè procedamus præmittendum, difficultatem non esse quando augmentum notabile non fuisset, tunc enim minimè Missæ sunt augendæ. Modicum enim in consideratione non est, *cap. Licet causam*, §. *Quamquam*, *de probation*. & in terminis Genuensis *in praxi Ecclesiæ*, *tricen*. 8. *quæst*. 229. *num*. 4. Fraxinell. *de obligation. Sacerdot. sect*. 4. *conclus*. 4. & 25. *num*. 1.

25 Erit ergo dubium quando fructuum augmentum est notabile. Prima sententia asserit, Missas esse augendas proportionaliter ad eorum augmentum, idque probant : nam secundùm naturam est, ut sequantur incommoda ubi commoda sequuntur, *l. Secundùm naturam*, *ff. de regul. jur*. Ergo cùm fructus augeantur, similiter & Missæ sunt augendæ, prout tributa, quæ crescunt, & decrescunt per augmentum, aut diminutionem bonorum, *l*. 2. *Cod. de alluvion*. & pensio locationis, quæ augetur, seu minuitur secundùm sterilitatem, aut ubertatem fructuum, *leg. Si merces* 25. §. *Vis major*, *leg. Ex conducto* 15. *vers. Si vis*, *ff. locat*. latè Covarruvias *practicarum c*. 30. Donell. *lib*. 13. *Comment. cap*. 7. Gomez *variarum* 2. *tom. cap*. 3. *num*. 18. Castillo *controversiarum lib*. 3. *cap*. 3. *ex num*. 19. Ant. Faber *Cod. de locat. diffinit*. 4. Molina *de justit. tract*. 2. *disput*. 495. Ergo similiter dicendum in fructibus Anniversarii. Genuensis *dict. quæst*. 229. Lara *dict. cap*. 15. *n*. 18. Alvarado *de conjectur. ment. defunct. lib*. 2. *c*. 2. §. 1. *n*. 17. Capponi *discept*. 154. *cap*. 2. *n*. 3.

26 Secunda sententia distinguit, quando fructus aucti sunt industria Capellani, aut Sacerdotis bona possidentis, aut quando casu, vel natura ipsorum bonorum? Primo casu Missæ augendæ non sunt; nam fructus sunt industriales, pertinentes ad possidentem ratione meliuramenti. Secus si casu, vel natura augerentur; tunc enim Missæ debent augeri, ut cum Fraxinelio tenet Tamburinus *dict. capit*. 1. §. 3. *num*. 92. Henao *dict. disp*. 31. *sect*. 10. *num*. 96.

27 Tertia sententia distinguit quando testator in fundatione numerum determinatum Missarum assignaverit, tunc enim asserit sententia ista, minimè Missas esse augendas, etiamsi fructus crescant, quia constat de onere Missarum, quod cùm taxatum sit à fundatore, non sinit egredi, ac proinde excludit alium Missarum numerum, *cap. Cùm Ecclesia Sutrina*, §. *Pars Canonicorum*, *de causa possess. & propriet*. ubi Abbas *num*. 9. Bellamera *versic. Quinto opponitur*, Butrius *num*. 18. Felinus *in cap. Contingit*, *de fide instrumentorum*, *num*. 2. Ergo licèt fructus creverint, non est augendus numerus Missarum. Aliter verò dicendum quando Missarum numerus determinatus non fuerit à fundatore, quia mens ejus est, ut omnes fructus in dicendis Missis impendantur secundùm justa stipendia correspondentia oneri perpetuo Missarum : quare si fructus crescant, consequenter accrescunt Missæ.

D. Olea

D. Olea de cess. jur. tit. 4. qu. 5. num. 34. Pasqualig. quaest. 1077. à num. 4.

28 Hanc ultimam partem libenter suscipio, quando non est determinatus numerus Missarum: altera verò pars non ita certa est, loquimur enim quando ubertas aliquo casu accidit, idque duobus modis accidere valet, quando nec ex ubertate fundi, aut aliqua providentia testatoris potuit prospici, vel quando potuit: in hoc secundo casu admitto hanc tertiam sententiam; nam cùm fundator prospexit, aut valuit prudenter inspicere ubertatem superventuram, & tamen numerum taxavit Missarum, licèt postea adveniat, mens ejus fuit, ut aliae Missae non augerentur, verùm fructus ubertas tota ad Capellanum, vel Sacerdotem possidentem pertineret.

29 Si verò ubertas casu evenit, qui nec etiam prudenter valuit à fundatore praevideri, tunc contrarium teneo, nempè proportionaliter debere Missas augeri; nam si testator praevideret illud fructuum tam grave incrementum, non tam parvum numerum Missarum decerneret, sed majorem, in bonum suae animae: & à simili probatur, nam licèt in locatione certa pensio designetur, si tamen casu ubertas maxima eveniat, augetur pensio, quia casus iste si à locatore prospiceretur, non tam parva pensione praedium locaret, Gomez in dict. 2. tom. cap. 3. num. 18. Lopez in l. 23. tit. 8. part. 5. glos. fin. Gratian. 1. tom. cap. 195. à n. 13. Amaya d. lib. 3. observat. cap. 3. num. 15. Molina d. disp. 495. num. 23. estque de jure Regio textus in leg. 23. tit. 8. part. 5. quidquid resistant aliqui, quos refert & sequitur Barbosa in cap. Propter sterilitatem 3. de locato, n. 20. quorum sententiam tantum intelligit Molina, quando ob ubertatem anni fructus notabiliter crescerent, quod à praxi receptum refert: ergo similiter dicendum est in nostro casu, quando fructus bonorum Anniversarii augerentur ex casu non opinato, nec praeviso a fundatore, quia si praevideret, majus onus Missarum imponeret.

30 Excipio tamen hanc doctrinam, quando fructibus auctis, etiam Missarum stipendium augeretur; tunc enim Missarum non fit angmentum, sed compensatur fructuum incrementum eum augmento stipendii, Rodriguez in Summa, c. 12. de Missa, n. 10. Fraxinellus d. tract. 4. conclus. 4. §. 25. n. 2. Pasqual. d. q. 1077. n. 7.

31 Caeterùm aliud dubium libet examinare, quando relinquitur certa quantitas pecuniae ad fundandum Anniversarium Missarum, eo fundato prout à fundatore erat dispositum, si aliqua pecunia restet, an ad Anniversarium, vel ad haeredem pertineat? Qua in difficultate illud breviter notandum, ut si pecunia illa ponatur demonstrativè, quidquid superest, ad haeredem pertineat; pecunia enim illa posita est tantùm ad solutionem, quae si deficiat, supplenda est ab haerede: ergo si fundato Anniversario aliquid restet, ad eundem pertinebit, ex traditis à Gratiano discept. forens. cap. 256. n. 1. & cap. 988. n. 18. Moneta de commut. ultimar. voluntat. cap. 5. quaest. 5. n. 271. Dom. Olea dict. quaest. 5. num. 32.

32 Erit ergo difficultas, quando non ad solutionem poneretur, verùm taxativè ad fundandum certum Anniversarium, vel ad id fructus alicujus fundi destinasset, & superfluerent. Prima sententia asserit, ad haeredem pertinere, & non ad augendum Anniversarium, seu aliam caussam piam; nam mens testatoris clara est de fundando tantùm certum Anniversarium, quo fundato & completo, nihil agendum restat: ergo illa pars pecuniae, quae superest, ad haeredem perveniet, non ad augendum Anniversarium, vel aliam caussam piam, Covarruvias in capit. Nos quidem 3. de testament. num. 13. Pratis de interpretat. ultim. voluntat. lib. 4. dub. 3. numer. 29. Castillo controversiarum lib. 2. cap. 28. versic. Simon de Pratis, D. Olea d. qu. 5. num. 35.

33 Secunda sententia tenet contrarium, ex leg. Legatum 5. ff. de administrat. rerum ad civit. pertin. ubi relictum civitati ad spectacula, si illicita sint, non ad haeredem illa quantitas devolvitur, sed inito consilio Decurionum, in aliam rem utilem collocatur: ergo similiter in nostra specie quantitas, quae superest, non ad haeredem, sed ad Anniversarium, seu aliam caussam piam pertinebit, Abbas, & Mantica, quos refert, & sequitur Sanchez consil. lib. 4. c. 2. dub. 4. n. 8.

34 In hoc ergo dubio assero in primis, maxima consideratione prospiciendam esse voluntatem defuncti; si enim ejus mens est, ut tota illa quantitas in opere illo pio Anniversarii impendatur, absque dubio erit convertenda in augmentum illius, ita ut crescat majus stipendium Missarum, ut sic majori cura adimpleantur, nec ad haeredem superfluum perveniet, Molina de justit. tom. 1. tract. 2. disp. 249. num. 8. Carpio de execut. testam. lib. 3. cap. 4. n. 40. Secus verò si de voluntate testatoris appareret, ut superfluum non ad Anniversarium, vel ad caussam piam, verùm ad haeredem perveniat; nam ut jam adnotatum est, etiam in caussis piis illa est observanda, ita ut contra ipsam nequeat aliquid intentari, etiamsi pecunia, aut fructus fundi taxativè ponerentur, ut benè notat Thoro privileg. 167. versic. Habemus in casu: ergo si de voluntate testatoris constiterit, velle testatorem ut superfluum ad haeredem perveniat, id erit observandum, Carpio d. cap. 4. n. 40.

35 Idem dicendum, licèt non clarè appareret de voluntate testatoris, verùm ex conjecturis probaretur voluisse superfluum in opus pium converti, non verò ut ad haeredem perveniat, idque exemplis demonstrant DD. veluti quando testator jusserit, ut mille puellae pecunia illa in matrimonio collocentur: quo casu si aliqua illarum moritur, quod illi puellae relinquitur, non ad haeredem, sed ad aliam pertinet nubendam, Abbas in cap. Nos quidem 3. de testam. num. 14. Mantica de conjecturis, lib. 8. tit. 5. num. fin. Molina dict. disput. 249. num. 10. Idem dicendum, si mille testator reliquerit ad constituendum Oratorium pro exoneratione conscientiae, Covarruvias in dict. cap. 3. num. 13. Gregorius in leg. 3. tit. 10. part. 6. verb. Tuviere, Carpio de execut. testament. lib. 1. cap. 4. fin. Sanchez dict. dub. 4. num. 9. ex his enim conjecturatur, voluisse omnem illam quantitatem, non ad haeredem pervenire, sed ad opus pium.

36 Istinc resolvenda est disquisitio ista, & dicendum pecuniam, aut fructus taxativè positos ad explendum Anniversarium, totos ad caussam piam Anniversarii pertinere, nec superfluum pervenire ad haeredem. Ratio est, nam ex eo quod posuit omnes illos, vel quantitatem taxativè ad Anniversarium, voluit totam illam, vel fructus in opere illo impendere, quapropter non ad haeredem, verùm in augmentum illius cedet, ut majori cura adimpleatur; vel si ad id non fuerit necessarium, in alio pio opere impendetur. Denique nam in dubio praesumendum est, velle testatorem magis animae suae favere, quam haeredi, Mascardus de probat. conclus. 1171. num. 7. & 75. Itaque cùm taxativè posuerit illam quantitatem, vel fructus, licèt nulla fuerit conjectura voluntatis, praesumendum est voluisse testatorem, non ad haeredem, sed ad caussam piam pertinere, ut melius Anniversarium fundetur, & onus Missarum adimpleatur.

37 Sed vices, in caussis piis nullam esse differentiam, quando fructus, aut pecunia ponuntur demonstrativè, aut taxativè, Ferrer. ad Guidonem, qu. 8. Tondutus quaestionum beneficialium 3. part. cap. 162. num. 6. Ergo sicut quando ponitur quantitas, aut fructus demonstrativè, superfluum redit ad haeredem, similiter quando ponitur taxativè. Doctrina tamen Ferrer. & Tonduti admittenda non est, prout diximus suprà, cap. 7. num. 44. observanda est enim voluntas testatoris per terminos taxativos, aut demonstrativos significata, Merlinus centur. 2. controversiarum, cap. 82. Marinis resolut. lib. 2. cap. 124. & alii apud Marchinum de Ordin. tract. 3. cap. 22. n. 4. etiam in praesentiarum Vasquez in opuscul. de testam. dub. 8. Garcia dict. tract. 3. diff. 10. dub. 10. num. 5.

38 Caeterùm disquiramus, an Anniversarium perpetuum Missarum debeat perpetuò adimpleri, vel sufficiat id aliquo tempore fieri. Prima sententia asserit perpetuò non esse adimplendum, sed spatio centum annorum: idque in specie probari poterit doctrina Soti in 4. distinct. 19. quaest. 2. art. 2. asserentis nullam animam detineri in Purgatorio, nisi per decennium, idque consonum esse misericordiae Altissimi, qui amplius amicos suos non vult tantis cruciatibus torqueri: alii verò id extendunt usque ad viginti annos, alteri usque ad centum: unde sequitur Anniversarium, quod pro animabus celebratur, sufficere per spatium centum annorum adimpleri, Federicus de Senis consil. 12. Cardinalis consil. 66. Covarruvias lib. 3. cap. 9. num. 10. Molfesius 2. part. Summa, tract. 13. cap. 5. n. 56. dicit probabile Diana 5. part. tract. 14. resol. 84.

39 Secunda sententia contrarium tenet ex leg. Annuam pecu-

pecuniam 6.ff.de ann. legat. ubi pecunia legata ad ludos, ubi quotannis hæredes præsiderent, perpetuum legatum est, *leg. Anima* 20. §. *Atria* 1. *ff. eodem titul.* ubi legatum factum Sacerdoti, & libertis Templi, perpetuum est. Ergo similiter Anniversarium. Cæterùm, quia Anniversarium de sua natura dicit perpetuitatem, & perpetuum infinitatem temporis concipit, *leg. Purè*, §. *fin. ff. de dol. mal. except. leg. Falso, C. de diversf. rescript.* Ergo necessarium est, ut perpetuò adimpleatur, nec sufficiet solùm per centum annos. Denique praxis Ecclesiæ hanc sententiam observat, unde firma redditur, Bonacina *de contract. disput.* 3. *q.* 18. *punct.* 8. §. 6. *n.* 2. Trullench. *in exposit. Bull. lib.* 4. *dub.* 2. *n.* 13. Henriquez *in Sum. lib.* 7. *cap.* 16. *n.* 4. Genuensis *in praxi, tricen.* 11. *quæst.* 328. Castillo *lib.* 1. *controvers. cap.* 61. *num.* 20. Pasqualig. *qu.* 1059. *à num.* 3.

40 Hæc sententia proculdubio admittenda est, nec contraria aliquo firmo nititur fundamento: illud verò quod pro illa apposuimus, quatenus asserit Animas in Purgatorio tantùm usque ad certum tempus detineri, verum est, & certum ibi remanere dum plenè purgentur, Concilium Florentinum *sess. ultim.* Tridentinum *sess.* 6. *canone* 30. quapropter aliæ magis, quàm alteræ ibidem remanent, Coninch *de Purgat. disput.* 11. *dub.* 4. Sunt verò aliquæ revelationes probantes aliquas animas usque ad diem Judicii in Purgatorio permansuras, Bellarmin. *de gemitu columbæ*, *lib.* 2. Laurent. Sur. *tom.* 3. *sub die* 16. *Junii*, Villalob. *in Sum.* 2. *part. tract.* 26. *difficult.* 5. *num.* 9. Idcircò fundamentum hoc incertum valdè est: alterum, ne crescat infinitas, debilissimum, & miserabile quod à viris doctis sequeretur, Pasqualig. *d. q.* 1051. *n.* 1. *in fine*.

41 Deinde comprobatur hæc sententia; nam Sacrificium Missæ applicatum illi, qui in cœlo, aut in inferno adest, ea Misericordia Dei aliis indigentibus applicatur. Divus Thom. Cordub. Fraxinellus, Rubeus, & alii, quos sequitur Diana 9. *part. tract.* 2. *resolut.* 7. Ergo licèt persona fundatoris non indigeat, adhuc adimplendum est, ut possit aliis prodesse; illa enim mens testatoris videtur, quando perpetuum Anniversarium reliquit, ut si illi non prodesset, aliis utilitatem afferret.

42 Cæterùm Anniversaria Missarum perpetuò relinquuntur, non solùm ad profectum animæ fundatorum, sed aliorum, tam defunctorum, quàm vivorum; isti enim habent ampliores Missas, ex quibus majores fructus percipere valent, & insimul augetur divinus cultus, Suarez *tom.* 4. *disput.* 46. *sect.* 4. *num.* 6. Ergo perpetuò sunt adimplenda, idque petit favor Religionis, Pasqualig. *qu.* 1059. *num.* 6.

43 Prorsus disquirere libet, si error adsit in numero Missarum, an ex longi temporis præscriptione minor, aut major numerus Missarum debeat adimpleri; vel si nulla obligatio imposita sit celebrandi in fundatione, ex sola præscriptione inducatur, Genuensis *in praxi, tricen.* 15. *q.* 390. affirmat obligari Capellanum, vel alium Sacerdotem ad numerum Missarum ea consuetudine dicendarum, ea decisione textus *in l. Cùm de in rem verso* 6. *ff. de usur. l. Si certis annis* 28. *C. de pact.* ubi ex præstatione decennali cum allegatione tituli, inducitur obligatio, Avendanus *de censibus*, *cap.* 7. Cencius *de censibus*, *q.* 81. *à n.* 14. Ergo cùm in præsentiarum adsint certæ celebrationes Missarum, cum titulo Anniversarii, quod de sua natura habet illam obligationem celebrandi, obligabitur Capellanus, aut alius Sacerdos ad illum numerum Missarum adimplendum. Cæterùm laudabilis consuetudo decennalis in pia causa obligat ad futurum, *cap. Apostolicam* 42. *de simon.* Covarr. *lib.* 1. *variarum*, *cap.* 17. *n.* 5. Ergo consuetudo ista etiam obligabit, ut certus numerus Missarum adimpleatur.

44 Contrarium tenent plures; nam si ex fundatione constet de certo numero Missarum, aut de nulla obligatione, illi erit standum, nec consuetudo dicendi plures, aut pauciores Missas, ad illas obligare poterit. Id probatur *ex d. leg. Si certis annis*, ubi dicitur, præstationem factam per aliquos annos non valere, quando constat à pacto nudo processisse; nam pactum nudum de jure civili minimè obligationem, & actionem producit, *leg. Jurisgentium* 7. §. *Sed cùm*, & §. *Quinimo, ff. de pactis*, Canisius *in cap.* 1. *de pact. n.* 4. Morla *in Empor. tit.* 3. *qu.* 1. Mendoza *de pactis, lib.* 1. *cap.* 4. Osuald. ad Donell. *lib.* 12. *Commentar. cap.* 12. *litt. A*, unde sequitur, ut quoties de titulo constiterit, illi erit standum; non enim ex aliqua præstatione orietur aliqua obligatio. Istinc cognoscitur, contrariam sententiam in hoc textu minimè sustineri valere, quin contrarium ex eo deducitur: admittetur verò contrariorum sensus si stipulatio, & insimul præstationes extitissent.

45 Præterea celebrationes Missarum necessariò non concludunt à titulo procedere, ut aliæ præstationes; possunt enim dici ex devotione, vel ex obligatione ob stipem, aut ex alia causa; & quæ possunt procedere ab alio titulo, non concludunt à titulo præciso Capellaniæ, vel Anniversarii, aut memoriæ Missarum provenire, Rota 2. *part. divers. decis.* 394. *num.* 6. & 3. *part. decis.* 280. *num.* 4. Millin. *decis.* 431. *num.* 2. Ergo minimè per celebrationes obligabitur Sacerdos ad alium numerum Missarum, nisi contentum in fundatione; & ad nihil, si nullam obligationem præscribat. Denique si adsit error, ut supponimus, majori ratione procedit; nam error excludit consensum, & consequenter obligationem, *leg. Si per errorem*, *ff. de jurisdict. omnium judic.* Rota apud Seraphinum *decis.* 1190. *num.* 2. Ricciul. *de jur. person. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 12. Gratianus *discept. forens. tom.* 5. *cap.* 988. *num.* 6. Ergo ea consuetudine celebrandi certum numerum Missarum minimè orietur obligatio, sed is erit observandus à fundatione designatus; si verò nullam Missarum obligationem apponat, ad nihil tenebitur, Abbas *vol.* 2. *cons.* 98. *vers. ad* 3. Leon *de offic. Capell. q.* 2. *à num.* 51. & *quæst.* 5. *sect.* 14. *à numer.* 239. Pasqualigus *quæst.* 856. *à num.* 3.

46 In hoc dubio duo sunt contemplanda. Primò, quando consuetudo fuisset celebrandi tot Missas, ast postea appareat fundatio Anniversarii, vel Capellaniæ, ex qua constat minimè esse illum numerum Missarum præscriptum à testatore, aut nullam adesse obligationem celebrandi; sunt enim alia onera in Capellanus, ac memoriis piis, præter Missarum onus, veluti recitandi Horas Canonicas, vel assistendi Officiis Divinis. Secundò, quando titulus fundationis non est, sed tantùm consuetudo celebrandi certum numerum Missarum ex causa Capellaniæ, aut Anniversarii, vel alterius memoriæ piæ.

47 Et quoad primum admittenda est secunda sententia, nempè ex celebrationibus ex consuetudine factis nullam oriri obligationem, sed standum numero Missarum in fundatione terminato, vel ad nihil obligari, si ex ea constet nullam esse obligationem; nam annuæ præstationes ex causa factæ nullam obligationem inducunt, quando constat causam esse falsam, ex traditis à Cencio *d. q.* 81. *à n.* 14. vel si causa certa sit, & demonstratur titulus, tota obligatio ad illum reducitur, etiamsi longissimæ sint, Bellonus *cons.* 20. *col.* 3. *versic. Tertium fundamentum*, Mascardus *de probat. conclus.* 1041. *num.* 9. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 64. Marescotus *variar. lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 59. Minano *Bas. Pontif. tractat.* 2. *fundam.* 2. *quæst.* 7. §. 13. *num.* 315. Quapropter in specie etiamsi plures fuerint celebrationes Missarum per longum, aut longissimum tempus, si fundatio appareat, illi standum erit, ita ut in obligatione tantùm sint Missæ ab illa præscriptæ; aut nullum sit onus Missarum, si à fundatione non præscribatur. Denique annuæ præstationes supponunt titulum certum, & determinatum, si ex causa fiant, Mena *variar. lib.* 1. *qu.* 2. *n.* 12. & 17. Lara *de anniv. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 5. quo cognito tota obligatio ad titulum certum reducitur: quare in præsentiarum obligatio Missarum tantum est de contentis in fundatione, vel si nulla adsit obligatio, Sacerdos ad nihil tenebitur, non obstante consuetudine celebrandi.

48 Si verò titulus non appareat, tenenda est prima sententia Genuensis *d. q.* 390. nam consueta servitia Ecclesiæ præstita obligationem inducunt, *cap. Servitium* 31. 18. *quæst.* 2. Tum, nam quando præstationes, solutiones ex causa fiunt, sufficit ut consuetæ sint tempore præterito, ut obligent tempore futuro, Cencius *d. q.* 81. *n.* 8. & 9. Ergo si non appareat titulus unde de veritate constet, semper tenebitur celebrans numerum illarum Missarum dicere, prout fuerit consuetum; & si Capellanus, aut alius Sacerdos ad id obligatus contrarium intendat, probare tenetur, ex traditis à Cencio *d. n.* 9.

49 Cæterùm aliquando onus Missarum, Anniversarii, aut Capellaniæ, quoad totum non adimpletur, veluti quando lis verteretur super ipso legato, & transactio fieret de onere illo adimplendo, quia multoties hæredes intendunt tot non esse Missas Anniversarii, aut quia non benè terminatæ fuerunt à testatore, vel quia bona ad numerum ab eo

desi-

designatum non sufficiunt; unde lis disceptatur, in qua cadit transactio de minori numero, quem sufficit adimplere, & rectè transigere, Pasqual. *q.1038. à n.2.*

50 Sed ut hæc resolutio magis pateat, animadvertendum est, non quamlibet litem sufficere ad faciendam transactionem; nam si indubitabilis sit, ita ut nec ex facto, nec jure dubitationem admittat, nequit fieri transactio, quippè redderetur calumniosa, *l. Præses 12. C. de transact. l.1. §. Sed & constitutio, ff. de calumniat.* Rota apud Cencium *decis.223. n.1.* Valeron qui plures refert, *de transact. tit.2. q.3. à n.1.* Est enim necessarium, ut rectè fiat transactio, quod adsit certa, & indubitabilis lis, ut docet Ulpianus *in leg.1. ff. de transact.* Rota apud Merlinum *decis.163. n.8.* & apud Cencium *d. decis.223. n.1.* Gregorius XV. *decis.286. n.7.* Seraph. *decis.891. n.1.* idque accidere valet, quando factum est dubium, aut jus, ita ut fundamenta sint pro utraque parte, aut Doctorum sententiæ, Surdus *cons.556. n.4.* Rota 3. *part. recent. decis.263. n.2.* Valeron *tit.2. q.1. n.5.* Molina *de justit. tract.2. disp.556. d. n.1.*

51 Illud tamen receptum est, ut ad transactionis valorem non sit necessaria litis existentia, sed sufficiat timor futuræ, *leg.2. C. de transact. l.4. tit.21. lib.4. Recopilat.* nam ut rectè animadvertit Padilla *in d. l.2.* futura quæ prudenter timentur, præsentia censentur, Barbosa *in d. leg.2. n.5.* Cujacius *observat. lib.9. cap.24.* Molina *d. disput.556. n.4.* Valeron *tit.2. q.2. n.12.* Mohedan. *decis.1. de transact.* idcircò sufficiet timor futuræ litis dubiæ, ut transactio sustineatur. Addunt tamen aliqui satis probabiliter, sufficere futuræ litis suspicionem: quod libet admittere, si suspicio non sit vana, verùm prudens, litem non calumniosam, sed dubiam esse adventuram, Seraph. *decis.638. n.7. & decis.737.* Rota 2. *part. recent. decis.447. n.2.* Riccius *collect.2629.* Cancerius 1. *part. variar. c.13. n.38.* Non verò admitto aliquorum sententiam asserentem, transactionem sustinendam esse, quando non apparet evidens calumnia; id enim recipiendum non est, nisi ex stylo alicujus tribunalis non judicaretur secundùm sententiam Doctorum, ita ut lis dubia remaneret, Pasqualigius *d. qu.1058. n.10.*

52 Interveniente verò lite dubia, aut ejus timore, vel probabili suspicione, rectè fit transactio super Anniversario Missarum; nam transactio est recessus à lite, & consequenter favorabilis dispositioni testatoris, *leg. Fratres, leg. Pro fundo, Cod. de transact. cap. finem litibus, de dolo, & contumac.* Valeron *de transact. tit.1. q.1. n.11.* Ergo quoties necessaria fuerit, rectè in Anniversariis fiet, sicut in aliis causis jurium spiritualium, de quibus latè Valeron *tit.3. q.6.* Illud verò observandum, in his legatis Missarum, quando transactio fuerit facienda, assensum Apostolicum esse necessarium, prout requiritur à decretis Sacræ Congregationis, Pasqualig. *d. q.1038. n.6.* quod observandum ubi recepta sunt; quoad verò solemnitatem istam non video in Hispania usu receptam: quapropter erit necessaria auctoritas Episcopi cum informatione utilitatis, ut perpetua remaneat transactio, & successores liget, aliàs tantùm transigentem obligabit, *cap. Veniens de transact.* ubi Scribentes, Tondut. *quæst. Benefic. tom.1. q.62. n.8.*

53 Sententia verò lata super Anniversario, aut alio Missarum legato, nequit fieri transactio; nam per sententiam transactam in rem judicatam, lis absque dubio remanet, nec rectè postea transactio fit, *leg. Et post rem 7. §.1. ff. de transact. l. Si causa cognita 31. cum leg. seq. C. eodem tit. 1. part. 7.* Valenzuela *cons.175. n.14.* Dom. Olea *de cess. jur. tit.3. q.11. n.16.* nisi excipi valeat adversùs eam, aut dubitaretur, an sit ab ea appellatum, Guttier. *de juram. 3. par. c.4. n.2.* Ant. Faber *lib.12. conject. cap.12. vers. Nec æstimandum.* Si verò sententia non transierit in rem judicatam, sed ab ea fuerit appellatum, fieri poterit transactio, quia adhuc non facit jus firmum, sed dubium remanet, idcirco super ea transigi valet, *leg.2. C. de transact.* ubi Glos. *verb. Nulla,* Valenzuela *cons.175. n.4.* Ozasch. *decis.91. n.23.* Similiter si sententia liquida non fuerit, verùm in executione liquidanda, Valenzuela *d. cons.175. n.1. & 2.* quapropter in his casibus sustinebitur transactio facta super onere, vel legato Missarum, Pasqualig. *d. q.1038. à n.9.*

CAP. XI.

De successione in bonis Anniversarii, ac oc ejus solutione.

SVMMARIVM.

Si Anniversarium est institutum ad modum majoratus, observanda est illius successio, n.1. Quare in collateralibus datur repræsentatio, n.2. Limitat Salazar, sed non rectè, à n.3. usque ad 5.

Si consuetudo sit, sive universalis Provinciæ, sive particularis Anniversarii, succedendi in modum majoratus, id est observandum, à n.6. nisi ex fundatione contrarium appareat, num.8.

An quando anniversarium impositum est in re parva, sustineatur consuetudo succedendi per modum majoratus? Negat Salazar, n.9. sed affirmat Lara, n.10. admittitur, & defenditur, ibid.

An in bonis anniversariis per modum majoratus institutis, masculus minor excludat fœminam majorem a successione. Prima sententia affirmat, n.11. refellitur, & contrarium probatur, usque ad n.14.

Si anniversarium per modum fideicommissi relinquitur, observanda est ejus successio, n.15.

Si simplex sit anniversarium, est liberæ successionis, ac potest alienari, n.16. & potest ejus fieri divisio, salvo onere anniversarii, à n.17.

Sed an quando dividitur, præcisè sit adjudicandum majori filio, aliqui affirmant, n.18. sed negandum, à n.19.

Anniversarium an possit solvi anticipatè, disceptatur, à num.21. Contrarium tenent alii, num.22. resolvitur, num.23. 24. 25. & seq.

An ex consuetudine celebrandi anniversarium, possit cogi ad semper celebrandum. Prima sententia negat, n.27. altera affirmat, n.28. resolvitur, à n.29. & seqq.

Sed ad id quodnam tempus est necessarium, discutitur, & explicatur lex 1. C. de fideicommissis, n.34. & admittitur Decii sententia in possessorio, n.35. in proprietate decennium requiritur, n.37.

Quando anniversarium relinquitur Clericis alicujus Ecclesiæ, inter eos dividitur, num.38. & si aliqui non interfuerint, aliis accrescit, si conjunctim legetur, num.39. secus si separatim.

Explicatur Constitutio 5. hujus Archiepiscopatus, §. Fiestas, de sepulturis, n.40.

Ante solutionem certam debet adimpleri Anniversarium, secus si incerta, aut difficilis sit recuperationis, num.41. & 42.

Interpellatio non est necessaria ad constituendum hæredem in mora in anniversariis habentibus diem certum, secus si habeant incertum, num.43. Vel quando fundator interpellare præceperit, sufficit unica interpellatio, ut pœna incurratur, n.44.

An tertius possessor possit conveniri pro solutione anniversarii, distinguitur quando testator posuit fundum, ut hypothecam ad ejus solutionem, aut quando imposuit onus anniversarii in fundo, n.45.

In primo membro distinctionis duæ sunt sententiæ, n.46. & 47. resolvitur, n.48.

In secundo tertius possessor absque executione poterit conveniri, n.49. non solum pro redditibus præsentibus, sed pro præteritis, num.50. excusabitur si rem reliquerit, ibid. & si fructus pendentes voluerit percipere, sufficiet decursas suæ possessionis pensiones refundere probabiliter, secus in his terminis, num.51.

Tertius possessor potest dimittere rem, etiamsi agnoverit anniversarium, n.52.

Si anniversarium impositum est super multis prædiis existentibus apud tertios possessores, quilibet an possit insolidum conveniri, negant aliqui, n.53. affirmant alteri, n.54. hæc sententia defenditur, n.55.

An annuæ præstationes anniversarii possint præscribi, non solum præteritæ, sed etiam futuræ, sunt duæ sententiæ, à num.56. resolvitur latè, ut tantum præteritæ præscribantur, à n.60. & seqq.

1 IN successione bonorum Anniversarii, vel illorum, quæ onere illius gravantur, attentè prospicienda est fundatio, quæ sæpè sæpius dat ordinem succedendi, & aliquoties modo irregulari, ut jam in aliquibus dispositionibus prospeximus. Si enim in modum majoratus instituantur, aut per verba primogenium inducentia, omnes regula succedendi in illo, esse observandas in Anniversario dicendum est; nam sunt verè majoratus bona cum onere Missarum: quamobrem eodem modo in eis succedere oportet, *l. Illud aut illud, ff. ad leg. Aquil.* Menochius *lib. 2. de arbitr. casu* 84. Argel. *de legitimo contradict. q.* 10. *n.* 115. unde in terminis tenent Meneses *in rub. de fideicommiss. n.* 8. Alvarado *de conject. ment. defuncti, lib.* 2. *cap.* 3. §. 3. *n.* 13. Pelacz *de majorat.* 1. *part. q.* 1. *n.* 7.

2 Unde sequitur, in successione horum Anniversariorum observandam esse repræsentationem, etiam in collateralibus, *ex leg.* 40. *Tauri.* Idem in probatione illius, *ex leg.* 41. & in transmissione possessionis civilis, ac naturalis, absque apprehensionis actu, *l.* 45. *Tauri.* Ac denique reparationes, aut melioramenta facta in domibus majoratus, ab hæredibus non recuperantur, *l.* 46. *Tauri.* Illa enim erit generalis regula, ut in omnibus bona ista, tanquam majoratus censeantur, cùm onus Missarum tantùm materialiter se habeat, Lara *de Anniversf. lib.* 1. *c.* 5. *à n.* 8. Gutierez *pract. lib.* 2. *qu.* 86. *n.* 2. Garcia *de expens. cap.* 13. *n.* 46. Burgos de Paz *q.* 6. *num.* 46. Matienzo *in l.* 7. *tit.* 7. *lib.* 5. *Recop gloss.* 1.

3 Ait Salazar *de usu & consuetud. cap. fin.* id tantùm admittit in his Anniversariis, quæ jure patronatus fundantur, & jure vinculi, in perpetuum vocando consanguineum majorem. Si tamen Anniversarium instituatur cum clausula de non alienando, vocando filium majorem, & in ejus defectu nepotem, tunc perpetuus majoratus non existimatur, sed tantùm usque ad nepotem durabit, & posteà successio erit sicut in bonis liberis, *ex Auth. de restit. fideicomm.* §. *Nos igitur*, Gomez *in l.* 40. *Tauri*, *n.* 64. Rebuffus *in l. unic. C. de sent. quæ pro eo quod interest, not.* 1. *n.* 40.

4 Hanc doctrinam Salazar admittit Azevedus *in rub. tit.* 17. *lib.* 5. *Recopilat. à n.* 7. Sed minimè suscipiendam censeo; nam ut diximus supra, quoties in Anniversario ponitur clausula de non alienando, & insimul aliquæ vocationes inseruntur, unde perpendamus velle testatorem majoratum instituere, primogenium disponitur: quod idem dicendum est in nostro casu, cùm adsit clausula de non alienando, & vocationes filii, & nepotis per majoriam, quod majoratum induxit, Castillo *controv. lib.* 5. *c.* 93. §. 1. *num.* 3. quapropter non solùm usque ad nepotem successio primogenii durabit, verùm in perpetuum. Præterea, nam licèt vocationes sint personarum certarum, adhuc perpetuæ, & absolutæ sunt, ut ad omnes extendantur ex præsumpta voluntate fundatoris, Castillo *d. cap.* 93. §. 6. *n.* 21. Ergo non tantùm ad nepotem extendi debet successio vinculi Anniversarii, sed ad cæteros descendentes, prout petit natura ipsius vinculi, & conservatio Anniversarii cum clausula de non alienando.

5 Denique nam ex eo, quod tantùm duas personas expresserit, mens fuit testatoris, non ut in his tantùm prohibitio alienationis duraret, & vinculum, sed in aliis successoribus in perpetuum, Pasqualigius *q.* 1052. *an.* 2. nam licèt hæc perpetuitas non expressè à testatore apponatur, sufficit ex conjecturis capi, ut in fideicommissis Fachineus *controv. lib.* 4. *c.* 49. Petra *de fideicomm. q.* 5. *ex n.* 1. quare cùm testator clausulam non alienandi apposuerit, & insimul vocaverit majorem, & in defectu filii nepotem, conjecturæ gravissimæ sunt, voluisse testatorem vinculum perpetuum fundare, Surdus *lib.* 2. *cons.* 241. *n.* 14. Valascus *consult.* 82. *num.* 5. Molina *de primog. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 22. & consequenter successionem non ad solum nepotem, sed ad cæteros descendentes, & transversales transire in modum majoratus perpetui, Mena *variar. lib.* 1. *q.* 17. *n.* 33. Leon *de effic. Capell. q.* 5. *sect.* 13. *num.* 215.

6 Quid verò dicendum si consuetudo sit succedendi in bonis Anniversarii per modum majoratus? Et in hoc casu duplex est facienda inspectio. In primis quando consuetudo est universalis illius Provinciæ, ut in bonis onere Anniversarii gravatis succedatur per modum majoriæ, quæ quidem observanda est, *c. Raynutius, ad fin. de testam.* ut in Tuscia secundum Tuscanæ consuetudinem civitatis fieri consuevit, *leg. de quibus* 32. *ff. de legibus*, *leg.* 2. *Cod. quæ sit longa consuetudo:* ut in bonis Anniversarii tenent Mena *dict. quæst.* 17. *num.* 44. Lara *dict. cap.* 5. *num.* 40. Leon *d. sect.* 13. *num.* 217.

7 Si verò consuetudo sit particularis in bonis alicujus Anniversarii, & per immemorialem consuetudinem in modum majoratus semper succeditur, ut præscribitur *in l.* 41. *Tauri*, idem dicimus; quia immemorialis supponit titulum illius, Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 6. *à n.* 7. Castillo *lib.* 5. *controv. c.* 93. §. 10. *à num.* 1. Salgado *de Reg. Protect.* 1. *part. c.* 1. *à n.* 120. Si verò in fundatione aliqua sint verba majoratum inducentia, & insimul adsit consuetudo succedendi in modum illius, id observandum: nam tunc non agitur de aliqua præscriptione, sed tantùm de interpretatione voluntatis testatoris, ad quam sufficit decennalis, Molina *d. cap.* 6. *n.* 58. Molina Theologus *tom.* 3. *de just. disp.* 590. *vers. Nonò si inscriptum*, Mena *variar. lib.* 1. *qu.* 18. *n.* 43. Salgado *de retent. Bull.* 1. *part. cap.* 9. *num.* 9. quapropter in bonis Anniversarii, in quibus ex fundatione aliquæ appareant conjecturæ majoratum inducentes, si adsit consuetudo decennalis succedendi per modum majoratus, seu primogenii, id observare oportet, Lara *d. c.* 5. *n.* 46. Castillo *d. c.* 93. §. 7. *n.* 1.

8 Erit verò animadvertendum, si Anniversarii appareat fundatio, maxima cura examinandam esse; nam si titulus demonstratur, isque vitiosus, & invalidus sit ad effectum succedendi per modum majoratus, immemorialis præscriptio, seu consuetudo non suffragatur, Mieres *de majorat.* 4. *part. quæst.* 21. *num.* 58. Molina *d. cap.* 6. *num.* 66. Gonzalez *ad leg.* 8. *gloss.* 18. *num.* 48. Riccius *in praxi elect. jurispatron. decis.* 144. *num.* 18. & ex conservatione tituli facilè præsumitur, possidentes bona Anniversarii in mala fide extitisse, ut cum aliquibus docet Salgado *de Reg. Protect.* 1. *part. cap.* 1. *n.* 34. & ideò immemorialis consuetudo, aut præscriptio illis non prodest, ut tenent recensiti, & sequuti a Lara *dict. cap.* 5. *n.* 45.

9 Adest aliqua difficultas, quando Anniversarium imponitur in aliqua re parva, veluti fundo, aut parva domo, an per consuetudinem solam succedendi in bonis Anniversarii per modum primogenii, eodem modo successio fiat? Salazar *de usu, & consuet. c.* 12. *n.* 77. scripsit de hoc maximè esse dubitandum, cum in re, quæ magna non sit, non facilè præsumendum sit vinculum majoratus institui, quin potiùs consuetudinem per errorem introductam.

10 Sed Lara *d. c.* 5. *n.* 43. meritò eum refellit; nam licèt majoratus sit titulus universalis, & admittat incrementum, aut diminutionem, ut in legato scripsit Surd. *decis.* 241. *à n.* 8. tamen in qualibet re particulari valet institui, veluti fundo, domoque; sufficit enim ut sit universalis aptitudine, ut cum Bart. tenet Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 26. *n.* 19. Franchis *decis.* 1. *à n.* 41. Mieres *de majorat.* 1. *part. q.* 1. *n.* 17. Ergo si adsit consuetudo, ut in rebus Anniversarii per modum majoratus successio fiat, etiamsi res parva sit, eodem modo vocati succedent, cùm revera majoratus rectè instituatur in re non magna. Cæterùm, nam quilibet in re sua, etiam parva, est moderator, & arbiter, & valet imponere illas conditiones, ac gravamina, quæ sibi placuerint, ut notum est: ergo cùm consuetudo sit succedendi in bonis Anniversarii in modum majoratui, & testator in re parva illum valeat instituere, non est unde contrarium observetur: unde fundamentum Salazar diluitur.

11 Rursus est alia disquirenda difficultas, an in bonis Anniversarii per modum majoratus instituti, masculus minor excludat fœminam in successione? Et affirmandum videtur non excludere; nam in his bonis Anniversarii, etiam in modum primogenii institutis, non excluduntur fœminæ, nisi expressè à fundatore excludantur, cùm in eis memoria familiæ conservetur, Molina *lib.* 3. *de primog. cap.* 4. *à n.* 5. Mieres 2. *part. q.* 6. *n.* 415. Molinus *de pact. nupt. lib.* 3. *qu.* 24. *n.* 184. Valenzuela *cons.* 97. *à n.* 89. Ergo si adsit fœmina major, non excludetur à minori masculo, etiam ejusdem lineæ, cùm in fœmina par sit ratio familiæ. Cæterùm licèt in majoratibus purè profanis contrarium observetur, ast in his Anniversariis secus dicendum; nam sunt causæ piæ, ad quarum executionem fœminæ ob innatam earum pietatem adsunt proniores: quapropter executrices testamentorum rectè nominantur, Bart. Glos. & alii recensiti, & sequuti à Covarr. *in c. Tua, de testam. n.* 3. Carpio *de execut. testam. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 13. Diana 8. *p. tract.* 5. *resol.* 39. Ergo in his Anniversariis, etiam in modum majoratus institutis, fœminæ majores non excludentur à minoribus masculis; illud enim capitur ex mente defuncti, ut ipsæ ob innatam pietatem ad exe-

quutio-

quutionem Anniversarii præferantur: tenet hanc sententiam Salazar *de usu, & consuet. cap. 12. n. 73.*

12 Hanc sententiam admitterem, quando testator expressis verbis fœminam majorem præferret masculis minoribus, prout jam institutum vidi circa quamdam mulierem à fundatore Anniversarii. Aliter si nihil expresserit, aut ex mente testatoris clarè non constiterit, contrarium est tenendum; nam ut diximus, in similibus Anniversariis institutis in modum majoratus, succeditur per easdem regulas, ut in ipsis primogeniis, in quibus percompertum est fœminas majores excludi à masculis minoribus ejusdem lineæ, Gomez *in l. 40. Tauri, num. 62. vers. Quarto facit*, Molina *d. lib. 3. cap. 4. num. 4.* Mierez *2. part. qu. 6. num. 51.* ergo similiter in successione Anniversarii per modum majoratus instituti: & confirmatur, quia in majoratibus fœminæ intelliguntur vocatæ in defectu masculorum, *l. 2. tit. 18. part. 3.* Molina *dict. cap. 4. num. 5.* Ergo semper fœmina major excludetur à minore masculo, si Anniversarium instituitur per modum primogenii, Mierez *dict. quæst. 6. num. 28.* Lara *dict. cap. 5. num. 75.*

13 Fundamenta contraria debilia sunt. Ad primum respondetur, quod licèt familia conservetur per fœminas, *l. Liberorum, in fine, ff. de verb. significat.* id est in subsidium, quando masculi non sunt, alias multò meliùs conservatur per masculos, Lara *dict. cap. 5. num. 90.* quamobrem quoties adsunt masculi in majoratibus, excludunt fœminas: quod est observandum in similibus Anniversariis, cùm revera majoratus sint, & onus Missarum tantùm materialiter se habeat.

14 Ad secundum dicimus, in his Anniversariis institutis in modum majoratus duo esse contemplanda: in primis conservationem familiæ, & causam ipsius majoratus, quam principaliter voluit fundator; & in hoc certum est masculum minorem excludere fœminam majorem, ut probatum est *n. 12.* Secundum, onus Missarum, ad cujus executionem licèt major pietas vigeat in fœminis, quàm in viris, adhuc magis est vir accommodatus ad Anniversarii executionem, tanquam magis expertus in negotiis: quare nonnulli Doctorum scripsere, mulieres esse non posse testamentorum executrices, tanquam inexpertes causarum, & negotiorum: refert Carpio *d. cap. 7. à n. 8.* Idcircò illud fundamentum facilè destruitur.

15 Id quod dictum est de Anniversario relicto per modum majoratus, admittimus si per modum fideicommissi relinquatur familiæ; omnes enim regulæ fideicommissi in successione observandæ sunt, nisi aliter à fundatore disponatur, ut cum aliquibus advertit Leon *de offic. Capellan. qu. 5. sect. 13. n. 216.* Pasqual. *q. 1053. n. 5.*

16 Si verò simplex Anniversarium in bonis relinquatur, veluti quando fundus, aut aliqua bona stabilia relinquuntur cum onere Anniversarii, tunc libera sunt, possuntque alienari salvo onere, *l. Nihil proponi 123. ff. de legat. 1.* Ratio, quia bona illa, seu fundus tantùm habent onus reale impositum, quod non egreditur ipsam rem, nec inducit possidentem ad aliquam obligationem personalem non alienandi, Castillo *in leg. 74. Tauri, vers. Ex his enim*, Leon *de offic. Capellan. q. 5. sect. 13. n. 220.* Lara *de Anniversf. lib. 1. cap. 3. à n. 1.* Pasqual. *q. 1051. n. 2.*

17 Unde asserendum in successione horum bonorum divisionem fieri posse inter hæredes illorum, sed maxima cautela, semper salvo Anniversario; nam cùm sua natura sint alienabilia, consequenter divisibilia sunt inter hæredes, Lara *d. lib. 1. cap. 4. n. 29.* Unde admittendus non est Valascus *consult. 82. n. 2.* contrarium tenens, nisi eum intelligamus in casu, quando ex divisione onus Anniversarii detrimentum acciperet; tunc enim bona non dividere oportet, sed uni hæredum adjudicantur, præstando aliis æstimationem; idq; conveniens esse, asseruere Mena *d. lib. 1. q. 17. n. 22.* Pasqual. *q. 1055. à n. 1.*

18 Sed est dubium, an quando uni adjudicanda sunt bona Anniversarii, quia nequeunt dividi ob damnum illius, majori filio sint præcisè concedenda? Et affirmativè respondet Alvarado *de conject. ment. defunct. lib. 2. cap. 3. §. 3. n. 11. ex leg. Cùm pater 77. §. Pater pluribus 22. ff. de legat. 2.* Sed textus ille ad assumptum nihil probat; nam ibi electio majoris filiæ fuit ex expressa patris dispositione. Ratione probatur, nam quando bona ad unum necessariò sunt perventura, intelligitur pervenire debere ad majorem, ut in Regno observat Gomez *in l. 40. Tauri, num. 7.* Molina *de primogen. lib. 1. cap. 11. num. 9.* Ergo similiter in nostra specie. Tenet hanc sententiam Pasqualig. *q. 1056. à n. 2.*

19 Sed hoc fundamentum debile est, procedit enim in majoratibus, ac in aliis dispositionibus majoriam requirentibus, ut explicat ipse Molina *d. num. 9.* aut quando tabolæ testamenti deponuntur, *leg. fin. ff. de fide instrument.* aut in aliis causis, in quibus de jure id disponitur, aliàs minimè id admittendum: nam quando agitur de materia privativa, prout in præsentiarum est privatio filiorum ab illa re, ad quam erat æquale jus eorum, minimè majori adjudicatur, nisi in casibus à jure expressis, ut est textus *in Auth. de non eligendo secundo nub. §. Optimum, collat. 1.* Cacheran. *decis. 147. num. 40.* Molina *lib. 3. de primog. cap. 4. num. 36.* Ergo nec in præsenti.

20 Quapropter contrarium teneo in hoc casu, non præcisè adjudicanda esse bona majori, sed uni ex hæredibus, vel forte, vel conventione, data compensatione in æstimatione, *ex l. Officium 3. Cod. communi divid.* ubi in partitionibus, quando res non admittit commodam separationem, æstimatio fit, & recompensa aliis hæredibus in pretio. Fit enim inter hæredes licitatio, & qui majus pretium offert, ei adjudicatur: si tamen nullus det æstimationem, aut illius minorem quantitatem, admittuntur extranei ad licitationem, Valasco *de part. c. 22. num. 8.* Morquecho *de divis. bon. lib. 2. cap. 10. n. 4. & seq.* Gratianus *discept. forens. cap. 160. num. 27.* quod observandum est in specie absque necessitate, ut majori adjudicetur; vel aliter sorte, vel partium conventione, si licitationem tenuerint, *ex l. 3. C. commun. de legat.* Gomez *variar. tom. 2. cap. 10. n. 10.* Ayora *de part. 3. part. qu. 11.* Vela *dissert. 4. à n. 78.* Larrea *decis. Granat. 45.* qui quidem modus adjudicandi ad casus similes extenditur, ut scripserunt Alvarado *de conject. ment. defunct. lib. 2. cap. 3. §. 1. in fin.* Scaccia *de commerc. §. 1. qu. 1. à n. 106.* Sanchez *in Summa, lib. 2. cap. 38. à num. 56.* & ita ad causam Anniversarii, Lara *dict. cap. 7. num. 61.*

21 His verò de successione in bonis Anniversarii traditis, transeamus nunc ad aliam partem hujus capitis, de solutione illius: & in primis, quo tempore solvendum sit, scripsimus in hoc libro, *cap. 10. n. 13.* Verum dubitari poterit, an Anniversarium anticipatè possit solvi? Et affirmandum videtur, nam est in potestate debitoris ante diem solvere, *leg. Quod in diem 70. ff. de solut. l. Cum pater 77. §. Curatoris 14. de legat. 2. l. 3. §. Quod si servus, ff. de statulib.* Valenzuela *cons. 2. à n. 75.* Castillo *controvers. lib. 5. cap. 112.* Bottilet. *de success. cap. 2. theor. 47. num. 7.* Ergo Anniversarium solvi valet anticipatè ad plures annos. Cæterùm quando solutio nullum damnum affert creditori, nec ratione mutationis pecuniæ, nec alicujus juris, anticipatè valet fieri solutio, *l. Post mortem 12. Cod. de fideicomm.* Larrea *decis. Granat. 15. per tot.* Ast in solutione Anniversarii nullum damnum infertur creditori: ergo anticipatè poterit solvi.

22 Contrarium verò tenent Lara *lib. 1. de Anniversf. cap. 9. à num. 49.* Pasqualig. *qu. 979. n. 4.* nam quando dilatio solutionis ponitur favore creditoris, non admittitur solutio anticipata, *l. Eum qui 15. ff. de Ann. legat.* Gomez *in l. 22. Taur. n. 10. vers. 6.* Larrea *decis. Granat. 16.* Valeron *de transact. tit. 3. q. 3. n. 14.* Ergo cùm dilatio solutionis Anniversarii ponatur favore creditoris, nequit fieri anticipata solutio: & explicatur, nam in præsentiarum est dilatio creditoris favore; nam evenire valet, ut tempore solutionis sit alius creditor, non verò ipse qui pecuniam recepit, idcircò solutionis dilatio in Anniversario posita est creditoris favore, ut expendit Pasqualigius *d. num. 4.* Deinde comprobo alia ratione; nam si anticipatè Anniversarium solveretur, maximè per aliquos annos, grave damnum irrogaretur creditori; nam per has solutiones in singulis annis factas probatur quasi possessio exigendi, ad obtinendum in judicio possessorio, ut in censu docet Cencius *de censibus, qu. 84. n. 9.* Ast quoties præjudicatur creditori, nequit fieri anticipata solutio, Larrea *d. decis. 15.* Ergo nequit fieri solutio anticipata Anniversarii.

23 In hac difficultate distinctio facienda, quando solutio facienda est Capellano, Parocho, vel alii Sacerdoti, qui tenetur Anniversarium adimplere; & tunc minimè solutionem facere valet debitor anticipatè, nec illa liberabitur; nam fit in damnum tertii, nempè alterius creditoris, qui potest adesse tempore solutionis, Escobar *de ratiocin. c. 23. à n. 50.* Salgado *in Labyrint. 2. part. cap. 29. num. 44.* Osuald. *ad Donell. lib. 16. comment. cap. 11. litt. D.* Valeron *dict. quæst. 3. à num.*

*à num.*15. Ergo si adsit novus successor, cui solvendum est Anniversarium, per primam solutionem non liberabitur, sed de novo solvere tenebitur, Lara *dict. cap.*9. *num.*49.

24 Si verò non adsit alter creditor, sed ipse Capellanus, Parochus, aut Sacerdos, anticipata solutio respectu illius valebit; nam licèt in Anniversariis favore creditoris apponatur dilatio solutionis; si tamen ipse creditor recipiat anticipatam solutiooem, videtur suo juri renunciasse, idcircò respectu illius valida est solutio, & debitor liberatur, Lattea *d.decis.*16. *à n.*18. Sed illud observes, ut semper solvas tempore celebrationis; adest enim periculum collusionis præsumendæ, Lara *d. cap.*9. *num.*54. Tum Anniversaria non ita diligenter solent adimpleri, quando solutio recepta fuerit.

25 Vel aliter solutio facienda est Ecclesiæ, aut Monasterio; & tunc fieri valet solutio anticipata Anniversarii, quia est ipse creditor: quod tamen admittendum, si una, aut altera vice fiat per aliquos menses, non verò si solutio fiat anticipata per aliquos annos; quia Ecclesiæ, aut Monasterio damnum inferretur; privaretur enim quasi possessione exigendi, tum annuis recognitionibus, & aliis utilitatibus, quæ proveniunt ex continuis præstationibus: quapropter per plures annos nequit fieri anticipata solutio, ut cum Speculatore, Menesio, Corbulo, & aliis tenet Lara *dict. cap.*9. *num.*57. Valebit tamen debitor legatum repetere in his casibus tanquam malè solutum, aut pecuniam solutam, Pasqualig. *d.qu.*979.*num.*4.*in fin.* D.Olea *de cess.tit.*5. *quæst.*4. *num.*47.

26 Rursus est aliud dubium, an qui per aliquod tempus fecit Anniversarium Missarum celebrare, & cum effectu solvit, postea cogi possit ad continuationem; Prima sententia asserit minimè cogendum; nam quoties de titulo non constat, sed Anniversarium ex liberalitate celebratur, nullo tempore obligatio inducitur, *l.Creditor* 7.*C.de usuris*, ibi: *Nec si aliquando ex consensu præstita sunt, obligationem constituunt*. Et ratio est, nam tempus secundum se non inducit obligationem, *leg.Obligationem* 43.§.*Placet.ff.de obligat. & act.* Castrensis *vol.*2. *cons.*423.*n.*2. Cacheranus Ozascus *decis.*99.*n.*15. Unde si præstationes sint per tempus immemoriale, non obligant, *leg.*12.*tit.*22.*part.*1. Garcia *de nobilit. glos.*6.*n.*17. Parlador. *diff.*38.*nu.*10. Gratianus *decis.March.* 232. *num.*15.

27 Quod ita certum, ut ex similibus præstationibus nec inducatur possessio, nec in eis detur manutentio, Rota apud Farinac.*tom.*2.*decis.*561.*n.*1. Gratian.*discep.for.cap.*565.*n.*49. Postius *de manut. observ.*53.*per tot.* Ergo in præsenti casu, licèt per diuturnum tempus Anniversarium celebretur, & solvatur, non erit obligatio ad continuandum. Ita tenet Pasqual.*de Sacrif.Missæ*, q.1081. *à n.*4.

28 Secunda sententia tenet contrarium ex textu *in cap. ad Apostolicum* 42. *de simon.* ubi laudabiles consuetudines aliquid offerendi Sacerdotibus sustinentur, & ad illas præstandas possunt cogi fideles, *l.*5.*tit.*17.*part.*1. Gratian. *discept.forens.cap.*210.*à n.*13. ergo cùm Anniversarii præstatio, & solutio sit pia, ex consuetudine obligabitur quis ad solvendum, & adimplendum. Prætereà, nam in his piis præstationibus in consuetudine fundatis, non solùm adest possessorium, sed etiam petitorium, Guttier. *can. qu.lib.*1.*c.*12.*n.*147. Unde cognoscitur titulum ex sola consuetudine existere in his piis præstationibus, ac Missarum celebratione; idcircò in posterum coactio fieri poterit, ut simile Anniversarium celebretur, & solvatur. Denique id observatur in aliis causis piis, Suarez *de Relig.tom.*1.*tract.*2.*lib.*1.*c.*3.*à n.*12. Lessius *de just.lib.*2.*c.*49.*dub.*7.*à n.*34. Pereyra *de Manu Reg.*1.*part.c.*15. Thoro *in Summa, privileg.*266. Ergo similiter in Anniversariis, Guttierr.*lib.*2.*can.q.*21.*num.*151. Lara *de Anniversf.lib.*1. *c.*12.*n.*25. Mena *var.lib.*2.*q.*2.*à n.*25.

29 In hoc dubio observandum, quæstionem non esse quando aliqua fuissent argumenta, & conjecturæ, similes celebrationes, & solutiones ab aliqua obligatione processisse; tunc enim in futurum præstandæ sunt, Rota *decis.*134.*n.*9. coram Pena: nec quando essemus in dubio, nam tunc interpretatio facienda est favorabiliter in bonum animæ, quapropter obligatio erit in futurum ad adimplendum, & solvendum, Pasqualigius *d.q.*1081.*n.*9.

30 Erit ergo dubium, quando de obligatione nihil constaret, nec in dubio essemus: quo casu incidimus in aliam quæstionem, an tempus favore causæ piæ inducat obligationem? Et aliqui abnegarunt, nam intelligitur similes consuetudines procedere à causa facultativa, quæ minimè inducit obligationem, Pileus *qu.*84.*in fin.* qui loquitur de hospitalitate, & de eleemosynis factis a Monasterio, Molfesius *in Summa*, 2.*part. tract.*12.*cap.*1.*num.*243. Pasqualig. *d. qu.*1081. *num.*8.

Sed tamen contrarium est tenendum ex illa fundamentali ratione; nam tempus non inducit obligationem quoties nulla causa obligationis valet considerari, quin potiùs tunc liberales præstationes præsumuntur, Coccinus *decis.*180. *n.*5.*& decis.*472.*n.*6. Riccius 4.*part. collect.*1293. Si tamen causa existat, aut valet considerari, tunc obligatio inducitur non à tempore ipso, sed à causa illa, quæ consideratur, ut videre est in rustico, qui fundum locavit, & quotannis duas gallinas præstitit, qui in futurum obligatur; videtur enim ex causa locati præstitisse, Menoch. *lib.*3. *præsumpt.*131. *à n.*59. In causis verò piis valet existimari causa præcisa obligationis, aut quia donans vult redimere culpas animæ suæ, aut quia dat in recognitionem Dei Optimi Maximi, Guttierr. *d.cap.*21.*n.*140. Ergo ex tempore ad futura inducetur obligatio in causis piis. 31

Idque confirmatur doctrina plurium Doctorum, asserentium eleemosynas dari consuetas, deberi perpetuò pauperibus, Gavalcanus 1.*part. decis.*27. *num.*33. Menochius *de arbitr.lib.*2.*cent.*2.*casu* 160. *num.*17. Cacheran. *decis. Pedemont.*99.*num.*20. Franciscus Marcus *decis.*213.*part.*2. Thoro *privileg.*238. Ergo similiter in alia qualibet causa pia, Menochius *d.lib.*3.*præsumpt.*131.*num.*82.*&* 83. Genuensis *in praxi, tricen.* 16. *quæst.*478. Surdus *de aliment. tit.*1. *quæst.*69. *num.*6. 32

Unde admittenda est secunda sententia asserens, ex continuatione celebrandi, & solvendi Anniversarium oriri obligationem in futurum; nam cùm adsit causa obligationis; nempè divinus cultus, & bonum animæ, præsumitur ex continuatione, non ex libera facultate id fecisse, verùm causa inducente obligationem. Sed notandum cum Genuensis *d.q.*478.*n.*2. Thoro *d. privil.*238. ad hanc obligationem aliqua requiri, præcipuè quod à principio sponte incipiatur hæc Missarum celebratio, & solutio; tum ut fuerit semper uniformis. 33

Sed inquires, quodnam tempus sit necessarium, ut hæc obligatio remaneat in futurum? Decius *in l. Si certis annis*, *C.de pact.n.*8. scripsit triennium sufficere, *ex l.*1. *C. de fideicommiss.* ubi si per triennium hæres alimenta præstiterit, cogitur dare in futurum, Sylvanus *cons.*59.*n.*10. Sed textus iste assumptum non probat, quia loquitur de alimentis relictis in testamento minùs solemni, quæ si per triennium præstentur ab hærede ex consensu illius, legatarius jus acquisivit, ne illis privetur, non obstante minori solemnitate, Pasqual.*d.q.* 1081.*n.*7. ibidem enim constat de titulo, & tantùm exceptio minoris solemnitatis removetur: quod secus dicendum in nostra specie. 34

Quamobrem ad nostrum casum Decii sententiam admittimus in causa possessionis tantùm, in qua quidem duæ, aut tres præstationes, seu solutiones sufficiunt ad obtinendum in possessorio. Ratio, nam duæ, aut tres solutiones constituunt percipientem in quasi possessione, *cap.Querelam* 24.*de elect.* ubi Scribentes Mena *variar. d. lib.*1. *quæst.*2. *num.*25. prout observatur in tribus electionibus, *cap. Cum Ecclesia* 3.*cap.Cum olim* 7.*de caus.poss.& propriet.* Barbosa *in d. c. Querelam*, *n.*9. 35

Quod alii extendunt ad unicam præstationem; nam quasi possessio in unico actu constituitur, Puteus *lib.*1. *decis.*192. Gratianus *discept.forens.cap.*552.*à n.*28. Garcia *de Benef.* 5.*p. cap.*5.*à n.*59. Lotterius *de re Benef.tom.*1. *lib.*2. *qu.*28. *n.*106. Verùm hæc præstatio, ut unico actu constituat in quasi possessione, plurima desiderat requisita, ut sit liquida, & sine protestatione: tum facta cum scientia illius cui præjudicat: quod facta sit jure proprio in petente, & alia quæ videri possunt apud Barbosam *in d.cap. Querelam*, *à n.*14. Postium *de manut. observ.*18.*à n.*16. 36

Si verò non agatur de causa possessoria, sed de proprietate, ut solvens Anniversarium teneatur ad præterita, & futura, decennium requiritur; nam continuatio per tempus decennii format titulum, & probat animum se obligandi, ut in terminis docet Lara *dict.lib.*1.*cap.*17.*num.*3. & in aliis piis præstationibus Cassador. *decis.* 1. *de consuetud. num.*5. Covarruv.*lib.*1.*pract.cap.*17.*num.*3. Guttierez *d.cap.* 21.*num.*143. Bellettus *disq.Cler.* 1.*part.tit.de bon. Cleric.* §.3. *num.*24. 37

*num.*24. Lessius *dict. cap.*39. *dub.*6. *numer.*39. Ergo, &c.

38 Prætereà quando annui redditus relinquuntur pro adimplendo Anniversario, & legatum fit Ecclesiæ Clericorum communitatem habenti, distributio inter eos facienda est, ut diximus *hoc lib. cap.*6. *à num.*40. hic tamen addere libet, quod si aliqui eorum distributionem non consequantur ob non interessentiam, aliis accrescit, Lara *d.lib.*1.*cap.*17.*n.*2. prout in aliis distributionibus quotidianis observatur, Glos. *in Clem.*2.*de etat.& qualit.verb. Pars dimidia*, Cassador. *decis.unic.de Clericis non resident.* Moneta *de distribut. quotid.*3.*part.quæst.*6.*num.*16. Trullench. *in Decalog.lib.*1.*cap.*8.*dub.*20.*num.*2.

39 Quod intelligas, si conjunctim legatum relinquatur Clericis alicujus Ecclesiæ, secus si separatim, veluti si dicat fundator, *Detur cuilibet Clerico pro assistentia Anniversarii duo regalia.* Nam quoties multis separatim aliquid legatur, non est locus juri accrescendi, ut benè respondit Consultus *in l.*1.*versic. Caterum, ff. de usufruct.* ibi: *Cæterùm si separatim unicuique pars rei ususfructus, sine dubio jus accrescendi cessat*, Gomez *var.tom.*1.*cap.*10.*n.*38.*in fin.* Ergo. Tum, nam licèt legatum illud relinquatur Clericis alicujus Ecclesiæ, unde verbis conjuncti videntur; attamen si res certa, & separata unicuique legetur, non datur jus accrescendi, quia unicuique separatim relictum videtur, Cardoso *de jur. accrescend.illat.*6.*n.*2. Faber *de error. tom.*2. *decad.*49. *error.*3. & 4. Crassus *de success.q.*8.*n.*4. Castillo *lib.*1.*controv. cap.*48.*n.*16. Ergo in præsentiarum si aliqui Clerici non assistant, portio illorum alteri non accrescit, ut in terminis tenet Lara *d. cap.*17.*num.*3.

40 In hoc verò Archiepiscopatu adest Constitutio 5. §. *Fiestas, de sepolt.* ubi decernitur contrarium, ibi: *Y el Cura, y Beneficiados por las Visperas, y Vigilia, o Missa, un real cada uno; y si huviere sermon, otro real, con que si el tal Cura, o Beneficiado no estuviere presente, no gane el real del sermon, y pierda el punto de la Missa, y el real se reparta por acrescencia à los que al sermon se hallaren presentes.* Quæ verba desumpta fuerunt ab alia Synodali Cardinalis Quirogæ, quam retulit Lara *d.c.*17.*n.*7. Verumtamen ut ipse animadvertit, hoc specialiter constitutum est, ut alii Clerici ad concionem audiendam allicerentur; nam ut dicitur Act. Apost. cap.6. *Non est æquum nos relinquere verbum Dei.*

41 In solutione Anniversarii illud breviter dicere placet, quod si solutio sit moraliter certa, ante ipsam debent Missæ celebrari, nempè si testator dicat, *Ab initio dicantur Missæ*, & ad id annuam præstationem designaverit in fine anni persolvendam; tunc enim celebrandæ sunt in principio anni, si solutio moraliter sit certa; nam cum onere isto Anniversarium acceptatum est, & solutio cùm certa sit, tanquam præsens existimatur, *leg.*15. §.*fin.ff.de re judicat.* ubi Fulgosius, Bart. & Bald. *in l.penult. ff. de testament. milit.* Surdus *cons.*195. *num.*102. Ergo Missæ sunt ante solutionem celebrandæ.

42 Secus verò si moraliter incerta, aut difficilis recuperationis sit solutio, tunc enim nisi illa recepta non tenetur Capellanus, aut alius Sacerdos Missas celebrare; quia obligatio celebrandi Anniversarium continet conditionem, *Si solvatur*; ac proinde quando incerta, aut difficilis est solutio, non adstringit, Tambur *de Sacrif.Miss.lib.*3.*cap.*1. §.9. *à num.*12. Pasqual. *q.*981. *à n.*4.

43 Illud verò adnotandum cum Pasqualigio ibidem, *num.*3. minimè esse necessarium, ut legatarius interpellet hæredem, ut constituatur in mora; nam cùm Anniversarium certo tempore sit adimplendum & solvendum, tempus ipsum agit interpellationem, *l. Magnam* 12. *C.de contrah. & commit. stipulat. l. Pecunia* 9. §. *Vsurarum, ff.de usur. cap. Potuit* 4. *de locat. l.*28.*tit.*8.*part.*5. ubi Gregorius: & fortior est interpellatio, quæ fit à tempore, quàm quæ ab homine, cùm hæc ignorantem comprehendat, secus alia, *l. In diem* 77. *ff. de verb.obligat.* Menochius *de arbitr.casu* 220. *à nu.*41. Pich. *de Mora*, *n.*68. Quapropter in Anniversariis, quæ diem certum habent, admittendus non est Tamburinus *d.* §.9. *n.*12. *vers. Respondeo*, dum asseruit, legatarium teneri procurare solutionem Anniversarii, quem in hac specie benè carpit Pasqualigius *d.n.*3. Sed admittenda est ejus doctrina, quoties Anniversarium incertum diem habuisset.

44 Aliquando verò legatarius tenetur hæredem interpellare, scilicet quando Anniversarii dies non est à testatore designata, vel quando ipse fundator præceperit illum interpellare; tunc enim Capellanus, aut alius Sacerdos adimplens Anniversarium, interpellare tenetur, ut hæredem in mora constituat, Pasqual. *q.*982. *à n.*1. Verùm sufficiet interpellatio, sive judicialis, sive extrajudicialis sit, *l.mora* 32. *ff. de usur. l. Titio* 80. §. *Vsuras, ff. de legat.*2. *leg.*18. *tit.*8. *part.*5. Menoch. *d.casu* 220. *à num.*25. Barbosa *in leg. Mora* 10. *ff. solut. matrim. num.*10. Cyriacus *controv.*165. *num.*11. Et quamvis controversum sit, an unica interpellatio sufficiat, affirmativa tamen sententia communiori calculo recepta est, Menochius *d.casu* 220. *num.*26. Barbosa *in d.leg. Mora, num.*9. Hothobonus *decis.*237. *num.*5. Pichard. *de Mora*, *num.*46. Unde hac præcedente, si testator pœnam apposuerit hæredi non solventi Anniversarium, pœnæ subjicietur, quia est in culpa non solvendi, Gratianus *discept.forens.*143. *num.*50. Rota apud Seraphinum *decis.*225. *num.*5. Othobonus *decis.*131. *n.*7. & in terminis Pasqual. *d.q.*982. *n.*4.

Prætereà disquiramus, an tertius possessor conveniri possit pro solutione Anniversarii? Et ut hanc rem clarè exponamus, præmitto duobus modis posse fundatorem illud instituere. Primò, quando hæredem obligavit ad adimplendum, & solvendum Anniversarium, fundumque ad id hypothecavit, qui apud tertium possessorem remanet. Secundò, quando fundator imposuit onus Anniversarii in aliquo fundo, vel prædio determinato, ut ex illo solveretur. 45

Quoad primum dubitatur, an tertius possessor possit conveniri pro solutione Anniversarii? Prima sententia asserit posse conveniri: ratio est, nam in caussis piis bona pro illis adimplendis hypothecata remanent, quapropter tertius possessor valet conveniri directè, absque aliqua excussione principalis debitoris; nam id favore causæ piæ decretum est, ut excussio non sit necessaria, ut facilius adimpleatur: tum etiam, nam qui acceptat rem oneri Anniversarii hypothecatam, videtur quasi contrahere, ut directè contra eum agatur actione personali: ergo poterit nulla excussione facta conveniri pro Anniversario, Guido Papæ *decis.*576. Everardus *loco Ab alimentis ad piam causam, num.*10. Gratianus *discept.forens.cap.*423. *n.*38. Thoro *privileg.*38. 46

Secunda sententia tenet contrarium; nam Ecclesia est cultrix justitiæ, & nequit recedere à jure communi, præsertim in alicujus tertii præjudicium, Gloss. *in cap. Pervenit, de censibus*, Chassaneus *in consuet. Burgund. rub.*11. §.2. *in princip. n.*20. Borell. *vol.*1. *cons.*25. Cùm ergo jus commune sit, ut minimè tertius possessor hypothecæ conveniatur, nisi excusso principali debitore, *Auth. de fidejuss.* §. *Sed nec collat.*1. Salgado *in Labyrint.*3. *part. cap.*10. *n.*25. nisi in quibusdam casibus recensitis à Lara *de Anniversf. lib.*1. *cap.*8. *à n.*5. Mantica *de tacit. lib.*16. *tit.*17. *à n.*20. Salgado *in Labyrint.*1. *part. cap.*23. *à n.*12. Ergo si Anniversarium fundetur super fundo per modum hypothecæ, tertius possessor nequit directè conveniri, nisi excusso principali. Confirmatur; nam hypotheca nequit subsistere absque obligatione personali, tanquam illius fundamento, *l. Contrahitur* 4. *de pign.* Surdus 1. *part. cons.*146. *num.*9. Barbosa *in l. Si constante, ff. solut. matrim. num.*22. Ergo priùs actio dirigenda est adversùs principalem debitorem, qui personaliter est obligatus, quàm adversùs tertium possidentem; idcircò nisi excussione facta, nequit directè conveniri, Ganima *decis.*99. Salgado *d.cap.*23. *n.*86. Ergo nec in causa solvendi Anniversarium directè convenietur, nisi excusso principali, Lara *d.cap.*8. *num.*3. Pasqualigius *q.*1052. *n.*1. 47

Hæc secunda sententia verior de jure videtur; nam cùm fundator potuisset Anniversarium instituere per modum oneris, ut ita tertius possessor absque excussione conveniretur; attamen si non fecit, videtur se conformem reddere voluisse juri communi præcipienti excussionem facere antequam tertius possessor conveniretur, ut probatur *in d. Auth. de translat. & Auth. Hoc si debitor, C. de fidejuss.* à cujus voluntate causæ, quantumvis piæ, non recedunt. Sed adhuc prima sententia satis probabilis est, quam tuentur Cavalcanus 4. *part. decis.*16. *num.*14. Riccius *in Praxi Aurea*, 1. *part. resol.*423. tum quia favore causæ piæ, & præcipuè Anniversariorum, plura sunt contra jus commune instituta. Deinde voluntas testatoris est, ut quamprimùm suffragia illius animæ adimpleantur absque ambagibus excussionis bonorum, pronunciando priùs in excussione, vocato hypothecarum possessore, Lara *d.cap.*8. *n.*4. Ergo ex illius mente excussio prætermittenda est, & directò in Anniversariis tenens hypothecam est conveniendus. 48

Quoad secundum, quando onus Anniversarii in fundo, 49

aut in aliis imponitur, quod communiter fit, nisi aliud fundator expresserit, tunc directò tertius possessor potest conveniri absque aliqua excussinne; nam onus illud imponitur in re ipsa, absque aliqua obligatione personali, nnn pro securitate, sed ut ipsa re sit onus impositus, Alciatus lib.1.cons.3.n.38. Velascus de jur. emphyt. 1.p.q.32.n.14. Covarr. lib.3.variar.cap.7.n.6. in fin. Itaque absque aliqua excussione poterit tertius possessor directè conveniri, Gamma decis.145.n.2. Surdus cons.162. n.12. Cevallos commun. qu. 76. in fin. Gratian. discept. for. cap.16.n.16. Avend. de censib. cap.96.n.9. Unde in Anniversariis idem est observandum, Felicianus de censib. lib.3.cap.4.n.3. Leon de offic. Capell.q.5. sect.13. à n.220. Pasqualigius d.q.1052.n.2. Lara d.cap.8. à n.8. Diana 5.part. tract.1.resol.24.

50 Imò quia res est immediatè subjecta oneri Anniversarii, non solùm possessor poterit conveniri pro redditibus illius temporis, quo ipse possedit, sed etiam pro præteritis, l.2. C.Si sine cens.vel reliq. l.Imperatores, ff.de publican. & vectig. Afflictis decis.95.n.5. ubi Ursillus n.8. Felicianus de censibus lib.3.cap.6.n.3. quod in terminis Anniversarii tenent Lara d.cap.8.n.25. Pasqualigius d.qu.1052.n.3. Cencius de censibus qu.98.n.62.

Restabit verò remedium possidenti, ut à redditibus Anniversarii excusetur, si rem illi affectam reliquerit, l.Etsi fortè 6.§.Etiam, vers.Labeo, ff.Si servit.vendicet. leg.Filiusfamilias 114.§.apud Marcellum 3.ff. de legat.1. Anniversarium enim dicitur servitus innominata, Guido Papæ decis.432. in fin. à qua quis liberatur relicto fundo, ubi adhæret, Lara d.cap.8. n.26. Pasqualigius ubi proxime, n.4.

51 Illud tamen observare convenit, ut quando tertius possessor hypothecaria convenitur, si possessor velit fructus pendentes percipere antequam fundum dimittat, id efficere poterit solvendo decursas pensiones tempore possessionis, quod sufficere cum Intrigl. scripsit D. Olea de cess. tit.1. qu. 1. num.71. & probabile videtur. Verùm in sententia aliorum, omnes decursas præteritas præstare tenetur, & in terminis nostræ quæstionis id tenendum censeo, quia sunt onera illius fundi.

52 Si verò tertius possessor onus Anniversarii agnoverit, adhuc dicendum, rem affectam relinquere posse; nam per recognitionem non videtur alio modo agnovisse, nisi prout erat ratione rei obligatus durante possessione, nisi in recognitione aliqnid addiderit, Covarr. lib.3.cap.7.num.6.vers. Hinc etiam deducitur, Lara d.cap.8.à n.30.

53 Sed quid si Anniversarium impositum sit in multis prædiis, quæ quidem inveniuntur apud diversos possessores, an quilibet eorum prn solutinne valeat conveniri? Et negandum videtur, ex cap.Constitutus 6. de Relig.domib. ubi Abbas n.8. Anchar.n.13. asseruere, quod quando una pensio in pluribus imponitur, tacitè distributa videtur: quapropter singulæ illæ res pro rata obligantur, & possidentes non in solidum, sed pro ipsa rata ad solutionem sunt conveniendi, Guido Papæ q.432. Chassaneus in consuet. Burg.rubr.5.§.2.n. 37. Afflictis const.Neapol.lib.1.rub.17.num.26. Vincentius de Franchis 1.p. decis.5. Ergo similiter dicendum est in Anniversariis super pluribus prædiis impositis.

54 Hoc fundamentum solidum non est, quippè plures DD. contrarium tenent, ex l.Moschis 47.ff.de jur.fisci: tum ratione probant, nam hypotheca semper est individua, l.Pignoris, ff.de pign. Rota apud Censium decis.451.n.10. Itaque quilibet possessor poterit insolidum conveniri, nec enim pro parte sunt conveniendi possessores rerum, quæ hypothecæ subiiciuntur, Bart.in dict.leg.Moschis, & ibi etiam Gloss. Negusantius de pign. 1.memb. 8.part. in princip. n.5n. Perez in proœmio lib.8.ordinam.tit.2.pag.35. Valasco de jur.emphyt. 1.part. quæst.32.num.15. Azevedus in leg.1.tit.15.lib.5. Recopil.num. 15. dicit veriorem Gratianus discept.forens.cap.16. num.16. Ergo fundamentum illud solidum non est, sed de æquitate sequendum asseruit Covarr. d.lib.3.cap.7.num.fin. Sed quia scripta non est, non esse admittendam scripsit Azevedus d. num.15.

55 Quapropter in specie assero, pro rata non esse conveniendos possessores rerum oneri Anniversarii subjectarum, sed quilibet valet conveniri prout creditori placuerit; nam onus cohærens rei, opulentius est, quàm hypotheca: itaque si prædia oneri Anniversarii annexa ad diversos possessores perveniant, quilibet poterit conveniri, ut benè ratiocinatur Avend.de censibus cap.96.num.14.vers. Quæ quidem. Cæterùm nam in qualibet dispositinne consideranda est mens disponentis, l.Non omnis 19.ff.de rebus credit. l.fin. Cod. Quæ res oblig.possunt. Mens enim illius, qui fundavit Anniversarium pro animæ suæ suffragio, præsumenda est ita fundationem disposuisse, ut quam citiùs Missæ adimplerentur, obligando prędia illa insolidum ad solutionem Anniversarii, aliàs multa incommoda, & dilationes orirentur, si pro parte omnes possessores convenirentur, Covarruv. d.cap.7.n.5.vers.Quæritur deinde, Avend.d.cap.96.n.14. vers.Considero deinde. Ergo quilibet insolidum potest conveniri. Denique in censibus, qui minùs favorabiles sunt, quàm causa Anniversarii, id observatur, ut cum aliquibus tenet Felicianus de censibus lib.3.cap.4.n.11. Ergo multò meliùs in hac specie, prout in hæredibus scripsimus suprà.

Prorsus disquiramus, an pensiones decursæ solvendæ ad Anniversarium adimplendum, possint præscribi? Et ut rem benè capiamus, recolenda sunt quæ scripsimus hoc lib. cap.6. à n.54. & præcipuè n.69. ubi constituimus, quomodo debeat esse in bona fide ad præscribundum legatum Missarum: illis ergo suppositis, præmitto ad has decursas præscribendas contra Anniversarium, quadraginta annorum spatium esse necessarium, Leon de offic.Capel.qu.5.sect.21.n.316. Pasqualig.q.1048.n.6. & q.1093. 56

Hoc ergo supposito, in hac difficultate inquirimus, an una præscriptione quadraginta annorum omnes pensiones decursæ, tam præteritæ, quàm futuræ præscribantur adversùs Anniversarium. Et affirmandum videtur, nam pensiones annuæ decursæ, seu præstationes procedunt ab una obligatione, & tantùm habentur ut accessoriæ, leg.Si Stichum 16. §.1.ff.de verbor.obligat.leg.Senatus 35.§.fin.ff.de donat. Ergo una præscriptione præscribentur; unica enim præscriptio sufficit ad unam obligationem, Balboa de præscript. 4.part. punct.4. Parlador. lib.1. quot. cap.1.§.12.num.5. Rodriguez de ann.reddit.lib.2.quæst.15.à num.35. Farinac. in Repert. judic. quæst.30. num.2. quod idem dicendum est in Anniversariis, cùm procedant ab una obligatione, vel quasi, & annuæ solutiones se habeant tanquam accessoriæ ad illud adimplendum. 57

Alteri verò Doctores in his annuis præstationibus distinctionem faciunt, quando relinquuntur per contractum, aut per ultimam voluntatem: si enim per contractum relinquuntur, unica præscriptione tolluntur, quia est unica obligatio: secus si per ultimam voluntatem, cùm sint tot obligationes quot præstationes, l.Si singulos 4.ff. de annuis legat. ubi Scribentes, Gomez tom.2.variar.cap.11.n.44. Mantica de tacit.lib.14.tit.13.n.13. Valasco consult.49. à n.1. Cancer. 3.p. cap.20.à num.58. Rota apud Cenc. de censib.decis.303. num.1. Quæ quidem distinctio admittenda viderur in Anniversariis, ob rationem horum Doctorum, Marinis tom.1. decis. 83.à num.7. 58

Verùm in terminis nostræ disquisitionis, illa est communis sententia, ut decursæ pensiones præteritæ Anniversarii præscribi possint, non futuræ, ex leg.Cum notissimi 6. §.In his 6.Cod.de præscript.30.aut 40. annorum, ubi decretum est, annuas præstationes non præscribi ab initio obligationis, sed in principio cujuslibet anni; unde non curret pro futuris pensionibus, aut decursis, quia adhuc non sunt præscriptæ, sed tantùm pro præteritis. Et confirmatur, nam in quolibet anno oritur obligatio nova, quia iteratur Anniversarium; unde singulæ præstationes decursæ petunt singulas præscriptiones, l.3.ff.de ann.legat. Ergo in Anniversariis decursæ futuræ nequeunt præscribi, sed tantùm præteritæ, Thesaurus quæstionum forens. 1.part. qu.76. à n.4. Gratianus discept.forens.cap.399. à num.29. Leon de offic.Capellani, quæst.5.sect.21. à num.315. Pasqualigius quæst.1048. num.4. 59

In hoc dubio dico in primis totam difficultatem versari, quando fundatoris mens ea fuerit, ut annuæ præstationes sub una obligatione relinquantur, & ipsæ tanquam accessoriæ; aut quando plures obligationes quotannis iterandæ fiunt ab ipso fundatore. Et in specie asserendum videtur, tantùm esse unicam obligationem præstandi annuas decursas: ratio est, nam Anniversaria sunt perpetua, sive Ecclesiæ, sive Clericis relinquantur: quapropter non admittunt illam conditionem, Si supervivat, ut plures sint obligationes, sed tantùm erit unica obligatio, qua per præscriptionem destructa, etiam annuæ præstationes, tam præteritæ, quàm futuræ præscribentur, ut in terminis legati Ecclesiæ facti, tenet Capponi discept.forens.tom.2.discept.81. à n.13. Marinis d.decis.83.n.7. 60

Fun-

61 Fundamentum Capponi solidum non est; nam licet quoties legatum fit certæ personæ, intelligatur factum per plures annuas obligationes, quia adest illa conditio, *Si supervivat*, Pichard. *in* §. 3. *Instit. de verb. oblig. num.* 6. Mantica *de tacit. lib.* 14. *tit.* 40. *num.* 35. id tamen non tollit, ut quando legatum perpetuum est, id fieri non possit ex voluntate fundatoris, veluti quando dicat, *Pensiones decursa quotannis præstentur*, Spino *de testament. glos.* 8. *n.* 65. aut quando id petat conjectura illius mentis, aut natura ipsius rei, in qua versatur legatum; unde firmum non redditur fundamentum illud.

62 Quamobrem dico duobus modis posse Anniversarium relinqui, veluti si dicat testator, *In singulis annis pensiones decursa præstentur Ecclesiæ, vel Sacerdoti ad celebrandum Anniversarium Missarum*; & tunc plures sunt obligationes iterandæ per singulos annos, non tamen una, & præstationes sunt tanquam accessoriæ, *leg.* 1. *ff. quando dies legat. cedat*, *leg. Si in singules* 4. *leg. Cum in annos* 11. *ff. de annuis legat.* Spino *d. gloss.* 8. *num.* 65. Aliter verò quando testator dicat, *Lego Anniversarium simpliciter in tali prædio, aut fundo, aut in bonis aliis*; & in hoc casu est difficultas, an sint plures obligationes, vel una, consideratis annalibus præstationibus ut accessoriis. Et dicendum videtur, tantum esse unicam obligationem, ut in alimentis simpliciter legatis tenet cum Baldo & Socino, Spino *d. num.* 65. & ratio est, nam tunc illæ præstationes debentur correspectivè ad unicam obligationem, vel quasi, ipsius legati: quapropter censebuntur ut accessoriæ, non verò ut principales obligationes, Avendan. *de cens. cap.* 104. *à n.* 3.

63 Sed contrarium teneo quando simpliciter legaretur Anniversarium: ratio est, nam quoties legatum relinquitur, quod continet annuales præstationes, præscriptio non consideratur ab exordio obligationis, sed ab initio cujuscumque anni, ut est clarus textus *in dict. leg. Cum acutissimi* 6. §. *In his* 6. *C. de præscript.* 30. *vel* 40. *annor.* cujus verba sunt: *In his etiam promissionibus, vel legatis, vel aliis obligationibus, quæ dationem per singulos annos, vel menses, aut aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujuscumque anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis computari manifestum est*. Cùm ergo legatum Anniversarii contineat annuas præstationes necessariò præstandas ad illius adimplementum, non unica obligatio censenda est principalis, & annuæ præstationes ut accessoriæ, sed plures obligationes distinctæ censentur, contentæ sub prima, & generali ipsius legati, prout etiam cum Pinello consideravit Marinis *alleg.* 52. *num.* 11. *&* 12. Cæterùm probatur non solum ex dispositione legis, sed ex mente testatoris; nam licet simpliciter leget Anniversarium, mens illius est, ut quotannis adimpleatur, & solvatur ex natura talis dispositionis: ergo mens fundatoris clara est, ut quotannis hæres, aut successor bonorum obligetur ad adimplendum, & solvendum Anniversarium. Et confirmatur ex decisione textus *in leg. Si pluribus* 140. §. 1. *de verborum obligat.* ubi stipulatio dandi argentum annuum plures stipulationes continet: ergo cùm in legato Anniversarii contineantur ex natura rei annuæ præstationes, non unica obligatio in eo est censenda, sed plures.

64 Sed dices cum Pichard. §. 3. *Instit. de verbor. obligat. n.* 6. textum illum tantùm intelligendum de stipulatione finienda intra biennium, aut triennium, non verò de obligatione perpetua, ut est Anniversarii: quapropter sub una stipulatione plures stipulationes continentur, non verò quando perpetua est obligatio. Sed hæc disparitas Pichardi nullam continet rationem, nec dari valet, meo videri; mens enim stipulantis ea est, ut stipulato argento annuo, plures stipulationes faciat, sive ad tempus, sive in perpetuum, sicut ille qui Anniversarium simpliciter constituit, cujus fuit mens, ut quotannis fierent præstationes. Denique in fundatione Anniversarii pinguior interpretatio facienda est favore animæ, modus enim instituendi onus Missarum meliùs fit per plures obligationes, ne in totum præscribatur, quàm per unicam obligationem, quæ tollitur omninò per præscriptionem, & consequenter annuæ præstationes, *leg. Eos* 16. *C. de usur.* Avendan. *d. cap.* 104. *num.* 3. *ad medium*. Ergo ex mente fundatoris præsumendum est, potiùs voluisse per plures obligationes quotannis iterandas Anniversarium instituere, quàm per unicam habentem præstationes ut accessorias.

Unde colligitur, in Anniversariis per præscriptionem quadraginta annorum tantùm decursas pensiones, seu præstationes præteritas præscribi posse, non verò futuras, ut tenent Doctores recensiti suprà, *n.* 59. 65

CAPUT XII.

De reductione Missarum.

SUMMARIUM.

An Episcopi habeant potestatem reducendi Missas de jure communi, contra Aversam respondetur affirmativè, n. 1. *&* 2.

Refertur Tridentinum sess. 25. de Reformat. cap. 4. *num.* 3. *Decretum Urbani VIII. quod in Hispania non est receptum refertur n.* 4.

Extenditur Decretum, à num. 5. *Sed est quæstio, an ex vi illius Decreti possint reduci Missæ manuales? Negant aliqui, n.* 7. *alteri affirmant, n.* 8. *resolvitur, & explicatur difficultas, à n.* 9. *& seqq.*

An Decretum Tridentini se extendat ad Missas futuras? Negat prima sententia, num. 13. *Secunda affirmat, n.* 14. *defenditur, n.* 15.

An reduci possint Missæ posita in limine fundationis? Aliqui negant, n. 16. *affirmant alteri, n.* 17. *Resolvitur, à num.* 18.

An in Capellaniis laicalibus possit fieri reductio à Principe Seculari? Affirmant aliqui, n. 20. *alteri negant, n.* 21. *resolvitur, n.* 22. *& seq.*

An Administratores causæ piæ possint reducere Missas? Negatur contra Capponi, n. 24.

An ex vi Decreti Tridentini debeat in Synodo fieri reductio Missarum? Affirmat prima sententia, num. 25. *negat secunda, n.* 26. *distinguis tertia, num.* 27. *resolvitur, à num.* 28.

An Abbates, seu Generales debeant facere reductionem Missarum in Capitulo? Affirmatur, n. 29. *ponitur instantia, & respondetur, à n.* 30.

Reductio facienda est cum causa gravi, n. 32. *& quæ sint causæ, num.* 33.

Si sunt reducendæ Missæ, debent relinqui quæ possunt adimpleri, & facienda est commemoratio defunctorum, num. 34.

An Episcopus, causa urgenti, legatum Missarum possit commutare ad ornamenta, & reparationem Ecclesiæ? Negant aliqui, numer. 35. *Sed contrarium defenditur, num.* 36.

Reductio absque causa annullatur, & etiamsi postea fiat insufficiens, n. 37. *Capellania potest reduci ad Anniversarium, non ad Missas manuales, ibid.*

An facultas reducendi Missas delegabilis sit? Negant aliqui, n. 38. *Affirmant alteri, n.* 39. *resolvitur, & distinguitur, n.* 40.

An quando causa est certa reductionis, possit Capellanus, aut alter propria authoritate reducare in foro conscientiæ? Negant aliqui, num. 41. *sed plures affirmant, numer.* 42. *Admittitur hæc sententia ex causa diminutionis fructuum num.* 43.

IN re ut clarè procedamus animadverto, quamplurimos Doctores asseruisse reductionem Missarum ex causa fieri posse ab Episcopis de jure communi, idque comprobant *ex cap. Cum accessissent* 8. *cap. Cum M.* 9. *cap. Ex parte* 12. *de constit. cap. Quoniam* 9. *de vit. & honest. Cleric. Authent. de Ecclesiast. tit. col.* 9. Concil. Brachar. IV. *act.* 4. *cap.* 26. *in fin.* quod extendunt non solum ad Missas Capellaniæ, verùm ad Anniversaria, & aliarum Missarum dotationes, seu dispositiones; nam ad munus Pastorale pertinet de his disponere & reducere, prout necessitas petierit: idcircò dicunt facultatem concessam Episcopis ad Missarum reductionem in Tridentino *sess.* 25. *de Reformat. cap.* 4. quoad Generales, & Abbates novum jus inducere, secus quoad Episcopos, qui hanc facultatem habebant de jure communi, Rodriguez *tom.* 1. *quæstionum Reg. q.* 43. *art.* 13. Ledesma *in Summa de Eucharist. cap.* 18. *circa conclus.* 16. *ad fin.* Palao *tom.* 4. *Oper. Moral. tract.* 22. *disp. unic. punct.* 25. *n.* 4. Marchinus *de Ordin. tract.* 3. 2. *part. cap.* 19. *num.* 2. Barbosa 1

de

de offic. Epiſcop. 2. part. alleg. 29. *n.* 15. Paſqualigius *q.* 1162. *num.* 1. Capponi *tom.* 3. *diſp.* 154. *cap.* 2. *n.* 10. Henao *de Sacrif. Miſſ. diſp.* 31. *ſect.* 9. *à n.* 76.

2 Averſa verò, quem refert Paſqualigius *num.* 2. contrarium ſentire videtur expendens Concilium *d. cap.* 4. ibi, *Facultatem dat Epiſcopis*: quæ verba ſignificant, Epiſcopos de jure communi non habere hanc facultatem reducendi Miſſas, ſiquidem de novo illis conceditur. Verùm hoc argumentum facilè diluitur; nam ut conſiderat Paſqualig. nuperrimè allegatus, facultas competens Epiſcopis de jure communi, eſt generalis, quam habent ad regendam propriam Eccleſiam: Concilium verò illam concedit in ſpecie pro hoc effectu. Sed meliùs dices, dare Concilium poteſtatem iſtam Epiſcopis, non ad omnes Miſſas, ſed ad illas, quę ratione legatorum celebrandæ ſunt, idque ſpecialiter ex duabus cauſis. Prima, ſi tantus ſit numerus Miſſarum, ut nequeat illi ſatisfieri. Secunda, ſi tam tenuis ſit eleemoſyna, ut non reperiatur qui velit onus ſuſcipere, idque non ſolùm liberè, ſed ſub obligatione moderandi, uti explicat Paſqual. *d. q.* 1162. *à n.* 3.

3 Decretum verò Trident. *d. cap.* 4. ſic ſe habet: *Sancta Synodus cupiens hac ad pios uſus relicta, quo plenius, & utilius poteſt, impleri, facultatem dat Epiſcopis, ut in Synodo Diœceſana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, ut in ſuis Capitulis Generalibus, re diligenter perſpecta, poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverint, ſtatuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderint expedire. Ita tamen, ut eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios uſus reliquerunt.* Hæc enim facultas reſpectu Epiſcoporum eſt minor extenſivè, ſed major authoritativè, quia authorizatur ab ipſo Concilio, Paſqualig. *dict. q.* 1162. *n.* 4. *ad fin.*

4 Poſt hoc Decretum de jure noviſſimo adſunt diſpoſitiones Sacræ Congregationis de celebratione Miſſarum, Summo Urbano VIII. Præſule, quibus reſtricta eſt facultas moderandi Miſſas, tam Epiſcopis, quàm Abbatibus, & Generalibus; quin potius ad Sedem Apoſtolicam reſervatur, Tambur. *in Method. celebrat. Miſſar. lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *n.* 15. Garcia *in Sum. tract.* 3. *diff.* 10. *dub.* 2. *ad* 1. Leon *de offic. Capell. q.* 5. *ſect.* 20. *num.* 287. qui id limitat niſi in fundatione hæc poteſtas reducendi Miſſas Epiſcopo concedatur, Garcia *d. dub.* 9. *n.* 2. in Hiſpania verò Sacræ Congregationis decretum iſtud admiſſum non eſt, quin Domini Epiſcopi Miſſas reducunt, Garcia *dict. dub.* 9. *n.* 3. Trullench *de Sacram. lib.* 3. *cap.* 8. *dub.* 11. *num.* 10. Anton. à Spiritu Sancto *in Direct. Confeſſ.* 1. *tom. tract.* 3. *diſp.* 6. *ſect.* 1. *n.* 228. Martinez de Prado *in* 3. *part. de Sacrif. Miſſ. q.* 83. *dub.* 13. §. 4. *n.* 28.

5 His ergo ſuppoſitis, plura iſtinc ſunt reſolvenda, & inprimis Sancti Concilii Tridentini Decretum *in d. cap.* 4. extendendum eſſe non ſolùm ad Miſſas, verùm ad Anniverſaria, & Officia defunctorum; nam illa verba, *Circa hæc*, hæc omnia comprehendunt, ut cum Ugolino docet Barboſa *d. alleg.* 29. *n.* 4. Diana 1. *part. de celebrat. tract.* 14. *reſol.* 1. quapropter Epiſcopus virtute hujus Decreti poterit Miſſas privatas reducere ad Anniverſaria, & Anniverſaria ad privatas Miſſas, ut ſe vidiſſe teſtatur Garcia *d. diff.* 10. *dub.* 9. *punct.* 2. *num.* 9. *in fin. & punct.* 4. *num.* 11. Moneta *de commut. ultim. voluntat. cap.* 5. *num.* 370. Marchinus *de Ordin. dict. tract.* 3. 2. *part. cap.* 19. *num.* 4. In locis ubi Decreta Sacræ Congregationis admiſſa ſunt, id fieri non poterit, quando Anniverſaria ſunt Miſſarum, ſecus verò ſi tantùm aliquotum Officiorum, vel ſacrarum Precum pro defunctis, quia ſimilia Anniverſaria reſervata non ſunt, Paſqualigius *q.* 1170.

6 Similiter Decretum Tridentini extenditur ſi onera Miſſarum affixa ſint Eccleſiis, Capellis, Beneficiis legato, vel alio quovis titulo, quia verè ſunt onera Miſſarum, Tambur. *d. cap.* 1. §. 2. *n.* 3. *verſ. Reſpondeo*. Idem dicendum quando Miſſæ celebrantur abſque applicatione, veluti quando dicuntur certo tempore, aut loco, aut Capella; nam eadem eſt ratio quando deficiunt redditus, aut nequeunt adimpleri, Marchin. *d. cap.* 19. *n.* 5. Quod tamen intelligas quoad numerum Miſſarum, ſi verò quoad locum, vel tempus reductio fiat, non ſolum ex dicto Decreto fieri poterit, verùm in locis ubi admiſſa eſt Sacra Congregatio, fieri poterit ab Epiſcopo, id enim in ea comprehenſum non eſt, Paſqualigius *q.* 1169. *num.* 4. ſicut nec perſonale ſervitium, Paſqualigius *q.* 1186. *num.* 7. Illud tamen breviter attingendum, quoad Decretum Tridentini nihil intereſſe, an onera Miſſarum impoſita ſint ultima voluntate, ſeu alio contractu, Moneta *d. cap.* 5. *num.* 368. Barboſa *d. alleg.* 29. *num.* 9.

De Miſſis manualibus, ſeu diariis quæſtio eſt, an moderari poſſint ab Epiſcopis, ex Decreto Tridentini? Et aſſerendum videtur, quod ſi ab aliquo Monaſterio earum onera recepta fuerint, reduci non poſſint: ratio eſt, nam dantes defraudarentur ſuis Miſſis, pro quibus juſtam ſtipem conceſſerunt; idcircò nequit reductio fieri ab Epiſcopo, nec id comprehendi valet in dicto Decreto, Garcia *d. difficult.* 10. *punct.* 2. *n.* 7. *dub.* 9. 7

Sed contrarium tenent alii; nam hæ Miſſæ, poſtquam receptæ, & acceptatæ ſunt, onera Miſſarum realiter fiunt: quapropter continentur in dicto Decreto, & ab Epiſcopis, Abbatibus, vel Generalibus poſſunt reduci. Cæterùm ſi ſubſit cauſa hujus reductionis, non eſt unde reductio fieri non valeat: ergo in his Miſſis manualibus poterit fieri reductio ex vi illius decreti. Denique conventio illa, ut tot Miſſæ dicantur pro tot ſtipendiis, intelligitur rebus ſic ſtantibus, *leg. Quæro*, §. *Interloquutores*, *ff. locat. leg. Cum quis*, *ff. ſolut. matrimon.* Ergo ſi ſubſit cauſa reductionis, etiam in his Miſſis fieri poterit, Paſqualigius *q.* 1174. *num.* 4. & *q.* 1178. *num.* 1. 8

In hoc dubio dico duobus modis poſſe evenire hoc onus Miſſarum manualium. In primis quando earum ſtipendium ex minutis eleemoſynis componitur, nec certum, & integrum à Fidelibus conceditur: & in hoc caſu Epiſcopus ſtipendium, quod rectum ſibi videbitur, valet deſignare, vel numerum reducere; nemini enim facit injuriam, & magnus labor impoſitus eſt pro colligendis minutis eleemoſynis ad illas dicendas, Garcia *dict. punct.* 2. *num.* 10. 9

Secundò, quando integra ſtipendia data ſunt à Fidelibus, & collecta apud Sacriſtam, vel ſpecialem collectorem, tunc inquiunt Doctores minimè ab Epiſcopo, vel alio Superiore Miſſas moderari poſſe, quia dantes defraudarentur, Barboſa *d. alleg.* 29. *num.* 14. Fagnanus *in cap.* 11. *de Præbend. num.* 17. Marchin. *d. cap.* 19. *n.* 29. Henao *de Sacrif. Miſſ. tom.* 3. *diſp.* 31. *ſect.* 9. *num.* 83. Lugo *de Sacram. lib.* 5. *cap.* 12. *q.* 9. 10

Sed in hac ſpecie aſſerendum etiam, quando Miſſarum manualium, vel diariarum ſtipendia integra conceſſa ſunt, poſſe reduci, ſi fortè culpa collectorum, aut propter egeſtatem Eccleſiæ, aut Monaſterii conſumpta fuerint: ratio eſt, nam doctrina illorum Doctorum, quos numero antecedenti retulimus, intelligenda eſt quando ſtipendia integra adhuc remanent, aut Eccleſia, ſeu Monaſterium habet unde illa rependat; ſecus quando jam conſumpta fuerint, & nequeunt adimpleri. Cæterùm, nam facultas Concilii conceditur, ut melius Miſſæ adimpleantur, quando Eccleſia, ſeu Monaſterium nequit onus illarum adimplere, quod quidem verificatur in noſtra ſpecie. Ergo rectè Miſſæ iſtæ poſſunt reduci, licet Eccleſia, ſeu Monaſterium integra ſtipendia perceperit, dum conſumpta ſint, Paſqualigius *q.* 1178. *n.* 1. 11

Qui rectè animadvertit hanc reductionem non ita facilè faciendam ſicut in Miſſis perpetuis, præſertim ſi jam per centum annos fuerint celebratæ, niſi certum cultum, aut audientium commoditatem proſpexerint, prout latè explicat *à n.* 2. 12

Eſt etiam aliud reſolvendum dubium, an hæc facultas Tridentini extendatur non ſolùm ad onera Miſſarum ante ipſum, verum etiam ad alia Anniverſaria, & dotationes poſt Concilium. Plurimi aſſeruere, tantùm de præteritis eſſe illud decretum intelligendum, ex declaratione Cardin. 7. Februarii 1573. & ducuntur; nam quando lex reſpicit præterita, & ex mente illius concipitur, non velle in futuris decernere, tunc tantùm intelligitur de præteritis, *cap. fin. de conſtit.* unde aliqua jura non ſe extendunt ad futura, *Clementin. Dudum* 2. §. *Non etenim*, *de ſepultur. leg. penult. ad fin. C. de Sacroſ. Eccleſ. leg. fin. Cod. de tranſact. leg. ultim. C. de pall.* & eſt ratio, quia in ferendis legibus primum locum obtinet voluntas legiſlatoris, & ideò ſi conſtet de voluntate illius, tantùm ad præterita ſe extendit, Anguianus *de legibus*, *lib.* 5. *controv.* 13. *num.* 13. Petrus Gregor. *in par. jur. cap.* 2. *de conſtit. num.* 7. & *cap. fin. num.* 9. Cùm ergo 13

Con-

Concilium tantùm disponat de oneribus Missarum præteritis, quæ nequeunt adimpleri, de illis tantùm est intelligendum, non verò de futuris, Azorius *Instit. Moral.* 1. *part. lib.* 12. *cap.* 18. *q.* 61. Passarellus *de remed. Miss. cap.* 60. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 41. *art.* 4. Riccius 4. *par. decis. Neapolit.* 25. *n.* 4. Bonacina, qui de praxi testatur, *de Sacram. disp.* 4. *q. ult. punct.* 7. §. 2. *num.* 11. Tamburinus *de jur. Abbat. tom.* 1. *disp.* 5. *quæst. ult. in fin.* Pasqual. *q.* 1164. *n.* 3.

14 Alteri tenent contrarium; nam lex ex sua natura respicit ad futura, & non ad præterita, *cap. Si quidem* 10. *q.* 1. *cap. Dixit Sarra* 32. *q.* 2. *cap.* 2. *& cap. ult. de constit.* Est enim regula rerum operandarum, & facilè damna, & præjudicia afferret, si respiceret præterita, Angulanus *lib.* 1. *controv.* 1. *num.* 9. Morla *in Empor. tit. de legibus*, *q.* 6. Larrea *decis. Granat.* 11. *per tot.* Valeron *de transact. tit.* 2. *q.* 1. *num.* 12. Idcircò Tridentinum, dum aliud expressè non senserit, extendi debet ad futura. Præterea ad futura se extendere probant generalia verba illius decreti, in quibus non solùm præteritæ dotationes Missarum ante Concilium continentur, sed etiam futuræ post illud, Possevinus *de offic. Curat. cap.* 2. *num.* 25. *quæsit.* 9. Garcia *in Summa*, *d. diff.* 10. *dub.* 9. *punct.* 1. *num.* 3. Garcia *de Benef.* 7. *part. cap.* 1. *num.* 132. Barbosa *dict. allegat.* 29. *num.* 5. Tamburinus *in Method. celebrat. Missarum*, *lib.* 3. *cap.* 1. §. 2. *num.* 3. Palao *Oper. Moral.* 4. *part. tract.* 22. *disput. unic. punct.* 15. *n.* 4. Capponi *d. cap.* 2. *n.* 18.

15 Hæc ultima sententia admittenda est; nam illa verba, quę à contrariis expenduntur, *Quas hac provisione indigere cognoverint*, non tantùm præteritum tempus designant, sed etiam futurum, nempe quoties cognoverint, sive in præsens, sive ad futuras dotationes Missarum; non enim credendum, voluisse Concilium tantùm præteritis necessitatibus Ecclesiarum, vel Monasteriorum providere, sed etiam futuris. Denique ratio fundamentalis Concilii, quam declarat in illis verbis, *Sancta Synodus cupiens, hæc ad pios usus relicta, quo plenius, & utilius potest, impleri, &c.* extendit decretum ad futura; cùm eadem sit ratio præteriti, aut futuri temporis, quoad hoc desiderium Concilii. Ergo debet extendi ad futuras dotationes Missarum post Concilium.

16 Prætereà alia difficultas disquirenda venit, an ex hoc decreto reduci possint Missæ positæ in limine fundationis? Et non comprehendi censuit Sacra Congregatio, ut refert Riccius *in praxi for.* 1. *edit. decis.* 404. *& in* 2. *decis.* 341. *num.* 4. quam quidam incertam dicunt. Ducitur, nam Concilium non loquitur nisi de Missis relictis à testatoribus, non verò in limine fundationis alicujus Capellaniæ, seu Ecclesiæ. Ergo nequit intelligi de his Missis, cùm inclusio unius sit exclusio alterius, *cap. Nonne, de præsumpt. leg. Cum Prætor, de judiciis:* tenent Miranda *in Man. Prælat. tom.* 1. *q.* 41. *art.* 12. *ad fin.* Torreblanca *de jur. spirit. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 74. Barbosa *d. allegat.* 29. *num.* 21. *& ad Concilium dict. cap.* 4. *num.* 8. Diana 1. *part. tract.* 14. *resolut.* 1. Bonacina *d. quæst. ult. punct.* 7. §. 2. *num.* 10. Garcia *de benef.* 7. *p. c.* 1. *n.* 131. Capponi *d. c.* 2. *n.* 19.

17 Ast alii contrarium tenent, quorum sententiam in praxi receptam video: & ratio est, quia nulla dari valet disparitas inter has Missas positas in fundatione, & alias Missas, cùm ad pastoralem curam pertineat illas reducere ad facilius earum adimplementum. Et confirmatur, quia majori cura istæ Missæ positæ in fundatione debent adimpleri, Moneta *d. cap.* 5. *num.* 379. Riccius 4. *part. in Prax. Neapolit. decis.* 25. *num.* 3. quapropter cùm Decretum hoc tendat (si necessitas urgeat) ad Missarum complementum, istæ Missæ positæ in limine fundationis, in prædicto Decreto comprehendentur. Cæterùm fundamentum contrariorum debile est, regula enim illa intelligitur, quando illud quod excluditur, est contrarium cum incluso, aut quando inclusum non habet identitatem rationis cum excluso; nam si haberet, non excluderet, Thomassetus *regul.* 141. Trentacinquius *variar. tit. de consuet. resol.* 1. *num.* 13. quapropter hanc sententiam tenent Henriquez *in Summa lib.* 9. *c.* 22. *n.* 6 *lite. P.* Fraxinellus *de obligat. Sacerdot. sect.* 7. *num.* 3. Garcia *in Summa*, *d. dub.* 9. *punct.* 3. *n.* 10. Marchinus *d. c.* 19. *n.* 6. Moneta *d. c.* 5. *n.* 368.

18 In re animadverto adesse praxim Episcoporum reducendi Missas, etiam positas in limine fundationis: verum hæc praxis non concludit præcisè, esse inductam ex facultate Tridentini *in dict. cap.* 4. nam ut diximus suprà, *num.* 1. habent facultatem de jure communi ad reductionem Missarum, justa existente causa: quapropter in his Missis, quæ non continentur in Decreto Tridentini, valent ex facultate juris communis reductionem facere, & consequenter praxis ista non concludit, fieri ex facultate Tridentini: probaret tamen si fieret à Generalibus, vel Provincialibus Religionum. Sed licèt praxis Episcoporum id non concludat, secunda tamen sententia probabilissima est; nam verba Concilii, quibus nituntur contrarii, *Ex variis defunctorum relictis*, dicentes ea non comprehendere Missas relictas in fundatione, ut expendit Pasqualigius *q.* 1163. *à n.* 4. incertum faciunt fundamentum; nam Missæ in limine fundationis positæ, similiter relictæ sunt à testatoribus, prout etiam aliæ Missæ; idcircò hanc sententiam admittunt Ledesma *in Summa* 1. *part. de Eucharist. cap.* 18. *concl.* 16. *vers. Pero ha se de advertir*, Trullench. *de Sacrament. lib.* 3. *cap.* 8. *dub.* 11. *n.* 9. Caspens. *tom.* 2. *Curs. Theolog. tract.* 23. *disp.* 3. *sect.* 8. *n.* 106.

19 Unde colligitur, posse Episcopum non solùm Missas positas in fundatione Capellaniæ collativæ reducere, ex dicto Decreto, verùm etiam non collativæ; nam Concilium loquitur de qualibet institutione Missarum, sive cum consensu Ordinarii, vel absque illo, Pasqualig. *quæst.* 1171. *num.* 2.

20 Est verò dubium non prætereundum, an Missæ harum Capellaniarum non collativarum possint à laicis reduci ad minorem numerum? Prima sententia affirmat, nam bona ista à principio fundationis, & postea laicalia relinquuntur, quapropter subsunt jurisdictioni laicali, & Princeps laicus, utpotè communis parens, prospicit ut ultimæ piæ voluntates rectè adimpleantur, & consequenter si subsit causa, poterit Missas harum Capellaniarum non collativarum reducere. Præterea ad Principem laicum pertinet leges facere, ut cultus divinus conservetur, & tueatur, *leg. unic. C. ut nemini liceat signum Salvat. l. Claras*, §. *Victor Justinianus, C. de Summa Trinit.* exemplo Jojadę Regis Israel, qui ob negligentiam Sacerdotum Templum reparavit, captis redditibus, ipsius, 1. *Reg. cap.* 12. *Paralip. cap.* 24. idcircò ex eadem potestate poterunt Missas reducere, cum id pertineat ad œconomicam gubernationem illarum Capellaniarum laicalium. Denique Principes laici sunt protectores S. Concil. Tridentini, & ad id eos convocat Pontifex, Trid. *sess.* 25. *cap.* 10. *in Bull.* 161. Bellarmin. *lib.* 3. *de laic. cap.* 38. Bobadill. *in polit. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 34. Cevall. *de violent. glos.* 6. *num.* 62. Salgado *de Reg. protect.* 1. *part. c.* 1. *num.* 73. Ergo ad hanc protectionem tanquam ad supremam regaliam pertinet illa statuere de juribus Ecclesiarum, & consequenter de reductione Missarum, Fagundez *de præcept. Ecclesiæ, lib.* 3. *c.* 7. *n.* 16. *&* 17. Capponi *d. discept.* 154. *cap.* 2. *à n.* 24.

21 Secunda sententia contrarium tenet, quia hæc diminutio, licet se habeat circa dispositiones, & leges testatoris, quas Princeps possit moderare: ast actus principalis versatur circa Sacerdotes, & rem saltem connexam cum spirituali, nempe cum ministerio spirituali offerendi Sacrificium, in quo Princeps laicus non habet jurisdictionem, *c. Quanto* 4. *de judic.* Ergo minimè hæc reductio valet fieri à Principe laico, Palao *tom.* 4. *oper. moral. tr.* 22. *disp. unic. punct.* 15. *n.* 6. Passer. *tom.* 2. *q.* 187. *art.* 30. *quæsit.* 13. *à num.* 1082. Pasqualig. *q.* 1172. *à n.* 2.

22 In hoc dubio duo sunt consideranda. In primis bona Capellaniæ non collativæ, quæ quidem temporalia sunt, & subsunt laicorum jurisdictioni. Secundò onus Missarum, quod quidem licet procedat à testatoris dispositione, seu fundatione; attamen continet obligationem spiritualem celebrandi Missas, vel saltem annexam rei spirituali, unde eximitur à jurisdictione laicorum, ut benè considerat Pasqualig. *d. q.* 1172. *num.* 5. unde Princeps sæcularis, licet habeat facultatem œconomicam circa temporalitatem illorum bonorum, non tamen se potest intromittere in onere Missarum. Idque magis corroboratur, nam ut constat ex Trident. *d. sess.* 25. *cap.* 4. in his reductionibus commemorationes defunctorum faciendæ sunt, vel saltem collectæ, & preces pro illorum animabus, Barbosa *d. alleg.* 29. *n.* 21. Tambur. *in Meth. celebr. lib.* 3. *cap.* 1. §. 20. *num.* 50. *in fin.* Pasqualig. *quæst.* 1076. quod quidem disponi à laico Principe ridiculum magis est existimare, quàm efficere.

23 Idcircò existimo non esse admittendam sententiam Fagundez, & Capponi, quorum fundamenta debilia sunt, ut asserunt Palao, & Pasqualigius recensiti *num.* 21. præcipuè illud quod ab his, qui pro Regali jurisdictione scribunt, quotidiè circumfertur, nempe Principes laicos Protectores esse Concilii Tridentini; unde assumunt, in juribus Ecclesiarum habuisse aliquam potestatem: quorum assertum minimè admittendum, quia protectio hæc tantùm est admittenda quoad auxilium, & favorem præstandum quando opus fuerit, non verò ad habendam aliquam potestatem in juribus Ecclesiæ, ut patet ex Bulla Confirmationis Concilii, ibi: *Cum opus fuerit, auxilio, & favore adsint*; est enim post sessiones Concilii, & refert Pareja *de instrum. edit. tit.* 2. *resolut.* 2. *n.*43. non rectè illam inducens: idcircò ex protectione sola nequeunt sæculares Principes procedere contra Episcopos non observantes Concilium, cùm ipsi repugnaret, *d. sess.*25. *de Reform. c.*3. ut cum Pereyra notat Diana 1. *par. tract.* 1. *resol.* 101. quidquid in contrarium resistat praxis, de qua Bobadilla *in polit. lib.*1. *c.*18. *n.*194. Cevallos *de cognit. per viam violent.* 1. *p. gl.*6. *n.*62. unde sequitur, fundamentum illud levissimum esse.

24 Similiter sumitur quid dicendum quando fundator œconomos, seu administratores reliquerit Capellaniæ non collativæ: in quo quidem casu inquit Capponi *d. cap.* 2. *n.* 36. diminutionem Missarum fieri posse per administratores, quia id pertinet ad authoritatem œconomicam, & politicam eorum: sed ejus non admitto sententiam, nisi à fundatore eis tribueretur similis facultas. Ratio, nam reductio Missarum est causa gravissima, & involvit causarum cognitionem: quapropter nisi Episcopis non conceditur, & postea Pontifex sibi hanc facultatem adrogavit; quippe non credendum, ad potestatem œconomicam pertinere, nisi specialiter administratoribus concedatur à fundatore; sed ad auctoritatem Ecclesiæ, Pontificis, seu Episcopi, prout fuerit consuetudo.

25 Cæterùm examinare oportet, an Episcopus possit extra Synodum hanc diminutionem facere? Et ut benè difficultatem capiamus, animadverto posse Episcopum reducere Missas ex facultate de jure communi sibi concessa, quo quidem casu non est dubium, absque Synodo posse Missas minuere: erit ergo quando ea facultate Concilii id facere vellet; & in hoc prima sententia asserit, absque Synodo fieri non posse: nam Concilium dat formam substantialem, ut hæc diminutio fiat, qua deficiente actus corruit, *l. Cum hi* 32. §. *Si Prætor, ff. de transact.* Rota apud Farinacium 2. *p. decis.* 671. *num.* 2. Guttierrez *pract. lib.*13. *q.*15. *à n.*15. Cùm ergo Concilium decreverit, Episcopum in Synodo hanc reductionem facere debere, si non faciat, minimè sustinebitur. Præterea Concilium petit in Synodo reductionem fieri ad petendum consilium, quo non petito, actus non valet, Valenzuela *cons.* 184. *à n.* 62. tum ut diligenter causa examinetur, ibi: *Ut Synodus Diœcesana, re diligenter inspecta, &c.* Ergo si aliter fiat, reductio valida non erit, Bonacina *d. disp.* 4. *quæst. ult. punct.* 7. §. 2. *num.*9. Tamburinus *de Sacrif. Miss. lib.* 3. *cap.* 1. *n.*6. *vers. Nota* 2. Lugo *lib.* 5. *de Sacram. c.*12. *q.* 9. Garcia *de benef.* 7. *par. cap.* 1. *n.* 134. latè D. Salcedo *de leg. politic. lib.*2. *cap.*9. *punct.* 4. qui excipiunt, nisi urgenti gravi necessitate fiat, Pasqualig. *q.*1165.

26 Secunda sententia contrarium tenet, quia Concilium nullam clausulam annullativam continet, si aliter fiat, unde cognoscamus dedisse formam substantialem; itaut si aliter fieret, reductio nulla redderetur. Præterea in opinione plurimorum Doctorum in hoc Decreto non datur Episcopis nova facultas reducendi Missas, sed excitatur antiqua, & tantùm per formam accidentalem positum est, ut in Synodo fieret ab Episcopis: quamobrem si aliter fiat, non erit nulla reductio, Navarrus *in Man. c.* 25. *n.* 138. *ad fin.* Barbosa *d. alleg.* 29. *n.*15. Henriquez *in Summa, lib.*9. *de Missa, cap.* 22. *n.* 6. Moneta *de commut. cap.*5. *n.*372. Fagundez *in* 5. *præcep. Eccl.* 1. *p. lib.*3. *c.*7. *n.*14. Trul. *de Sacram. lib.*3. *c.* 8. *dub.* 11. *n.*9. Valenz. *cons.*130. *n.*54.

27 Tertia sententia est Dianæ 2. *p. tr.*14. *de celebratione Missarum, resol.* 2. ubi resolvit distinctionem faciendam, ubi receptum est hoc decretum, quo quidem casu in Synodo reductio facienda est, secus ubi admissum non fuerit.

28 In hoc dubio assero, nullum esse dubium in his partibus, ubi tale Decretum receptum non fuerit, absque Synodo posse Episcopum Missas minuere; nam tunc utitur facultate à jure communi sibi concessa, in qua non requiritur circumstantia Synodi, ut diximus suprà. Erit ergo difficultas ubi Episcopus procederet ex vi illius Decreti ibidem recepti; & in his terminis admitto secundam sententiam, quidquid resistat Capponi *d. c.* 2. *n.* 21. nam fundamenta illius sunt solidiora: tum quia Concilium non requirit, ut consilium à Synodo petatur, sed tantùm ut res diligenter inspiciatur, quod rectè potest Episcopus facere de consilio virorum prudentum, ut observat Fagundez *d. c.* 7. *num.* 14. Garcia *in Summa, diff.* 10. *dub.* 9. *punct. ult. n.* 25. idcircò si aliter fiat, quàm in Synodo, sustinebitur reductio Missarum. Cæterùm in his dispositionibus, quę in Synodo fieri valent, valet Episcopus dispensare, Suarez *de legibus, lib.*6. *c.*16. *n.*8. Sanchez *de matrim. lib.*8. *disp.*17. *n.*33. Ergo potest reductionem facere Missarum extra Synodum, cùm valeat dispensare circa illam dispositionem, quæ fieri valet in Synodo. Denique licet reductio fieret in Synodo, Episcopus non tenetur sequi consensum ipsius Synodi, licet id consultius foret, Tamburinus *d.* §. 2. *n.* 6. *vers. Nota* 2. quamobrem minus rectè annullaretur reductio ex defectu consensus, quem non tenebatur Episcopus admittere. unde admitto secundam sententiam, quam etiam tenent Rodriguez *in Summa,* 1. *p. c.*252. *concl.*13. Marchinus *d.* 2. *p. c.*19. *n.*24. Reginald. *in praxi forensi, lib.*23. *c.*17. *n.*134. Palao 2. *p. de benefic. tr.*13. *disp.*1. *punct.* 6. *n.*24.

29 In Abbatibus, ac Generalibus Religiosorum similiter dubitatur, an reductio in Capitulo facienda sit? Et Marchinus ubi proximè allegatus sentire videtur, absque Capitulo ab eis fieri posse, ut ex eo deducit Garcia *d. punct. ult. n.* 26. Ast contrarium tenet communis sententia, nam respectu Abbatum, & Generalium dispositio Concilii nova est, nec ipsi hanc facultatem habebant: unde perpendamus circumstantiam Capituli in peragenda reductione esse tantùm accidentalem circa Abbates, vel Generales, sed habere formam substantialem, qua deficiente, reductio annullabitur. Navarrus *d. n.*138 Rodriguez *quæstionum Regularium tom.* 1. *q.*41. *art.* 13. Diana *dict. tract.* 14. *resolut.* 4. Trullench *d. dub.* 11. *num.* 9. Pasqualig. *q.* 116. *num.* 2. Barbosa *d. alleg.* 29. *n.* 15.

30 Sed dices cum Pasqual. *n.*3. Abbates, seu Generales Ordinum ultra facultatem à Concilio sibi concessam, habere aliam distinctam reducendi Missas ex concessionibus a Pontificibus illis concessis ad administrandas Ecclesias Religioni subjectas. Ergo sicut in Episcopis consideratur accidentalis circumstantia Synodi, ex eo quod habent facultatem à jure communi, similiter respectu Abbatum, & Generalium, quia habent similem facultatem à suis privilegiis: ergo extra Capitulum valebunt Missas reducere, ut Episcopi extra Synodum.

31 Sed respondetur, hanc doctrinam Pasqualigii incertam esse, quin potiùs Garcia *d. punct. ult. n.*26. cum aliquibus asseruit, hanc facultatem Abbatibus, & Generalibus concessam reducendi Missas, novam esse, prout etiam testatur Barbosa *d. alleg.* 29. *n.* 15. hæc enim facultas, uti gravissima causa, non ex generalibus privilegiis deducenda est, nisi expressim declararetur, quorum interpretatio strictè sumitur contra jurisdictionem Episcoporum, qui de jure fundant suam jurisdictionem: quapropter ante Concilium hæ Missarum reductiones vel ad Papam, vel ad Episcopos pertinebant, coram quibus Regulares eas petere debebant, sicut hodie si petere voluerint, possunt facere, & rectè ab Episcopis fiet, etiam in Ecclesiis Regularium, Lezana *in Summa, verba Missa, n.*33. Bordon. *Cons. Reg. resol.*25. *n.*33. Pasqual. *q.* 1181.

32 Ad hanc reductionem faciendam causa est necessaria, & non quælibet, sed quæ urgens, & necessaria appareat; nam ut animadvertit Navarrus *cons.*9. *n.*9. *de celebr. Miss.* si hæc diminutio fieret absque causa sufficienti, quædam species furti committeretur, alterando ultimas voluntates.

33 Quapropter aliquæ designantur causæ, veluti si redditus Ecclesiæ, seu Conventus fuissent valdè diminuti, vel expensæ majores fierent ad Missas celebrandas: tum si numerus Religiosorum sit minor, & adhuc nequeant sustentari; aut eleemosynæ Missarum acceptatarum sint valdè tenues; vel quæ ad victum, & vestimentum sunt necessaria, sint longè cariora propter temporum injuriam; ac denique si adsit magna necessitas fabricæ Ecclesiæ, seu Monasterii, Azorius *Instit. Moral.* 3. *p. lib.* 12. *c.*6. *q.* 5. *vers. Cæterum*, Garcia *d. diff.*10. *dub.*10. Lara *de Anniversf. lib.*1. *c.*15. *per tot.* Barb. *d. all.*29. *à n.*2. Marchinus *d.* 2. *p. c.*19. *n.*26. Trullench

d. dub.

*d.dub.*11. *n.*11. Pasqualig. *q.* 177. Fagn. *in cap. Ex parte, de const. n.*25.

34 In hac verò reductione duo libet observare, ut scilicet relinquantur Missæ, quæ commodè celebrari valent, & solùm sint moderandæ quæ celebrantur magno incommodo, aut quæ moraliter nequeunt dici, Marchinus *d. c.* 19. *n.*27. idque observandum in Missis, & fundationibus præteritis; in futuris enim minimè facienda est reductio, quia nequit in illis causa existens considerari, Navarrus *cons.* 10. *de celebrat. Missar.* Fraxinellus *de obligat. Sacerd. sect.* 7. *num.* 4. Marchinus *d. c.* 19. *n.*28. Præterea observandum, in his reductionibus commemorationem defunctorum esse faciendam illas fundantium, prout in dicto Concilio decretum, Lara *lib.* 1. *de Anniverſ. cap.* 14. *n.*9. Moneta *de commut. c.* 5. *n.*375. Barbosa *ad Concilium, sess.* 25. *de Reform. c.*4. *nu.* 13. Pasqual. *q.* 1175. *à n.* 68.

35 Sed est dubium, an Episcopus causa existente, possit legatum Missarum commutare ad ornamenta, & reparationem Ecclesiæ, si urgeat necessitas? Negarunt aliqui, quia id pertinet ad Romanum Pontificem, *Clem.* 2. *de Relig. domibus*: tum quia voluntas testatoris pro lege habetur præcisè observanda, *c. Ultima voluntas* 13. *q.* 2. idcircò nequit diverti ab alia diversa, quàm à testatore designata, Guido Papæ *decis.* 556. Capella Tolosana *decis.*26. Riccius 2.*p. dec.* 125. Fagnan. *in d. c. Ex parte, n.* 21.

36 Sed contrarium tenendum ex his, quæ scripsimus *lib.* 1. *c. fin. n.*36. & tandem agnoscit Riccius *d. decis.* 125. *n.* 7. qui exemplis illustrat: & ratio est, nam quando adest sufficiens causa, etiam commutatio fieri valet ab Episcopo. Cum ergo adsit causa sufficiens ornamentorum, & reparationis Ecclesiæ, fieri poterit ab Episcopo. Cæterùm nam illa existente causa, dici non valet commutatio propriè voluntatis defuncti, sed agere quod testator fecisset, si necessitatem illam agnovisset: unde fundamenta contrariorum ruunt, Diana 2.*p. tr.*3. *resol.* 26. Marchinus *d. c.*19. *n.*8. Cavalcan 3. *p. dec.* 16. *nu.* 13. Garcia *d. diff.*10. *dub.*9. *punct.* 5. Barbosa *de univ. jur. lib.*3. *c.*37. *à n.* 46.

37 Illud verò observandum in his reductionibus, ut causa sit sufficiens, aliàs si deficiat, non sustinebitur reductio, quia deficeret intentio reducentis, *l. Multum interest, C. si quis alteri, vel sibi*, Menoch. *lib.* 1. *præs.*80. *n.* 11. quod idem dicendum si causa ab initio fuerit sufficiens, & postea insufficiens fiat; nam cessabit reductio, causa deficiente, Pasqual. *q.* 1179. qui *q.* 1189. benè asserit quod si pecunia legata non sufficiat pro Capellania, reduci posse ad Anniversarium perpetuum, non verò ad Missas manuales, contra Leonem *de offic. Capell. q.*5. *sect.* 7. *n.* 86. nam intentio testatoris, ex eo quod fundavit Capellaniam, fuit ut Missæ perpetuæ dicerentur: tum quia reductio, seu commutatio facienda est in re magis conformi voluntati fundatoris, ut decrevit Tridentin. *sess.* 25. *de Reform. cap.* 5. Garcia *dict. diff.* 10. *dub.*9. *num.* 6.

38 Est verò dubium non obliviscendum, an hæc facultas reducendi Missas valeat delegari? Et Rodrig. *tom.*1. *qq. Regul. q.* 43. *art.*13. negat esse delegabilem, prò qua opinione citat Henriquez, & Toletanam Synodum celebratam anno 1583 & probatur: nam Concilium dat formam substantialem, quomodo facienda sit reductio, unde electa videtur industria personarum, Pasqual. *q.* 1180.

39 Affirmarunt verò Garcia *d. dub.* 9. *n.* 5. Tambur. *d. lib.* 3. *c.*1. §.2. *n.* 6. *vers. Nota* 3. quia Vicarii Episcoporum unum Tribunal habent cum Episcopis, *c. Romana* 2. *de appell. in* 6. quod idem considerandum est in Vicariis Generalium, quapropter quod Episcopis, & Generalibus conceditur, delegabile est eorum Vicariis, prout in praxi testatur Garcia *d. n.* 5. & in generali commissione concessum videtur, Barbosa *de offic. Episc.* 2.*p. alleg.*92. *per tot.* Salgado *de retent. Bull.* 2.*p. c.*25. Sanchez *de matrim. lib.*3. *disp.*29.

40 In hoc dubio dico, quæstionem non esse quando Episcopus uteretur ad reductionem Missarum facultate jure communi sibi concessa; tunc enim certum est delegabilem esse, & suo Vicariò in generali commissione concessam videri, Pasqual. *d. q.*1180. *n.*1. Erit ergo difficultas quando ex decreto Tridentini id facerent Episcopi, seu Generales. In hoc casu quoad Episcopos, & Vicarios eorum admitto secundam sententiam, quia ut diximus, respectu illorum non datur forma substantialis, nec electa videtur industria personæ, præcipuè quando hæc facultas committitur Episcopo ut Episcopo; nam tunc etiamsi ex Tridentino procedat facultas, illa delegabilis est, Barbosa *d. alleg.* 92. *n.*16. Lotter. *de re benef. lib.*1. *q.*25. *n.*92. idcircò etiam Vicario illius competet: secus verò existimo in Generalibus, & eorum Vicariis, quibus in dicto decreto data est nova facultas sub forma substantiali præcisè observanda. In hoc verò Archiepiscopatu Toletano reductio Missarum ad Senatum Gubernationis pertinet, non verò ad Vicarios etiam Generales.

41 Denique libet disquirere, an quando causa reductionis certa est, possit fieri a Capellano, vel ab alio Missas adimplente in foro conscientiæ? Negarunt Baun. *tr.*10. *de Presbyt. & Parochis*, *q.*26. Trullench *de Sacram. lib.* 3. *c.* 8. *dub.* 11. *n.*8. nam esset res multis fraudibus exposita: tum esset Judex quis in causa propria, Garcia *in Summa, d. diff.* 10. *dub.* 10. *n.*6. Henao *d. sect.*10. *n.*93.

42 Alii verò contrarium tenent; nam certa causa reductionis existente, diminutio obligationis fit pro rata ipso jure, Felin. *in c. Cum accessissent, de constit. n.* 19. Genuensi. *in Past. c.*39. *n.*4. Parlad. *diff.*17. *n.*4. Lara *de Anniverſ. lib.* 1. *c.* 15. *per tot.* Guzman *de evict. q.*30. *n.*93. quapropter si certa est causa diminutionis, cùm ipso jure fit, propria auctoritate valet admitti in foro conscientiæ, nec indigebit accedere ad Superiorem. Præterea quando exigua stipendia concessa sunt Sacerdoti, propria auctoritate valet Missas reducere ad justam stipem, ut supra diximus *c.*3. *n.*17. Ergo similiter poterit facere propria auctoritate, si Missæ fuerint perpetuę, Aversa *de just. q.* 11. *sect.*18. Vidal *in Arc. Theolog. tit. de justit. inquisit.*2. Bordon. 1.*p. resol.*25. *q.*6. *à n.*3. Suarez *de Sacram. disp.*86. *sect.*4. §. *Unde infero*, Marchin. *d. tr.*3. 2.*p. c.*21. *n.*2. qui hanc sententiam admittit secluso Decreto S. Congregat. Mendo *de Ordinibus disp.*9. *q.*5. *n.*43.

43 Verumtamen si diminutis fructibus consuetum stipendium non remaneat, habita consideratione ad obligationem perpetuam, & ad alia onera Capellaniæ, seu memorię Missarum, tunc admitto hanc secundam sententiam, seclusa fraude, quia hæc diminutio Missarum propriè non est, sed cessatio obligationis in totum, aut pro parte, ut bene considerat, Pasqual. *q.* 1076. *n.* 4. Secus verò si ex alia causa diminutio fuerit facienda, quia tunc ad Superiorem recurrere oportet. Animadvertas precor, quando ex diminutione fructuum a numero Missarum cessas in parte, vel in totum, maxima consideratione id facias, ne ex interesse decipiaris; idcircò rem cum peritis, & timoratis agitabis.

LIBER

LIBER TERTIUS.

DE CAUSIS PIIS IN SPECIE.

De Capellaniis.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Capellania, ac de ejus divisione, insimul de amovibili Capellania.

SUMMARIUM.

Vnde dicatur Capellania, & quomodo definiatur, numer. 1. *&* 2.

Divisio Capellaniarum, & qua dicatur cum plebe, & sine ea, n. 3. *Capellanus cum plebe an dici possit Rector, n.* 4. *Explicatur, n.* 5.

*Quæ sint Capellaniæ Sæculares, & quæ Regulares, n.*6. *& quæ dicantur laicales, & Ecclesiastica, n.*7.

*Aliæ sunt perpetua, aliæ ad nutum amovibiles, n.*8.

*An Capellaniæ ad nutum amovibiles sint propriè beneficia? Prima sententia dicit esse impropriè beneficia, n.*9. *Secunda tenet contrarium, à n.* 10. *Resolvitur, & distinguitur, à num.* 13.

An si Papa provideat, tollatur amovibilitas Capellaniæ, à n. 15. *distinguitur, n.* 16. *& an si Pontifex provideat, inferior, seu Patronus possit amovere Capellanum, discutitur in duobus casibus, n.*17.

Quando jure devoluto providet, non tollitur amovibilitas, contra Decium, à n. 18. *Quid quando nomine proprio providet? Aliqui negant, n.* 19. *Sed contrarium defenditur, à num.*20. *Explicatur caput* 6. de confirm. util. vel inut. *ibid.*

*Sed quid in dubio, quando non constat; an Papa sustulerit amovibilitatem, n.*21.

Quando Pontifex confert Capellaniam amovibilem in perpetuum, pro unica vice censetur conferre, n. 22.

*An causa requiratur ad amovendum Capellanum? Si id à testatore petatur, erit necessaria, n.*23.

Expenditur cap. 6. de stat. Monach. *Clement. unica*, §. Præmissa, de supplend. negligent. Prælator. *n.* 24. *Quando testator nihil dixerit, causam non esse necessariam aliqui dicunt, ibid. & n.* 25. *&* 26. *Alteri contrarium tenent, sed tertia & quarta sententia distinguunt, n.* 27. *&* 28. *Resolvitur, à n.*29.

In Capellaniis laicalibus ad amotionem non requiritur causa, prout in Ecclesiasticis, à n. 33. *& interim quod discutitur causa, Capellanus manutenetur, n.*37.

Limita nisi amotio relinqueretur ad nutum absolutum, num. 38.

Amovibilitas non solùm intelligitur pro prima vice, sed per plures, n. 39.

Quando quis habet amotionem ad nutum absolutum, & Capellanum, quoad vivat præsentavit, an possit amoveri à successore? Ponitur ratio dubitandi, num. 40. *Refertur sententia affirmans, num.* 41. *Resolvitur, à num.* 42. *& seqq.*

Ad titulum Capellaniæ amovibilis nequit quis ordinari, n. 49. *sed est dubium, an si de facto ordinetur, remaneat perpetua? Prima sententia affirmat, n.* 50. *altera negat, n.*51. *resolvitur, à n.* 52. *Quod si Patronus ordinationi consenserit, tunc non removet, n.* 54.

An Capellania amovibilis fieri valeat perpetua consuetudine, vel præscriptione? Prima sententia negat, n. 55. *Secunda affirmat, n.* 56. *resolvitur à n.* 57.

Quid verò si conferens promiserit non amovere, refertur Thierrius, & explicatur, à n. 59.

Si amoveatur absque causa Capellanus, quando illa est necessaria, amovens peccat graviter: idem si fraude, aut dolo egerit, & dabitur recursus ad superiorem, n. 61.

1 A Capella dicitur Capellanus, & Capellania, cùm in Capellis, Ecclesiis, seu Altaribus Missæ Capellaniarum celebrentur. Diffinitur ergo sic: *Capellania est onus celebrandi Missas in Capella, Ecclesia, seu Altari, idque annuatim, non unica vice, sed pluries, prout fundatori placuerit.* Dicitur enim *onus* loco generis, cùm alia sint onera Ecclesiastica, quæ Capellania non sint: ad differentiam verò additur, *celebrandi Missas*, qua ratione differt ab aliis negotiis, quæ onera continent, & non sunt Missarum onera. Dicitur deinde, *non unica vice*, sed pluries, ad differentiam Anniversarii, quod celebratur semel in anno: ast Capellania plures Missas celebrare præcipit, Zerola *in praxi, verb. Beneficium, ad* 1. *vers. Capellania*, Leon *de offic. Capell. q.*3. *sect.*2. *n.*19. Barbosa *de univers. jur. lib.*2. *c.*5. *n.*1. Lara *de Capell. lib.*2. *c.*1. *n.*1. *vers. Est itaque.*

2 In hac diffinitione animadvertendum, verba illa, *Non unica vice, sed pluries*, incerta esse, quia dari valet aliqua Capellania, in qua solum præcipiatur unicam Missam celebrari, & Anniversarium præcipiens plures celebrari quotannis. Unde differentia illa Capellaniæ, & Anniversarii incerta remanet, nec necessariò imponenda. Quapropter sufficit sic diffinire, *Capellania est onus celebrandi unicam, aut plures Missas annuatim in Capella, Ecclesia, seu Altari*, ut docet meliùs Lara *d. num.* 1. Pasqualig. *de Sacrif. Miss. q.* 1116. *n.*1. Addit tamen Lara *d. c.* 1. *n.*2. bona Capellaniarum sub Gubernio Episcopi permanere, *cap. Noverit* 6. 10. *q.* 1. quod intelligas in Capellaniis Ecclesiasticis, ut posteà dicemus.

3 Capellania habet aliquas divisiones, ut scripsit Petrus Gregorius *syntag. lib.* 15. *c.* 29. *n.*6. quædam igitur sunt sine plebe, aliæ verò Capellaniæ cum plebe. Sine plebe nihil aliud oneris habent, nisi celebrandi Missas, & Officium Divinum recitandi, absque aliqua animarum cura: secus verò si cum plebe, huic enim Capellano incumbit earum cura, ut accidit quando Ecclesia cum plebe conceditur Monasterio, ad quod Cura translata non est, verùm penes Episcopum remanet; tunc enim de consensu Monasterii Capellanus ab Episcopo designatur, qui Curam illam exerceat, *cap.* 1. *de Capell. Monach.* Rodriguez *qq. regul. tom.*1. *q.* 34. *art.*4. Gregorius *in l.* 25. *tit.* 7. *p.* 1. *verb. Iglesias*, Fuscus *de visit. lib.*2. *cap.* 16. *n.* 1. Barbosa *de univ. jur. d. lib.* 3. *cap.* 5. *à n.*23.

4 Iste verò Capellanus ab Episcopo designatus cum consensu Monasterii, non solùm Capellanus dici valet, verùm Rector, respectu curæ animarum, quam exercet; quia omnia administrat ut Parochus, Barbosa *in dict. cap.* 1. *de Capell. Monach. num.* 3. Fuscus *de visit. lib.* 2. *c.* 11. *num.* 5.

5 Leon verò *d. q.* 3. *sect.* 2. *num.* 21. asserit Capellanum istum non propriè vocari Rectorem, sed impropriè; nam Rector est qui tenetur suum populum custodire, *c.* 1. 13. *q.* 1. Rota *part.* 2. *div. decis.* 52. *num.* 107. estque caput, cujus proprium officium est populum arguere verbo, & exemplo, *cap. Si Rector* 1. *dist.* 43. Ast Capellani isti, licet Curam animarum exerceant, id agunt non ut Rectores, sed ut Adjutores, ut nonnullis decisionibus probatur: quare impropriè dicuntur Rectores. Et confirmatur, nam proprietas curæ remanet penes Episcopum, & temporales sunt isti Capellani, ex Constitutione Pii V. Barbosa *in d. cap.* 1. *n.* 3. *vers. Per Concilium*: unde non propriè Rectores dici valent. Attamen aliquando sub appellatione Presbyterorum, & Be-

& Beneficiarorum Capellani isti continentur, Rota apud Seraphinum decis. 788. n. 1.

6 Aliæ enim Capellaniæ sunt Regulares, aliæ verò Sæculares. Regulares dicuntur, quæ per ipsos administrantur, sive ex fundatione, vel legitima præscriptione. Sæculares, quæ per Sæculares, cap. Cum de Beneficio 5. de præbend. lib. 6. Sanchez. lib. 7. Decalogi, cap. 29. num. 14. Petrus Gregorius de re benef. cap. 10. num. 11. Garcia de Benef. 1. part. cap. 6. num. 11. In dubio verò, quando Capellania fundata est in Ecclesia alicujus Ordinis, Regularis censetur, cùm ibidem administratio pertineat ad Regulares: quod quidem limitandum, nisi per Sæculares administraretur, quia cessaret præsumptio, Rebussus in Praxi Benef. tit. Quotuplex sit Beneficium, n. 6. Sanchez. dict. cap. 29. num. 27. Barbosa de univ. jur. lib. 3. cap. 5. num. 14.

7 Est etiam alia divisio Capellaniarum; quædam enim dicuntur profanæ, seu laicales, aliæ verò Ecclesiasticæ, Profanæ, seu laicales dicuntur, quæ fundantur absque auctoritate Papæ, seu Episcopi; cùm ista qualitas requiratur ad illas faciendas Ecclesiasticas, cap. Ad hæc 4. de Relig. dom. quæ quidem non propriè Capellaniæ dicuntur, sed salaria, aut stipendia Sacerdotum Missas celebrantium; ut benè notat Navarr. cons. 5. de Præbend. Ecclesiasticæ sunt; quæ fiunt Papæ, vel Episcopi auctoritate interveniente; sunt enim collativæ, & propriè beneficia Ecclesiastica, quamvis auferri possint ab Episcopo, vel Patrono ex fundatione, ut postea explicabimus. Paul. Layman. in Summa, lib. 4. tract. 2. de Beneficiis, cap. 4. num. 6. Petrus Gregorius de re Benef. cap. 29. num. 5. Lotterius eodem tract. lib. 1. quæst. 5. num. 9. Riccius in praxi, 1. part. resolut. 200. n. 3. Thierrius de Benef. sect. 4. vers. Ex dictis Valenz. cons. 130. num. 90.

8 Denique adest alia differentia Capellaniarum, nempe quædam perpetuæ sunt, quę si alicui ritè conferantur, perpetuo eas retinet, nec ab eo possunt amoveri: aliæ autem sunt ad nutum amovibiles, quæ valent secundum fundationem ab Episcopo, vel Patrono amoveri Layman dict. num. 6. Barbosa de univ. jur. lib. 2. cap. 5. num. 2. Quod si ex fundatione non constet, poterit probari ex pluribus enunciativis, quæ cùm longissimæ sint, & antiquæ ultra centum annos, habent vim famæ: tum ex ipsimet provisionibus ad nutum, & beneplacitum conferentium, vel præsentantium, ut cum aliquibus dedit Rota apud Merlinum decis. 61. à num. 2.

9 Unde libet dignoscere, an Capellaniæ Ecclesiasticæ ad nutum amovibiles, sint propriè beneficia Ecclesiastica. Prima sententia asserit esse impropriè Beneficia, nam de natura Beneficii propriè requiritur, quod sit perpetuum, cap. Præcepta 12. dist. 55. cap. Sanctorum 2. dist. 70. cap. unic. de Capell. Monach. in 6. unde Lessius de justit. lib. 2. cap. 34. num. 3. asseruit, desinere esse Beneficium, si sit temporale: cùm ergo Capellania Ecclesiastica sit Beneficium, si fuerit amovibilis, propriè Beneficium non erit. Cæterùm, nam Capellania ad nutum amovibilis, sicut aliud quodlibet Beneficium amovibile, non cadit sub reservationibus. Gonzalez. ad regul. 8. gloss. 5. §. 6. à n. 9. Rota 1. part. diversorum, decis. 739. n. 8. Garcia 1. part. de benef. cap. 2. n. 67. Unde cognoscitur similes Capellanias, aut beneficia amovibilia non esse Propriè Beneficia, alias reservarentur. Hanc sententiam tenent in Beneficiis manualibus Staphileus de lit. grat. 9. forma expect. n. 29. Zerola in prax. verb. Beneficium, §. 1. Ludovicus Gomez. de expect. num. 9. Petrus Gregorius de re Benef. cap. 1. n. 12. & in Capellaniis Azevedo in leg. 1. tit. 4. lib. 1. Recopilat. num. 7. Vasquez. in opuscul. de Beneficiis, cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 3. n. 12. Riccius tom. 2. decis. 190. à num. 1.

10 Secunda sententia contrarium tenet; nam hę Capellanię, aut Beneficia amovibilia, licet actu perpetua non sint, sunt tamen aptitudine, qua satisfit perpetuitati necessariæ, ad rationem propriè Beneficii. Fundamentum hoc explicatur, nam quoties Beneficium, aut Capellania Ecclesiastica confertur, qui ex collatione illud percipit, ita illud recipit, ut quatenus est ex se, sit perpetua independenter à consensu Episcopi, aut Patroni; valet enim provisus perpetuò illam retinere, nisi removeatur: remotio enim est quid extrinsecum à natura Beneficii, qood potest abesse, vel adesse; quamobrem collatio quatenus est ex se, includit perpetuitatem necessariam, ut Capellania amovibilis sit propriè Beneficium, Rebussus in tract. Nominat. q. 9. n. 25. Flaminius de resign. lib. 11. q. 3. à n. 91. Thierrius de Benefic. sect. 4. vers. Dubitabatur.

11 Cæterùm, nam remotio ex causa legitima, prout est voluntas fundatoris, non tollit intrinsecam perpetuitatem Capellaniæ, seu alterius Beneficii; quia licet possint amoveri Capellani auctoritate Episcopi, seu Patroni, non tollit perpetuitatem, prout patet in aliis Beneficiis perpetuis, in quibus Beneficiati ex causa legitima possunt à judice removeri. Ast per hanc rationem non desinit Beneficium esse perpetuum, ut rectè ratiocinatur Lotterius de re Benef. lib. 1. q. 7. n. 19. Ergo licet Capellania sit amovibilis, propriè erit Beneficium, Garcia de Beneficiis, 1. p. cap. 2. à n. 65. Lara de Capell. lib. 2. c. 6. à n. 1. Pasqualig. de Sacrif. Miss. q. 1116. num. 3. Thomas Hurtado de reincident. tom. 1. lib. 6. resol. 3. n. 5.

12 Unde colligunt DD. hujus sententiæ, Capellanos habentes Capellanias amovibiles, teneri ad recitandas Horas Canonicas, & habere jus spirituale ad percipiendos fructus illarum, & gaudere privilegio fori, ex Trident. sess. 25. de reformat. cap. 6. & ex Constitutione Clementis VIII. 24. Februarii 1604. & ad subsidium persolvendum obligari, ut congesserunt Garcia d. cap. 2. num. 81. Lara dict. cap. 6. n. 4. Leon de offic. Capell. q. 3. sect. 5. num. 64. Bonacina de Hor. Can. disp. 1. q. 2. punct. 4. num. 6. Tum etiam quando impetratur secundum Beneficium, necessariò facienda est mentio de prima Capellania Ecclesiastica amovibili, Garcia d. c. 2. numer. 80. ac denique valet renunciari, Flaminius dict. quæst. 3. num. 97. & permutari, Lara dict. cap. 6. n. 14.

13 In hoc dubio distinguendum, quando fundator Capellaniam amovibilem fecerit, & insimul disposuerit, quod Capellanus à laico removeatur absque aliqua causa; & in hoc casu admittendam credo primam sententiam. Ratio, nam ut benè animadvertit Lotterius d. q. 7. num. 21. hæc non est propriè Beneficium, cum æquivocè Capellania, seu Beneficium dicatur.

14 Si verò Capellania sit Ecclesiastica ad nutum amovibilis, propriè est Beneficium, ut dicit secunda sententia; perpetuum enim dicitur, qood ad vitam confertur, Cassadorus decis. 4. per tot. & decis. 12. de Præbend. Azorius Instit. Mor. 2. part. lib. 3. cap. 16. q. 12. Cùm ergo ex natura rei Capellania ista ad vitam conferatur, habet perpetuitatem necessariam, ut dicatur propriè Beneficium. Nec refragatur, qood non cadit sub regulis de mensibus, annali, seu triennali; nam ut benè respondet Lotter. d. q. 7. num. 23. regulæ illæ repugnant amovibilitati Capellaniæ, seu Beneficii, quatenus Pontifex vult per illas efficaciter, & in perpetuum providere.

15 Sed dices, si Papa Capellaniam manualem, & amovibilem provideat, quia reservavit, aut affectavit, tunc amovibilitas tollitur, & remanet provisio perpetua, Achill. de Grassi. decis. 9. n. 9. de Præb. quia manualia Beneficia obedientialia sunt Pontifici, Gomez ad Reg. Cancell. q. 2. n. 7. Simoneta de reservat. q. 2. & 13. Ergo non repugnat perpetuitati providendi, siquidem ex reservatione, aut affectatione tollitur amovibilitas.

16 Respondetur tamen, Pontificem posse dupliciter affectare, seu sibi reservare provisionem Capellaniæ, aut Beneficii amovibilis. In primis ignorans amovibilem esse, quo quidem casu amovibilis, seu manualis relinquitur, quia præsumitur fecisse collationem cum suis qualitatibus, nec mutasse naturam Beneficii, seu Capellaniæ, ut cum aliquibus docet Flaminius d. q. 3. n. 95. Marescottus variar. lib. 1. cap. 55. n. 18. Lotterius de re Benef. lib. 1. q. 33. n. 58. Secundo modo quando contulerit Capellaniam amovibilem ex certa scientia, & insimul vellet illam conferre, ut alia Beneficia perpetua; & tunc perpetua remanebit collatio, Rebussus de pacif. possess. num. 279. & 281. Gonzalez dict. gloss. 5. §. 6. num. 23. Sanch. ad Decalog. lib. 7. cap. 29. num. 119. Palao tom. 2. de Benef. tract. 13. disp. unic. punct. 5. num. 13. Ergo quoties Pontifex ex certa scientia perpetuam Capellaniam efficere noluerit, adhuc remanebit amovibilitas, nec cadere valet sub reservationibus.

17 Unde examinanda est alia quæstio, an quando Capellania Ecclesiastica amovibilis confertur à Papa, possit adhuc Capellanus amoveri ab habente facultatem removendi? Hæc difficultas in Beneficiis manualibus disceptatur, quod idem resolvendum in Capellania amovibili. Duobus enim modis concipitur difficultas ista, nempe quando Pontifex

jure

jure devoluto, ob negligentiam inferiorum hanc Capellaniam conferat, aut quando nomine proprio, utpote omnium Beneficiorum distributor. Et quando jure devoluto confert, Decius *in cap. Ad nostram; de confirmat. util. vel inutil. in nova edit. n.* 16. in eam partem inclinat, ut nequeat amoveri ab inferiori, quia nequit commodum reportare ab eo quod impugnavit, *cap. Cum ex eo* 38. *de regul. jur. in* 6.

18 Verùm in hac specie contrarium tenendum, *ex Clement. unic. vers. Præmissa, de supplend. negligent. Prælat.* & probatur, nam quando Pontifex de jure devoluto confert Beneficium, non alterat naturam Beneficii, quin potiùs cum qualitatibus illius de jure ipso collationem facit, itaque relinquitur amovibile, & valet amoveri ab eo qui habet similem facultatem, Mandosius *de privileg. ad instar, gl.* 6. *n.* 4. Rota apud Merlinum *decis.* 629. *n.* 20. Sanchez *d. c.* 29. *n.* 133. Palao *d. disp. unic. punct.* 5. *n.* 14. Lotterius *de re Benefic. lib.* 1. *q.* 33. *n.* 54.

19 Major est concertatio, quando jure proprio conferret Capellaniam amovibilem, aut Beneficium. Et inquiunt plurimi, minimè Capellanum ab inferiore amoveri posse, *cap. Cum inter, de elect. cap. Porrecta* 6. *de confirmat. util. vel inutil.* quæ jura ad id probandum adducit Azorius *Instit. Mor.* 2. *p. lib.* 3. *cap.* 26. *q.* 15. Sed assumptum non probant, tria enim capita sunt *sub tit. de Electione*, incipientia *Cum inter*, & nihil ad rem pertinent: textus *in d. cap. Porrecta*, non probat absolutè, confirmationem factam à Pontifice tollere amovibilitatem Beneficii, sed quando ex certa scientia id fecerit, delens conditionem fundationis, *ut d. c. Porrecta*, tenent Abbas *n.* 4. Zabatella *num. fin.* Selva *de Beneficiis*, 3. *part. q.* 68. *n.* 1. Paulus Rubeus *pract. resol. cap.* 29. *num.* 453. Sed ratione probant, nam quoties Pontifex apponit manum in Beneficio, censetur naturam amovibilitatis tollere, ad effectum, ut nullus alius amoveat, nisi Pontifex: Ergo à nullo inferiori poterit amoveri Capellanus, seu Beneficiatus, Azorius *dict. q.* 15. Mandosius *de privil. ad instar, glos.* 6. *n.* 4. Lapus *allegat.* 9. *n.* 4. Selva *d.* 3. *par. q.* 69. *n. ult.*

20 Sed ex dictis supra petenda est resolutio hujus difficultatis; nam quando Pontifex ignoraverit Capellaniam esse amovibilem, seu Beneficium, adhuc ab inferiori poterit amoveri, quia non alterat naturam illius; secus si ex certa scientia illam qualitatem sustulerit, quia remanet perpetua, nec aliquo modo amoveri poterit, ut cum Felino, Cardinali, & aliis advertit Sanchez *d. cap.* 29. *num.* 136. Palao *d. punct.* 5. *num.* 14. Barbosa, qui plures dat, *in d. c. Porrecta, n.* 5. Azorius sibi contrarius, *tom.* 1. *Inst. Mor. lib.* 12. *c.* 22. *q.* 10 Lotterius *d. q.* 33. *n.* 58.

21 In dubio quando dubii maneremus, an Pontifex amovibilitatem sustulerit, asserendum videtur, removeri ab inferiori non posse, ex doctrina Abbatis *in cap. Postulasti, de Clerico excommunicat. minist.* ubi scripsit, ex eo solum quod Pontifex manum in Beneficio apposuerit, perpetuum remanere. Sed hæc doctrina à nobis suscepta non est, quare contrarium teneo: nam in dubio credendum non est, Pontificem mutasse naturam Beneficii, seu Capellaniæ, nisi clarè expresserit, unde ab inferiori poterit amoveri, Oldradus *cons.* 13. Baldus *lib.* 3. *cons.* 180. Lara *d. lib.* 2. *cap.* 6. *à n.* 5. Petrus Gregorius *de re Benef. cap.* 11. *n.* 12. qui asserit, quod licet amoveri possit, non tamen potest ita facilè, quando à Pontifice Beneficium confertur, Lotterius *d. num.* 58.

22 Illud tamen in re observes, ut si aliquando Pontifex Capellaniam, seu Beneficium amovibile in perpetuum conferat; id esse intelligendum tantùm pro illa vice; quare mortuo obtinente, ad suam amovibilitatem redit, Lapus *alleg.* 9. *n.* 4. Selva 3. *part. q.* 11. *n.* 131. Palao *d. punct.* 5. *num.* 15. Interim tamen, quod vixerit, amoveri nequibit, nisi ex causa delicti: quæ quidem causa semper remanet, etiamsi Pontifex amovibilitatem sustulisset, Lotterius *d. q.* 33. *num.* 61.

23 Præterea est aliud dubium, an in his Capellaniis, & Beneficiis amovibilibus requiratur causa ad amotionem. Et ut clarè procedamus, præmitto Capellaniam posse duobus modis fundari. In primis, quando ipsemet fundator dixerit, Capellanum posse amoveri, causa existente, & probata: quo quidem casu, semper est necessaria causa, præcisè à judice Ecclesiastico disquirenda & probanda, prout disposuit testator: quod etiam observandum in Capellania Sæculari, si Capellanus Sacerdos fuerit, scripsit latè Valenzuela *cons.* 130. *per tot.*

Secundus modus est, si fundator dixerit, fundare Capellaniam ad nutum amovibilem, & hic est difficultas. Prima sententia asserit, nullam causam esse necessariam ad amovendum Capellanum, probat *ex cap. Cum ad Monasterium* 6. *de stat. Monach.* ibi: *Sed cum oportet amoveri*, *Clem. unic. §. Præmissa, de supplend. negligent. Prælat.* ibi: *Liberè possunt ad claustrum, cum oportuerit, revocari*. Quæ jura loquuntur de Beneficiis regularibus de sua natura amovibilibus; & tamen ad eorum amotionem causa non requiritur: Ergo similiter in his Capellaniis amovibilibus. Hæc jura assumptum non probant sufficienter, quæ DD. qui contrariam sententiam tenent, pro se adducunt, dicentes verbo *Oportuerit*, causam involvi, ut expendit Lotterius *d. q.* 33. *à n.* 31. Tum jam importat necessitatem, jam tantùm decentiam, seu honestatem, *cap.* 1. *de rescript.* ubi Glos. *verb. Oportere*, Gratianus *discept. for. cap.* 146. *n.* 18. unde ex illis juribus nihil certum percipi valet. 24

Sed ratione probatur, nam Capellanus ad nutum amovibilis non possit Capellaniam, seu Beneficium, nisi pro illo tempore, quo non fuerit revocatus: idcircò si persona cui competit amotio, illum amoverit, amplius nequit possidere, ut dicitur de illo qui tempore limitato possidet, quo peracto desinit possidere, nec manutenetur, ut in locatore ad tempus, & in annuis præstationibus temporalibus, Gratianus *discept. forens. cap.* 113. *n.* 62. Rota apud Post. *de manut. dec.* 181. *n.* 9. Postius *de manut. observ.* 64. *n.* 13. Ergo in Capellaniis amovibilibus, ex solo placito amoventis poterit fieri amotio absque causa, Rota apud Caval. *decis.* 72. Leon *de offic. Capell. q.* 5. *sect.* 16. *à n.* 252. Lara *de Capell. lib.* 2. *c.* 6. *à n.* 19. & in aliis Beneficiis amovibilibus Ludovicus Gomez *in tract. de expect. n.* 94. Staphileus *de lit. grat. in* 9. *form. n.* 29. Garcia *de Benef.* 1. *p. cap.* 2. *à n.* 88. Sanchez *d. c.* 29. *n.* 11. Lessius *de just. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 12. *n.* 98. Suarez *de Relig. tom.* 4. *lib.* 3. *c. ult. n.* 21. Ricc. *in praxi for. dec.* 397. 25

Secunda sententia affirmat, causam esse necessariam ad amotionem, eamque disquirendam esse, & probandam: adducit textum *in d. c. Cum ad Monasterium, d. Clem. unic.* Sed ut dictum jam est, jura ista sufficienter non probant. Dicitur ratione; nam quando res aguntur absque causa & ratione, magis furor videtur, quàm rationabilis dispositio, *c. Illa* 67. 11. *q.* 3. quapropter etiamsi fundator instituat Capellaniam amovibilem ad nutum, intelligendum est, causa, & ratione exigente, Guillelm. Benedictus *in c. Raynutius, de testament. verb. Duas habens filias, à n.* 36. Idque in aliis officiis prospicitur, ad quorum amotionem, etiamsi ad placitum dentur, causa requiritur, ut in Vicario Episcopi, in Tabellionibus, & in Prætoribus, ac aliis officialibus, Gutierrez *pract. lib.* 3. *q.* 11. *à n.* 2. Valenzuela *d. cons.* 130. *à n.* 30. Solorzanus *de Iur. Ind. lib.* 3. *c.* 15. *n.* 41. Ergo similiter dicendum est in Capellanis, Cevallos, qui de praxi testatur, *com. q.* 425. *n. fin.* Bologninus *in apostil. cons. Anania* 14. *vers. Præterea*, Gonzalez *ad reg.* 8. *gl.* 6. §. 6. *n.* 42. Valenzuela *d. cons.* 130. *n.* 42. Lotterius *d. q.* 33. *à n.* 31. Thiertius *de Benef. sect.* 4. *vers. Sed circa*. 26

Tertia sententia est Palai *d. punct.* 5. *num.* 5. asserentis hanc amotionem absque causa validam esse, sed illicitam, quia similis amotio absque causa damnosa semper esse solet. 27

Quarta sententia est aliquorum asserentium, in Capellaniis laicalibus absque causa posse fieri amotionem. In his igitur tota dispositio dependet à voluntate fundatoris, & facilè præsumitur voluisse absque causa fieri amotionem: secus in Capellaniis Ecclesiasticis, in quibus consideratur idoneitas Capellani, & institutio, seu collatio Episcopi: quæ quidem maximam considerationem requirunt ad amovendum Capellanum, Selva *de Benef.* 3. *p. q.* 68. *in fin.* Navarrus *comment.* 2. *de regul. n.* 65. Barbosa *de univ. jur. d. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 16. Rota 2. *p. divers. decis.* 325. *n.* 2. 28

In hoc dubio animadverto, omnes Doctores convenire in eo, quod causa requiratur ad removendum Capellanum: & ratio est, quia omnes conveniunt, remotionem debere fieri absque malitia, & fraude Capellani; unde à fortiori sequitur, aliquam causam debere esse necessariam, aliàs semper adesset malitia ex parte amoventis, ut rectè considerat Lotterius *d. q.* 33. *n.* 32. 29

Quare difficultas consistit in disquirendo, quænam sit ista causa? Duplicem igitur possumus considerare. Primam ex 30

par-

parte Capellani, secundam ex parte amoventis. Quoad primam potest evenire, quando malè servierit, aut non resideat, aut sit non benè morigeratus. Quoad secundum, quando patronus, seu Episcopus, vel alius habens facultatem ad amovendum, nulla causa existente in Capellano, vellet illum removere ad consanguineum accommodandum, familiarem, vel amicum.

31 Unde plures DD. asserunt, hanc secundam causam, licet Capellanus non sit in culpa, esse sufficientem ad illum removendum; nam tunc nulla est malitia ex parte removentis, cùm id non agat, nisi ad commoditatem consanguinei, familiaris, aut amici: tum etiam utitur jure suo: ergo rectè removet Capellanum ex sola causa ista, Lambertinus *de jurepatronat. lib.1. p.1. q.2. art.2.* Lara *d. c.6. n.22.* Leon *d. sect. 16. n.257.* Gratian. *discept. for. c.167. à n.22.*

32 Hanc sententiam admitto in Capellaniis laicalibus, in quibus Capellanus deservit absque aliqua institutione, verum ut famulus pro stipendio, seu salario determinato à fundatore: quapropter ex voluntate patroni poterit (dum malitia absit) illum removere, quando Capellania laicalis sit ad nutum amovibilis, prout quilibet alius famulus ad libitum valet removeri, Considerat Guttierez *lib.3. pract. q.11. n.27. vers. Hac tamen.* Sed contra tenet in similibus Capellaniis laicalibus, Valenzuela *d. cons.130. à n.42.* & probat, nam amovibilitas Capellaniæ absque aliqua causa, procedit à consensu Episcopi, quem præstat ad rationem illam amovibilitatis, Guttier. *d. q. 11. n. 21. & 27.* Felin. *in c. Ex part. 5. de rescript. n.2.* Calderinus *cons.55. de jur. patr.* qui quidem consensus deficit in his Capellaniis laicalibus, quæ absque consensu Ordinarii struuntur: quapropter semper erit necessaria causa discussa, & probata coram Ecclesiastico judice.

33 Sed fundamentum istud debile est, nam Guttierez, Felinus, & Calderinus loquuntur in Capellaniis Ecclesiasticis, in quibus necessarius est consensus Episcopi, & auctoritas ad illas construendas, *d. c. Ad hæc 4. de Relig. dom.* ubi scribentes. Secus verò in Capellaniis Sæcularibus, in quibus totum esse dependet à voluntate fundatoris, ut diximus suprà, *n.7.* Garcia *de Benef. 1.p. cap.2. à n.102.* Valasco *consult. 80. n. 12.* Spino *de testam. glos.4. num.42.* unde si amovibiles fiant à fundatore ad nutum patroni, absque aliquo consensu Episcopi sustinebitur amotio: Ergo cùm Capellanus iste consideretur ut famulus, qui pro salario deservit, solùm ex causa accommodandi consanguineum, aut familiarem rectè removebitur.

34 In Capellaniis Ecclesiasticis dico causam istam non esse sufficientem: sed requiritur causa ex parte Capellani discussa, & probata ab Ordinario, etiam quando fuerit amovibilis. Ratio est, nam hæ clausulæ amovibilitatis apponuntur ut Capellanus timore remotionis diligenter deserviat, Guttierez *d. q. 11. n. 27. vers. Quo fit:* idcircò si ex parte illius non est aliqua causa sufficiens, nequit amoveri, ex regula, Cessante causa cessat effectus, *c. Cessante 60. de appellat. l. fin. post princip. C. de donat. ant. nupt.* ubi glos. *verb. Nuptiis,* Tiraquell. *in tract. Cessante causa, n.11.* Rota apud Farinac. *dec. 437. n.3.* Ant. Monach. *decis. Lucensi 14. n.18.* præcipuè cùm ista sit causa finalis ipsius fundatoris, Castillo *controv. lib. 5. cap.172. n.26.* Flamin. Chart. *decis. 68. n. 65.* Sanchez *in Decalog. lib.4. c.2. n.42.*

35 Cæterùm, nam in his Capellaniis Ecclesiasticis, etiam amovibilibus, institutio, seu collatio Episcopi est necessaria, Rota *1. p. div. decis.772. n. 1.* licet facienda sit cum eisdem qualitatibus, Rota *d. 3. p. decis.117. n.13.* Petrus Gregorius *d. c. 11. n.12. in fin.* Lotterius *d. lib.1. q.7. n.14.* Lara *d. lib.2. c.6. n.2.* sicut in aliis Beneficiis Ecclesiasticis, *c.1. de reg. in 6. c. unic. ne Ecclesiast. Benefic. cap. Ex frequentibus 3. de Instit.* Frasso qui plures dat, *de Patron. Ind. c.25. n.37.* unde Sacellanus percipit jus fortius, quàm in aliis Capellaniis laicalibus: itaque etiamsi Capellania sit amovibilis, causa erit necessaria ut amoveatur; quælibet enim amotio in Ecclesia turbationem inducit; & quantum fieri possit, est vitanda, *c.1. & per tot. dist. 10.* Valenzuela *d. cons. 30. n.48.*

36 Denique facultas, quæ alicui conceditur, etiam ad nutum & refertur ad materiam canonis, regulanda est à ratione, & jure naturali, Menoch. *de arbitr. lib.1. q.7. n.52.* quod idem observandum in his amotionibus Beneficii, aut Capellaniæ Ecclesiasticæ, Lotterius *d. q.33. n.33.* Ergo necessariò discutienda est causa sufficiens ex parte Capellani, ut amoveatur. Et confirmatur; nam in Beneficiis perpetuis ad remotionem gravissimæ requiruntur causæ, aut crimina, *c. Statutum 15. de hæret. in 6.* Diez *in praxi, c.94.* Petrus Gregorius *de re Benefic. c. 26. per tot.* Torreblanca *de Magia, lib.3. c.12. à n.21.* Ergo ad removendum Capellanum, seu Beneficiatum in Capellania, seu Beneficio amovibili, necessaria erit aliqua causa sufficiens ex parte illius: eadem enim est ratio difficultatis quærendi alium idoneum, interim quo vacat; ne Capellania, aut Beneficium damnum percipiat, *c. Magna 6. de vot.* ubi Scribentes.

Istinc colligo, interim quo causa ista discutitur & probatur, posse Capellanum, seu alium Beneficiatum manuteneri, quia interim revera possidet, Rota *decis. 6. de restit. spoliat.* Lotterius *d. q.33. n. 19.* sicut quando malitiosè amoveretur, Rebuffus *de pacif. poss. n.275.* & cum Rota tenet Leon *d. q.5. sect.16. n.255.* Palao *d. punct. 5. n.4.* 37

Excipio tamen hanc doctrinam, quando fundator Capellaniam ad nutum absolutum reliquerit alicujus, ita ut absq; causa posset Capellanum amovere; tunc enim nulla erit disquirenda, nec manutentio valet concedi, quia ex solo nutu amoventis desinit possidere: quo in sensu intelligendi sunt DD. asserentes in his Capellaniis, seu Beneficiis amovibilibus, seu manualibus, non dari manutentionem, *ex l. 1. §. Deiicitur, l. fin. ff. de vi armat.* Rota *decis. 1. de rest. spoliat.* Lara *d. lib. 2. c. 6. n. 20.* Garcia *de Benef. 1.p. cap. 2. n. 86. & 87.* Postius *de manut. observ. 52. n.8.* nec juvabitur aliqua regula possidens illam Capellaniam, seu Beneficium; cùm statim non possideat, Lara *d. c. 6. n. 21.* Germonius *de Indult. Card. §. Regularia Beneficia, n.37.* Sanchez *in Decalog. lib. 7. cap.29. n.114.* Verum animadverto has Capellanias, in quibus amovibilitas ad nutum absolutum alicujus imponitur, non propriè esse Beneficia, ut diximus suprà, *n. 13.* & cum Staphileo notat Lotterius *d. q. 33. n.21.* 38

Hæc amovibilitas Capellaniæ non solum est intelligenda pro prima vice, sed per plures, quia causa remotionis reiterabilis est, & valet unus, & alter Capellanus non rectè deservire, Guttierez *d. q. 11. n.27.* quin potius primus Capellanus nominatus à fundatore in his Capellaniis amovibilibus, nequit amoveri, quia ejus voluntas est observanda, nisi malè fuerit versatus, Valasco *consult. 105. n.29.* Lara *d. c. 6. n.19. in fin.* quorum sententiam in his Capellaniis ad nutum absolutum admittimus, alias non solùm respectu istius Capellani erit admittenda, verùm in aliis. 39

Est tamen dubium in his Capellaniis amovibilibus ad nutum absolutum Patroni, absque causa, si fortè aliquem Capellanum nominaverit quoad vivat, an possit à successoribus illius amoveri? Et affirmandum videtur; nam successores illius patronatum non habent ab ipso defuncto, sed à testatore nominationem disponente; Idcircò non tenentur ad contractum prædecessoris, ut in majoratibus communiter observant DD. in quibus non tenetur successor stare locationi factæ à prædecessore, nisi antea, aut postea consentiat, Gomez *in l.40. Tauri, n.84.* Molina *de primog. lib.1. cap.21. n.3.* Castillo *controv. tom.5. c.161. n.15. vers. Conveniunt,* Barbosa *de offic. Episcop. 3. p. alleg.94. n.14.* qui *n. 1.* idem affirmat in successore Beneficii: ergo nec successor patronus tenetur stare nominationi ad vitam factæ à prædecessore. 40

Sed Carolus Maranta *4. p. resp.13. per tot.* Gonzalez *ad reg. 8. gl.5. §.6. n.39.* contrarium tenent; nam est maxima distinctio, quando Capellania amovibilis conceditur ad beneplacitum, aut quando ad vitam conceditur; primo enim casu morte nominantis resolvitur nominatio, secus verò si ad vitam; quia cùm necessaria sit revocatio, & facta non fuerit, intelligitur eandem voluntatem durare, *c. Majores 3. §. fin. de Baptism.* ubi gloss. *verb. Perdurare, l. Eum qui 22. de probat. l. Cum hic status 33. §. ult. orat. ff. de donat. inter virum,* & supra diximus de mandato ad faciendam causam piam. Ergo neutiquam successor Capellanum ad vitam nominatum poterit amovere. Et confirmatur, nam successor, seu hæres nequit venire contra factum defuncti, nec rescindere contractus ab eo factos, *l. Cum matre 14. C. de rei vind. l. Ex qua part. 192. ff. de reg. jur.* ubi Riccius; quin potiùs præcisè observare tenetur, *c. Sylvester 10. 1. q.1.* Rota apud Duranũ *1. p. dec.101. n.3.* & apud Caval. *dec.276. sub n.3.* Grat. *discep. For. t. 4. c. 725. n. 19.* Ergo minimè successor poterit venire contra nominationem factam ad vitam Capellani. Denique quando amovibilitas relinquitur ad nutum absolutum, & beneplacitum alicujus, potest facere nominationem ad vitam; renunciat enim juri suo, & jus quæritur Capellano; quod cùm quæsitum sit, nequit ab eo deiici, *leg. Labeo 6. §. id Tubero, digest. de supellect. legat. leg. Qui* 41

bonæ fidei 23. *ff. de acquir. rer. domin.* Ergo nec amoveri per successorem.

42 In hoc dubio observandum, duobus modis posse aliquem succedere in Capellaniæ patronatu, aut in jure eligendi, aut nominandi ad nutum. In primis, quando à fundatore nominatim vocaretur, aot quando succederet per vocationem lineæ, aut consanguinitatis, vel de genere certarum personarum; & in hoc casu ex natura rei minimè tenetur observare nominationem factam à prædecessore ad vitam, sed poterit ad nutum revocare: ratio est, nam tunc non succedit in jure eligendi ad beneplacitum ab ipso ultimo possessore, sed à fundatore, *l. cohæredi* 41. §. *Cum filia*, *ff. de vulg. l. Unum ex familia* 67. §. *Si de Falcidia*, *ff. de legat.* 2. Gomez *var. tom.* 1. *cap.* 7. *n.* 5. Molina *de primog. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 2. *& lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 6. Quapropter non tenetur observare contractum, seu nominationem prædecessoris, tantùm enim deserviet ad vitam illius, nec per eam potuit præjudicium inferre successoribus.

43 Ast licet ex natura rei successor ad id non teneatur, poterit tamen causativè, nempè quando successor in jure eligendi ad nutum insimul fuisset hæres ultimi possessoris, qui fecit nominationem ad vitam Capellani; ratione enim hæreditatis repræsentat personam defuncti, & tenetur restatoris observare contractum, ut probavimus suprà; & in hoc casu loquitur Carolus Matanta *d. respons.* 13.

44 Aliter potest successor ad hoc jus pervenire, nempe ex electione ultimi possessoris, veluti quando hæc facultas concederetur ab ipso fundatore; & in hoc casu asserendum videtur, adhuc posse successorem amovere Capellanum ad vitam nominatum, quia licet electio illa committatur ultimo possessori, qui Capellanum ad vitam nominavit, adhuc successor nihil capit ab eo, sed à fundatore, ut rectè considerat Molina *d. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 6. *ad fin.* alter Molina *de major. disp.* 592. *n.* 2. Paz *de tenut. c.* 59. *n.* 190. idcircò non tenebitur ad observandam illam nominationem, quin potius poterit Capellanum removere.

45 Hanc sententiam admitto quando electio regulata relinqueretur ultimo possessori: quid verò si absoluta, & libera, absque aliqua necessitate aliquarum personarum? Et asserendum videtur, in hac specie teneri successorem observare nominationem sui antecessoris: ratio est, nam quoties hæc electio libera relinquitur ultimo possessori, negandum non est, successorem honoratum remanere; nam potuisset alterum eligere, & non ex necessitate ipsum elegit; unde honoratus remanet, & consequenter valet illum grave, *ex l. Ab eo*, *C. de fideicomm.* Ergo cùm moriatur in voluntate illa, qua nominavit ad vitam Capellanum, videtur gravare successorem, ne revocet à se nominatum.

46 Confirmo discursum, nam ut latè ratiocinatur Molina *d. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 10. licet ab origine videatur successorem honoratum esse à fundatore, quatenus disposuisset, ut ab ultimo possessore nominaretur, attamen quatenus eligitur ab eo quando alterum eligere potuerat, verè honoratur ab eligente; unde Peralta *in l. Si unum ex familia*, §. *Si fundum ff. de legat.* 2. inquit illum gravare posse saltem in re honorabili: Ergo tenebitur successor, tanquam gravatum, non removere Capellanum, ex eo quod ab ultimo possessore fuerit ad vitam nominatus.

47 Sed adhuc in hac specie teneo successorem posse removere Capellanum, si hæres non sit ultimi possessoris; nam in meliori sententia, etiamsi libera electio relinquatur ultimo possessori, dum tamen est necessaria electio, nequit aliquod gravamen imponere successori, etiamsi honorabile sit; nam licet aliquo modo honoretur ab eligente, attamen quia electio fit ab eo nomine fundatoris, honor ille totus dependet à fundatore, idcircò nullum gravamen potest illi successori imponere, sed perinde est ac si à fundatore eligeretur, Molina *d. disp.* 592. *n.* 5. Menoch. *lib.* 2. *cons.* 124. *n.* 13. Fusar. *de subst. q.* 511. *à n.* 5. Ergo non tenebitur observare nominationem factam ab ultimo possessore.

48 Deinde à simili comprobatur, nam Episcopus, aut alius qui eligit ad Beneficia, licèt unum, aut alterum idoneum possit eligere, non tamen potest electo pensionem, aut aliud gravamen imponere, sed gratis, & liberaliter debet concedere. Molina *d. cap.* 4. *à num.* 13. & Molina Theologus *d. disp.* 592. *n.* 6. Ergo similiter ultimus possessor juris eligendi successorem non poterit gravare, aut aliquo modo afficere, ne Capellanum removeat, quando Capellania est ad nutum amovibilis. Deniq; si aliter fieret, mutaret voluntatem fundatoris, qui disposuit, ut successor posset ad libitum removere Capellanum, qood non admittendum est, *l. Unum ex familia* 67. §. *Si de Falcidia*, *ff. de legat.* 2. ibi: *Quia quod reliquit, omnino reddere debuit*. Molina *d. disp.* 592. *n.* 5. *ad fin.* alter Molina *d. cap.* 4. *n.* 21. ergo dicendum, posse successorem adhuc in hac specie removere Capellanum nominatum ad vitam.

49 Præterea ad titulum harum Capellaniarum ad nutum amovibilium nequit quis ordinari, quia titulus ad quem quis debet ordinari, debet esse perpetuus, Diez *in praxi*, *cap.* 8. *n.* 8. Genuensis *in prax. Neapolit. cap.* 81. *n.* 2. quapropter cùm titulus harum Capellaniarum non sit perpetuus, nequit esse titulus sufficiens ad Ordines, licèt sit propriè Beneficium. Garcia *in Summa*, *tract.* 1. *diff.* 1. *dub.* 5. *n.* 28. Marchin. *de Ordin. tract.* 2. *part.* 6. *difficult.* 5. *num.* 17. Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *cap.* 5. *numer.* 14. quod extendendum, etiamsi sit amovibilis, causa existente. Garcia *de Benefic.* 1. *part. cap.* 2. *n.* 93. Thom. Hurtado *d. lib.* 6. *resol.* 3. *n.* 9.

50 Est verò dubium, an quando quis ordinatur ad Titulum Capellaniæ amovibilis, perpetua remaneat, ita ut à Patrono, vel ab alio habente jus removendi possit amoveri. Piasecius *in praxi Episcop.* 1. *part. cap.* 1. *num.* 45. scripsit non posse amoveri, nisi de alio Beneficio provideatur; relinqueretur enim Clericus mendicans in dedecus status Ecclesiastici.

51 Garcia verò *de Benef. d. cap.* 1. *num.* 91. contrarium tenet, quia ex eo quod quis ordinetur ad titulum Capellaniæ amovibilis, non mutat ipsius naturam, quare adhuc illa ordinatione non obstante, poterit Capellanus amoveri. Riccius *in praxi for. dec.* 396. *vers. Et ex supradictis*, Palao *d. pun.* 6. *n.* 6.

52 Hæc difficultas duobus modis concipi valet. In primis, quando Episcopus solus, si habeat potestatem amovendi, ad titulum Capellaniæ amovibilis aliquem ordinaverit, & consensus patroni accedat; quo quidem casu loquitur Piasecius, & in eo videtur quoad ordinatum perpetuam remanere, quousque ad aliud Beneficium ascendat; nam licèt controversum sit, an conditiones, seu qualitates Capellaniarum possint consensu patroni ab Episcopo mutari, de quo latè Garcia *de Beneficiis*, 7. *part. cap.* 1. *à num.* 102. probabile est fieri posse: quapropter si consensu patroni Episcopus ad titulum Capellaniæ amovibilis aliquem ordinaverit, videtur pro illa vice mutasse illam qualitatem amovibilitatis, & consequenter perpetuam remanere.

53 Sed adhuc in hac specie contrarium tenet Garcia *d. n.* 91. nam esto sit probabilis illa sententia, intelligenda tamen est quando conditio, aut qualitas, quæ mutatur, non est utilis, & necessaria Capellaniæ, prout est qualitas amovibilitatis apposita à fundatore, qua voluit, ut timore illius Capellanus majori cura adimpleret onera illius, Guttierez *cons.* 1. *n.* 23. Ergo etiam ex consensu patroni non potuit Episcopus illam mutare, & consequenter adhuc poterit ordinatus ad titulum illius amoveri: quam sententiam admitto.

54 Secundo modo concipitur, an ipse Episcopus, seu Patronus, qui ad hanc ordinationem consenserunt, possint illum Capellanum amovere? Et breviter respondeo, nequaquam posse. Ratio est, nam per talem consensum juri amovendi renunciarunt, tum quia in pœnam eo privantur, quia ad titulum insufficientem Capellanum ordinarunt, ut tenet Barbosa *de offic. Episc.* 2. *par. alleg.* 19. *n.* 25.

55 Prӕterea est aliud dubium non prætereundum, an Capellania amovibilis, præscriptione, seu consuetudine fieri valeat perpetua. Prima sententia negat, quia ex actibus facultativis nequit induci præscriptio, seu consuetudo; quia ex his actibus non inducitur possessio, *l. Qui jure familiaritatis* 41. *ff. de acquir. poss. l. Viam* 2. *ff. de via public.* Rota 2. *p. divers. decis.* 297. *n.* 4. Postius *de manut. observ.* 53. *n.* 2. Ergo Capellania amovibilis nequit præscriptione, aut consuetudine fieri perpetua, Abbas *in c. Ad nostram*, *de confirmat. util. vel inutil.* Decius *ibid. n.* 6. Rebuffus *de pacif. num.* 277. Sanchez *in Decalog. lib.* 7. *c.* 29. *n.* 117.

56 Secunda sententia contrarium tenet ex decisione textus *in cap. Cum de Beneficio* 5. *de præbend. in* 6. ubi præscriptione Beneficium Regulare fit Sæculare: ergo eodem modo poterit fieri Capellania amovibilis perpetua, sicut etiam potest perpetua fieri temporalis; nam licet collatio fiat perpetua, multoties poterit removeri, Mill. *in Repertor. verb. Religiosus non potest consentire*, *vers. Ex his puto*, *& verb. Beneficia manualia*, *sub num.* 9. Gambarus *de offic. legat. lib.* 4. *c.* 1. *num.* 19.

57 Ve-

57 Verùm dubium hoc ab aliis Doctoribus rectè consideratur, quando Capellania amovibilis per multum temporis non amoveretur, verùm Capellani pro sua vita possederuot: in qua quidem specie benè procedit prima senteotia; patet enim similem consuetudioem, seu præscriptionem temporis, à mera facultate processisse, nec potuit præstare causam præscriptioni, seu consuetudini, prout in Vicario Episcopi scripsit Postius *d. observ. 53. n. 9.*

58 Aliter verò potest considerari ista difficultas, scilicet quando Capellania conferretur in perpetuum, quæ de sui natura amovibilis est: & in hoc casu fit per consuetudinem, aut præscriptionem perpetua; nam tunc cessat jus familiaritatis & possider Capellanus ex titulo perpetuitatis sibi concesso, & rectè possidet adversus patronum, aut Episcopum habentem facultatem amovendi: quod idem dicemus, si sibi contradicerent in amovendo, & contradictiooe subsequuta acquiescerent. Lotterios *de re Benef. tom. 1. lib. 2. q. 3. n. 29.* Postius *d. observ. 53. n. 28.* quibus in casibus cùm Capellani in quasi possessione ponantur, Capellania per coosuetudinem, vel præscriptiooem fit perpetua. Riccius 3. *part. decis.* 153. Gonzalez *ad reg.* 8. *gloss.* 5. §. 6. *n.* 36. Palao *d. tom. 2. tract. 13. de Beneficiis, disp. unic. punct. 5. n. 21.*

59 Quid verò si conferens Capellaniam amovibilem, promiserit non revocare Capellanum? Et Thierrius *de Benefic. sect. 4. vers. Sed quid dicendum*, asserit, quod adhuc ipse poterit revocare, quia ex hac promissione Capellania, seu Beneficium non perdit naturam amovibilitatis: quapropter causa legitima existente, adhuc revocabit; secus sine causa, quia tunc fuisset licita promissio, & necessario observanda.

60 Hæc doctrina indiget explicatione; nam si Capellania est laicalis, aut illius naturę, ut ad placitum absque aliqua causa possit Capellanus amoveri, credo promissiooem observandam esse; juri enim proprio ex tali promissione renunciavit. Verùm si Capellania sit Ecclesiastica, aut causam requirat ad amotionem, tunc causa existente, adhuc revocari poterit Capellanus; illud eoim, quod positum est ad booum Capellaniæ ut causa existente removeatur Capellanus, cui nequit promissio conferentis præjudicium inferre, nequit in ejus damnum retorqueri.

61 Denique illud Patronus, aut Episcopus observet ad amovibilitatem, graviter peccaturos, si absque causa, in Capellaniis quæ illam petunt, Capellanum amoverint; & in aliis si fraude, vel malitia amoverint: & tunc recursus datur ad superiorem, qui illum ad Capellaniam restituet. Anastasius Germonius *ubi sup. num.* 56. Bellameta *in cap. Porrecta, de confirmat. util. vel inutil. quæst.* 4. Lessius *de justit. lib. 2. cap. 41. dub. 12. num.* 58.

CAPUT II.

De Capellaniis laicalibus.

SUMMARIUM.

Fundator potest facere Capellaniam laicalem, nec in ea confertur Breve de capienda possessione nomine Cameræ, num. 1. *In istis heres, seu patronus potest eligere Capellanum, absque Episcopo, num.* 2.

De modis quibus fundantur, à num. 3. *latè disquiritur. Sed an sit Capellania laicalis, quando dixit fundator,* Ad titulum illius ordinetur, *à num.* 7. *Asseritur Ecclesiasticam esse, nisi aliud expresserit, num.* 8.

Quando quis fundat Capellaniam, ut præsententur de parentela, aut extranei ad dicendas Missas, an sit Ecclesiastica, seu laicalis? DD. dicunt illam laicalem, n. 9. *Sed explicatur hæc doctrina, à n.* 10.

An in dubio Capellania sit laicalis, seu Ecclesiastica? Prima sententia dicit laicalem, n. 14. *Secunda Ecclesiasticam dicit, n.* 15. *resolvitur num.* 16.

Verba quæ demonstrant Capellaniam Ecclesiasticam, num. 18. *& erit standum observantiæ, ibid. & num.* 19. *& quid si sint observantiæ opposita, existimanda est Ecclesiastica, contra aliquos, num.* 20. *explicatur, n.* 21. *Sed in causa possessionis consideratur ultimus status, num.* 24.

Capellania Sæcularis fit Ecclesiastica consensu patroni, si non repugnent verba fundationis: & quæ sunt verba repugnantia, num. 25 *&* 26.

Capellania fit Ecclesiastica præscriptione, num. 28. *sed quantum temporis requiratur, à n.* 29. *sunt tres sententiæ: defenditur Lara, asserens ordinariam prescriptionem sufficere, à num.* 32.

Fundator benè disponit in Capellania laicali, ne Episcopus se intromittat, num. 32. *vers. In his.*

An Capellaniæ laicales possint visitari ab Episcopo? aliqui negant, num. 33. *alii affirmant, n.* 34. *Resolvitur, num.* 35. *Examinatur doctrina Leonis, num.* 36.

Sed quid si fundator dicat, Episcopus non se iotromittat, Episcopus oon visitabit, nisi data negligentia, *à num* 37.

Quid operetur clausula, Episcopus oon visitet *à num.* 41.

In his Capellaniis laicalibus non requiritur ætas certa, nisi aliud petatur à fundatore, & possunt dari fœminis, nec Capellanus tenetur ad recitationem, nec ad titulum illarum potest quis ordinari, num. 43.

Capellaniæ istæ non tenentur ad subsidium, n. 44. *sed dubitatur, quando Clericis relinquuntur, an ad illud teneantur? Aliqui affirmant, num.* 45. *alii negant, n.* 46. *resolvitur, à num.* 47.

Capellaniæ laicales quando gabellandæ, num. 49. *In successione, & nominatione harum Capellaniarum observandum, quod à fundatore fuerit dispositum. Mos Hispaniæ est, ut in eis succedatur ad modum maioratus, numero* 50.

Limitatur in Capellaniis vocantibus descendentes, in quibus succedunt Sacerdotes, n. 53. *Nec in his Capellaniis laicalibus committitur simonia, & iudex laicus de eis cognoscit, & explicatur, num.* 55.

Percompertum est in jure, fundatorem posse Capellaniam instituere, quæ Ecclesiastica noo sit, sed tantum laicalis, & profana, & insimul habeat Capellaoum perpetuum, & non amovibilem: nec in ea conferrur Breve de capienda possessione nomine Cameræ, ut nonoullis decisionibus adductis defendit Rota apud Merlin. *decis. 79. à num.* 1. Barbosa *de univ. jur. lib. 2. cap. 5. n.* 2. Leon *de offic. Capell. quæst. 3. sect. 3. n.* 39. Garcia *de Benef. 1. part. cap. 2. num.* 102. Thom. Hurtad. *de resident. tom. 1. lib. 6. resol. 3. num.* 1. 1

Sunt enim Capellaniæ istæ, quæ absque auctoritate, & approbatione Ordinarii fundantur; idcircò spiritualizatæ non remanent, sed sub pia dispositione fundatoris, & suorum hæredum, qui possunt tales Capellanos nominare sine Episcopo, dum sint idonei juxta qualitates fundationis, Navarrus *cons. 5. & 7. n. 1. de præbend.* Petrus Gregorius *d. cap. 11. n.* 10. Salcedo *in praxi, cap. 18. n.* 2. Palao *d. tom. 2. tract. 13. disp. unic. punct. 6. num.* 1. Garcia *de Benef. d. cap. 2. n.* 95. Thierrius *d. sect. 4. vers. Ex dictis,* Tondutus *tom. 1. 2. p. cap. 1. §. 3.* 2

Possunt nonnullis modis fundari similes Capellaniæ laicales: & in primis quando quis construxerit Ecclesiam, ac dotaverit, & præcipiat in ea aliquas Missas celebrari à Sacerdote electo à suis hæredibus; tunc enim licet ad construendam Ecclesiam interveniret auctoritas Episcopi, sed non ad hanc fundationem Missarum, Capellania erit laicalis; non enim in titulum conceditur, sed tantùm est obligatio dicendi Missas pro stipendio, seu salario ab hæredibus solvendo, Leon *de offic. Capell. q. 3. sect. 3. n.* 29. 3

Pariter dicendum, quando quis fundum, aut prædium reliquerit alicui, vel duobus Presbyteris, cum onere Missarum ab ipsis dicendarum, & cum facultate, ut ipsi alios nominent ad ipsas Missas dicendas, absque aliqua Episcopi auctoritate; eo enim ipso, quod Papæ, aut Episcopi auctoritatem excluserit, memoria illa laicalis relinquitur, ut tenet Rota, quam ad unguem refert Marinis *lib. 1. resol. c. 36. per tot.* 4

Idem dicendum, quando aliqua bona relinquuntur Patrono laico, ut ex eorum fructibus annuatim Missas celebrare faciat: ratio est, nam hæc fundatio potius Anniversarium, quam Capellania dicenda est: quapropter laicalis est dispositio, Spino *de test. gl. 4. in princ. num.* 41. Lara *d. lib. 2. cap. 1. num* 10. 5

Est etiam alius modus instituendi Capellaniam, scil. quando testator aliqua bona destinavit, ut aliquis filius, seu alius successor ex eis alatur, & aliquas Missas celebret, & ad ejus titulum ordinetur: quo quidem casu Azorius *Inst. Moral. 2. p. lib. 3. c. 8. q. 3.* scripsit Capellaniam esse laicalem, quia bona illa temporalia relinquuntur in patrimonio Capellani & noo spiritualizata. 6

Hanc doctrinam admitterè facilè, nisi haberet Capellania 7

ista facultatem, ut titulo illius possidens ordinaretur: & ratio est, nam duobus modis potest quis ordinari ad titulum horum bonorum, aut quia est patrimonium, aut quia est Beneficium Ecclesiasticum. Quoad primum fundator expressè debet declarare, suam esse voluntatem, ut successor ordinetur titulo illorum bonorum, tanquam ad titulum patrimonii, alias semper intelligetur relinquere facultatem, ut ordinetur tanquam ad titulum Beneficii, Garcia *d. 1. p. c. 2. n.* 112. nam ex natura rei ordinatio debet esse ad titulum Beneficii Ecclesiastici, seu Capellaniæ. Trid. *sess. 21. de Ref. cap.* 2. ubi plures Barb. *n.* 12.

8 Unde colligo, similes Capellanias dicentes, ut ad titulum illarum quis ordinetur, Ecclesiasticas esse, quia certum est titulum ad quem quis debet ordinari, debere esse Beneficium, aut Capellaniam Ecclesiasticam, Salcedo *ad Bern. in praxi, c.* 18. *n.* 9. Gonzalez *ad reg.* 8. *gl.* 5. *n.* 2. Garcia *de Benef.* 2. *p. c.* 5. *n.* 74. Marchinus *de Ordin. tr.* 2. *p.* 4. *c.* 6. *per tot.* quamobrem quoties fundator disposuerit, ut quis ad titulum illius ordinetur, voluntas ejus est, ut fiat Capellania Ecclesiastica; qui enim vult consequens, antecedens voluisse videtur, *l. Ad rem mobilem, l. Legatum, ff. de Procur.* Barbos. *inter Axiomat. jur. axiom.* 54. Cæterùm licet ad Ecclesiasticam Capellaniam requiratur auctoritas Episcopi, Rota 1. *p. decis.* 509. *n.* 1. Riccius *in praxi Ecclesiast.* 1. *p. resol.* 323. Marinis *d. lib.* 1. *c.* 36. *n.* 1. non est tamen necessarium, ut antecedat; sufficit verò, ut postea præstetur, ut infra dicam. Ergo cum fundator dicat, *Possidens bona illa ad eorum titulum ordinetur*, Capellania illa erit Ecclesiastica.

9 Est alius modus fundandi Capellaniam, nempe quando quis illam fundat, ut Clerici de parentela, aut extranei à patronis præsententur, & illam habeant ad aliquas Missas celebrandas: & istam laicalem communiter dicunt DD. rationem dant, quia licet ista Capellania à fundatore nominetur, id est impropriè; nam sunt opera pia, Faber *in §. Nullius, Inst. de rer. divis.* Tum quoties auctoritas Episcopi à principio non intervenit, præsumitur laicalis, Valascus *consult.* 105. *n.* 10. Parisius *lib.* 4. *cons.* 34. *n.* 54. Cùm ergo hæc Capellania à principio absque Episcopi auctoritate fundetur, semper præsumenda est laicalis, non Ecclesiastica, Navarrus *cons.* 5. *de Præb.* Petrus Gregorius *de Benef. c.* 11. *n.* 10. Gonzalez *ad reg.* 8. *gl.* 5. *à n.* 19. Lara *d. lib.* 2. *cap.* 1. *à n.* 13. Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 3. quod extendunt etiamsi hæ Capellaniæ ab aliquo Episcopo erigerentur, tanquam à laico, ex bonis propriis, Navarr. *cons.* 7. *à n.* 1. *de Prabend.* Gonzalez *d. gl.* 5. *n.* 21.

10 Doctrina verò ista maxima indiget explicatione; potest enim fundator inter vivos instituere Capellaniam absque auctoritate Episcopi, quam effectuavit absque ulla institutione Episcopi per solam nominationem ipsius; & tunc Capellania est laicalis, nam ex eo quod potuit petere auctoritatem Episcopi, & illam non petierit, constat voluisse Capellaniam laicalem facere, Garc. *d. c.* 2. *n.* 111. Quod idem dicendum, si in ultima voluntate dicat testator, ut Capellanus provideatur à Patrono, aut ita demonstret, ut in nominatione non interveniat Episcopus; nam tunc est Capellania laicalis, ut cum Rota advertit Leon. *de offic. Capellani, q.* 5. *sect.* 10. *n.* 150. Moneta *de comm. c.* 10. *n.* 80. *vers. fin.* Garc. *d. c.* 2. *n.* 111. qui asserit secus dicendum, si dicat fundator, *Præsentet, aut ponat Patronus*; quia tunc tantùm illud verbum, *ponat*, supponit pro præsentatione, non autem pro provisione, aut aliam addit dispositionem, unde perpendamus noluisse collationem pertinere ad Episcopum, vel illum à nominatione excludere; tunc enim erit Capellania laicalis, Rodriguez *in Sum.* 1. *part. cap.* 41. *num.* 1. Cevallos *commun. q.* 282. *num.* 28. Gonzalez *d. gloss.* 5. *num.* 44. Garcia *d. c.* 2. *à num.* 105.

11 Si verò fundator Capellaniam erigat, & vocet quos Patroni præsentent, sive inter vivos, cujus effectus post mortem differtur; sive in ultima voluntate, nec aliquod verbum contineat repugnans institutioni, seu collationi Episcopi; tunc dicendum, velle fundatorem instituere Capellaniam Ecclesiasticam, & Episcopus valet illam instituere ex præsentatione Patronorum: & probatur, nam quoties apponitur verbum *Capellania*, ex vi illius verbi intelligitur Capellania Ecclesiastica, à cujus significatione recedendum non est, *l. Non aliter* 69. *ff. de legat.* 3. Phœbus *dec.* 77. *n.* 14. Tuschus *lit. V, concl.* 91. & mens talis præsumitur, qualia sunt verba, Bart. *in l. fin. ff. ad Trebell.* Marius Anton. *resol. lib.* 1. *resol.* 4. *num.* 9. Ergo dicendum est, voluisse fundatorem formare Capellaniam Ecclesiasticam.

12 Cæterùm authoritas Episcopi (ut tetigimus supra) non requiritur in ipso actu fundationis, aut ante fundationem: sufficit ut ex voluntate fundatoris non contradicente subsequatur, quia perinde est, ac si à principio poneretur, Achill. *decis.* 4. *de præb.* Rota *in novis. decis.* 16. *à n.* 1. *de consuet.* tum etiam adest majus bonum ipsius Capellaniæ, ratione perpetuitatis, & favoris ipsius ultimæ voluntatis, Rota 3. *p. div. decis.* 1122. Gonzalez *d. gloss.* 5. *n.* 58. unde ex voluntate testatoris Capellania illa est Ecclesiastica, & per subsequentem authoritatem Episcopi absque dubio non laicalis censebitur.

13 Denique in his Capellaniis, in quibus Clerici vocantur ad Missarum celebrationem, ea est mens fundatoris, ut sit Ecclesiastica, Leon *d. sect.* 3. *n.* 35. qui animadvertit, gravè signum esse Capellaniæ Ecclesiasticæ, quando Clerici ad illam vocantur, maximè si præcipit per se Missas dicere: ergo si non adsint verba repugnantia collationi, semper intelligetur Capellania Ecclesiastica, Salcedo *ad Bernard. c.* 18. *n.* 19. *vers. Illud verò*, Cevallos *d. q.* 282. *n.* 28. *&* 29. Lara *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 46. *&* 47. Leon *de offic. Capell. q.* 5. *sect.* 10. *n.* 147. Garcia *d. c.* 2. *n.* 108. Barbosa *ad Concilium, sess.* 21. *de Ref. c.* 2. *n.* 12. Palao *d. tr.* 13. *disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 3.

14 Est dubium non obliviscendum, an quando fundatio Capellaniæ ita est intricata, ut in dubio persistamus, an laicalis, an Ecclesiastica sit, quid existimare debeamus? Prima sententia asserit declarandam esse profanam, seu laicalem; nam quoties non constat intervenisse authoritatem Episcopi, minimè præsumitur, quia est qualitas accidentalis necessariò probanda, *leg. Qui verò, §. Qualitates, ff. qui satisdar. cogant.* Mascard. *concl.* 1254. *à n.* 1. ergo talis Capellania erit in dubio laicalis. Comprobatur, nam authoritas Episcopi ad illam faciendam Ecclesiasticam est necessaria simpliciter, *cap. Nemo* 9. *c. Nullus* 25. *de consecrat. dist.* 1. Rebuff. *tit. quare sint institut. Benef. n.* 10. Ergo si realiter non est, & de ea non constet, semper Capellania laicalis censebitur, Lara *d. c.* 1. *à n.* 59. Leon. *d. q.* 3. *sect.* 3. *à num.* 38. Valasc. *consult.* 105. *n.* 10. Pasqual. *q.* 1040. *num.* 8. Mareic. *variar. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4.

15 Secunda sententia asserit in dubio esse Ecclesiasticam censendam, quia id est magis favorabile ipsi Capellaniæ respectu ipsius conservationis, & perpetuitatis; tum est majoris servitii Dei Optimi Maximi, quia non solum continet Missarum celebrationem, verùm obligationem recitandi Divinum Officium, & titulum ut possint Sacerdotes Ministri Dei fieri. Quod magis præsumendum de voluntate fundatoris, qui Capellaniam instituit eo animo, ut gratus Deo constitueretur, Rota 3. *p. recent. decis.* 13. *n.* 10. Menochius *volum.* 1. *cons.* 99. *n.* 122. Rebuffus *in praxi benef. tit. quid sit, & quib. mod. num.* 8. Barbosa *de univ. jur. d. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. *vers. Capellaniæ.*

16 In hoc dubio maxima consideratione procedendum, ne facilè errorem suscipias; quapropter quoad primum, fundationem prospicere libet, quia est originalis causa, & primum fundamentum, unde qualitatem Capellaniæ cognoscere possis, *l. Tutor datus, ff. de fidejuss. leg. Quæsitum, in fine, ff. de rebus dubiis*; idcircò si ex ea cognoveris fuisse Capellaniam Ecclesiasticam, id erit observandum; secus si laicalem, Pasq. *de Sacrif. Miss. q.* 1142. *n.* 2.

17 Si verò ex ipsa fundatione dubium existat, siquidem habet verba utrumque casum denotantia, Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 5. *n.* 57. scripsit laicalem esse existimandam Capellaniam, quia cùm non constet realiter authoritatem Episcopi intervenisse, semper præsumitur esse laicalem. Sed contrarium teneo, nam licet ex ipsa fundatione non constet de authoritate illius, sufficit ut ex non repugnantia fundatoris subsequatur, ut diximus *n.* 12. Ergo cùm in fundatione sint verba dubia declarantia mentem testatoris fuisse, ut Capellania fuisset Ecclesiastica, intelligere possumus subsequutam fuisse, quia id erat necessarium, ut authoritas, quæ à principio non fuit, postea subsequeretur, *l. Cum vir* 42. *ff. de usurpat. & usucap. c. Cura* 11. *cap. Suggestum* 20. *de jurepatronat.* Rota *in novis. decis.* 3. *in fin. de confess.* licet id inducatur ex verbis dubiis, cum in meliori, & saniori sensu debeant concipi, & in potiori significatu, *§. Sed si is quidem, Instit. de jur. nat. gent. & civil. l.* 1. *§. Si quis navem, ff. de exercit. act.* Menochius *de præsumpt. lib.* 3. *q.* 39. *à num.* 8. Tuschus *lit. V, concl.* 101. Fusarius *de substit. quæst.* 341. *num.* 3. prout est Capellania Ecclesiastica. Ergo licet ex ipsa fundatione

ne sint verba dubia, semper est præsumenda Capellania Ecclesiastica.

18 Si verò aliqua sit consuetudo circa ipsam fundationem in modo eam habendi, ipsa declarabit naturam Capellaniæ; sunt enim aliqua signa denotantia quando Ecclesiastica sit, nempe quando fundata fuerit authoritate Episcopi, & habuerit aliquid spirituale annexum, quod conferatur Clerico, quod conferri non possit nisi ab Ecclesiastica persona, non verò à laico, ut conferatur in perpetuum, Gigas *de pens. q.* 86. *n.* 7. Riccius *in praxi for. decis.* 300. Leon. *de offic. Capell. q.* 3. *sect.* 3. *n.* 36. quæ quidem in dubio designant Capellaniam fuisse Ecclesiasticam, cùm dubium illud à consuetudine diluatur: secus verò si nulla habeat signa, verùm consuetudo teneat contraria laicalitatis; nam rectè demonstrat voluntatem testatoris, *c. Cum dilectus* 8. *de consuet. l. de interpretatione, ff. de legib.* Rota *part.* 5. *rec. decis.* 150. *n.* 27. Pasqual. *d. q.* 1042. *n.* 5.

19 Si verò contrariç observantię, seu consuetudines existant, ut si aliquoties collata fuerit Capellania ut Ecclesiastica, aliquando ut laicalis, tunc dissident Doctores; nam aliqui dicunt, præsumendam laicalem, nam cùm non constet de auctoritate Episcopi, & sint aliquæ observantiæ laicalitatis, dicenda est profana, & laicalis, Riccius *in praxi for. decis.* 383. *n.* 1. *ad fin.* Marescotus *variar. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 4.

20 Alii contrarium tenent; nam in dubio pro Ecclesiastica est censenda: tum credendum est Ordinarium maximo fundamento interposuisse suam authoritatem, vel ex fundatione, vel Patronorum consensu; quin existimandum, quod si Patroni aliquando sua authoritate Capellaniam investierint absque Episcopo, clam & furtivè id fecisse, & probare debent factum esse sciente Ordinario, Cavalcanus 1. *p. decis.* 1. *n.* 5. Mascardus *de probat. concl.* 870. Mena *variar. lib.* 1. *q.* 3. *n.* 5. Ergo contrariis observantiis existentibus, censenda est Capellania Ecclesiastica, Rebuffus *de pacific. n.* 349. Lara *d. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 54. Garcia *d.* 1. *p. cap.* 2. *n.* 113. Leon. *d. q.* 3. *sect.* 3. *à n.* 38. Palao *d. disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 2.

21 Hanc secundam sententiam admitto quando non adessent observantiæ, seu consuetudines proximæ fondationi; si enim constaret aliquas esse proximiores, illæ erunt observandæ, ita ut si sit demonstrantes Capellaniam Ecclesiasticam, talis censebitur, secus si laicales. Ratio est, nam illæ proximiores consuetudines, seu observantiæ præsumuntur habere fundamentum in ipsa dispositione fundatoris, & præferuntur remotis, *leg. Mela* 18. *vers. Sed si alimenta, ff. de cib. & aliment. legat.* Ergo ex his proximioribus observantiis existimabitur Capellania, an Ecclesiastica, vel laicalis sit, Rota *part.* 7. *recent. decis.* 105. *num.* 10. *&* 2. *part. divers. decis.* 37. *n.* 34. Cavaler. *decis.* 487. *n.* 2. Pasqual. *d. q.* 1042. *num.* 6.

22 Præterea si in fundatione appareat Capellaniam ex voluntate testatoris non fuisse Ecclesiasticam, verum quod à Papa collata fuerit, & iterum ab Episcopo, an habenda sit pro Ecclesiastica? Et illa est communis sententia, seclusa præscriptione, adhuc laicalem remanere: præsumitur enim falso suggesto Summum Pontificem contulisse, ex cujus deceptione etiam Episcopus postea contulit, Lara *d. c.* 1. *n.* 50. Garc. *d. c.* 2. *n.* 115. Sanchez *cons. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 60. *num. fin.* Leon *d. sect.* 3. *num.* 40.

23 Contrarium tenet Ludovicus à Conceptione *in exam. Theol. tract.* 1. *de opin. prob.* §. 2. *lit. B, num.* 22. ducitur, quia licèt à principio Capellania collativa non fuerit ex voluntate testatoris, postea ex subsecutis circumstantiis potuit considerari implicata talis voluntas, aut ita dubia, ut indigeret interpretatione Pontificis, aut Episcopi: quare censendum est, similes collationes factas fuisse non falso suggesto, sed consulto, & maxima consideratione, id petente voluntate fundatoris, ex novis circumstantiis tempore occurrentibus.

Hæc sententia satis probabilis videtur, & in praxi tuta; nam non solùm Pontifex, & Episcopus Capellaniam conferre potuerunt ex interpretatione voluntatis, sed commutatione causis gravibus existentibus, ut latè tradidimus *lib.* 1. *cap. fin.* nec facilè credendum ex falsa suggestione id fecisse deceptos; grave enim delictum est Prælatos, decipere & delicta in dubio non præsumuntur, *l. Merito ff. pro soc. cap. Estote, de reg. jur.* Mascardus *de probat. concl.* 495. *n.* 1. Flamin. Paris. *de resignat. tom.* 2. *lib.* 13. *q.* 1. *n.* 72. & interpretatio semper facienda est exclusiva delicti, Men. *lib.* 5. *quest.* 161. *num.* 26. Giurb. *cons. crimin.* 51. *num.* 1. Farinac. *in praxi crimin. q.* 85. *à n.* 1. ergo censenda est collativa, Cevall. *q.* 768. *à n.* 8.

In causis verò possessoriis si disceptaretur, an Capellania sit laicalis, seu Ecclesiastica, ultimus status considerandus est: quapropter si in ultimo statu collata, & Ecclesiastica inveniatur, ita censebitur; secus si laicalis: illud enim principium receptum est, ut in causis possessoriis ultimus status prospiciatur, Crescent. *decis.* 12. *de Præb.* Rota apud Posth. *de manut. decis.* 615. *n.* 9. itaque qualitas illa Capellaniæ erit inspicienda, de qua constat in ultimo statu, Crescent. *decis.* 9. *de jurepatronat.* Mohedan. *decis.* 9. *eod. tit.* Gonzalez *d. gl.* 5. *à num.* 51. Garcia *d. cap.* 2. *n.* 114. Marescotus *lib.* 1. *var. c.* 55. *à n.* 7. Lara *d. cap.* 1. *num.* 54. Pasqual. *d. q.* 1042. *n.* 4. 24

Deinde Capellania laicalis ex consensu Patronorum potest erigi in Beneficium Ecclesiasticum, quoties voluntati fundatoris (prout diximus in Anniversariis *lib.* 2. *c.* 7. *à n.* 15.) erectio illa non repugnaret, Palao *d. disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 3. qui ibidem scripsit, non repugnare, si fundator mentionem de Ordinario non fecerit, sed solum dixerit, se fundare Capellaniam, seu Anniversarium perpetuum Missarum ex suis bonis, ad quod Capellanum provideant sui hæredes, seu successores: quin potius ex hac clausula videtur requiri, ut auctoritas illius interveniret, & fieret Beneficium Ecclesiasticum. Sed hæc doctrina nequit à nobis admitti, ex traditis suprà, *n.* 10. Sanè admitteremus quando diceret, *Præsentent, vel ponant.* Illud enim verbum, *Providere*, totalem nominationem demonstrat, absque Episcopi dependentia, ut cum Garcia diximus ibidem; unde repugnaret, ut ab Episcopo conferretur. 25

Idem dicendum si dicat fundator, *Episcopus non se intromittat in hac Capellania*, Spino *de testam. glos.* 4. *n.* 42. *vers. Quo fit.* Cæterùm idem observes, si dicat testator, *Capellanus sit usque ad certum tempus, & postea Patroni alium eligant*; quia repugnat naturæ beneficii temporalitas illa, Caval. *dec.* 639. *n.* 6. Ast ego hanc dispositionem non repugnare erectioni Episcopi, nam amovibilitas etiam sine causa repugnat naturæ beneficii, ut diximus *c.* 1. hujus libri, *à n.* 9. Tenerem tamen illam doctrinam, quando ex dispositione fundatoris præcisè, & cum necessitate, tempore illo transacto, esset Capellanus amovendus, & alius nominandus; quia tunc ex parte nominationis independenter à consensu illorum, qui amovere possunt, esset temporalis, repugnans naturæ beneficii. 26

Deinde repugnaret, quando ex mente expressa fundatoris vellet, & demonstraret fundare Capellaniam laicalem, Lara *d. c.* 1. *à n.* 31. Si verò ex fundatione similis repugnantia non appareat, sed tantùm dicit, ne conferatur ab Episcopo, adhuc dicendum est non habere repugnantiam, quia si fundatio non habet alias conjecturas, unde præsumatur voluisse testatorem facere laicalem Capellaniam, interdictum ne ab Episcopo conferatur, redditur inutile; quapropter ex sola illa non datur repugnantia ad erectionem, Rota apud Seraphinum *decis.* 611. *à n.* 3. Ex his igitur, & ex aliis circumstantiis percipies, quando Capellania repugnet, ut fiat Ecclesiastica, Garcia *d. c.* 2. *n.* 105. Leon *de offic. Capel. q.* 5. *sect.* 10. *à n.* 141. 27

Prorsus præscriptione laicalis Capellania efficitur Ecclesiastica, licet ex fundatione postea contrarium appareat, veluti quando per legitimum tempus præscriptionis collationes, seu institutiones absque contradictione fuerint factę, Zerola *in praxi, verbo Beneficium*, 2. *p. n.* 14. 28

Sed est quæstio quantum temporis requiratur ad hanc præscriptionem; Prima sententia, quam tetigit Garcia *d. c.* 2. *n.* 16. asserit immemoriale tempus esse necessarium, *ex c.* 1. *de præscript. in* 6. *juncta Auth. de nupt.* §. *Disponat.* Sed ipse agnoscit sententiam hanc debile fundamentum habere, quia textus *in d. c.* 1. habet locum quando resistentia est juris communis, non verò quando resisteret alicujus fundatoris dispositio; loquitur enim textus ille in præscriptione decimarum, in qua si persona præscribat, cui jus commune resistit, necessarius est titulus, aut immemorialis præscriptio, quę vim habet tituli, seu privilegii, Garcia *de expens. c.* 9. *à n.* 17. Covarr. *l.* 1. *var. c.* 10. *n.* 14. Grat. *discept. c.* 578. *à n.* 11. Salgado *de Reg. protect.* 1. *p. c.* 1. *q.* 3. *n.* 125. quod longè se habet à nostra specie. 29

Secunda sententia asserit, spatium quadraginta annorum requiri; nam licet Capellania sit profana & laicalis, continet tamen opus pium, ad cujus præscriptionem quadragenaria requiritur, *Aut. de Ecclesiarum tit.* §. *Pro temporalibus*, 30

Sfortia *de in integrum restit. par.* 1. *q.* 3. *art.* 5. *ex n.* 32. Ergo ut Capellania laicalis fiat Ecclesiastica, requiritur præscriptio quadragenaria, Azorius *Institut. Moral.* 2. *p. lib.* 10. *cap.* 3. *q.* 5. Garcia *de benefic. dict.* 1. *part. cap.* 2. *num.* 116. Leon. *de offic. Capell. q.* 3. *sect.* 3. *num.* 40. Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 12.

31 Tertia sententia asserit ordinariam præscriptionem sufficere, nempe decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Rationem dat, quia præscriptio est contra rem laicam, & temporalem, & non Ecclesiæ, quapropter sufficit ordinaria præscriptio, Lara *d. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 50.

32 Hanc Laræ sententiam communiter reprobant DD. ast mihi admittenda videtur; fundamentum enim illius solidissimum est: nam licet piæ causæ non præscribantur, nisi spatio quadraginta annorum, Tiraquell. *de causis piis, privil.* 139. Medicis *opusc.* 4. *n.* 46. præscriptio tamen in hac specie non currit contra causam piam contentam in Capellania laicali, sed favore illius; nam facta Capellania Ecclesiastica, onus illud pium fit magis pium, & ad majorem Dei cultum, non solùm ex his Missis celebrandis, sed ex obligatione recitandi Officium Divinum: quamobrem non est necessaria quadragenaria præscriptio, unde resultat, contra temporalitatem illius Capellaniæ, ad quam sufficit ordinaria præscriptio, *l. unic. C. de usucap. transf. princip. Instit. de usucap. l.* 15. *&* 18. *t. t.* 29. *part.* 3.

In his Capellaniis laicalibus rectè fundator clausulam valet apponere, ne Ordinarius in eis se intromittat, etiamsi sit de consensu Patronorum; quia dispositio ista non repugnat naturæ Capellaniæ laicalis, quin potiùs conformis est, ne Episcopus se intromittat in illius provisione, ut depromitur ex Trident. *sess.* 22. *de Reformat. c.* 9. Covarr. *in* 4. 2. *p. c.* 3. §. 1. *n.* 20. Garcia *d. c.* 2. *n.* 105. Leon. *de offic. Capell. q.* 5. *sect.* 10. *n.* 151. Barbosa *d. c.* 5. *n.* 11. *in fin.* Palao *d. punct.* 6. *n.* 7. Castillo *lib.* 8. *controv. cap.* 7. *n.* 14.

33 Sed quid dicendum est de visitatione, an Episcopus possit Capellaniam laicalem visitare? Et hæc difficultas duobus modis concipi valet: in primis quando fundator visitationem Episcopo non interdixerit: secundo, quando illam prohibuerit. Et quoad primum, aliqui asserunt minimè illam Episcopum visitare posse, quia similis Capellania est purè temporalis, qua de causa nequit ab Episcopo visitari: & confirmatur à simili, nam licet sepultura auctoritate Episcopi erecta vendi nequeat, *c. Postquam* 13. *q.* 2. *l.* 1. *tit.* 3. *part.* 1. si tamen Episcopi auctoritas non interveniat, quamvis in illa sit aliquis sepultus, rectè venditur, Felinus *in cap. Quanto, de judic. n.* 4. Gregor. *in d. l.* 1. *part. Vender*, Molina *de primog. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 38. Ergo similiter in Capellaniis laicalibus, licet habeant aliquam causam piam, nempe onus Missarum, cùm revera temporales sunt, nequit Episcopus eas visitare, Parisius *lib.* 4. *cons.* 34. Gonz. *in reg.* 8. *gl.* 5. *n.* 35.

34 Alii verò tenent contrarium; nam licet Capellaniæ istæ temporales & laicales sint, & non Ecclesiasticæ; attamen sunt opera pia, & consequenter possunt ab Episcopo visitari, ex Trid. *d. sess.* 22. *c.* 8. *&* 9. Cæterùm, nam ex eo quod fundator expressè hanc visitationem non interdixerit, videtur illam admisisse: ergo semper erit visitanda ab Episcopo, Garcia *d. c.* 2. *n.* 104. Moneta *de commut. disp.* 10. *n.* 478. Sebastia. Cæsar *de Ecclesiast. Hier. par.* 3. *c.* 14. §. 3. *in fin.* Leon *d. q.* 5. *sect.* 12. *num.* 203. Barbosa *d. cap.* 5. *num.* 11. Palao *d. disp.* 1. *punct.* 6. *num.* 9. Castillo *dict. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 14. *vers. Decipitur.*

35 In hac difficultate dico has Capellanias laicales duo continere, nempe temporalitatem earum, & onus illis injunctum, quod pium est. Et quoad temporalitatem nequit Episcopus illas visitare, hoc enim non conceditur à Concilio, nec illius jurisdictionis est: quoad verò onera pia rectè Episcopus valet visitare, disquirendo an piæ illæ dispositiones sint executæ, aut Missæ celebratæ; hæc enim ad causam piam concernunt, & cadunt sub illius jurisdictione, prout in dicto Concilio decretum est, Leon *d. sect.* 12. *n.* 204. Pasq. *de Sacrif. Missæ*, *q.* 1046. *à n.* 3. Rot. apud Seraph. *dec.* 611. *n.* 6. Lara *d. cap.* 1. *n.* 4.

36 Verum in hac difficultate adnotanda est Leon doctrina *d. n.* 204. asserentis circa onus pium, quod licet possit Episcopus illud visitare, non tamen valet aliquid commutare, aut contraire voluntati fundatoris, *ex cap. Tua nos* 3. *de testam.* Trid. *sess.* 22. *de Reformat. cap.* 8. Sed hæc jura assumptum non probant, dicunt enim tantùm Episcopum providere debere, ut omnia procedant secundùm defuncti voluntatem: quod quidem certum est, nisi necessitas, aut utilitas fundationis aliud requirat; tunc enim existimo posse aliud disponere, seu commutare; nam quidquid disponit ex causa gravis necessitatis, aut utilitatis, est ad meliorem executionem voluntatis fundatoris: ergo si Episcopus valet visitare, ut exequatur pium onus Capellaniæ laicalis, poterit etiam commutare, vel alterare dispositionem, urgente causa necessitatis, seu utilitatis ad illud exequendum.

37 Secundò verò, quando fundator disposuerit, ne Episcopus se intromittat in visitatione Capellaniæ, illud erit observandum, ex aliquibus declarationibus Cardinalium, & præcipuè Pii V. 5. April. anno 1606. in causa Abulensi pro Comite de Oropesa, quam refert Garcia *d. c.* 2. *n.* 104. Quę quidem doctrina non solùm in Capellaniis laicalibus est admittenda, sed etiam in Ecclesiasticis; quia talis dispositio non derogat essentiam Capellaniæ Ecclesiasticæ, Garcia *d. c.* 2. *n.* 98. Riccius 4. *p. prax. resol.* 572. Moneta *de commut. c.* 10. *n.* 478. Leon *d. q.* 5. *sect.* 12. *à n.* 205. Diana 1. *p. tract.* 2. *de immunit. resol.* 83. Palao *d. disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 8. Thierrius *de benefic. sect.* 4. *vers. Quoad Vicarias.*

38 Aliqui tamen absolutè non admittunt doctrinam relatam, sed quando ad hanc dispositionem consensus Episcopi accederet tempore quo fundatio fit, nec sufficiet si postea superveniat; nam jus visitandi opera pia ita Episcopo competit, ut nequeat eo privari absque illius consensu, idque in limine fundationis; quia si postea subsequeretur, nequiret abdicare à sua dignitate jus illi quæsitum ex antecedenti fundatione, Curte *de jurepatron. verb. Pro eo quod*, *q.* 12. *n.* 26. *ad medium.* Ergo auctoritas Episcopi erit necessaria ad valorem hujus dispositionis, ne visitet, in limine fundationis, Gonzalez *d. gl.* 5. *n.* 47. Gutierez *in l. Nemo potest*, *ff. de legat.* 1. *à n.* 149. Barb. *ad Concil. in d. sess.* 22. *cap.* 9. *num.* 27. Lara *d. cap.* 1. *n.* 48.

39 Sed hoc non esse necessarium in Capellaniis laicalibus, sed tantùm in Ecclesiasticis, aliqui asserunt. At asserendum in omnibus non esse necessarium Episcopi assensum: non in laicalibus, quia ad earum fundationem non requiritur aliquis assensus Episcopi, nec ad tollendam illius visitationem; valet enim fundator eam curam aliis relinquere, prout sibi placuerit. Quod idem dicendum est in Capellaniis Ecclesiasticis, in quibus si auctoritas Episcopi requiritur, est ut Capellania remaneat, non verò ad effectum, ut fundator aliter non possit curam visitationis alteri demandare, Garcia *d. c.* 2. *n.* 98. *&* 104. *in fin.* Palao *d. punct.* 6. *n.* 8. Muta *decis.* 28. *num.* 29. Azeved. *in l.* 10. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopil. num.* 29. Grass. *de effect. Cleric. effect.* 1. *n.* 610. Diana *d. resolut.* 83. *vers. Sed quidquid sit.*

40 Illud tamen non prætereundum, quod licet fundator disposuerit, ne Episcopus se intromittat in visitatione, adhuc poterit visitare, data negligentia illorum, quibus cura incumbit administrationis; quia per devolutionem tunc pertinet visitatio ad Ordinarium, Rota apud Seraph. *decis.* 611. *n.* 6. Barb. 3. *p. de offic. Episc. alleg.* 82. *n.* 39. *& ad Concil. d. c.* 9. *n.* 27. Garcia *d. cap.* 2. *n.* 98. nisi etiam hoc casu alios sub exequutores fundator nominaverit, quia ad eos pertinet visitare, data aliorum negligentia, Moneta *d. c.* 10. *num.* 475. Paulus Rubeus *practicarum resolut. c.* 85. *n.* 34. Diana *d. resol.* 83. *vers. Et tandem.*

41 Cæterum breviter adnotanda est doctrina Rodriguez *in Summa* 3. *tom. cap.* 198. *n.* 3. asserentis, quod si fundator excluserit Episcopum à visitatione, id tantùm sit intelligendum quando ageret de mutanda principali dispositione fundationis, non autem quando ageretur de illius executione, alias clausula illa irrita remaneret. Fundamentum potuit assumere Rodriguez ab aliquorum sententia negante talem dispositionem validam esse, Martha *de jurisdict.* 4. *p. centur.* 2. *casu* 88. *num.* 14. Tusehus *de visitat. lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 7. *&* 8. Duardus *in exposit. Bull. Cœn. lib.* 2. *cap.* 15. *quæst.* 7. *num.* 16.

42 Sed hæc sententia admittenda non est ex Decreto Tridentin. *d. sess.* 22. *cap.* 9. excludente Ordinarios à qualibet cura, & administratione eis interdicta ex institutione fundatoris: quapropter Rodriguez non admittitur, Diana *dict. resol.* 83. *vers.* 2. reprobatur, Leon *dict. quæst.* 5. *sect.* 12. *num.* 205. In re observare non desinas, quod si fundator aliquos administratores Capellaniæ reliquerit, minimè visitatio Episcopi interdicta intelligitur, necessarium

est

est enim, ut expressè interdicatur, Leon. *dict. quæst. 5. sect. 12. n. 207.*

43 Præterea hæ Capellaniæ laicales darì possunt, quibus voluerint Patroni in qualibet ætate, nisi aliud disposuerit testator, seu fundator: vidimus enim aliquas istarum Capellaniarum ex dispositione fundatoris non esse concedendas, nisi majoribus viginti annorum; alias præcisè requirentes ætatem sufficientem ad Ordines Sacros suscipiendos; ad alias, ut dictum est, quælibet ætas sufficiet, Valasc. *consult. 60. n. 13.* & possunt à fœminis possideri, Gonzalez *d. glos. 5. n. 26.* Nec qui illas tenet, tenetur ad recitandum Officium Divinum, Spino *de testam. glos. 4. num. 42.* Palao *d. disp. 1. punct. 6. n. 5.* Gonzalez *d. glos. 5. n. 30.* qui *n. 31.* scripsit, nec ad titulum illius Capellaniæ posse quem ordinari, quia non est Beneficium, Palao *d. punct. 6. n. 6.* Molfesius *in Summa, tr. 6. cap. 1. n. 77.* Garcia *d. cap. 2. à n. 111.* Barbosa *de offic. Episcop. 2. p. alleg. 29. n. 35.* Leon. *de offic. Capell. q. 3. sect. 4. per tot.* qui à *n. 60.* limitat, quando à fundatore relinqueretur, concessa hac facultate, ut Capellanus ordinetur ad titulum illius, vel ubi observaretur talis consuetudo, Thom. Hurtad. *d. lib. 6. resol. 3. num. 2.* Thierr. *d. sect. 4. vers. Ex dictis.*

44 Est verò difficultas, an hæ Capellaniæ laicales ad subsidium, & excusatum persolvendum teneantur? Et dubium istud duobus modis concipi valet: in primis quando à laicis possidentur: secundò, quando à Clericis possidentur. Et quoad primum certum est, ad subsidium & excusatum non teneri, quia hæc bona sunt temporalia, nec subsidium, & excusatum debetur, nisi ex redditibus Ecclesiasticis, ut constat ex Bullis Pii IV. & V. similiterque Clementis VIII. Cæterùm hæ Capellaniæ laicales, potiùs Anniversaria, vel memoriæ Missarum dicuntur, & possunt collectari, Avendan. *de exeq. mand. 2. part. cap. 14. n. 32. vers. Item alii*, Lara *de Capel. lib. 2. cap. 1. n. 41.* & tradita per Menam *lib. 2. var. c. 21. §. 4.* Non est ergo ratio, ut collectentur, & alia via subsidium, & excusatum persolvant, Garcia *d. c. 2. n. 107. ad med.* Palao *d. punct. 6. n. 10.* Moneta *de decim. c. 9. n. 21.* Leon *de offic. Capel. q. 5. sect. 17. n. 259.* Thierrius *d. sect. 4. vers. Ex dictis.*

45 Est dubium, an si Capellaniæ istæ relinquantur à Clericis possidendæ, teneantur solvere subsidium, & excusatum? Prima sententia affirmat; nam illa bona ex eo quod Clericis relinquantur possidenda, Ecclesiæ relicta videntur, & subsunt in ejus regimine: quaproter ad subsidium, & excusatum tenentur. Quod sic censuit Congregatio Ecclesiastica anno 1608. & tenet Lara *lib. 2. de Capell. c. 6. n. 16.*

46 In contrarium est secunda sententia; nam hæc bona, etiamsi à Clericis relinquantur possidenda, temporalia remanent, idcircò ad subsidium, & excusatum non tenentur. Et explicatur; nam licet propter onus pium injunctum quodammodo privilegiis Ecclesiæ perfruantur, attamen fundator voluit, ut temporalia in suo esse remanerent. Ergo cùm Ecclesiç non sint, sed quædam laicalia, ad subsidium, & excusatum non tenentur, licet necessario à Clericis possideantur. Denique hæc bona in titulum non conceduntur, sive Beneficii, aut Capellaniæ collativæ, & ideò laicalia, & temporalia relinquuntur, Guido Papæ *decis. 87. n. 1.* Navar. *cons. 5. n. 1. de Præb.* Rota *1. p. divers. decis. 71. n. 1.* Ergo ad subsidium non tenentur; remanent enim tanquam bona salarium præstantia ad dicendas Missas, Palao *d. punct. 6. n. 10.* Garc. *de benef. 3. p. cap. 1. num. 603.* Leon. *d. sect. 17. à n. 259.* Pasqualig. *de Sacrif. Miss. q. 1036. n. 3.* Crespi *observ. 91. à n. 63.*

47 In hoc dubio observandum, posse fundatorem eo animo relinquere bona illa, ut transeant ad Ecclesiam, & sub illus dominio remaneant, verum ab aliquo Capellano administrentur, & inde omnes fructus percipiat ad salarium Missarum: & in hoc casu dicendum, subsidium, & excusatum deberi, non tanquam bona alicujus Beneficii, aut Capellaniæ collativæ, sed tanquam bona Ecclesiastica, quæ ad subsidium tenentur, Palao *d. punct. 6. n. 10.* quo in casu loqui videtur Lara *d. c. 6. n. 16.*

48 Aliter verò quando fundator dicit suam intentionem non esse, nisi ut laicalia remaneant, & sub jurisdictione Sæcularium Judicum, ut faciant onus Missarum adimplere per fructuum detractionem, aut per amotionem Clerici adimplentis; tunc enim bona illa temporalia, & laicalia remanent, obnoxia tamen oneri Missarum, licet à Clerico possideantur: quapropter ad subsidium, & excusatum non tenentur, Pasqualig. *d. q. 1036. n. 5.* qui *n. 6.* cum Fagundez, & Leon scripsit has Capellanias laicales ad decimas prædiales teneri.

Sed quid de collectis in his laicalibus Capellaniis, quæ à Clericis sunt possidendæ? Et recolenda sunt quæ diximus *lib. 2. c. 7. n. 11.* In terminis verò dico, quod si bona magni valoris relinquantur ad has Capellanias, cum parvo numero Missarum, esse gabellanda; fraude enim apparet id ita factum fuisse, ne ad collectas tenerentur, Leon. *d. q. 5. sect. 17. n. 265.* Secus verò si bona tantùm deserviant ad salarium Capellani, ut congruè, & rectè Missæ adimpleantur; nam tunc si ad collectas obligarentur, diminueretur Missarum numerus in damnum causæ piæ: quod nequit fieri à Principe Sæculari ob privilegium causarum piarum, Pasqualig. *d. q. 1036. n. 7.* 49

Postrius circa has Capellanias laicales disquirere oportet de earum successione, & nominatione. Et in primis illud est observandum, quod a fundatore fuerit dispositum: multoties magis ad indagandam veritatem convenit prospicere fundationem, quam alias juris regulas, cum ad placitum valeat vocationes, aut nominationes disponere. Si enim nihil disposuerit, in Hispania in harum Capellaniarum successione adest consuetudo, ut secundùm regulas majoratus successiones fiant, de qua fidem faciunt Gomez *in leg. 40. Tauri, n. 65. in fin.* Rota *divers. 2. p. dec. 100. sub n. 6.* Molina *de primog. lib. 1. c. 7. n. 10.* Guttierez *lib. 2. practicarum, cap. 8. n. 9.* Riccius *in praxi for. decis. 413. vers. Quare in Capellaniis*, Leon. *de offic. Capel. q. 5. sect. 13. n. 217.* Barbosa *de univ. jur. lib. 3. c. 5. n. 8.* 50

Hanc consuetudinem in Capellaniis laicalibus, quæ à laicis, & fœminis valent possideri, facilè admitto: verùm in aliis, quæ petunt Sacerdotes, & Clericos, & quarum omnes fructus in onere Missarum exhauriuntur, dissentio; nam hę sunt causæ piæ propriè, licet bona temporalia remaneant; nec in eis datur repræsentatio, sed quilibet ex sua persona admittitur, Robles *de represent. lib. 3. c. 3. n. 8.* Garcia *de benef. 7. p. cap. 15. n. 22.* quod repugnat naturæ succedendi in majoratu petente successionem per repræsentationem, *ex l. 40. Tauri.* 51

Cæterùm in majoratibus datur tractus successivus in lineis, quo deficiente, nequit propriè majoratus considerari, Peralt. *in rubr. de hæredib. instituend. n. 130.* Mench. *de success. creat. lib. 3. §. 27. n. 10.* Robl. *d. lib. 3. c. 6. n. 4.* In his verò Capellaniis petentibus Sacerdotem, & Clericos, nequit admitti tractus successivus in lineis; quia nequeunt admitti fœminæ, & alii quamplurimi stolidi, & incapaces homines ad Sacerdotium, & Clericatum: ergo nequit admitti in similibus Capellaniis successio per modum majoratus. 52

Præterea in majoratibus considerantur fines diversi, quàm in Sacerdotio, & Clericatu: in illis enim consideratur conservatio familiæ, honor, & dignitas temporalis; in isto verò idoneitas personæ ad sacra peragenda, decus Ecclesiæ, & totius Status Ecclesiastici: quapropter ad præficiendum Sacerdotem, seu Clericum, non est prospicienda conservatio familiæ, & successiones, quæ ad id tendunt; sed considerandæ sunt Ecclesiasticæ regulæ tendentes ad perficiendum bonum, & perfectum Clericum: quare in his Capellaniis non sunt servandæ successiones majoratus, sed Regulæ Ecclesiasticæ, absque aliqua successione civili, *c. 1. de Præb.* Trid. *sess. 25. de Reform. c. 7.* 53

Quod utinam adnimadverterent Patroni, & hæredes, ne tantos Capellanos videremus ignaros, malis moribus dedecoratos & quod magis est, malis artibus ordinatos in tantam Ecclesiæ perniciem, & totius Reipublicæ; siquidem per eos privantur Anniversaria, vel Capellaniæ aliis qui aut terram colerent, aut officiis vacarent. Quod (salvo meliori judicio) tenendum censeo, nisi expressim fundator dicat, quod in his Capellaniis Sacerdotes requirentibus, in modum majoratus succedatur; tunc enim ab ejus expressa voluntate non debemus recedere. 54

Illud verò denique sciendum, in his Capellaniis laicalibus neutiquam simoniam committi, cùm nihil in eis reperiatur spirituale, Rota *2. p. div. decis. 365. n. 2.* Valeron *de transf. tit. 3. q. 6. num. 25.* Caputaq. *2. part. decis. 336.* Barb. *d. lib. 3. cap. 5. num. 3.* & tunc in eis erit competens Judex Sæcularis, Lara *lib. 2. c. 1. n. 3.* cujus sententiam admitto in his Capellaniis, quæ ad laicos, & fęminas pertinent: si tamen à Clericis possiderentur, & omnia bona illa, & eorum fructus ad onus Missarum pertinerent, etiam cognoscere va- 55

ler Ecclesiasticus; in his verò quæ attingunt personam Capellani, si adversus eum ageretur, solus Ecclesiasticus Judex cognoscet, ex his quæ scripsimus.

CAPUT III.

De Capellania Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

Quæ sit Capellania Ecclesiastica, n.1. Qui eam tenet, tenetur ad recitandum Divinum Officium, n.2.

Sed an tenuis Capellania obliget ad recitationem horarum? Prima sententia affirmat, n.3. Secunda negat, tertia distinguit, quarta resolvit, n.6. & 7.

Explicatur c.39. id est c.1. de celebr. Miss. *ubi in dubio quando non constat de tenuitate, aliqui affirmant teneri, alteri negant, n.8.* Explicatur, *n.9.*

Ad titulum Capellaniæ Ecclesiasticæ valet quis ordinari, nu. 10. & fit subditus illius Episcopi: & quid si sit tenuis, disceptatur. Explicatur Trid. sess. 22. de Reform. cap. 2. *n. 11. Sunt duæ opiniones contrariæ, n.12. & 13. Resolvitur n.14.*

Quis ordinari ad titulum Capellaniæ Ecclesiasticæ quando possessionem non habet, an valeat, necne, disceptatur? Negant aliqui, n. 16. affirmant alteri, num. 17. resolvitur, num. 18.

Qui habet Capellaniam Ecclesiasticam, gaudet privilegio fori, num. 19.

In Capellaniis curam habentibus requiritur ætas vigintiquinque annorum, n.20. In simplicibus quid olim? Hodie decimusquartus annus requiritur, n.21. sed in Capellania juris Patronatus aliqui hanc ætatem non requirunt, n. 22. sed contrarium, à n. 23.

Sed quid si fundator dicat, Concedatur minoribus quatuordecim annorum. *Prima sententia dicit observandum, num. 24. altera negat, num. 25. sed admittitur prima, num. 26.*

An annus decimusquartus debeat esse inceptus, aut completus? aliqui affirmant, n. 27. sed contrarium defenditur, n.28.

Ætas ista debet adesse tempore electionis, præsentationis, seu impetrationis, & in ea solum dispensat Pontifex, num. 29.

In Capellaniis juris Patronatus, an possit impubes præsentari, porrecta supplicatione ad Pontificem pro dispensatione ætatis. Prima sententia negat, n. 30. altera affirmat, nu. 31. resolvitur, n.32. & 33.

Cæterum in hac specie de devolutione agitur, à n. 34. resolvitur tamen intra quadrimestre dispensationem esse obtinendam aliàs devolvetur, usque ad n.37.

Ætas post nominationem sufficit, ut superveniat ante præsentationem, n.38.

An Patronus possit petere suspendi judicium intra tempus à jure concessum ad præsentandum, disceptatur, & resolvitur affirmativè, à n. 39.

Ætas non connumeratur à tempore conceptionis, sed nativitatis, n.40. Probari debet ab eo, qui in ea se fundat, & quomodo probatur, à n. 43.

Ad obtinendam Capellaniam Ecclesiasticam requiritur saltem prima tonsura, n. 46. ponitur instantia, & respondetur, n.47. nec sufficiet vitiose esse tonsuratum absque executione, nec quod tonsuratus reputetur, n. 48. Explicatur lex 3. ff. de offic. Prætor. *à n. 49.*

1 EX dictis facilè cognoscitur, Capellaniam Ecclesiasticam esse, quæ auctoritate Episcopi fundatur, & in ea obtinet locum quidquid statutum est in Beneficiis Ecclesiasticis, cùm sit propriè Beneficium, Salcedo *ad Bernard. cap. 18. à num. 9.* Azevedus *in l. 1. tit. 4. lib. 5. Recopilat. n.7.* Garcia *d. cap. 2. à n.95.* Capponi *tom.5. discept. 397. num.22.* Castillo *lib. 8. controv. cap. 7. num. 14. vers. Primo itaque.* Ista verò Capellania, si habeat populum, duplex dicitur: verùm si illo careat, simplex, Leon *de offic. Capell. q.3. sect. 4. num.63.*

2 Unde plura sequuntur, & illud scitum, habentem Capellaniam Ecclesiasticam teneri ad recitandum Divinum Officium, quod non solùm intelligas si perpetua sit, verùm etiam si amovibilis; nam ut supra probavimus, est propriè Beneficium, Lara *d. lib. 2. c.6. n. 15.* Leon *de offic. Capell. q. 3. sect. 5. n. 64.* Bonac. *de Hor. Can. disp. 1. q. 2. punct. 4. n. 6.* Thierr. *d. sect. 4. vers. Ex dictis.*

3 Sed est dubium in praxi obvium, an tenuis Capellania Ecclesiastica obliget ad recitandum Divinum Officium? Prima sententia respondet affirmativè; nam *ex c. 1. de celebrat. Missar.* & Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 29. can. 9.* cuilibet Beneficiato impositum est onus istud, in quo etiam tenue Beneficium comprehenditur, quia verba Concilii generalia sunt. Præterea expendi valet textus *in c. Clericus victum 3. dist. 91.* ubi dicitur, quod si Clericus nequit ali ex fructibus sui Beneficii, quærat suo labore victum sine detrimento sui officii, ubi Glossa *verb. Vigiliis*, ita tenet absque detrimento Divini Officii, similiter asserens Clericum habentem tenue Beneficium, ad recitationem Horarum teneri: quod idem dicendum in Capellania tenui, cùm sit Beneficium, Riccius *in sua praxi, 2. p. resol. 406.* Covarr. *l. 3. variar. c. 13. n.8.* Comitolus *Resp. Mor. l. 1. q.68.* Barbosa *in c. Dolentes, de celebr. Miss. n.4.* Bonac. *de Hor. Can. d. punct. 4. n.17.* Garcia *de benef. 3. p. c. 1. n.38.*

4 Secunda sententia tenet contrarium, nam ut inquit Apostolus *1. ad Corinth. 9.* qui Altari servit, de Altaris proventibus vivere debet: ergo si tenuis Capellania, aut Beneficium non dat majorem partem moderatæ sustentationis, nequit ad recitandum Officium Divinum obligare: quod alii ad bonam partem illius victus designant. Tenent hanc sententiam Ledesma, Sotus, Malderus, & alii, quorum doctrinam probabilem docet Diana *2. par. tr. 1. de Hor. Canon. resolut. 9. & 5. p. tr. 5. resol. 25.* Lessius *lib. 2. de just. c. 34. dub. 31. n. 169.* Henriq. Augustin. *sect. 36. q. 1.* Cevallos *com. q. 643. à n. 6.*

5 Tertia sententia est Pauli Laym. *lib. 4. tr. 2. c. 5. q. 5. n. 4.* distinguentis, & dicentis primam sententiam admittendam esse in Ecclesiis, ubi viget consuetudo, ut hæc Beneficia, aut Capellaniæ tenues obligent ad recitandum Officium Divinum, quia cum illo onere traditæ videntur; imputetque sibi Capellanus, qui ob tam tenue stipendium onus simile suscepit; secus si talis consuetudo non adesset, & propter alia servitia illud tenue stipendium concederetur.

6 In hoc dubio observandum, duobus modis posse quem teneri ad recitandum Officium Divinum, ratione nimirum Ordinis Sacri, vel ratione Beneficii. Quod si teneatur recitare ratione Ordinis, tunc astringitur religionis virtute; si verò ratione Beneficii, tunc virtute justitiæ obligatus est. Quapropter aliqui Doctorum asseruerunt probabiliter, obligatum ratione Ordinis, & Beneficii ad recitandum Officium Divinum, dupliciter peccare si illud omiserit, Sanch. Azorius, Fagundez, Squillante, & Carolus Macign. quos refert Diana *d. tract. 1. de Hor. Canon. resolut. 22.* licet contrarium dicat probabile. Unde colligo textum *in d. c. Clericus victum*, & textum *in d. cap. 1. de celebrat. Missarum*, intelligendos de Clericis Sacris Ordinibus initiatis, qui licet tenue habeant Beneficium, ad recitandas Horas Canonicas tenentur, *cap. fin. 92. distinct. cap. 1. cap. Dolentes 1. de celebrat. Miss.* Villalobos *in Sum. 1. par. tract. 24. diff. 7. n. 1.*

7 Quapropter cùm nullus sit textus, qui hanc difficultatem decidat, in re admittendam censeo doctrinam distinguentem, quando Beneficium, seu Capellania tenuis habeat alia servitia præter recitationem Horarum: tum enim minimè tenetur Capellanus ad Officium Divinum persolvendum, quia stipendium illud relictum videtur propter illa servitia, non verò propter obligationem recitandi; nam ut scripsit Menchaca *de succession. creat. lib. 3. §. 22. num. 56.* fructus Beneficii non solum dantur propter recitationem horarum, sed propter alia servitia: idcircò quando fructus tenues sunt, dati intelliguntur propter alia servitia, non propter obligationem recitandi: secùs si nulla servitia existant, sed tantùm Beneficium, seu Capellania sit simplex absque aliquo onere; tunc enim etiamsi fructus sint tenues, ad Horas Canonicas explendas tenebitur Capellanus; sufficit enim stipendium illud, seu fructus, etiamsi tenuis, ad persolvendam unicam Horam occupationis quotidiè ad recitandum Officium Divinum, Suarez *tom. 2. de Rel. l. 4. c. 21. n. 9.* Vasq. *in opusc. de benef. c. 4. §. 1. art. 1. dub. 5. à n. 23.*

8 In dubio verò quando non constaret de tenuitate Beneficii, seu Capellaniæ, Vasq. *1. 2. disp. 65. c. 3. n. 11.* asserit Capellanum, seu Beneficiatum teneri ad recitandum Officium Divinum, quia obligatio est certa, dubia verò excusatio, Salas verò *1. 2. tract. 8. disp. unic. sect. 17. n. 154.*

con-

contractum tenet, quia est dubium juris, onus verò onerosum recitandi Officium: quapropter in dubio non obligabit. Utramque sententiam probabilem dicit Diana *4.part. tract.3. resolut.24.* Fagnan. *in cap. Ne innitaris, de constitut. num.179.*

9 Verùm probabilitatem hanc admitterem, quando Capellania, seu Beneficium haberet aliqua onera ultra recitationem Horarum, dubiumq; adesset, an fructus, qui supersunt solutis oneribus, sint sufficientes ad inducendam obligationem horas recitandi: quo casu si ita pauci sunt, aut dubitetur de sufficientia ad illam obligationem, neutiquam tenebitur Capellanus; si verò nullum sit onus, & tenues sint fructus, obligabitur, ut supra diximus; si verò ita perpauci, ut dubitetur an sufficiant ad persolvendam occupationem quotidie unius horæ, probabiliter cum Salas, & Diana non tenebitur.

10 Insuper ad titulum Capellaniæ Ecclesiasticæ valet quis sacris Ordinibus initiari, Garcia *d.c.2.n.*112. Barbos. *de univ. jur. lib.3.cap.5.n.*21. & ratione illius poterit ordinari ab Episcopo, ubi sita est, licèt aliàs sit Capellanus forensis; quia ratione Beneficii, seu Capellaniæ collativæ, fit subditus illius, *c.Cum nullus 3.de temp.ord.in 6.* Riccius *1.p. prax. resolut.49.* Garcia *de benef.2.p.c.1.n.1.* Leon *de offic. Capell. q.3. sect.5. n.69.* Sanchez *cons.lib.7. c.3.dub.23.*

11 Quid verò si Capellania sit tenuis, an sufficiet quod Capellanus sit subditus illius Episcopi, ubi posita est, dimicant DD. Aliqui asserunt non sufficere, ex Trident. *sess.22. de reform.c.2.* quod petit congruam sustentationem. Ast Concilium ad rem non est, quia loquitur de titulo sufficiente ad sacros Ordines suscipiendos, ad quod quidem congruam sustentationem prærequirit, Garcia *dict. 2.part. cap.4.num.* 8. Diana *4.part. tract.4. resolut.*51. March. *de Ordin. tract. 2.part.6.cap.5.diff.*1. non verò de difficultate nostra, ubi inquirimus, an ex Capellania, seu Beneficio tenui, fiat quis subditus illius Episcopi, ubi situm est Beneficium, seu Capellania.

12 Sed licèt Concilium ad rem nihil probet, est declaratio Cardinalium, quam refert Squillant. *de privil. Cleric.c.4. n.*339. respondentium Cardinali de Aquaviva, promotum ab alio Episcopo ex causa Beneficii tenuis, malè promotum fuisse: ergo tenui existente Capellania Ecclesiastica, nequit quis ordinari ab Episcopo, ubi sita est, *Prax. nov. Episcopalis 1.part. verb. Beneficium*, §.3. Sotus *de justit.lib.*11. *qu.5. art.3.* Riccius *in prax. for. decis.*301. Molfesius *in Summa, tom.1.tract.2.cap.2.n.7.* & alii apud Barbosam *ad Concilium, sess.23.c.8.n.22.*

13 Alii contrarium tenent, quia textus *in d.cap. Cum nullus*, ut quis Episcopo subiciatur, non requirit, ut Capellania, seu Beneficium sit pingue, quapropter sufficiet ut tenue sit. Et confirmatur, nam Capellania Ecclesiastica, seu Beneficium propriè est Beneficium, licèt tenue, habetque rectum titulum, unde Capellanus Episcopo subiiciatur: nec quod sit pinguis, aut tenuis Capellania, non intrat ad substantiam illius. Unde Rubeus *cons.*17. scripsit jura loquentia de Beneficiis verificari in Beneficio tenui: ergo quamvis Capellania, seu Beneficium sit tenue, sufficit ut fiat quis subditus illius Episcopi, ubi sita est, Garcia *de beneficiis, 2.part. cap.4.n.8.&* 19. Henriquez *in Summa, lib.*10 *cap.22.§.1.lit.C.* Barbosa *ad Concilium, sess.22. cap.8. n.22. & de offic. Episcopi 2.part. allegat.24. n.45.* Capponi *discept. forens. tom.2. discept.* 108.*n.*8. Diana *8.part. tract.2.resol.20.* Marchin. *de Ord. tract. 1.part.5. c.8. n.14.*

14 In hoc dubio observo, Doctores primæ sententiæ suam stabilire, existimantes minimè ab Episcopo Beneficii, seu Capellaniæ tenuis posse Capellanum ordinari, quia congruam non habet sufficientem ad titulum Ordinum: unde colligunt ob eandem rationem minimè ab illo ordinari posse. Sed non rectè loquuntur; nam distinctum est petere congruam ad Ordines suscipiendos, aliud verò ut Capellanus, vel Beneficiatus sit subditus illius Episcopi, ubi sita est Capellania: ratio est, nam ut benè considerat Marchin. *d.c. 8.n.*14. si ipse Capellanus habeat Capellaniam, seu Beneficium tenue, & insimul aliquod patrimonium simul cum illa, rectè poterit ordinari ab illo Episcopo; quia illum ordinare non poterat, non ratione subjectionis, sed carentiæ congruæ sustentationis: ergo ex sola Capellania, aut Beneficio tenui rectè subditus est illius, & consequenter ordinari valet absque dimissoriis proprii Episcopi.

15 Quo in sensu intelligo declarationem Cardinalium contrarium decidentem, si vera est, quod negat Diana *d. resolut. 20. versic. Nota tamen.* Itaque illa est intelligenda, ut decidat non benè promotum fuisse Beneficiatum tenuis Beneficii ab Episcopo, ubi erat situm, non quia non erat subditus, sed quia non habebat congruam sufficientem ad titulum Ordinum.

Deinde prætermittenda non est alia quæstio, an quis possit ordinari ad titulum Capellaniæ collativæ, ab Episcopo ubi sita est, cujus possessionem adhuc nactus non est? Et negandum videtur; nam qui obtinet Beneficii titulum, absq; possessione habere Beneficium non videtur, Felinus *cons.4. n.4.* Boerius *decis.*171.*n.*21. nec titulus firmus est, donec possessionem adipiscatur, Covarruvias *lib.3. variar. cap.26.n.6. versic. Est tamen.* Ergo cùm titulus certus non sit, non fit subditus illius Episcopi, & nequit ab eo ordinari. Cæterùm probatur ex Trident. *sess.21. de reform. cap.2.* ubi ut quis ordinetur ad titulum Beneficii, titulus insufficiens dicitur, nisi nanciscatur possessionem. Ergo nec sufficiens erit, ut illo titulo fiat subditus Episcopi, ut ab eo ordinetur, Garcia *d.c.4.n.*17. Barbosa *d.allegat.24.n.55.* Trullench *de Sacrament. lib.6.cap.unic.dub.7.n.22.* 16

Contrarium tenent Riccius *2.p. decis.*193. Diana *d. tract. 2.resol.24.* nam qui titulum habet Capellaniæ, seu Beneficii, Beneficium, seu Capellaniam habere videtur, & jus quæsitum in re, *c.Si tibi absenti 17.de prebend.in 6.* Flamin. Parisius *de resignat. lib.*10. *q.6. n.2.* Ergo cùm habeat jus quæsitum in re, subditus fiet illius Episcopi absque apprehensione possessionis. Præterea, nam ut declaravit Sacra Congregatio apud Flamin. *de resignat. lib.7. quæst.1. num.47.* ex eo solùm, quod quis habet titulum Beneficii absque aliqua possessione, fit subditus Ecclesiæ, & gaudet privilegio fori: ergo quis habet Capellaniam Ecclesiasticam ex titulo absque possessione, fiet subditus Episcopi, ubi sita est, & poterit ab eo ordinari. 17

Difficultas ista distinctione resolvenda est, scilicet quando quis habet titulum Capellaniæ, seu alterius Beneficii, attamen possessio ab alio tenetur; tunc enim minimè Capellanus ordinandus ab Episcopo illius Diœcesis, ubi sita est Capellania, quia titulus, quando possessio ab alio tenetur, certus non est, *cap.Cum quis 18. de prebend.in 6.* secus si à nullo Capellania tenetur, verùm vacua est, certè tunc à Capellano titulum habente valet consequi; tunc enim titulus certus est, & potest ab illo Episcopo ordinari; possessio enim per se considerata est quid facti, Pichard. *Instit. de interd. in princip. à n.69. art.2.* Itaque qui habet titulum certum, omne jus habet in re, & consequenter fiet subditus illius Episcopi, & poterit ab eo ordinari. 18

Prorsus qui habet Capellaniam Ecclesiasticam, gaudet privilegio fori, ex Trident. *sess.23. de reform. c.6.* ubi decretum est, minoribus Ordinibus initiatos habentes Beneficium gaudere privilegio fori, quod idem dicendum de habente Capellaniam Ecclesiasticam, cùm propriè sit Beneficium, Lara *d.lib.2.c.1.n.16.* Leon *d.qu.3.sect.5.n.67.* Torrebl. *de jur. spirit. lib.15. c.6.n.6.* 19

Cæterùm in his Capellaniis Ecclesiasticis, ad illas obtinendas certa ætas à jure est designata; non verò propter hanc designationem impeditus est fundator, ut si sibi placuerit, majorem non designet, Moneta *de commut. ult. vol. cap.10. n.*130. In his verò Capellanus, quibus cura animarum incumbit, Capellanus debet attingere vigesimumquintum annum, aliàs ad talem solicitudinem non admittetur, *cap.Cùm inuentis 7.§.fin.de elect. cap.Licèt canon 14.de elect. in 6.* Trident. *sess.24. de reform. cap.*12. nam ad curam exercendam animarum maturitas sensus requiritur, & non in alia minori ætate ita viget, nisi quando ad perfectam pervenitur, Zachias *quæst. medicoleg. lib.2.tit.1.qu.5.n.4.* Quare optimè Cicero *de senect.* ait: *Atque ita inter alias ætates, quædam consiliorum expertes sunt, ut infantia, pueritia, decrepita ætas; quædam consilia habent, sed ea fragilia, & infirma, ut adolescentes: quædam firma quidem, sed non usu, & experientia corroborata, ut juvenum: quædam matura, & solida, multaq; rerum cognitione, usu, & exercitatione confirmata, ut media ætas, & senectus*, Salzedo *ad Bern. cap.26. lit.B.* Idcircò Capellani, qui ad curam animarum præficiuntur, vigesimumquintum annum attingere debent, Flamininus Parif. *lib.4. de resignat. c.9.n.16.* Gutierr. *lib.1.can.qu.cap.26.n.3.* Valensis *in parat. ad tit. de ætat. & qualit. ord.2.§.1.n.4.* Garcia *de Benef. 7.p.c.4.n.42.* Tondut. *qu. Benef.2.p.c.5.§.5.n.1.* 20

In aliis verò Capellaniis simplicibus animarum curam 21

non

non habentibus, sicut in aliis Beneficiis simplicibus, olim disceptatio fuit, ad illas obtinendas quænam sufficeret ætas? Aliqui enim adimpletum septennium habere sufficere asserebant, alii verò annum decimumquartum requirebant, Azorius 1.*p.Inst.Mor.lib.6.cap.5.q.7.* Valensis *d.§.1.n.1.* Petrus Gregorius *syntag.lib.17.cap.6.n.*20. Hodie verò sublata est hæc concertatio ex Trident.*sess.*23.*de reform.cap.6.* juxta quod ante illud decreverat lex 3.*tit.16.p.1.* nam designavit ætatem ad obtinendam Capellaniam, seu Beneficium simplex, nempè annum decimumquartum, idque petente illa ratione; nam pupillus seipsum regere nescit, nec officium publicum habere, *leg.2.§.Impuberes, ff.de jur.immunit. l.2.§.Impuberes, ff.de reg.jur.* Ergo nec Capellaniam, aut Beneficium simplex obtinere potest, Riccius *in praxi for. decis.*385.*vers. Nihilominus, & 4 part.decis.cur.decis.*281. Leon *de offic.Capell.4.p.praxi 6.n.*33. Barbosa *de offic.Episcop.3.p.alleg.60.n.*73. Vasquez *in opuscul.de Benef.c.3.§.2.dub.3.à n.*20. Palao *dict.tract.13.disp.4.punct.3.n.*19. Thierrius *de benef.sect.*19. Fagnanus *in c.Cum in cunctis, de elect.n.*87.

22 Sed an id sit certum in Capellaniis juris patronatus, sub lite est. Aliqui enim tenuerunt, minimè decretum Tridentini intelligendum in Capellaniis, aut beneficiis juris patronatus, quin potiùs minorem quatuordecim annorum illas habere posse; nam sub nomina beneficii non venit Capellania, aut beneficium jurispatronatus, in his quæ odiosa sunt, sed tantùm in favorabilibus: cùm ergo odiosum sit designare annum decimumquartum ad obtinendam Capellaniam, cùm antea septennium sufficeret, ut cum Rebuffo tenet Thierr. *d. sect.19. versic. Ex dictis*; inde est, ut decretum Tridentini non intelligatur de Capellaniis, aut beneficiis jurispatronatus, sed pupillo dati possint, Rota apud Garciam *d.c.4.n.*10. Novarius *quæst.for.1.p. qu.7. à n.*5. Novar. *in Meth.Pont jur.nov.concl.*14. Capponi *tom.2. discept.108. à n.* 85. Diana 3.*p.tract.6.resol.*64.

23 Hoc verò fundamentum leve est, nam Concilium hanc ætatem non designavit in odium beneficii, aut Capellaniæ jurispatronatus, sed in favorem illius, dum melius à Capellano illius ætatis sacra onera adimplebuntur. Quamobrem teneo contrariam sententiam, quia cùm absolutè loquatur Concilium de quolibet beneficio simplici, debet intelligi de Capellania, & beneficio simplici jurispatronatus, Garcia *d.cap.4. à num.9.* Marius Antoninus *var. quæst.122.casu* 51. Barbosa *de univ.jur.lib.3.c.12.n.*157. Leon *de offic.Capell. d.q.4. praxi 6.n.*37.

24 Excipiunt plures, nisi aliter dispositum fuerit in fundatione harum Capellaniarum, seu beneficiorum; quia si fundator præceperit, ut minoribus quatuordecim annorum concedantur, illud erit observandum; quia quælibet conditiones positæ in fundatione, debent observari: tunc Concilium non derogat has fundationes, quæ clarè disponunt, ut hæ Capellaniæ minoribus quatuordecim annorum concedantur, Rota 2.*part. recent. decis.*194. Lotterius *de re benef.lib.1. qu.32.num.*35. Garcia *d.cap.4. num.9.* Moneta *de commut. ult. vol.cap.10.num.*130. Leon *d. 4.part.prax.6.à num.*36. Palao *d.disput.4. punct.3. num.*20. Layman *in Summa, lib.4. tract.2. cap.14.n.1.*

Quod non solùm extendunt quando expressè id fuerit declaratum in fundatione, verum etiam si tacitè, veluti si dicat, *Præsentetur, aut nominetur Clericus minoribus Ordinibus initiatus*; quia cùm possit illis Ordinibus insigniri ante decimumquartum annum, consequenter vult ut possit promoveri ad illam Capellaniam, seu beneficium, illa ætate non expectata, Rota *div.1.part. decis.482. ad fin.* vel si dicat fundator, *Præsentetur Clericus primæ tonsuræ*, Barbosa *d.lib.3. cap.12. num.*160. Id exprimit quando fundatio facta fuerit ante Concilium Tridentinum, quo tempore puer septimo anno rectè beneficium simplex obtinebat: verùm postea illud observabitur, ut possit promoveri, si ex mente fundatoris constaret, velle vocare minores quatuordecim annorum, ut tenuit Rota relata à Leone *d.prax.6.n.*37.

25 Sed hanc sententiam aliqui non admittunt, asserentes similem dispositionem admittendam non esse, & pro non scripta haberi, quia nequit fundator facere, ne leges in suo testamento locum habeant, *l.Nemo potest, ff.de legat.1.* præcipuè cùm Concilium det formam substantialem, ut quis possit ad beneficium simplex promoveri, quæ ad unguem est observanda, Grammaticus *decis.*79. Denique privatorum non est juri publico derogare, *l.Privatorum, C.de jurisdict. omnium judic. l.juris publici, ff. de pact.* Cùm ergo jus publicum versetur, ne Capellaniæ, aut beneficia simplicia pupillis conferantur, sed iis qui rectè munera sacra adimpleant; inde est ut nequeat fundator conditionem apponere, ut minoribus quatuordecim annorum dentur, ut censuit Sacra Congregatio apud Naldum *in Summa, verbo Beneficium, n.* 16. Riccius 3.*p. decis.*26.

Sed admitto primam sententiam; nam quælibet conditiones appositæ à fundatore, observari debent, *leg.1.Cod.de Sacrosanct.Ecclesiis, l.Si quis filium, C.de lib.præterit.* etiamsi sint præter, aut contra jus, Riccius 1.*part.praxis, resolut.*102. *à n.*2. Moneta *d.cap.10.num.*130. quapropter licèt dispositio se opponat decreto Tridentini, adhuc sustinebitur. Cæterùm, nam ætas ad beneficium simplex, vel Curatum est qualitas extrinseca, quæ non mutat formalitatem beneficii, nec repugnat substantiæ illius; idcirco benè poterit variari à fundatore, ut minor, aut major sit: unde etiam in Capellania, aut beneficio habente curam animarum, poterit disponere, ut minori vigintiquinque annorum conferatur; tunc enim intelligitur clausula illa, ut interim quod ad ætatem perveniat, per Vicarium idoneum deserviat: Ergo poterit fundator disponere, ut pupillo Capellania simplex, seu beneficium conferatur, ut declaravit Sacra Congregatio, quam refert, & sequitur Massobrius *in praxi Benef.requisit.7.dub.*12. Ferentill. in addit. ad Buratt. *decis.*757. Barbosa *de offic.Episc.3.p. allegat.60.n.*77. 26

Est dubium, an ad obtinendas has simplices Capellanias Ecclesiasticas, seu beneficia, decimusquartus annus completus desideretur? Et aliqui affirmarunt, quo in sensu loquitur Tuschus *lit.E, conclus.338.à n.*11. Mandosius *de ætat. min.c.4.n.*5. Garcia *d.7.p.c.4.n.*12. 27

Doctores tamen isti obscurè loquuntur, quapropter contraria sententia admittenda est, nempè ut ætas ista inchoata sit. Probatur ex Tridentino *d.cap.6.* ibi: *Nemo ante decimumquartum annum Beneficium possit obtinere.* Quæ verba apertè indicant sufficere cœptum annum decimumquartum, cum ante illum interdicat simplex habere beneficium: unde videtur ostendere Concilium, sufficere annum decimumquartum inchoatum. Tum, nam ut aliqui sentiunt, hoc decretum non est novum, sed declarativum antiqui, quod strictè, & secundùm antiquum debet interpretari, *leg. Præcipimus 32.§.6.Cod. de appellat.* Cùm ergo ante Concilium sufficeret annus decimusquartus cœptus, id erit observandum, cùm aliud non expresserit, Valensis *in rub. de ætat. & qualit. ord. §.1. num.*1. Garcia *dict. cap.4. num.*11. Thierrius *d. sect.19. vers.*1. Riccius *collect.* 860. *in fin.* Gonzalez *in reg.8.gloss.5.num.*90. Lessius *de justit. lib.2.cap.34. dub.20.num.*19. Barbosa *de offic. Episcop.3.part. allegat.60.n.*76. Diana 3.*part.tract.6. resol.64. in fin.* Palao *d. punct.3.n.*19. 28

Animadvertendum, in conferendis his Capellaniis Ecclesiasticis, ætatem, & alias qualitates requisitas adesse debere, non solùm tempore collationis, sed etiam electionis, præsentationis, seu impetrationis, ut observatur in aliis beneficiis simplicibus, Rota *lib.1.part.3.decis.*69. Garcia *d.c.4. n.*85. quod idem dicendum tempore oppositionis, aut quando opponi deberet legitimè, Garcia *d. cap.4. num.*86. Palao *d. punct.3. num.*20. Guttierr. *cons.44.num.*7. Barbosa *de univ. jur.lib.3.cap.13.num.*163. Aliàs nulla erit collatio, Garcia *d.cap.4.num.*84. Tondutus *quæst.Benef. 2.part. cap.5. §.5. n.*2. qui *num.*3. scripsit, quod si Papa conferat beneficium minori ætatis requisitæ, non intelligitur in ætate dispensasse, nisi ex certa scientia id fecerit, Vasquez *in opuscul. de Benef. cap.3. §.3. dub.3. num.*23. Ast in ætate nullus dispensat, nisi Pontifex, nec id poterit fieri ab Episcopo, Squillante *de privileg. Cleric. cap.4. num.*81. Palao *d. punct.3. num.*20. Azorius *Inst.Mor. 2.part. lib.6. cap.5. quæst.*8. Filliucius *de Benef. tract.41.cap.5. n.*27. quod ita arctè tenent DD. ut nec in una die, aut hora possit Episcopus dispensare, Leon *de offic.Capell.q.4.prax.6.num.*31. 29

Est dubium, an in Capellaniis jurispatronatus possit impubes præsentari, porrecta supplicatione ad Sanctissimum pro dispensatione ætatis? Et prima sententia asserit, minimè præsentationem valere; nam ut dictum est, ætas à Concilio petita requiritur tempore præsentationis, sicut alia quælibet capacitas, *c.2.de instit. cap.Ex litteris 6.de transact.* Flaminius *lib.4.de resignat.c.1.n.7.* Cevallos *com. q.523.à n.4.* quapropter si tempore præsentationis non habeat præsentatus ætatem legitimam, minimè valebit præsentatio: idque à simili comprobatur, nam ad beneficium obtinendum requiri- 30

quiritur tonsura, quæ si non habeatur, collatio est nulla, etiamsi postea efficiatur Clericus, aut dispensetur, Guttierez *cons.2.n.21.* Tuschus *lit.B, conclus.56.n.4.* Lara *de Capell.lib.2. cap.9. n.52.* Ergo idem dicendum est in ætate, etiamsi dispensatio petatur à summo Præsule. Ita ex suo voto decisum refert Riccius *4.part. decision. cur. decis.343.* Squillante *de privileg.Cleric.cap.4.num.6.in fine.*

31 Contrarium tenet Leon *d.q.4.praxi 6. à n.40.* Ducitur, nam præsentatio potest fieri sub conditione, si verificetur intra tempus quadrimestre, à jure concessum ad præsentandum: Ergo similiter poterit quis præsentare aliquem in minori ætate, ut intra quadrimestre dispensationem ætatis obtineat, prout quando Episcopus testamentum condiderit, & postea facultatem testandi obtineat, quia ex illa facultate validum remanet, Rota coram Seraphino, quam refert ad literam Riccius *in praxi for. decis.205.*

32 In hac difficultate duæ clauduntur disquisitiones. In primis, an hæc præsentatio valida sit, si dispensatio ætatis à Pontifice consequatur sub hac conditione facta. Secundò, an hæc sufficiat, ne devolvatur collatio Capellaniæ ad Superiorem? Et quoad primum dico, patronum rectè nominare posse impuberem, donec dispensatio ætatis, aut alterius qualitatis fiat à Pontifice. Et ratio est, nam nominatio, per se loquendo, nullum jus tribuit nominato, Sarnensis *ad regul. de non toll. q.1.* quin potiùs ad Beneficium poterit laicus nominari ob eandem rationem, Abbas *in cap. ult. de jurepatron.* Marescotus *variar.lib.1.c.83. à n.9.* idcircò rectè fit nominatio sub illa conditione, ut in ætate, aut in aliis qualitatibus a Pontifice dispensetur, Riccius *d. 4.part. decis.343.n.9.*

33 Non tamen erit valida præsentatio donec dispensatio obtineatur, verùm ejus valor erit in pendenti. Ratio, nam præsentatio, si valeret, daret jus ad rem, quod nequit consequi ab eo, qui inhabilis est ratione defectus ætatis, aut alterius qualitatis, ut latè explicant relati *n.29.* ergo necessariò debet pendere, donec dispensatio consequatur, quæ tollat illam inhabilitatem. Illud tamen erit necessarium, ut patronus persistat in eadem voluntate, ut dispensatio obtenta rectè sortiatur effectum; quia per existentiam ejusdem voluntatis ratificatur, ut in præsentatione facta Clerico absenti, quæ non sustinetur, Rota *in noviss. decis.3. de jurepatron.* Si tamen intra tempus præsentandi ratificetur, valida existit, ut cum Rota, Lambertino, & aliis tenet Marescotus *d. c.83.n.3.* & meliùs in alio casu, quando Patronus præsentavit aliquem ad Beneficium non vacans; tunc enim præsentatio nulla est, *cap. fin. de concess. præbend.* Verùm si in eadem voluntate persistat, reconvalescit præsentatio à die vacationis, Marescotus *var.lib.2.cap.33. num.5. & 6.* Ergo similiter dicendum in hac specie, ut licèt præsentatio illius impuberis à principio valida non sit, pendeat tamen, ita ut si Patronus in eadem voluntate persistat, obtenta dispensatione convalescit præsentatio.

34 Quoad secundam verò partem, Vivianus *in praxi jur. patronat.lib.6.cap.6.num.19.* Leon *de offic.Capell.d.praxi 6.n.42.* scripserunt præsentatione facta hac conditione, ut ætatis dispensatio à Pontifice consequatur, minimè devolutionem fieri posse, quia tempus currit patronis à die notitiæ non adeptæ dispensationis, ad effectum ut alium præsentent, accumulativè ad primum præsentatum: nec interesse, an post quadrimestre, vel semestre consequatur dispensatio; nam non possunt dici negligentes patroni, qui dispensationem expectarunt.

35 Sed horum Doctorum sententia ex duobus capitibus valet ponderari, an nimirum devolutio fiat quia Patroni indignum præsentant; illud enim decretum est, patronum scienter indignum præsentantem, pro illa vice jure præsentandi privari, si Ecclesiasticus sit, *cap. Sicut 2. in fin. de supplend. negligent. Prælat. cap. Ad audientiam 3. de Ecclesiis ædificand.* secus si laicus, quia alterum intra tempus poterit præsentare, Gratianus *discept. forens. cap.8. num.11.* Barbosa *de univ. jur. lib.3. cap.12. à n.174.* Ergo cùm inhabilem non habentem ætatem legitimam præsentet, etiam sub conditione dispensationis, si Ecclesiasticus fuerit, privabitur illa vice, & devolutio fiet ad superiorem.

36 Sed in his terminis contrarium tenet Riccius *in d. praxi for. decis.105.* & Rotam adducit, quæ loquitur quando aliquis præsentaretur, ut dispensationem obtineret intra tempus quadrimestris, vel sex mensium ad præsentandum: quo in casu veram Riccii doctrinam existimo, quia patronus utitur jure suo volens præsentare illum, qui obtenta dispensatione dignus est, intra tempus à jure sibi concessum; non verò admitterem aliorum Doctorum placitum, asserentium sufficere post obtinere dispensationem, cum revera intra tempus indignum præsentaverit: quod idem dicendum si laicus patronus alium tempore illo non præsentaverit.

Alio enim capite devolutio fieri valet, nempè ob negligentiam patroni inhabilem præsentantis sub conditione dispensationis: & in hoc casu inquiunt Doctores, negligentem non esse nisi à die notitiæ non obtentæ dispensationis, quorum doctrinam suscipio, si conditio dispensationis apponatur, ut intra tempus præsentandi consequatur, ut loquitur Rota apud Riccium *d. decis.205.* alias verò semper erit negligens; nam cùm præsentatio valida à principio non fuerit, sed dependens à futuro eventu, ex defectu ætatis, aut alterius qualitatis ad Capellaniam, seu Beneficium, Rota *1.p.recent.decis.596.* & apud Seraphinum *decis.897.n.8. & 9.* si aliàs non provideat, ut intra tempus præsentandi illa præsentatio effectuetur, negligens erit in damnum Ecclesiæ, Beneficii, seu Capellaniæ, & ideò fiet devolutio, *cap.2. in fin. de supplend. negligent. Prælat. cap. Si vero 12. cap. Eam te 22. de jur. patronat.* Mena *var.lib.1. q.3.* Caput. *3.p. decis.248. n.3.* Beltraminus ad Greg.XV. *decis.177.n.9.* Rota apud Seraph. *decis.380.n.1.* 37

In ætate verò ad Capellaniam, vel beneficium requisita, quando est juris patronatus, illud prætereundum non est, sufficere ut ætas superveniat quando scriptura nominationis Superiori præsentatur; illud verò quod antè fit à Patrono, nihil aliud est, nisi puta designatio, seu nominatio personæ, ad quam nihil interest, an sit impuberis, & minoris ætatis, dum tamen habeat tempore præsentationis scripturæ ætatem, aut aliam qualitatem legitimam; nam tunc datur jus ad rem, ut diximus *n.32.* & tradit rectè Garcia *de benefic.7.part.cap.1. à num.32.* Lotterius *lib.2.quæst.47. num.94.* 38

Unde resolvenda est quæstio illa, an patronus possit petere, suspendi judicium ad præsentandum per tempus ad id de jure decretum, positis edictis, & instantibus interesse putantibus, quando vult aliquem præsentare non habentem ætatem legitimam, vel Tonsuram, aut aliam qualitatem in fundatione requisitam? Et ei denegandum id videtur; nam ut scripsit Cevallos *comm.q.693.n.15.* habilitas requiritur tempore vacationis, aut oppositionis: ergo ad nihilum erit necessaria prorogatio illius temporis, cùm ex illius dilatione inhabilitas non tollatur. 39

Hæc doctrina Cevallos, quatenus asserit tempore vacationis necessarium esse habere ætatem, aut aliam qualitatem legitimam ad obtinendam Capellaniam Ecclesiasticam, seu beneficium, admittenda non est; sufficiet tamen, quod tempore oppositionis, id est toto tempore quo valeat opponi, illam adimpleat, prout in beneficiis concursum habentibus scripsit Garcia *d.7.part. cap.4. n.86.* & in aliis Leon *de offic.Capell.q.4.praxi 6.§.2.n.39.* Barbosa *d. 3.part. allegat.60. num.78.* Cum ergo in Capellaniis juris patronatus Laicalis quadrimestre concedatur, & Ecclesiastici semestre ad præsentandum, idque liberum sit patrono, consequenter poterit petere dilationem illius temporis ad præsentandum, etiam animo ut adimpleatur ætas alicujus, qui tempore illo valet oppositionem facere. 40

Unde assero, non esse patronum cogendum ad præsentandum, etiam instantibus interesse habentibus; sed expectare posse totum à jure sibi concessum, alias defraudaretur jure sibi concesso, ut intra illud tempus præsentet ob remunerationem fundationis: tum ut idoneum Capellanum quærat, Flamin. *de resignat. lib.10.q.3.n.60.* Ergo concedenda est ei dilatio illius temporis, etiamsi petat animo, ut oppositor adimpleat ætatem, ut benè tenet Lara *d.lib.2. cap.9. à num.52.* 41

Illud verò non omittendum, ætatem ad Capellaniam, seu beneficium, à nativitate connumerandam esse, non verò à tempore conceptionis, ut contra Gloss. *in regul.17. Cancel.* & Sfortiam *de restit.1.part.quæst.2. art.7.num.48.* tenent Covarruv. *in 4.part.2.cap.8. §.2.num.3.* Mandosius *de min.ætat.cap.1.n.25.* Molina *de justit.tract.2. disp.573. num.2.* etiamsi causa sit favorabilis, quia id ita usu receptum, Sanch. *in Decalog.lib.4.c.35.n.4.* Garcia *d.c.4.n.89.* Julius Lavor. *var.lucubrat.de elect.canon.4.c.16.n.4.* Vivianus *in praxi jurispatr.lib.6.c.6.n.14.* 42

Probatio verò ætatis incumbit illi, qui in ea se fundat. 43

Rota

Rota apud Farinacium *decis.*102. *num.*4. & apud Seraphinum *decis.*1169. quapropter ad impetrandam Capellaniam, seu beneficium, impetrans debet eam probare, nam in ea fundatur; secus quando aliquis vellet alium à beneficio, seu Capellania obtenta elidere, quia tunc illi incumbit probatio minoris ætatis, cum sit fundamentum suæ intentionis, Leon *d. praxi* 6. §. 2. *à n.*43.

44 Modus enim probandi ætatem est frequentior per librum Baptismi, & fidem illius, Gratianus *discept. forens. cap.*155. *n.*13. *& cap.*767. *n.*47. Rota apud Merlinum *decis.*159. *num.*5. Giurba *decis. Sicil.*109. *num.*7. Debet tamen constare librum illum legitimum esse, Rota apud Seraphinum *decis.*158a. quam refert Leon *d. praxi* 6. §. 2. *num.*45. Si verò iste deficiat, recurritur ad librum paternum, in quo rationes domesticas solebat scribere, non tamen ut plenè probet, sed tantum ad semiplenam probationem, aut præsumptionem faciendam, Menochius *de arbitr. cent.*2. *casu* 116. Joseph. Ludovisius *decis. Perusina* 55. Rota apud Merlinum *decis.* 535. *n.*18.

45 Si enim hæc deficiant, per testes ætatem probari posse plusquàm compertum est, & in hac probatione consanguinei admittuntur, & ipsi parentes, obstetrices, & vicini, qui de publico, & notorio deponant, Leon *d.* §. 2. *à numer.*47. aliquando verò etiam præsumptiones sufficiunt, veluti aspectus, & aliæ conjecturæ; nam ætatis probatio difficilis est probationis, Gratianus *d. cap.*313. *n.*25. & ideò quando aliæ probationes deficiunt, conjecturis probatur, ut per Ludovisium *d. decis.*55. Leon qui Rotæ decisiones adducit *d. praxi* 6. §. 2. *n.*49.

46 Est etiam aliud requisitum necessarium ad obtinendam Capellaniam Ecclesiasticam, nempè ut sit saltem prima Tonsura initiatus, *cap.*2. *de Instit.* nam est propriè beneficium Ecclesiasticum, quod nequit consequi, nisi à tonsurato, *cap. Cum adeo* 17. *de rescript. cap. Ex literis* 7. *de transact.* Vivianus *in praxi jur. Patronat. lib.*6. *cap.*5. *n.*136. quapropter nec sufficeret, ut aliquis sit proximè destinatus ad Tonsuram, vel ad alios Ordines suscipiendos, quamvis habitum clericalem deferret, & reperiatur in aptitudine proxima; nam revera tonsuratus non est, quod requiritur ad obtinendam Capellaniam Ecclesiasticam, vel beneficium, aliàs irrita erit institutio, seu collatio, Leon *de offic. Capell. q.*3. *sect.*5. *n.*76. Garcia *de benef.* 7. *part. cap.*1. *num.*10. Lara *d. lib.*2. *c.*5. *à n.*2. Azorius *Instit. mor.* 2. *p. lib.*6. *cap.*2. *qu.*5. Palao *tom.*2. *tract.*13. *disp.*4. *punct.*7. *n.*1. Fagnan. *in c. Abbates, de atat. & qualit. n.*42.

47 Sed dices: In plurimorum sententia prima Tonsura Ordo non est. Ergo non erit sufficiens ad obtinendam Capellaniam Ecclesiasticam, seu beneficium. Sed respondetur, alios DD. contrarium tenere, verùm & adhuc in sententia illorum est dispositio quædam non solùm ad Ordines alios suscipiendos, sed etiam ad consequenda beneficia, Garcia *d.* 7. *p. cap.*1. *n.*7. aliàs qui eam non habuerit, incapax est Capellaniæ, aut alterius beneficii, ex Constitutione Sixti V. in ordine 38. Garcia *d. cap.*1. *n.*15. Lara *d. cap.*5. *n.*2. Layman *in Summa, lib.*4. *tract.*2. *cap.*14. *n.*2. Leon *d. qu.*4. *praxi* 6. *n.*2. qui *n.*3. animadvertit id intelligendum de collationibus, aut institutionibus, quæ fiunt ab Episcopis; si tamen collatio laico fieret à Papa scienter, valida esset ea collatio Capellaniæ, aut beneficii Ecclesiastici; quia intelligitur cum eo dispensare, vel cum clausula: *Si non sit Clericus, sed tantum Scholaris, quamprimum Clericali charactere fuerit insignitus*, Flamin. *de resignat. lib.*4. *q.*2. *n.*32.

48 Si verò fuerit ordinatus, sed vitiosè, ita ut executionem ordinum non habeat, veluti si fuerit ordinatus absque dimissoriis, vel scienter ab Episcopo hæretico, seu schismatico, suspenso, vel excommunicato, vel ante legitimam ætatem, similiter nequit Capellaniam Ecclesiasticam obtinere; nam qui non habet Ordinum exercitium, perinde habetur, ac si ordinatus non esset, Squillante *de privil. Cleric. c.*4. *n.*16. Flamin. *d. l.*2. *n.*64. Leon *d. praxi* 6. §. 1. *n.*6. Azorius 2. *p. lib.*6. *c.*2. *quæst.*5.

49 Si verò aliquis communiter pro tonsurato haberetur, & in habitu Clericali incederet, an posset Capellaniam, aut Ecclesiasticum beneficium obtinere, aliqui antiquorum, quorum meminit Riccius *in praxi for. decis.*385. asseruere, rectè valere collationem, seu institutionem illam, *ex l. Barbarius* 3. *de offic. Prat.* Sed textus ille ad rem non est, quia loquitur in causis jurisdictionalibus, ubi ex errore communi jurisdictio à jure conceditur, ne sopitæ lites de novo excitentur in perniciem Reipublicæ: quod nequit adaptari validitate collationis, seu institutionis. Cæterùm adducunt Glossam *fin. in cap.*2. *de institut.* Rotam *in antiquiss. decis.*12. *de Prabend.* Sed loquuntur de his, qui proximè sunt destinati ad Ordines, qui ut diximus suprà, nequeunt Capellaniam Ecclesiasticam, aut beneficium obtinere.

Est igitur dicendum, quod etiamsi quis ex communi errore Clericus reputetur, si tamen de veritate constet, collatio, & institutio erit nulla, quia revera non est tonsuratus; si tamen non constet, interim in sua possessione erit manutenendus, ut cum Rota docent Gonzalez *in regul.*8. *gloss.*2. *num.*65. *vers. Item Staphilens*, Flaminius *d. quæst.*2. *à n.*19. Garcia *d. cap.*1. *n.*12. Barbosa *de offic. Episc.* 3. *part. allegat.*72. *n.*76. 50

CAP. IV.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

*Requiritur ad obtinendam Capellaniam Ecclesiasticam legitimitas, nisi dispensatio intervenerit, n.*1. *& 2.*

*An dispensatus ad Ordines, dispensatus videatur ad Capellaniam? Aliqui affirmant etiam remanere dispensatum ad Capellaniam cum cura, alteri solum ad simplicem, n.*3. *Sed quamplurimi absolutè negant, num.*4. *resolvitur, à n.*5. *ad* 9.

*Pontifex dispensat cum illegitimis ad omnia beneficia, Episcopus ad simplicia, n.*10. *Dummodo non habeant Ordinem sacrum annexum, quod explicatur n.*11.

*Capellania Ecclesiastica nequit conferri excommunicato majori excommunicatione, n.*12. *& etiam minori, n.*13.

*An si conferatur minori excommunicatione innodato, valeat collatio ipso jure, necne? Aliqui negant, ib. alteri affirmant, n.*14. *ubi latè interpretatur textus in c. fin. de Cler. excommun. ministrant.*

*An si Capellania, aut beneficium conferatur excommunicato majori excommunicatione illam ignoranti, valida sit collatio, necne? Et affirmant plures, n.*18. *negant alteri, n.*19. *Defenditur hæc sententia, n.*20.

*Sed quid si excommunicatus sit toleratus. Prima sententia negant validam, n.*21. *Secunda affirmat, n.*22. *defenditur, num.*23.

*Suspensis, & interdictis nequit Capellania conferri, sed an collatio sit irrita, affirmant plures n.*24. *sed irritandam dicunt alii, n.*25. *Explicatur textus in c.*8. *de atat. & qualit. ord. n.*26.

*Suspensus ab officio nequit eligi ad nova beneficia, secus solum suspensus à perceptione fructuum, n.*27.

*Nec irregulari conferri valet, sed est quæstio, an tunc sit irrita collatio, seu irritanda. Prima sententia irritam dicit, n.*28. *Secunda negat, n.*29. *defenditur, n.*30.

*In beneficiis, & Capellaniis simplicibus, cum onere tantum recitandi horas, valida est collatio, & idem si obtinens ignoret irregularitatem, n.*31.

*Ad Capellaniam curatam, quæ scientia requiratur, num.*32. *& quæ sint necessaria ad illam requirentem confessorem, num.*33.

*Optimi confessoris requisita referuntur, num.*34. *& 35. Quænam scientia sit in eo requisita, n.*36.

*Qui audit confessiones absque scientia necessaria, graviter peccat; secus in casu necessitatis, n.*37. *Confessor debet habere approbationem, & jurisdictionem, n.*38.

*De scientia necessaria in Capellaniis simplicibus, petentibus Chorum, Sacerdotium, & alia, à n.*39.

*Collatio, vel institutio facta penitus illiterato, est irrita, n.*41. *Explicatur, n.*42. *Sed an irrita sit ipso jure, aliqui negant, n.*43. *Sed contrarium defenditur, à n.*44.

*An Pontifex possit dispensare, ut Capellania, vel aliud Beneficium possit conferri penitus illiterato, negant aliqui, n.*46. *Affirmant alteri, n.*47. *resolvitur à n.*48.

*In Capellaniis simplicibus juris patronatus, etiam scientia requiritur; sufficiet tamen examen ad aliam Capellaniam, vel ad sacrum Ordinem, à n.*50.

*Est ad id necessaria morum gravitas, de qua à n.*52. *Criminoso facta collatio irrita non est, prout ibidem explicatur, à num.*56.

Præ-

1 PRæterea ad obtinendam Capellaniam Eccleſiaſticam, ſeu alud beneficium, legitimitas eſt neceſſaria, *cap. In cunctis 7. de elect. cap. fin. de filiis Presbyt. in 6.* Tridentin. *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 20. l. 12. tit. 6. p. 1.* ubi Gregorius *verb. Orden:* quæ quidem lex aliquas rationes decidendi adducit. Aſt duas attingemus; nam recto jure illegitimi nec ad ſacros Ordines, nec ad Beneficia Eccleſiaſtica promoventur, cùm ex communi exiſtimatione viles cenſeantur, *cap. Inter dilectos 11. de exceſſibus Prælat.* indeque grave dedecus Eccleſiæ inferretur: tum iſti illegitimi plerumque imitatores ſunt parentum, & facilè criminibus ſeſe immiſcent, *c. Si quis cum militibus 22. 6. q. 1. cap. Si gens 10. diſt. 56.* quapropter nec ad Beneficia Eccleſiaſtica, nec ad Ordines admittuntur, nec conſequenter ad Capellanias collativas, quæ propriè ſunt Beneficia, Saagun *in c. Eam te 7. de reſcript. n. 23.* Leon *de offic. Capell. d. quæſt. 4. §. 3. n. 71.* Garcia *7. p. de Benef. cap. 2. à n. 1.* Palao *d. tract. 13. diſp. 4. punct. 1.* Lotterius *de re Benef. lib. 2. q. 46. n. 2.* Quod idem obſervandum, etiam ſi Capellania ſit juris patronatus, nam illegitimi nequeunt præſentari, Vivianus *in praxi juriſpatronatus lib. 6. cap. 4. num. 6.*

2 Excipitur autem regula iſta, quoties diſpenſatio interveniat facta a legitimo ſuperiore, *cap. fin. de filiis Presbyt. cap. 1. eodem tit. in 6.* Gratianus *diſcept. forenſ. cap. 397. n. 11.* Verùm eſt gravis difficultas, an diſpenſatus ad Ordines, etiam diſpenſatus remaneat ad Beneficia, ſeu ad Capellanias. Prima ſententia affirmat, ad quælibet beneficia diſpenſatum remanere, ſive ſit ſimplex, aut curatum beneficium; nam ex eo quod Clericus ſit, de Altari poteſt vivere, & infamia, ſeu vilitas qualibet illegitimitatis removetur, Henriquez *in Summa, lib. 14. c. 8. §. 10.*

3 Secunda ſententia aſſerit diſpenſatum remanere ad Capellaniam, ſeu beneficium ſimplex, & ad id expenditur Gloſſ. *in cap. fin. de filiis Presbyt. verb. Sedis Apoſtolicæ,* quæ ad rem non eſt. Ratione probatur, nam *in d. cap. fin.* illegitimi quibuſdam Præbendis, Dignitatibus, & beneficiis privantur; unde conſequens eſt, poſſe obtinere alia beneficia ſimplicia, prout ſunt aliquæ Capellaniæ, & beneficia: unde ſi diſpenſatus fuerit ad ordines, poterit ſimilia adipiſci beneficia, cùm ad eorum acquiſitionem nullum reſtet inconveniens, Sayrus *de clauſur. reg. lib. 7. cap. 14. num. 22.* Sà *verbo Diſpenſatio, n. 14.* Villar *en el Patron. de Calatayud, 9. part. coſtumb. 5. n. 4.* dicit probabile Merolla *tom. 1. diſp. 4. cap. 6. n. 50.* Layman *lib. 4. tract. 2. c. 14. n. 3.*

4 Tertia ſententia contrarium tenet, nempè diſpenſatum ad Ordines, minimè ad Capellaniam Eccleſiaſticam, vel ad quodlibet alıud beneficium diſpenſatum remanere; nam illa diſpenſatio diſtincta eſt ab alia diſpenſatione ad obtinendum beneficium, quapropter ſolutus ab una lege per diſpenſationem, non remanet liber ab alia, quæ diſtincta eſt: ergo nec diſpenſatus ad Ordines, ad quodlibet beneficium, ſeu Capellaniam remanet diſpenſatus, Theſaurus *in praxi de pœnis. 2. p. cap. 2.* Azorius *Inſtit. Moral. 2. part. lib. 6. cap. 3. quæſt. 4.* Garcia *de Benefic. 1. part. cap. 5. num. 70.* Leon *de offic. Capell. quæſt. 4. praxi 6. §. 3. num. 72.* Riccius *1. part. deciſ. 97.* Diana *8. part. tract. 3. reſol. 37.* Barboſa *de offic. Epiſcop. 2. p. alleg. 45. n. 6.*

5 In hoc dubio diſtinctio facienda eſt, quando diſpenſatio conceditur tantùm ad Ordines minores, aut quando ad majores. Quoad primum dicendum, minimè diſpenſatum remanere, etiam ad quodlibet beneficium: & probatur *ex cap. 1. de filiis Presbyt. in 6.* ubi diſponitur, Epiſcopum poſſe diſpenſare cum illegitimis quoad ordines minores, & poſſe etiam quoad beneficium ſimplex; unde ſumitur diſtinctam, & ſeparabilem eſſe utramque diſpenſationem; & ſtat benè diſpenſatio ad Ordines minores, abſque diſpenſatione beneficii: Ergo ex eo quod aliquis ſit diſpenſatus ad Ordines minores, minimè diſpenſatus remanebit ad beneficium, etiam ſimplex.

6 Si verò diſpenſatio fiat etiam ad Ordines majores, ob eandem rationem negant, diſpenſatum remanere etiam ad beneficium ſimplex, Azorius *d. q. 4.* Garcia *d. c. 5. n. 72.* Barb. *d. alleg. 45. n. 6.*

7 Sed contrarium quoad beneficium, ſeu ſimplicem Capellaniam probabile eſt. Ratio, nam alias redderetur inutilis diſpenſatio ad Ordines majores, cum nequeant ſuſcipi abſque titulo beneficii, ſaltem ſimplicis, *c. Diaconi 5. §. Mendicat, diſt. 93. c. Cum ſecundum 16. de Præbend.* quare ob hanc cauſam in diſpenſatione ad Ordines majores, diſpenſatio videtur conceſſa Capellaniæ, aut beneficii ſimplicis, ut ab illegitimo obtineatur. Præterea licèt diſpenſatio ſtrictè interpretetur, non tamen ita arctè, ut non in ea intelligantur, quæ ſunt inſeparabiliter annexa, & neceſſaria ad ejus effectum, Suarez *de legibus, lib. 6. c. 11. n. 10.* Sanchez *lib. 8. de matrim. diſp. 1. n. 19.* ubi diſpenſatus ad plura tenenda beneficia, conſequenter cenſetur diſpenſatus ad non reſidendum, propter inſeparabilitatem, ad effectuandam diſpenſationem: quod idem dicendum in præſentiarum, cùm ſaltem beneficium, ſeu Capellania ſimplex ſit titulus neceſſarius, & inſeparabilis ad Ordines ſacros ſuſcipiendos, Sanchez *d. diſput. 1. num. 27.* Tamburin. *Oper. Mor. de irregul. cap. 17. §. 6. num. 13.* Palao *tom. 1. Oper. Mor. tract. 5. diſp. 4. punct. 9. n. 8.* Dian. *d. 8. p. tract. 3. reſol. 38.* Fago *in cap. Ad extirpandas, de filiis Presbyt. num. 27.*

8 Dices, diſpenſatum ad Ordines majores, ad ſimplex beneficium, vel Capellaniam habendam non manere diſpenſatum; nam poteſt ordinari ad titulum patrimonii, vel penſionis, ad quam habendam illegitimus non indiget alia diſpenſatione, niſi illa, quæ neceſſaria ſit ad Ordines ſuſcipiendos, Rota apud Seraphinum *2. part. deciſ. 1264. num. 2.* & ſic ſemper ſervaſſe Rotam teſtantur Rota apud Farinac. *2. part. recent. deciſ. 549. n. 3.* Campanillus *in Diverſ. Jur. rub. 11. cap. 13. n. 64.* Gratianus *diſcept. forenſ. tom. 2. cap. 218. n. 64.* qui id affirmat etiamſi penſio in titulum concedatur, Leon *d. praxi n. 73.* Barboſa *d. alleg. 45. n. 6. in fin.* Ergo cenſebitur eo modo fuiſſe conceſſam diſpenſationem, ut ordinaretur ad titulum patrimonii, ſeu penſionis, non verò ad titulum beneficii, vel Capellaniæ, quantumvis ſimplicis. Sed cum Palao Diana reſpondet *d. reſolut. 38. verſ. Nec obſtat,* titulum patrimonii per ſe non eſſe ſufficientem ad Ordines ſuſcipiendos, niſi adſit neceſſitas, ſeu utilitas Eccleſiæ; idcircò exiſtimandum, amplius voluiſſe comprehendere diſpenſationem, quàm titulum illum, nempè Capellaniæ, aut beneficii ſimplicis.

9 Quoad alteram inſtantiam penſionis, doctrina illa non ita certa eſt, quia Garcia *d. c. 5. à n. 119.* ſcripſit contrarium eſſe de ſtylo Datariæ, & Cancellariæ. Verùm in noſtra ſententia nunquam erit neceſſaria altera diſpenſatio, quam illa qua quis diſpenſatus remanet ad Ordines majores; nam licèt in titulum concedatur, ſitque beneficium in plurimorum ſententia, quia eſt ſimplex, diſpenſatus exiſtimabitur ad illam obtinendam.

10 Pontifex ergo poterit diſpenſare cum illegitimis ad Ordines, & ad quælibet beneficia, & Capellanias Eccleſiaſticas; Epiſcopus verò non niſi ad Ordines minores, & ad Capellanias, & beneficia ſimplicia, *cap. 1. de filiis Presbyt. in 6.* Barboſa *d. allegat. 45. num. 19.* Tamburinus *tract. 4. de irregul. c. 17. §. 8. n. 2.* Villalobos *in Summa, 1. part. tract. 13. diff. 60. n. 4.* Unde poterit diſpenſare ad Capellaniam actu non Sacerdotalem, quia ſimplex eſt beneficium, Leon *d. praxi 6. num. 74.* Si verò Sacer Ordo Capellaniæ annectatur, nequit fieri diſpenſatio ab Epiſcopo, ſed neceſſariò à Pontifice facienda eſt, cùm in ſacro Ordine nequeat cum illegitimo diſpenſare, Barboſa *d. allegat. 45. n. 6.* niſi annexio iſta fuerit ex ſtatuto ab illo diſpenſabili; nam ſtatuto ab illo diſpenſato poſſit Capellaniam conferre, Tamburinus *d. cap. 17. §. 8. num. 3.* Filliucius *tract. 41. de Beneficiis, cap. 4. num. 5.* Azorius *d. lib. 6 cap. 3. q. 15.* Leon *d. qu. 4. praxi 6. num. 79. verſ. Quæres primo.*

11 Illud tamen cum Leone *num. 80.* admittendum, poſſe Epiſcopum diſpenſare cum illegitimo ad Capellaniam habentem annexum Ordinem ſacrum, ſi modò ad illos Ordines fuerit à Papa diſpenſatus: ratio, nam in ſimili Capellania nequit Epiſcopus diſpenſare, quia nequit diſpenſare in ſacro Ordine: Ergo jam diſpenſato illegitimo quoad Ordines ſacros ſuſcipiendos, nullum eſt inconveniens, ut poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut obtineat illam Capellaniam. Porrò, ut diximus ſuprà *num. 7.* eſt ſatis probabile, diſpenſatum ad Ordines ſacros, diſpenſatum remanere ad beneficium ſimplex, Filliucius *d. tract. 41. cap. 4. ſub n. 5.* unde rectè Epiſcopus diſpenſabit, ſaltem admittens diſpenſationem Pontificis.

12 Præterea nequit Capellania Eccleſiaſtica conferri excommunicato majori excommunicatione irretito, *cap. Poſtulaſti 7. de Cleric. excommun. miniſtrant.* nec ſuſpenſo, *c. Cum dilectus 8. de conſuetud.* nec interdicto, ſeu interdicti violatori, *c. 1. de poſtulat. Prælator.* Thierrius *de benef. ſect. 28. verſ. Item de illegitimis,* Caſſador. *deciſ. 1. de præbend.* Rota apud Put.

lib. 1.

*lib.1.decis.*78. Campanillus *in divers. Jur. Can. rub.*11.*r.*15.*n.*11. Garcia 7.*p.c.*13.& 14. Barbosa *de univ. jur. lib.*3.*c.*13. *à num.*136.

13 De excommunicatione minori idem quod de majori, *ex cap. fin. de Cleric. excomm. ministr.* dicendum est: sed est dubium, an ipso jure valida sit collatio facta excommunicato minori excommunicatione? In qno communiter asserunt DD. ipso jure irritam esse, etiamsi electores, aut collatores censuram illam ignoraverint; quia electio illa irrita non est ex culpa eligentium, aut conferentium, sed ex incapacitate electi: quapropter etiamsi ignoraverint censuram, irrita erit ipso jure, ut cum aliquibus tenet Garcia 7.*p.c.*13.*n.*28. Covarruv. *in cap. Alma, p.*1.§.8.*n.*3. Suarez *de censur. disp.*24.*sect.*2.*n.*18. Coninch. *de Sacram. disput.*24. *dub.*17.*n.*26.

24 Sed contrà Avila *de censur.*2.*p.c.*6.*disp.*12.*dub.*4.*conclus.*4. idque ex textu expresso *in d.cap.fin.* ibi: *Si autem scienter electus fuerit, ejus electio est irritanda.* Quæ verba demonstrant, quod si ignoranter facta fuerit electio, valida sit; nam tantùm annullant in casu quo scienter fieret ab electoribus, idque consonum rationi: nam lex ista pœnalis est, nec extendi debet, nisi ad casum, de quo loquitur, dicit probabile Diana 5.*p.tract.*9.*resol.*132.

15 Sed in re asserendum, electionem, seu collationem factam minori excommunicatione innodato, irritam esse, idque probatur *in d.cap.fin.* quia eo ipso ex incapax alicujus beneficii, aut Capellaniæ Ecclesiasticæ: quapropter ita irrita est ejus electio, ut si majori excommunicatione inoodaretur, Deza *de excommun. art.*5. 2.*p.n.*13. Si verò ignorantia illius censuræ interveniat in electione, aut collatione, duobus modis est prospicienda. In primis, quando electores, seu collatores nescierint electum minori excommunicatione innodatum; quo quidem casu assero electionem irritam esse, nam illorum ignorantia non tollit inhabilitatem, seu incapacitatem electi: quapropter etiam ignoranter facta, irrita erit electio. Nec obstat textus *in dict. cap. fin.* quia intelligendus est illa adjecta dictione, *Maxime*, ita ut sit sensus, irritam esse electionem, maximè si scienter facta fuerit, ut explicat Deza *dict.* 2.*part. numer.*14. Layman *in Summa, lib.*1.*tractat.*5.*part.*2.*cap.*3.*num.*5. *versic. Dubitant.*

26 Secundò modo potest evenire hæc igoorantia, nempè io ipso electo ad Beneficium, seu Capellaniam: in quo quidem casu, si scierit se esse excommunicatum, irritanda erit ejus electio, id est irrita decernenda, ut docent communiter DD. idque admitto, quamvis aliqui dicant, irritam non esse, sed irritandam; quia electio directè noo se opponit censuræ, ut cum Suarez advertit D. Gonzalez *in d. cap. fin. n.*7. quo quidem casu loquitur textus *in dict. cap. fin.* in illis verbis recensitis *num.*14. Si verò ignoraverit censuram, asserendum existimo, validam esse collationem, seu electionem; nam textus ille tantùm asserit, irritandam esse electionem, quando scienter excommunicatus minori excommunicatione, fuerit electus: Ergo si ignoraverit, apertè textus ostendit validam esse electionem. Et confirmatur ratione; nam hæc irritatio fit ob culpam excommunicati, qui se electioni, aut collatiooi immiscuit; si tamen excommunicationem ignoraverit, à culpa liberatur, *l. Mater decedens, ff. de inoffic. testament. l. Neque ignorans, C. de donat.* Farinacius *in fragm. criminal.* 2.*part. lit. L, num.*86. Ergo electio, seu collatio illa valida erit, cùm deficiat ratio culpæ ad irritandam electionem, seu collationem: tenet cum Raymundo Sylvester *verb. Excommunicatio* 4.*n.*4.

17 Sed dices, minimè ob culpam fieri hanc irritationem, sed quia ab statutis Sanctorum Patrum innodatus minori excommunicatione est incapax beneficii, ut asserit textus ille: Ergo licèt ignoraverit, irrita erit electio, seu collatio, ut tenet, expenditque Suarez *de censur. d. disp.*24.*sect.*2.*n.*18. Sed respondetur hanc incapacitatem statuisse Sanctos Patres, quando scienter excommunicatus minori excommunicatione eligeretur, aut ei conferretur beneficium, aut Capellania Ecclesiastica; non verò quando ignoraverit, quia deficit culpa electi.

18 Ad rem tamen prætereunda non est alia difficultas, an quando excommunicato majori excommunicatione confertur Capellania Ecclesiastica, aut beneficium, qui reverà ignorabat excommunicationem, valida sit collatio beneficii, aut Capellaniæ. Et dicunt communiter DD. irritam esse; nam ignorantia illa, licèt à culpa liberet, interimque rectè fructus percipiat, non tamen excommunicatum reddit habilem ad obtinendum beneficium: quapropter semper collatio erit irrita, quod ita certum, ut agnita nullitate indigeat oova collatione, aut saltem dispensatione illius, qui poterat illud, aut illam conferre, Riccius *in praxi for. decis.*134. Suarez *de cens. disp.*13.*sect.*1.*n.*3. Garcia *de benef.*7.*p.c.*13.*n.*9. Thierrius *d.sect.*28. *vers. Item de illegitimis*, Layman *d.lib.*1.*tract.*5.*p.*2.*c.*2.*n.*7. Barbosa *de univ. jure, lib.*3.*c.*13.*n.*138.

19 Sed contrarium tenent alii, nam ex eo quod ignoraverit censuram, vacat ab aliqua culpa admittendo collationem: Ergo erit valida, Gloss. *in c. Apostolicam* 9. *de Cleric. excomm. ministr.* Felin. *in c. Sicut, de simon. col.*2. Cardin. *cons.*40. Novar. *in c. Fratres, de pœnit. dist.*5.*n.*46. dicit probabile Lessius *de just. lib.*2.*c.*34.*dub.*22.*n.*117.

20 Hanc sententiam, utpotè veriorem, admitto; nam ut diximus suprà de excommunicatione minori, hæc inhabilitas ad beneficia, quæ excommunicatos comprehendit ad faciendam irritam collationem, seu electionem beneficii, seu Capellaniæ Ecclesiasticæ, procedit à culpa se immiscendi collationi cum excommunicatione, à qua liberatur ignoraos; idcircò valida erit collatio, si censuram ignoraverit: Ergo similiter quando excommunicatio fuerit major. Præterea in inferendis pœnis extensio facienda non est, nisi in casibus qui à jure sunt expressi, *leg. Factum cuique, §. In pœnalibus, ff. de regulis jur.* ubi Decius *num.*6. Burgos de Paz *cons.*8.*n.*22. Gratianus *discept. tom.*5.*cap.*972.*num.*13. Farinacius *in frag. crim.* 1.*part. litera E, num.*144. Aft ut expendimus suprà *num.*17. textus *in cap. fin. de Cleric. excommunicat.* solùm hanc inhabilitatem demonstrat, quando scienter electus consenserit electioni, seu collationi. Ergo si ignoraverit, erit valida.

21 Consequens est alia disceptatio, an valida sit collatio, seu institutio beneficii, aut Capellaniæ Ecclesiasticæ facta excommunicato tolerato? Prima sententia negat validam, quia Extravagans *Ad evitanda scandala*, non est facta favore excommunicati, sed illorum qui cum illo communicant: quapropter semper etiam toleratus remanet incapax, & inhabilis ad obtinendum beneficium, seu Capellaniam, & consequenter irrita erit collatio. Cæterùm licèt excommunicatio sit occulta, irritat collationem, Garcia *d. cap.*13. *num.*7. Salcedo ad Bernard. *cap.*53. *edit.*1. Suarez *d. disp.*13. *sect.*1. *num.*25. Lancellotus *de attent. part.*3.*cap.*24. *q.*3.*n.*7. Fagnanus *in c. Quod à prædecessore, de schism. n.*24. Ergo multò meliùs irritabit, si tantùm excommunicatus sit toleratus, Villalobos *in Summ.* 1.*part. tract.*17. *diff.*9. *num.*5. Coninch *de Sacrament. disp.*14. *dub.*9. *numer.*70. Sanchez *cons. tom.*1. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*10. *n.*7. Franciscus Marcus *decis.*67. *n.*5. Barbosa *d.c.*13.*n.*137. *versic. Amplia* 5. Layman *d.cap.*2. *num.*7.

22 Sed contrarium tenet Hurtado *de excommunicat. disp.*6. *diff.*1. *num.*6. à quo non Dissentit Diana 5.*part. tract.*9. *resol.*99. *versic. Non desinam*; nam licèt Extravagans illa non intendat favere excommunicato, in hoc tamen casu adest favor conferentis, cui illicitum erit dare beneficium inhabili; itaqoe respectu illius adest favor ne peccet: tum & favor fidelium, qui ratione beneficii, seu Capellaniæ cum beneficiato, vel Sacellano communicant; idcircò valida erit collatio facta excommunicato tollerato, ut perpendit Hurtado.

23 Hanc sententiam probabilem existimo, est enim maximus favor Fidelium, ut cum verò beneficiato, seu Capellano communicent in rebus sacris, tangentibus ad illud officium.

24 De aliis suspensionis, aut interdicti censuris jam diximus, ut qui eis sunt irretiti, nequeant Capellaniam, aut beneficium obtinere: si tamen collatio de facto eis fiat, irritam esse docent ferè omnes DD. *ex d.cap. Cum dilectus, de consuetud.* & ad id expendunt textum *in cap. fin. de Cleric. excommun. ministrant.* arguendo ab excommunicatione minori ad suspensionem; nam cùm per suspensionem privatur quis administratione, vel munere beneficii, similiter in radice privatus remanet acqoisitione illius, unde irrita erit collatio, Sà *verb. Beneficium, n.*19. Villalobos *in Sum.* 1.*part. tract.*18.*diff.*4.*n.*6. Flamin. *de resignat. lib.*5.*q.*6.*n.*84. Lessius *de justit. d. lib.*2.*c.*34.*n.*116. Garcia *de benef.*7.*p.c.*14.*n.*1. Barbosa *d. lib.*3.*c.*13.*n.*144.

25 Sed contrarium tenet Suar. *de censuris, disp.*26.*sect.*3.*n.*8.

alle-

asserens irritam non esse, sed irritandam: perperam tamen asserit Garcia *d. cap.* 14. *num.* 2. & Villalobos suam doctrinam dicit veram. Sed mihi videtur rigidè censurasse doctissimum Patrem Suarez, nam metam probabilitatis attingit: & facilè probatur, nam nullum est jus, ex quo probetur irritam esse collationem beneficii, seu Capellaniæ, factam suspenso, textus *in c. Cum dilectus* 8. *de consuetud. & cap. Quia diversitatem* 5. *de concess. prebend.* ad rem non sunt, textus *in d. cap. fin. de Cleric. excommunicat. ministr.* in probabili sententia, quam tetigimus *num.* 16. intelligitur non de irrita electione, sed de irritanda: præterquam quod loquitur de excommunicatione minore, quæ cùm lex sit pœnalis, non est facilè extendenda: unde cum Suarez consentit Coninch *de Sacrament. disp.* 15. *dub.* 2. *n.* 7. Lessius *de justit. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 22. *num.* 116. *versic. Nihilominus.*

26 Sed contra hanc sententiam obstat textus *in cap. Cum bona* 8. *de ætat. & qualit. ordin.* ubi dicitur, Clericos per triennium suspensos, retinere non posse nec Beneficia, quæ antea obtinuerant, nec post illam obtenta: unde videtur probari, irritam esse collationem factam suspenso, cùm non possit beneficia illa retinere. Verùm textus ille principaliter non agit, an irrita sit collatio facta suspenso, aut irritanda, sed quando adest insordescentia in censuris, ut patet ibi: *In eos fecit sententiam suspensionis promulgari, in qua triennio permanentes, &c.* In hoc ergo casu est grave dubium, an insordescentia per se sit sufficiens causa, ut quis privetur beneficiis? Alii negant, alii affirmant, de quo Menoch. *de arbitrariis, casu* 416. Lotterius *de re benef. lib.* 3. *qu.* 33. *n.* 91. Balboa *in cap.* 1. *de judiciis, à num.* 77. Garcia *d.* 7 *part. cap.* 13. *n.* 90. Ricciulus *de jur. person. lib.* 4. *cap.* 4. Ast illa melior sententia videtur, insordescentiam sufficere ad privationem beneficiorum, quando crimen, ob quod inflicta est censura, privationem peteret, Gibalinus *de censur. disquisit.* 7. *q.* 7. Gonzalez *in d. cap. Cum bona, n.* 6. Istinc, ut benè considerat Lessius *d. dub.* 22. *ubi proximè*, nihil depromi potest ad difficultatem istam, quia Pontifex idem decidit de beneficiis ante suspensionem obtentis, ac de iis, quæ postea fuerunt obtenta, quoad eorum privationem propter insordescentiam.

27 Observes tamen, suspensum ab officio absolutè, nequire eligi ad nova beneficia; sed si tantùm à fructuum perceptione sit suspensus, eligi potest. Si autem suspensus sit ob delictum concernens suspensionem in tali Ecclesia, in alia potest habere beneficium, aut Capellaniam Ecclesiasticam, *c. Si compromissarius, §. Restringitur, de elect. in* 6. Hæc autem sunt intelligenda si suspensio sit à jure; si verò sit ab homine, suspensus à beneficio in uno Episcopatu, potest diversum obtinere in alio, D. Gonzalez *in d. c.* 8. *n.* 4.

28 Deinde nec irregulari conferri valet Capellania Ecclesiastica, aut aliud beneficium etiam simplex, *c.* 3. *c. Diversis* 5. *de Clericis conjugat. cap. Tanta* 18. *de excessibus Prælat.* ubi Panormitanus Thierrius *d. sect.* 28. *vers. Item de illegitimis*. Sed est gravissima quæstio, an collatio facta irregulari sit ipso jure irrita, ita ut Capellanus, seu beneficiarius nequeat Capellaniam retinere, sed cum fructibus debeat restituere. Prima sententia affirmat, *ex cap. fin. de Cleric. pugn. in duello, cap.* 2. *de Cleric. non ordinat. ministr. & ex cap. fin. de Cleric. excommunic. ministrant.* Ex quibus communiter Interpretes hanc conclusionem deducunt: tum hæc sententia videtur conformis praxi, & stylo Curiæ Romanæ, quia facit jus: ergo debet sustineri, Navarrus *in man. cap.* 27. *n.* 251. Caput, 2. *part. decis.* 236. *n.* 4. Achilles *decis.* 341. *nu.* 3. Lessius *de justit. d. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 22. *à num.* 120. Molina *eodem tract.* 3. *part. disput.* 78. *num.* 2. Sanchez *consil. lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 14. Garcia *d.* 7. *part. de benef. cap.* 11. *à n.* 1. Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *c.* 13. *num.* 146.

29 Secunda sententia contrarium tenet; nam jura, quæ pro contraria adducuntur, nihil probant: tantùm dicunt, irregulari non esse concedendum beneficium, etiamsi fuerit simplex; quod diversum est ab irritatione, quæ non inducitur, nisi ab ipso jure exprimatur, *cap. Si soli* 6. *de prebend. in* 6. Præterea eo maximè collatio beneficii nequit fieri irregulari, quia cùm detur propter officium, *cap. fin. de rescript. in* 6. & nequeat irregularis ordinari, inde est, ut non possit ei beneficium conferri: quæ quidem ratio non urget, ut irrita sit collatio ipso jure, poterit enim id suppleri per alium, interim quod dispensatio consequitur: Ergo minimè erit irrita collatio, sufficiet tamen ut irritetur à Judice. Denique irregularitas non annullat collationem ante ipsam obtentam, quin potiùs poterit renuntiari beneficium, *cap. Cum nostris* 6. *de concess. prebend.* Gloss. *in cap.* 2. *ut lit. pendent. verb. Finem*, Petrus Gregorius *de re benefic. c.* 26. *n.* 15. Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *c.* 15. *n.* 93. Ergo nec irritabit collationem consequentem, cùm nec in uno, aut altero casu irregularitati vim Jus tribuat, Innocentius *in d. cap. Cum nostris, num.* 1. Francus *in regul.* 1. *num.* 5. *ad fin.* Sylvester *verbo Excommunicatio* 4. *num.* 4. Nicol. de Plov. *de irregul. regul.* 44. dicunt probabile Suarez *de cens. disput.* 40. *sect.* 2. *ex num.* 29. Lessius *d. dub.* 22. *à num.* 100. Layman *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *c.* 1. *num.* 3. Cornejo *in* 3. *part. tract.* 5. *de irregular. disput.* 5. *dub.* 2. *quæst.* 1. Diana 4. *part. tract.* 2. *resolut.* 79.

30 Hanc sententiam admitto ob maximam illius probabilitatem, ut admittit perdoctus Busembaum *in Medull. lib.* 7. *de censur. cap.* 5. *de irregul. dub.* 2. nec rejicit Villalobos *in Summa,* 1. *part. tract.* 21. *diff.* 2. *num.* 12. contraria enim sententia debilibus nititur fundamentis, quapropter ad partem magis piam declinamus, & magis animabus favorabilem, ut certus Pastores habeant: in qua quidem sententia, licèt graviter peccet, qui irregularis beneficium, aut Capellaniam acceptaverit; valet tamen collatio, & facit fructus suos, nec ad aliquid tenetur, nisi ad petendam dispensationem: interim verò quod non petierit, cum peccato retinebit, non autem invalidè, Hurtado *disp.* 1. *de irregul. diff.* 20. *n.* 21. Coninch *disp.* 18. *de Sacram. dub.* 1. *n.* 6. Palao *tract.* 13. *de beneficiis, disp.* 1. *punct.* 11. §. 3. *n.* 8. Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 19. *c.* 3. *n.* 85. Diana *d. tract.* 2. *resol.* 37.

31 Unde admittenda est doctrina Villalobos *d. n.* 12. asserentis in beneficiis simplicibus, quorum tantùm est onus recitandi horas, validam esse collationem; & insimul addendum, non solùm esse validam, sed rectè absque dispensatione posse ab irregulari retineri, cùm onus istud ab eo possit adimpleri, ut latè tenent de Lugo *resol. moral. lib.* 2. *dub.* 11. *per totum*. Cæterùm admittenda est majori ratione sententia Layman *d. c.* 1. *de irregular. n.* 3. dicentis collationem valere beneficii, seu Ecclesiasticæ Capellaniæ, si acceptans suam irregularitatem ignoraverit, *ex cap. ult. de Cleric. excommun. ministrant.* Thom. Hurtado *tom.* 2. *R. Mor. tr.* 12. *c.* 1. §. 3. *n.* 449.

32 Rursus ad Capellaniam Ecclesiasticam obtinendam scientia requiritur, est enim necessaria in beneficiis, prout qualitas illius illam prærequirit, *c. Cum in cunctis* 6. §. *fin. de elect. c. Grave nimis* 29. *de prebend.* Thierrius *sect.* 28. *vers. Pascha,* Garcia *d.* 7. *p. c.* 7. *n.* 11. In Capellaniis, in quibus animarum cura exercetur, major scientia requiritur, quàm in Canonicatibus, aut in aliis beneficiis simplicibus: quapropter Bonifac. VIII. *in c. Cum in illis* 16. *de prebend. lib.* 6. decrevit, mandatum de providendo non comprehendere beneficium curatum, nisi de eo fiat specialis mentio, cùm plura sint necessariò scienda ab eo, qui animas regit, quàm ab alio simplici beneficiato: idcircò Capellanus, qui hanc curam exercere tenetur, debet scire quæque necessaria de fide ad populum instruendum, tum inter lepram, & lepram discernere, id est, quæ sint peccata mortalia, quæ venialia; administrationem Sacramentorum, censuras, irregularitates, casus reservatos, & alia quamplurima. Debet esse præditus prudentia, & admirabili patientia, animarum zelo, misericordia, liberalitate, & omni virtutum genere. Debet etiam Scripturam Sacram agnoscere, ut Evangelium populo exponat, exprobret vitia, & virtutes elevet, *Clement.* 1. *de ætat. & qualit. ord.* Trident. *sess.* 5. *de reformat. c.* 2. Vallens. *in parat. ad titul. de ætat. & qualitat. ord.* §. 2. *n.* 2. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 4. *n.* 71. Sotus *in* 4. *dist.* 25. *art.* 4. *conclus.* 3. Palao *d. tract.* 13. *de benef. disput.* 4. *punct.* 6. *n.* 3. Barbosa *de offic. Paroch.* 1. *p. c.* 2. *n.* 10. Tapia *lib.* 5. *de inst. Cardin. q.* 5. *art.* 13. *n.* 6.

33 Aliæ verò Capellaniæ Capellanum requirunt Confessorem, ut in Parochia ad excipiendas confessiones Parochum adjuvet; in his verò Capellaniis multa requiruntur, potestas, scientia, bonitas, & secretum, quibus addere libet fortitudinem: estque loquendo de judicibus bonis textus *in leg. Observandum* 19. §. 1. *de offic. Præs.* & cum Medina tenet Villalobos *in Sum.* 1. *p. tr.* 9. *diff.* 68. *n.* 1.

34 Optimi Confessoris requisita adducit textus *in c. Omnis utriusque* 12. *de pœnit. & remiss.* nec obliviscendus S. Petrus Damian. *serm.* 2. *de S. Andrea*, loquens de Confessoribus: *Oportet enim non minus esse literatum quàm religiosum, ut zelum*

lum

lum Dei habeat, & secundum scientiam; cum indiscreta religio magis obesse soleat, quàm prodesse. Literatum autem ideò, ut sciat quod injungat, cui parcat, cui parcere debeat, quam consolationem proferat de scripturis. Religiosum idcircò, ut puras manus levet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem ne unquam de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat, Layman *in Summa, lib.5. tract.6. cap.* 13. *in fin.*

35 Est ad rem optimus textus *in cap.1. de pœnit. dist.6.* qui postquam de Confessoris scientia disseruit, hæc subnectit verba: *Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, & secus onus portare: habeat dulcedinem in affectione, adjuvet confitentem orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum opus fuerit increpando. Doleat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudii: doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne justè perdat potestatem judiciariam.*

36 Verùm quoad scientiam, de qua noster est sermo, scire tenetur distinguere inter peccata venialia, & mortalia, quæ restitutionem requirunt, censuras, & casus reservatos, & alia quæ in Theologia Morali continentur, idque ordinario saltem modo, non autem eminentiori: estque necessarium, ut sciat communia, & in extraordinariis dubitet, *d. cap.1. §. Caveat, de pœnit. dist.6.* ubi Navarrus, *& in man. c.4. n.8.* Villalobos *d. difficult.68. n.3.* Suarez *de pœnit. disp.28. sect.1.* de Lugo *de pœnit. disp.21. sect.4. n.70.* qui *n.71.* animadvertit in omnibus casibus non requiri, ut Confessarius agnoscat præcisè peccatum esse mortale, seu veniale, vel si sit peccatum, necne: sufficit confusè agnoscere, & absolutè; contrarium enim etiam prudentioribus difficile est, Navarrus *d.c.4. n.9.*

37 Unde colligitur, graviter peccare qui absque scientia necessaria confessiones excipit: qua in re nulla est facienda differentia inter eos qui voluntariè, aut ex obligatione officii pœnitentes audiunt, vel an sit Confessarius Regularis, sive Sæcularis? Navarrus *d. sect.4. n.10.* de Lugo *d. sect.4. n.72.* Layman *d. tract.6. c.13. n.1. versic. Circa hanc assertionem*, Hurtado *d. c.1. §.3. n.456.* Quod tenendum si extra necessitatem confessionem exaudiat, Trullench *de Sacram. lib.4. c.10. dub.10. n.7.* Si verò cum necessitate, utpotè in articulo mortis, quando alius Confessor non est, indoctus idoneus est, Navarr. *d.c.4. n.13.* sicut quando locus ita est reddituum paucorum, ut nullus alius nisi indoctus in illo remanere velit, Azorius *Institut. mor. 2. p. lib.6. c.6. qu.9.* de Lugo *d. sect.4. num.74.*

38 Observet tamen Capellanus, cui onus incumbit audiendi confessiones, ne ex eo solo quod institutus sit, illas excipiat; debet enim habere approbationem, & jurisdictionem ab Episcopo, vel ab alio, qui ad id habeat facultatem, & insimul magnopere de rebus in confessione scitis secretum servet, *cap.1. de pœnit. dist.1. cap. Omnis 12. de pœnit. & remiss. cap. Dilectus 13. de excessib. Prælat.* aliàs si absque jurisdictione id fecerit, irritæ erunt confessiones, Trident. *sess.23. de reformat. c.15.* Layman *lib.5. tract.6. cap.21.* & ex fractione sigilli grave sacrilegium committitur, & graviter punietur, Vasquez *in 3. part. quæst.91. art.4. dub.1.* Villalobos *d. tract.9. difficult.72.* Trullench *de Sacram. lib.4. cap.8. à dub.1.* Menochius *de præsumpt. lib.6. præsumpt.95.* Torreblanca *de Magia, lib.4. de pœnit. cap.7.* Farinacius *in praxi crimin. quæst.51. à num.61.*

39 In aliis verò Capellaniis quibus appositum est onus recitandi Horas Canonicas, ut quis idoneus censeatur, tenetur scire legere, scribere, & insimul construere linguam Latinam, & sufficienter intelligere; quia cùm habeat onus recitandi, necessariò tenetur Latinam linguam percipere. Si tamen choro deputetur, etiam ad canendum habilis erit; est enim certum, quemlibet præficiendum debere scire quidquid necessarium fuerit ad illud munus exercendum, *cap.4. dist.23.* Glossa *in Clement.1. de concess. præbend. verbo Reputamus*, Garcia *d. 7. part. cap.4. n.4.* Leon *de offic. Capell. d. quæst.4. praxi 6. à n.90.* Tondutus *quæstionum beneficial. tom.1. 2. part. cap.5. §.5. num.8.* Tapia *d. artic.13. num.7.*

40 Si verò Capellania petat Ordinem Sacrum, ita ut præcisè Capellanus fieri debeat Sacerdos, debet scire quæ pertinent ad Sacramentum Eucharistiæ, & Missæ Sacrificium conficiendum, & administrandum: tum explicare Symbolum, & Decalogum, & populum in necessariis instruere, Trident. *de reform. sess.23. c.14.* necnon aliqua de Sacramento pœnitentiæ agnoscere, quia recipit potestatem absolvendi in ipso Sacerdotio, licèt absque jurisdictione in subditos, Leon *d. praxi 6. n.30. vers. Secundo casu.*

Si verò qui instituitur in Capellania, aut præsentatur, 41
sit ignarus, inhabilis redditur, nec institutio, collatio, aut præsentatio tenebit, Trident. *sess.22. de reformat. cap.4.* ibi: *Irrita decernitur omnis provisio facta ei, qui ætatem, & cæteras habilitates integrè non habuerit.* Quod tene si penitus est illiteratus, quia est irregularis, *cap. Illiteratos, 36. dist.* & ob hanc causam, & defectum hujus qualitatis, irrita à jure decernitur institutio, seu collatio, Leon *d. praxi 6. num.87.* Diez *in praxi, cap.21.* ubi Salcedo *lit. H*, Corrasius *de Sacerdot. 3. par. cap.5. n.3.* Lessius *de justit. lib.2. cap.34. dub.24. n.129.* Palao *d. tr.3. disput.4. punct.6. n.5.* Garcia *d. 7. part. cap.7. num.27.*

Verùm ut advertit Garcia, hoc indistinctè suscipiendum 42
non est; nam si Capellanus, aut beneficiarius penitus illiteratus non sit, verùm qualemqualem scientiam habeat, ita ut aliquo modo satisfacere possit Officio, irrita non est institutio, seu collatio Capellaniæ, vel beneficii, *cap. fin. de ætat. & qualit. ordin.* ubi Episcopus ab officio removetur; quia non habebat scientiam sufficientem: unde perpenditur institutionem, seu collationem à principio extitisse: cæterùm irregularitas ista non dicitur propriè, Garcia *d. c.7. n.19.* & in his, quæ ad habilitatem scientiæ requiruntur, est maxima latitudo, Villalobos *in Summa, 1. p. tr.21. diff.34. n.4.* quapropter si aliquam scientiam habuerit Capellanus, seu beneficiatus, irrita non erit collatio, seu institutio, Lessius *d. dub.24. num.129.* Garcia *d. cap.4. num.14.* Salcedo *ad Bern. d. cap.21. lit. H*, Gonzalez *ad regul.8. gloss.4. n.48.* Petrus Gregorius *syntagm. lib.16. c.10. n.13.* Barbosa *de offic. Episcop. 3. p. alleg.63. n.3. & de univers. jur. lib.3. c.13. n.165.* Palao *d. punct. 6. num.8.*

Est dubium, an collatio, seu institutio Capellaniæ Eccle- 43
siasticæ, aut beneficii simplicis, facta penitus illiterato, irrita sit, necne ipso jure. Prima sententia asserit irritam non esse ipso jure; nam in his nec industria, nec Consilium requiritur, sed nudum ministerium recitandi Horas Canonicas, & Missas celebrandi, quod facilè post institutionem, seu collationem addiscitur: ergo collatio, seu institutio non erit ipso jure irrita, Rota *2. p. divers. decis.16. n.4.* quam sequitur Gonzalez *d. gloss.4. n.50.*

Verùm illas decisiones existimo non esse intelligendas 44
de penitus illiteratis ad beneficia simplicia, sed de illis illiteratis, qui qualemqualem scientiam habebant, etiam minorem, quam sufficeret ad valorem collationis, seu institutionis beneficii curati, aut alterius habentis administrationem. Minor enim illa litteratura est sufficiens in Capellaniis, & beneficiis simplicibus ad sustinendam collationem, seu institutionem, nec dicetur penitùs illiteratus.

Quamobrem contra Gonzalez assero, collationem, vel 45
institutionem Capellaniæ, vel beneficii simplicis, esse irritam, factam penitùs illiterato, *cap. Cum in cunctis 7. §. fin. de elect.* qui in omnibus beneficiis absolutè intelligendus est, ut ibidem docet Barbosa *n.9.* cæterùm penitùs illiteratus est inhabilis, etiam ad beneficia simplicia, sicut & ad alia administrationem habentia: ergo similiter erit collatio, seu institutio nulla, Garcia *d. c.4. n.20. in fin.* Palao *d. punct.6. n.7.* Thom. Hurtad. *d. c.1. §.3. n.456.*

Sed dubitatur, an Pontifex possit dispensare, ut Capella- 46
nia, seu beneficium Ecclesiasticum concedatur penitus illiterato? Negarunt pures, quia de jure divino prohibitum est, ne incapacibus, & inhabilibus sacra administranda concedantur: ergo in defectu scientiæ non poterit Pontifex dispensare, Turrecr. *in c. In laicis, 38. dist.* Diez *in praxi, c.21. in fin.* Majolus *de irregular. lib.1. c.32. n.13.* Riccius *in praxi, 1. p. resol.311. n.7.* Tondut. *d. cap.5. §.5. n.8.* Thom. Hurtad. *d. §.3. num.458.*

Ast contrarium tenent Vivaldus *in Candelabr. de irregu-* 47
larit. §.5. num.9. Villalobos *in Summ. 1. part. tract.22. difficul.3. num.3.* nam ista est irregularitas, quæ potest tolli à Pontifice.

In re dico, quæstionem non esse de Episcopo, iste verò 48
nequit hanc dispensationem concedere, Suarez *de censur. disput.50. sect.1. numer.11.* Palao *dict. punct.6. num.12.* qui scripsit benè posse Episcopum, justa existente causa, ei qui

parum

parum scit, Beneficium conferre, brevi tempore profecturo, quia potest pro brevi tempore in obligatione annexa Beneficio dispensare. Azorius 2. *part. Instit. Moral. lib.* 6. *cap.* 6. *quæst.* 5.

49 Erit ergo difficultas in Summo Pontifice, & id potest facere indirectè, aut directè; si enim indirectè, quotidie fit dispensando in ætate, veluti quando Capellania, aut aliud Beneficium infanti concederetur; tunc enim indirectè dispensatur in literatura, donec fiat capax, & habilis ad serviendum Beneficio, interimque per Vicarium administratio exercetur. Navar. *in Manual. cap.* 27. *n.* 205. Si verò directè fiat dispensatio, Suarez *d. sect.* 1. *n.* 11. asserit, posse dispensare, si litteratura non sit necessaria de jure divino; secus verò si de jure illo requireretur. Ast absolutè loquendo dicendum, justa existente causa, posse dispensare, quia de jure divino solùm habetur ut Capellanus, vel Beneficiatus sit aptus ad exercendum munus Beneficii: ast Pontifex in hoc dispensat, assignando illi coadjutorem, per quem adimpleatur: Ergo poterit dispensare. Azorius *d. cap.* 6. *q.* 4. Palao *d. punct.* 6. *n.* 11. unde & dispensare valet, ut quando quis est bonæ indolis, & de eo speratur profecturum, ut exemplis illustrat Salced. *ad Bernard. d. cap.* 21. *lit. H*, Barbosa *de offic. Episcop.* 2. *part. alleg.* 46. *n.* 12.

50 In Capellaniis juris Patronatus idoneitas scientiæ requiritur, quapropter præsentatus poterit ab Episcopo examinari, & debet per examen constare de ejus idoneitate, prout in aliis Beneficiis. Trident. *sess.* 7. *de Reform. cap.* 13. latè Th. Hurtado *tom.* 2. *tr.* 12. *cap.* 2. *resol.* 31. Frasso 1. *part. de Patronatu Indiarum, cap.* 31. aliter erit nulla institutio: in simplicibus verò, si personæ fuerint notæ Episcopo, veluti DD. alicujus Universitatis, examen poterit omittere, cùm eorum litteratura innotescat. Leon *d. quæst.* 4. *praxi* 6. *n.* 91. Henr. *in Summa, lib.* 10. *cap.* 18. *in princip.* Cenedo *collect.* 15. *n.* 3. Barbosa 3. *part. de offic. Episcop. alleg.* 60. *n.* 85. Illud tamen expeditum, ut in Capellaniis, aut Beneficiis simplicibus, ad unum approbatus, etiam ad aliud approbatus censeatur, nec indigebit novo examine. Gonzalez *d. gloss.* 4. *n.* 88. Riccius *in praxi forens. decis.* 419. *alias in novis. decis.* 356. Barbosa *d. alleg.* 60. *n.* 89. qui animadvertit hoc in Curia observari, in partibus verò contrarium: idem Barbosa *ad Concil. d. sess.* 7. *cap.* 13. *n.* 18. sed ejus doctrina in partibus admittenda, si in primo examine minùs aptè respondisset, aut intelligatur negligenter in studio sese habere. Massobr. *in prax. habendi concurs. prælud.* 3. *dub.* 3. *n.* 33.

51 In his verò Capellaniis, & Beneficiis simplicibus, quando quis est approbatus ad Ordinem Sacrum, examine non indiget; nam eo ipso approbatus censetur ad Capellaniam, vel Beneficium simplex. Gonzalez *d. gloss.* 4. *n.* 84. Garcia 7. *part. de benef. cap.* 4. *n.* 10.

52 Cæterùm ad obtinendas Capellanias Ecclesiasticas, sicut ad cætera Beneficia, gravitas morum requiritur, ut docet textus *in d. cap. Cum in cunctis* 7. *de elect. cap. Grave nimis* 29. *de Prebend. Clement.* 1. *de ætat. & qualit. ordin.* Trid. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 18. *& sess.* 24. *de Reform. Mor. c.* 12. Ratio est, nam Ministri Ecclesiæ debent ad pietatem, & morum gravitatem alios promovere, idque non solùm monitis, verùm exemplo, & piis precibus: quare Christus Dominus apud Matth. *cap.* 24. prudentes, & Fideles eos requirit; fidelitas verò in Ecclesiastico munere, in charitate, & rectis moribus fundatur, ut exprimit Lessius *de instit. lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 23. *n.* 125. quamobrem Sacra Congregatio apud Leonem *d. praxi* 6. *n.* 92. censuit eum præferendum esse, cujus mores noti, & probati sunt, Doctori cujus vita ignoratur. Azorius *Institut. Moral.* 2. *part. lib.* 6. *cap.* 7. Garcia *de benef.* 7. *part. cap.* 8. Palao *d. tract.* 13. *disp.* 4. *punct.* 5. Ojeda *de incompatib.* 1. *part. cap.* 24.

53 Verùm in morum bonitate, & gravitate æstimanda non facilè credendi sunt plurimi homines larvati, qui sub exterioritate circumspectissima plurima scelera abscondunt, & sub tegumento ovium, intus sunt lupi rapaces, monumenta dealbata à Domino ostenduntur, exterius ornatissima & formosa, intus verò nihil nisi putredinem, horrorem, & vermes abscondunt: quapropter maxima consideratione hæc qualitas examinanda est, ne hypocritæ isti ad Altare Dei conscendant, unde Dominus interdixit, ne cygnus ad Altare sacrificaretur, rationemque præstitit Origenes *hom. in Num.* sic: *Prohibetur inter alia animalia cygnus Israeli, qui cum albus sit foris, intus nigerrima carne cooperitur; quia hoc solemne hypocritis est, qui dum castitatem exterius prædicant, intus teterrima tabe luxuriæ maculantur.*

Hi verò magnopere sunt rejiciendi ab omnibus Beneficiis Ecclesiasticis, qui cùm ea adepti fuerint, ad majora vitia prolabuntur: itaque optimè Bern. *serm.* 2. *de Assumpt.* dixit: *Quid aliud est quàm fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto quoniam pullulabit uberiùs.* 54

In aliis verò, qui criminibus adnotantur, nisi infames effecti fuerint, prorsus à Beneficiis Ecclesiasticis ablegandi non sunt, dummodo ingenium, & capacitatem habeant; sunt enim aliqui istorum ad Beneficia assumpti: quos postea fuisse præstantissimos Prælatos, literarum monumenta commendant, ut ex Cantiprat. *lib.* 2. *de Apib. cap.* 2. ostendit Lantmeter *de vet. Clericor. vit.* 2. *part. lib.* 2. *c.* 31. qui lepida historia id demonstrat: sunt duo exempla breviter attingenda. Primum Caii Valerii Flacci, qui cùm pravæ indolis fuisset, & morum nota infamaretur, à Publio Licinio Pontifice Maximo Sacerdos creatus, qui luxuriei exempla dederat, postea continentiæ, & temperantiæ magister admirandus extitit. Valerius Maximus *lib.* 6. *cap.* 9. Secundum præstabit Vigilius Romanus Pontifex, qui antequam ad apicem Pontificatus ascenderet, seditiosus, & ambitiosus apparuit: verùm adepto Pontificatu, strenuus, & admirabilis Pontifex fuit, ut ex actis Sylverii, & ejusdem Vigilii demonstratur apud Platinam *fol. mihi* 67. noster Illescas *lib.* 3. *hist. Pont. cap.* 11. *&* 12. 55

Collatio verò facta criminoso, licèt illicita sit, non est tamen irrita, nisi crimen aliquod perpetraverit, ob quod irrita fiat. Palao *d. disp.* 4. *punct.* 5. *à n.* 2. ast verò, si fiat alio crimine irretito, etiam publico, an irrita sit ipso jure, disceptatur: æquior tamen opinio est, ut tantùm sit irritanda, ut benè docet Garcia *d. c.* 8. *à n.* 47. qui verò notoriè est in delicto, ad Capellaniam Ecclesiasticam, seu aliud Beneficium non est promovendus: si verò occultus peccator sit, corripiendus erit ad emendam, non verò publico suffragio privabitur, *cap. fin. de temp. ordin.* Cardoso *verb. Sacramentum Ordinis, n.* 20. Barbosa *de offic. Episc.* 2. *part. alleg.* 10. *n.* 40 publici enim pœnitentes nec ad Beneficia admittentur, *cap. Ex pœnitentibus, cap. Illud, c. Maritus,* 33. *distinct.* Cardoso *d. n.* 20. Tolet. *in Sum. lib.* 1. *c.* 68. Lantmeter *d.* 2. *part. lib.* 2. *c.* 15. *ad fin.* 56

Nec enim admittentur aliqua censura, aut irregularitate irretiti, quorum collatio aut irrita est, aut irritanda, prout suprà explicuimus. Leon *dict. praxi* 6. *à num.* 92. Covarruvias *in cap. Alma*, 1. *part.* §. 7. Cochier *de permut. cap.* 33. *num.* 7. Garcia *de benef. dict.* 7. *part. cap.* 13. Tondutus *quæst. benef.* 2. *part. cap.* 5. §. 3. *numer.* 1. Suarez *de cens. lib.* 4. *sect.* 7. *per tot.* 57

CAPUT V.

De Capellania Sacerdotem requirente, vel (ut dicitur) Sacerdotali.

SUMMARIUM.

Capellaniæ aliquæ requirunt Sacerdotem, aliæ verò non, numer. 1. *In dubio non intelligitur Sacerdotalis, num.* 2.

Si fundator vocaverit Petrum Sacerdotem ad suam Capellaniam, non est Sacerdotalis, n. 3.

An quando fundator vocaverit Capellanum, qui Missas celebret, sit Capellania Sacerdotali. Prima sententia negat, n. 4. *Secunda affirmat, n.* 5. *Tertia, & quarta distinguunt, n.* 6. *&* 7. *Resolvitur, à n.* 8. *& seqq. ubi disceptatur, an Capellanus obligatus ad Missas dicendas, teneatur celebrare per se, à n.* 12.

Rejicitur Tondutus, num. 14.

An Capellania sit Sacerdotalis, si dicat fundator, Eligatur Presbyter? *Negant aliqui, n.* 15. *Sed contrarium defenditur, à n.* 16.

Si fundator dicat, Eligatur Capellanus, seu Sacerdos, *dicit Leon non esse Sacerdotalem, n.* 18. *Sed contrarium defenditur, n.* 19.

Si apponantur in fundatione hæc verba, Eligatur Capellanus, qui diu noctuque officia peragat, *non esse Sacerdotalem multi dicunt, num.* 20. *sed explicantur, num.* 21.

Ex solo onere Missarum Capellaniam non esse Sacerdotalem proba-

lum Dei habeat, & secundum scientiam; cùm indiscreta religio magis obesse soleat, quàm prodesse. Literatum autem ideò, ut sciat quod injungat, cui parcat, cui parcere debeat, quam consolationem proferat de scripturis. Religiosum idcircò, ut puras manus levet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem ne unquam de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat, Layman *in Summa, lib.5. tract.6. cap. 13. in fin.*

35 Est ad rem optimus textus *in cap.1. de pœnit. dist.6.* qui postquam de Confessoris scientia disseruit, hæc subnectit verba: *Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, & secus onus portare: habeat dulcedinem in affectione, adjuvet confitentem orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum opus fuerit increpando. Doleat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudii: doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne justè perdat potestatem judiciariam.*

36 Verùm quoad scientiam, de qua noster est sermo, scire tenetur distinguere inter peccata venialia, & mortalia, quæ restitutionem requirunt, censuras, & casus reservatos, & alia quæ in Theologia Morali continentur, idque ordinario saltem modo, non autem eminentiori: estque necessarium, ut sciat communia, & in extraordinariis dubitet, *d.cap.1. §. Caveat, de pœnit. dist.6.* ubi Navarrus, *& in man.c.4. n.8.* Villalobos *d.difficult.68.n.3.* Suarez *de pœnit. disp.28. sect. 1.* de Lugo *de pœnit. disp.21. sect.4. n.70.* qui *n.71.* animadvertit in omnibus casibus non requiri, ut Confessarius agnoscat præcisè peccatum esse mortale, seu veniale, vel si sit peccatum, necne: sufficit confusè agnoscere, & absolutè; contrarium enim etiam prudentioribus difficile est, Navarrus *d.c.4.n.9.*

37 Unde colligitur, graviter peccare qui absque scientia necessaria confessiones excipit: qua in re nulla est facienda differentia inter eos qui voluntariè, aut ex obligatione officii pœnitentes audiunt, vel an sit Confessarius Regularis, sive Sæcularis? Navarrus *d. sect.4. n.10.* de Lugo *d. sect.4.n. 72.* Layman *d.tract.6.c.13.n.1. versic. Circa hanc assertionem*, Hurtado *d. c.1. §.3. n.456.* Quod tenendum si extra necessitatem confessionem exaudiat, Trullench *de Sacram. lib.4. c. 10. dub.10. n.7.* Si verò cum necessitate, utpotè in articulo mortis, quando alius Confessor non est, indoctus idoneus est, Navarr. *d.c.4. n.13.* sicut quando locus ita est redditu um paucorum, ut nullus alius nisi indoctus in illo remanere velit, Azorius *Institut. mor. 2.p. lib.6. c.6. qu.9.* de Lugo *d. sect.4. num.74.*

38 Observet tamen Capellanus, cui onus incumbit audiendi confessiones, ne ex eo solo quod institutus sit, illas excipiat; debet enim habere approbationem, & jurisdictionem ab Episcopo, vel ab alio, qui ad id habeat facultatem, & insimul magnopere de rebus in confessione scitis secretum servet, *cap.1. de pœnit. dist.1. cap. Omnis 12. de pœnit. & remiss. cap. Dilectus 13. de excessib. Prælat.* aliàs si absque jurisdictione id fecerit, irritæ erunt confessiones, Trident. *sess.23. de reformat. c.15.* Layman *lib.5. tract.6. cap.21.* & ex fractione sigilli grave sacrilegium committitur, & graviter punietur, Vasquez *in 3. part. quæst.91. art.4. dub.1.* Villalobos *d.tract.9. difficult.72.* Trullench *de Sacram. lib.4. cap.8. à dub.1.* Menochius *de præsumpt. lib.6. præsumpt.95.* Torreblanca *de Magia, lib.4. de pœnis. cap.7.* Farinacius *in praxi crimin. quæst.51. à num.61.*

39 In aliis verò Capellaniis quibus appositum est onus recitandi Horas Canonicas, ut quis idoneus censeatur, tenetur scire legere, scribere, & insimul construere linguam Latinam, & sufficienter intelligere; quia cùm habeat onus recitandi, necessariò tenetur Latinam linguam percipere. Si tamen choro deputetur, etiam ad canendum habilis erit; est enim certum, quemlibet præficiendum debere scire quidquid necessarium fuerit ad illud munus exercendum, *cap.4. dist.23.* Glossa *in Clement.1. de concess. prabend. verbo Reputamus*, Garcia *d. 7. part. cap.4. n.4.* Leon *de offic. Capell. d. quæst.4. praxi 6. à n.90.* Tondutus *quæstionum beneficial. tom.1. 2. part. cap.5. §.5. num.8.* Tapia *d. artic.13. num.7.*

40 Si verò Capellania petat Ordinem Sacrum, ita ut præcisè Capellanus fieri debeat Sacerdos, debet scire quæ pertinent ad Sacramentum Eucharistiæ, & Missæ Sacrificium conficiendum, & administrandum: tum explicare Symbolum, & Decalogum, & populum in necessariis instruere, Trident. *de reform. sess.23. c.14.* necnon aliqua de Sacramento pœnitentiæ agnoscere, quia recipit potestatem absolvendi in ipso Sacerdotio, licèt absque jurisdictione in subditos, Leon *d. praxi 6. n.30. vers. Secundo casu.*

41 Si verò qui instituitur in Capellania, aut præsentatur, sit ignarus, inhabilis redditur, nec institutio, collatio, aut præsentatio tenebit, Trident. *sess.22. de reformat. cap.4.* ibi: *Irrita decernitur omnis provisio facta ei, qui ætatem, & cæteras habilitates integrè non habuerit.* Quod tene si penitus est illiteratus, quia est irregularis, *cap. Illiteratos, 36. dist.* & ob hanc causam, & defectum hujus qualitatis, irrita à jure decernitur institutio, seu collatio, Leon *d. praxi 6. num.87.* Diez *in praxi, cap.21.* ubi Salcedo *lit. H*, Corrasius *de Sacerdot. 3. par. cap.5. n.3.* Lessius *de justit. lib.2. cap.34. dub.24. n.129.* Palao *d. tr.3. disput.4. punct.6. n.5.* Garcia *d. 7. part. cap.7. num.27.*

42 Verùm ut advertit Garcia, hoc indistinctè suscipiendum non est; nam si Capellanus, aut beneficiarius penitus illiteratus non sit, verùm qualemqualem scientiam habeat, ita ut aliquo modo satisfacere possit Officio, irrita non est institutio, seu collatio Capellaniæ, vel beneficii, *cap. fin. de ætat. & qualit. ordin.* ubi Episcopus ab officio removetur; quia non habebat scientiam sufficientem: unde perpenditur institutionem, seu collationem à principio extitisse: cæterùm irregularitas ista non dicitur propriè, Garcia *d. c.7. n. 19.* & in his, quæ ad habilitatem scientiæ requiruntur, est maxima latitudo, Villalobos *in Summa, 1. p. tr.21. diff.34. n.4.* quapropter si aliquam scientiam habuerit Capellanus, seu beneficiatus, irrita non erit collatio, seu institutio, Lessius *d. dub.24. num.129.* Garcia *d. cap.4. num.14.* Salcedo *ad Bern. d. cap.21. lit. H*, Gonzalez *ad regul.8. gloss.4. n.48.* Petrus Gregorius *syntagm. lib.16. c.10. n.13.* Barbosa *de offic. Episcop. 3. p. alleg.63. n.3. & de univers. jur. lib.3. c.13. n.165.* Palao *d. punct. 6. num.8.*

43 Est dubium, an collatio, seu institutio Capellaniæ Ecclesiasticæ, aut beneficii simplicis, facta penitus illiterato, irrita sit, necne ipso jure. Prima sententia asserit irritam non esse ipso jure; nam in his nec industria, nec Consilium requiritur, sed nudum ministerium recitandi Horas Canonicas, & Missas celebrandi, quod facilè post institutionem, seu collationem addiscitur: ergo collatio, seu institutio non erit ipso jure irrita, Rota *2. p. divers. decis.16. n.4.* quam sequitur Gonzalez *d. gloss.4. n.50.*

44 Verùm illas decisiones existimo non esse intelligendas de penitus illiteratis ad beneficia simplicia, sed de illis illiteratis, qui qualemqualem scientiam habebant, etiam minorem, quam sufficeret ad valorem collationis, seu institutionis beneficii curati, aut alterius habentis administrationem. Minor enim illa litteratura est sufficiens in Capellaniis, & beneficiis simplicibus ad sustinendam collationem, seu institutionem, nec dicetur penitus illiteratus.

45 Quamobrem contra Gonzalez assero, collationem, vel institutionem Capellaniæ, vel beneficii simplicis, esse irritam, factam penitùs illiterato, *cap. Cum in cunctis 7. §. fin. de elect.* qui in omnibus beneficiis absolutè intelligendus est, ut ibidem docet Barbosa *n.9.* cæterùm penitùs illiteratus est inhabilis, etiam ad beneficia simplicia, sicut & ad alia administrationem habentia: ergo similiter erit collatio, seu institutio nulla, Garcia *d. c.4. n.20. in fin.* Palao *d. punct.6. n.7.* Thom. Hurtad. *d. c.1. §.3. n.456.*

46 Sed dubitatur, an Pontifex possit dispensare, ut Capellania, seu beneficium Ecclesiasticum concedatur penitus illiterato? Negarunt pures, quia de jure divino prohibitum est, ne incapacibus, & inhabilibus sacra administranda concedantur: ergo in defectu scientiæ non poterit Pontifex dispensare, Turrect. *in c. In laicus, 38. dist.* Diez *in praxi, c.21. in fin.* Majolus *de irregular. lib.1. c.32. n.13.* Riccius *in praxi, 1. p. resol.311. n.7.* Tondut. *d. cap.5. §.5. n.8.* Thom. Hurtad. *d. §.3. num.458.*

47 Ast contrarium tenent Vivaldus *in Candelabr. de irregularit. §.5. num.9.* Villalobos *in Summ. 1. part. tract.22. difficul.3. num.3.* nam ista est irregularitas, quæ potest tolli à Pontifice.

48 In re dico, quæstionem non esse de Episcopo, iste verò nequit hanc dispensationem concedere, Suarez *de censur. disput.50. sect.1. numer.11.* Palao *dict. punct.6. num.12.* qui scripsit benè posse Episcopum, justa existente causa, ei qui

parum

parum scit, Beneficium conferre, brevi tempore profecturo, quia potest pro brevi tempore in obligatione annexa Beneficio dispensare. Azorius *2. part. Instit. Moral. lib. 6. cap. 6. quæst. 5.*

49 Erit ergo difficultas in Summo Pontifice, & id potest facere indirectè, aut directè; si enim indirectè, quotidie fit dispensando in ætate, veluti quando Capellania, aut aliud Beneficium infanti concederetur; tunc enim indirectè dispensatur in literatura, donec fiat capax, & habilis ad serviendum Beneficio, interimque per Vicarium administratio exercetur. Navar. *in Manual. cap. 27. n.* 205. Si verò directè fiat dispensatio, Suarez *d. sect. 1. n. 11.* asserit, posse dispensare, si litteratura non sit necessaria de jure divino; secus verò si de jure illo requireretur. Ast absolutè loquendo dicendum, justa existente causa, posse dispensare, quia de jure divino solùm habetur ut Capellanus, vel Beneficiatus sit aptus ad exercendum munus Beneficii: ast Pontifex in hoc dispensat, assignando illi coadjutorem, per quem adimpleatur: Ergo poterit dispensare. Azorius *d. cap. 6. q. 4.* Palao *d. punct. 6. n. 11.* unde & dispensare valet, ut quando quis est bonæ indolis, & de eo speratur profecturum, ut exemplis illustrat Salced. *ad Bernard. d. cap. 21. lit. H,* Barbosa *de offic. Episcop. 2. part. alleg. 46. n. 12.*

50 In Capellaniis juris Patronatus idoneitas scientiæ requiritur, quapropter præsentatus poterit ab Episcopo examinari, & debet per examen constare de ejus idoneitate, prout in aliis Beneficiis. Trident. *sess. 7. de Reform. cap.* 13. latè Th. Hurtado *tom. 2. tr. 12. cap. 1. resol.* 31. Frasso 1. *part. de Patronatu Indiarum, cap.* 31. aliter erit nulla institutio: in simplicibus verò, si personæ fuerint notæ Episcopo, veluti DD. alicujus Universitatis, examen poterit omittere, cùm eorum litteratura innotescat. Leon *d. quæst. 4. praxi 6. n. 91.* Henr. *in Summa, lib. 10. cap. 18. in princip.* Cenedo *collect. 15. n. 3.* Barbosa 3. *part. de offic. Episcop. alleg. 60. n. 85.* Illud tamen expeditum, ut in Capellaniis, aut Beneficiis simplicibus, ad unum approbatus, etiam ad aliud approbatus censeatur, nec indigebit novo examine. Gonzalez *d. gloss. 4. n.* 88. Riccius *in praxi forens. decis. 419. alias in novis. decis.* 356. Barbosa *d. alleg. 60. n. 89.* qui animadvertit hoc in Curia observari, in partibus verò contrarium: idem Barbosa *ad Concil. d. sess. 7. cap. 13. n. 18.* sed ejus doctrina in partibus admittenda, si in primo examine minùs aptè respondisset, aut intelligatur negligenter in studio sese habere. Massobr. *in prax. habendi concurs. prælud. 3. dub. 3. n. 33.*

51 In his verò Capellaniis, & Beneficiis simplicibus, quando quis est approbatus ad Ordinem Sacrum, examine non indiget; nam eo ipso approbatus censetur ad Capellaniam, vel Beneficium simplex. Gonzalez *d. gloss. 4. n. 84.* Garcia 7. *part. de benef. cap. 4. n. 10.*

52 Cæterùm ad obtinendas Capellanias Ecclesiasticas, sicut ad cætera Beneficia, gravitas morum requiritur, ut docet textus *in d. cap. Cum in cunctis 7. de elect. cap. Grave nimis 29. de Præbend. Clement. 1. de ætat. & qualit. ordin.* Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 18. & sess. 24. de Reform. Mor. c. 12.* Ratio est, nam Ministri Ecclesiæ debent ad pietatem, & morum gravitatem alios promovere, idque non solùm monitis, verùm exemplo, & piis precibus: quare Christus Dominus apud Matth. *cap. 24.* prudentes, & Fideles eos requirit; fidelitas verò in Ecclesiastico munere, in charitate, & rectis moribus fundatur, ut exprimit Lessius *de instit. lib. 2. c. 34. dub. 23. n. 125.* quamobrem Sacra Congregatio apud Leonem *d. praxi 6. n. 92.* censuit eum præferendum esse, cujus mores noti, & probati sunt, Doctori cujus vita ignoratur. Azorius *Institut. Moral. 2. part. lib. 6. cap. 7.* Garcia *de benef. 7. part. cap. 8.* Palao *d. tract. 13. disp. 4. punct. 5.* Ojeda *de incompatib. 1. part. cap. 24.*

53 Verùm in morum bonitate, & gravitate æstimanda non facilè credendi sunt plurimi homines larvati, qui sub exterioritate circumspectissima plurima scelera abscondunt, & sub tegumento ovium, intus sunt lupi rapaces, monumenta dealbata à Domino ostenduntur, exteriùs ornatissima & formosa, intus verò nihil nisi putredinem, horrorem, & vermes abscondunt: quapropter maxima consideratione hæc qualitas examinanda est, ne hypocritæ illi ad Altare Dei conscendant, unde Dominus interdixit, ne cygnus ad Altare sacrificaretur, rationemque præstitit Origenes *hom. in Num.* sic: *Prohibetur inter alia animalia cygnus Israeli, qui cùm albus sit foris, intus nigerrima carne cooperitur; quia hoc solemne hypocritis est, qui dum castitatem exteriùs prædicant, intus teterrima tabe luxuriæ maculantur.*

Hi verò magnopere sunt rejiciendi ab omnibus Beneficiis Ecclesiasticis, qui cùm ea adepti fuerint, ad majora vitia prolabuntur: itaque optimè Bern. *serm. 2. de Assumpt.* dixit: *Quid aliud est quàm fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto quoniam pullulabit uberiùs.* 54

In aliis verò, qui criminibus adnotantur, nisi infames effecti fuerint, prorsus à Beneficiis Ecclesiasticis ablegandi non sunt, dummodo ingenium, & capacitatem habeant; sunt enim aliqui istorum ad Beneficia assumpti: quos postea fuisse præstantissimos Prælatos, literarum monumenta commendant, ut ex Cantiptat. *lib. 2. de Apib. cap. 2.* ostendit Lantmeter *de vet. Clericor. vict. 2. part. lib. 2. c. 31.* qui lepida historia id demonstrat: sunt duo exempla breviter attingenda. Primum Caii Valerii Flacci, qui cùm pravæ indolis fuisset, & morum nota infamaretur, à Publio Licinio Pontifice Maximo Sacerdos creatus, qui luxuriei exempla dederat, postea continentiæ, & temperantiæ magister admirandus extitit. Valerius Maximus *lib. 6. cap. 9.* Secundum præstabit Vigilius Romanus Pontifex, qui antequam ad apicem Pontificatus ascenderet, seditiosus, & ambitiosus apparuit: verùm adepto Pontificatu, strennus, & admirabilis Pontifex fuit, ut ex actis Sylverii, & ejusdem Vigilii demonstratur apud Platinam *fol. mihi 67.* noster Illescas *lib. 3. hist. Pont. cap. 11. & 12.* 55

Collatio verò facta criminoso, licèt illicita sit, non est tamen irrita, nisi crimen aliquod perpetraverit, ob quod irrita fiat. Palao *d. disp. 4. punct. 5. à n. 2.* ast verò, si fiat alio crimine irretito, etiam publico, an irrita sit ipso jure, disceptatur: æquior tamen opinio est, ut tantùm sit irritanda, ut benè docet Garcia *d. c. 8. à n. 47.* qui verò notoriè est in delicto, ad Capellaniam Ecclesiasticam, seu aliud Beneficium non est promovendus: si verò occultus peccator sit, corripiendus erit ad emendam, non verò publico suffragio privabitur, *cap. fin. de temp. ordin.* Cardoso *verb. Sacramentum Ordinis, n. 20.* Barbosa *de offic. Episc. 2. part. alleg. 10. n. 40* publici enim pœnitentes nec ad Beneficia admittentur, *cap. Ex pœnitentibus, cap. Illud, c. Maritus, 33. distinct.* Cardoso *d. n. 20.* Tolet. *in Sum. lib. 1. c. 68.* Lantmeter *d. 2. part. lib. 2. c. 15. ad fin.* 56

Nec enim admittentur aliqua censura, aut irregularitate irretiti, quorum collatio aut irrita est, aut irritanda, prout suprà explicuimus. Leon *dict. praxi 6. à num. 92.* Covarruvias *in cap. Alma, 1. part. §. 7.* Cochier *de permut. cap. 33. num. 7.* Garcia *de benef. dict. 7. part. cap. 13.* Tondutus *quæst. benef. 2. part. cap. 5. §. 3. numer. 1.* Suarez *de cens. lib. 4. sect. 7. per tot.* 57

CAPUT V.

De Capellania Sacerdotem requirente, vel (ut dicitur) Sacerdotali.

SUMMARIUM.

Capellaniæ aliquæ requirunt Sacerdotem, aliæ verò non, numer. 1. In dubio non intelligitur Sacerdotalis, num. 2.

Si fundator vocaverit Petrum Sacerdotem ad suam Capellaniam, non est Sacerdotalis, n. 3.

An quando fundator vocaverit Capellanum, qui Missas celebret, sit Capellania Sacerdotali. Prima sententia negat, n. 4. Secunda affirmat, n. 5. Tertia, & quarta distinguunt, n. 6. & 7. Resolvitur, à n. 8. & seqq. ubi disceptatur, an Capellanus obligatus ad Missas dicendas, teneatur celebrare per se, à n. 12.

Rejicitur Tondutus, num. 14.

An Capellania sit Sacerdotalis, si dicat fundator, Eligatur Presbyter? *Negant aliqui, n. 15. Sed contrarium defenditur, à n. 16.*

Si fundator dicat, Eligatur Capellanus, seu Sacerdos, *dicit Leon non esse Sacerdotalem, n. 18. Sed contrarium defenditur, n. 19.*

Si apponantur in fundatione hæc verba, Eligatur Capellanus, qui diu noctuque officia peragat, *non esse Sacerdotalem multi dicunt, num. 20. sed explicantur, num. 21.*

Ex solo onere Missarum Capellaniam non esse Sacerdotalem

lum Dei habeat, & secundum scientiam; cùm indiscreta religio magis obesse soleat, quàm prodesse. Literatum autem ideò, ut sciat quod injungat, cui parcat, cui parcere debeat, quam consolationem proferat de scripturis. Religiosum idcircò, ut puras manus lovet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem ne unquam de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat, Layman *in Summa, lib.5. tract.6. cap. 13. in fin.*

35 Est ad rem optimus textus *in cap.1. de pœnit. dist.6.* qui postquam de Confessoris scientia disseruit, hæc subnectit verba: *Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, & secus onus portaro: habeat dulcedinem in affectione, adjuvet confitentem orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cum opus fuerit increpando. Doleat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudii: doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne justò perdat potestatem judiciariam.*

36 Verùm quoad scientiam, de qua noster est sermo, scire tenetur distinguere inter peccata venialia, & mortalia, quæ restitutionem requirunt, censuras, & casus reservatos, & alia quæ in Theologia Morali continentur, idque ordinario saltem modo, non autem eminentiori: estque necessarium, ut sciat communia, & in extraordinariis dubitet, *d.cap.1.§.Caveat, de pœnit.dist.6.* ubi Navarrus, *& in man.c.4. n.8.* Villalobos *d.difficult.68.n.3.* Suarez *de pœnit.disp.28.sect.1.* de Lugo *de pœnit.disp.21.sect.4.n.70.* qui *n.71.* animadvertit in omnibus casibus non requiri, ut Confessarius agnoscat præcisè peccatum esse mortale, seu veniale, vel si sit peccatum, necne: sufficit confusè agnoscere, & absolutè; contrarium enim etiam prudentioribus difficile est, Navarrus *d.c.4.n.9.*

37 Unde colligitur, graviter peccare qui absque scientia necessaria confessiones excipit: qua in re nulla est facienda differentia inter eos qui voluntariè, aut ex obligatione officii pœnitentes audiunt, vel an sit Confessarius Regularis, sive Sæcularis? Navarrus *d. sect.4. n.*10. de Lugo *d. sect.4.n. 72.* Layman *d.tract.6.c.13.n.1.versic. Circa hanc assertionem*, Hurtado *d. c.1.§.3.n.456.* Quod tenendum si extra necessitatem confessionem exaudiat, Trullench *de Sacram. lib.4. c. 10.dub.10.n.7.* Si verò cum necessitate, utpotè in articulo mortis, quando alius Confessor non est, indoctus idoneus est, Navarr. *d.c.4.n.13.* sicut quando locus ita est redditus paucorum, ut nullus alius nisi indoctus in illo remanere velit, Azorius *Institut.mor. 2.p. lib.6. c.6. qu.9.* de Lugo *d.sect.4. num.74.*

38 Observet tamen Capellanus, cui onus incumbit audiendi confessiones, ne ex eo solo quod institutus sit, illas excipiat; debet enim habere approbationem, & jurisdictionem ab Episcopo, vel ab alio, qui ad id habeat facultatem, & insimul magnopere de rebus in confessione scitis secretum servet, *cap.1. de pœnit.dist.1. cap. Omnis 12. de pœnit. & remiss. cap. Dilectus 13. de excessib. Prælat.* aliàs si absque jurisdictione id fecerit, irritæ erunt confessiones, Trident. *sess.23. de reformat.c.15.* Layman *lib.5. tract.6. cap.21.* & ex fractione sigilli grave sacrilegium committitur, & graviter punietur, Vasquez *in 3.part.quæst.91.art.4.dub.1.* Villalobos *d.tract.9. difficult.72.* Trullench *de Sacram.lib.4.cap.8. à dub.1.* Menochius *de præsumpt.lib.6.præsumpt.95.* Torreblanca *de Magia, lib.4. de pœnit. cap.7.* Farinacius *in praxi crimin. quæst.51. à num.61.*

39 In aliis verò Capellaniis quibus appositum est onus recitandi Horas Canonicas, ut quis idoneus censeatur, tenetur scire legere, scribere, & insimul construere linguam Latinam, & sufficienter intelligere; quia cùm habeat onus recitandi, necessariò tenetur Latinam linguam percipere. Si tamen choro deputetur, etiam ad canendum habilis erit; est enim certum, quemlibet præficiendum debere scire quidquid necessarium fuerit ad illud munus exercendum, *cap.4. dist.23.* Glossa *in Clement.1. de concess. præbend. verbo Reputamus*, Garcia *d. 7.part. cap.4. n.4.* Leon *de offic.Capell.d.quæst.4. praxi 6.à n.90.* Tondutus *quæstionum beneficial.tom.1. 2.part.cap.5. §.5. num.8.* Tapia *d. artic.13. num.7.*

40 Si verò Capellania petat Ordinem Sacrum, ita ut præcisè Capellanus fieri debeat Sacerdos, debet scire quæ pertinent ad Sacramentum Eucharistiæ, & Missæ Sacrificium conficiendum, & administrandum: tum explicare Symbolum, & Decalogum, & populum in necessariis instruere, Trident. *de reform.sess.23. c.14.* necnon aliqua de Sacramento pœnitentiæ agnoscere, quia recipit potestatem absolvendi in ipso Sacerdotio, licèt absque jurisdictione in subditos, Leon *d.praxi 6.n.30.vers.Secundo casu.*

Si verò qui instituitur in Capellania, aut præsentatur, sit ignarus, inhabilis redditur, nec institutio, collatio, aut præsentatio tenebit, Trident. *sess.22. de reformat. cap.4.* ibi: *Irrita decernitur omnis provisio facta ei, qui ætatem, & cæteras habilitates integrè non habuerit.* Quod tene si penitus est illiteratus, quia est irregularis, *cap. Illiteratos, 36. dist.* & ob hanc causam, & defectum hujus qualitatis, irrita à jure decernitur institutio, seu collatio, Leon *d. praxi 6. num.87.* Diez *in praxi, cap.21.* ubi Salcedo *lit.H*, Corrasius *de Sacerdot.3.par.cap.5.n.3.* Lessius *de justit.lib.2.cap.34. dub.24. n.129.* Palao *d.tr.3.disput.4.punct.6.n.5.* Garcia *d.7.part.cap.7. num.27.* 41

Verùm ut advertit Garcia, hoc indistinctè suscipiendum non est; nam si Capellanus, aut beneficiarius penitus illiteratus non sit, verùm qualemqualem scientiam habeat, ita ut aliquo modo satisfacere possit Officio, irrita non est institutio, seu collatio Capellaniæ, vel beneficii, *cap. fin. de ætat. & qualit. ordin.* ubi Episcopus ab officio removetur; quia non habebat scientiam sufficientem: unde perpenditur institutionem, seu collationem à principio extitisse: cæterùm irregularitas ista non dicitur propriè, Garcia *d. c.7. n. 19.* & in his, quæ ad habilitatem scientiæ requiruntur, est maxima latitudo, Villalobos *in Summa, 1.p.tr.21.diff.34.n.4.* quapropter si aliquam scientiam habuerit Capellanus, seu beneficiarus, irrita non erit collatio, seu institutio, Lessius *d.dub.24.num.129.* Garcia *d. cap.4. num.14.* Salcedo *ad Bern. d.cap.21.lit.H*, Gonzalez *ad regul.8.gloss.4. n.48.* Petrus Gregorius *syntagm.lib.16.c.10.n.13.* Barbosa *de offic.Episcop. 3.p. alleg.63.n.3. & de univers.jur. lib.3. c.13. n.165.* Palao *d.punct. 6.num.8.* 42

Est dubium, an collatio, seu institutio Capellaniæ Ecclesiasticæ, aut beneficii simplicis, facta penitus illiterato, irrita sit, necne ipso jure. Prima sententia asserit irritam non esse ipso jure; nam in his nec industria, nec Consilium requiritur, sed nudum ministerium recitandi Horas Canonicas, & Missas celebrandi, quod facilè post institutionem, seu collationem addiscitur: ergo collatio, seu institutio non erit ipso jure irrita, Rota *2.p. divers. decis.16. n.4.* quam sequitur Gonzalez *d.gloss.4.n.50.* 43

Verùm illas decisiones existimo non esse intelligendas de penitus illiteratis ad beneficia simplicia, sed de illis illiteratis, qui qualemqualem scientiam habebant, etiam minorem, quam sufficeret ad valorem collationis, seu institutionis beneficii curati, aut alterius habentis administrationem. Minor enim illa litteratura est sufficiens in Capellaniis, & beneficiis simplicibus ad sustinendam collationem, seu institutionem, nec dicetur penitùs illiteratus. 44

Quamobrem contra Gonzalez assero, collationem, vel institutionem Capellaniæ, vel beneficii simplicis, esse irritam, factam penitùs illiterato, *cap.Cum in cunctis 7. §.fin.de elect.* qui in omnibus beneficiis absolutè intelligendus est, ut ibidem docet Barbosa *n.9.* cæterùm penitùs illiteratus est inhabilis, etiam ad beneficia simplicia, sicut & ad alia administrationem habentia: ergo similiter erit collatio, seu institutio nulla, Garcia *d.c.4.n.20.in fin.* Palao *d.punct.6.n.7.* Thom. Hurtad. *d.c.1.§.3.n.456.* 45

Sed dubitatur, an Pontifex possit dispensare, ut Capellania, seu beneficium Ecclesiasticum concedatur penitus illiterato? Negarunt putes, quia de jure divino prohibitum est, ne incapacibus, & inhabilibus sacra administranda concedantur: ergo in defectu scientiæ non poterit Pontifex dispensare, Turrecr. *in c.In laicis, 38.dist.* Diez *in praxi, c.21.in fin.* Majolus *de irregular.lib.1.c.32.n.13.* Riccius *in praxi, 1.p. resol.311.n.7.* Tondut. *d.cap.5. §.5.n.8.* Thom.Hurtad. *d.§.3. num.458.* 46

Ast contrarium tenent Vivaldus *in Candelabr. de irregularit. §.5. num.9.* Villalobos *in Summ. 1.part. tract.22. difficul.3. num.3.* nam ista est irregularitas, quæ potest tolli à Pontifice. 47

In re dico, quæstionem non esse de Episcopo, iste verò nequit hanc dispensationem concedere, Suarez *de censur. disput.50. sect.1. numer.11.* Palao *dict. punct.6. num.12.* qui scripsit benè posse Episcopum, justa existente causa, ei qui 48

parum

parum scit, Beneficium conferre, brevi tempore profecturo, quia potest pro brevi tempore in obligatione annexa Beneficio dispensare. Azorius 2. *part. Instit. Moral. lib.* 6. *cap.* 6. *quaest.* 5.

49 Erit ergo difficultas in Summo Pontifice, & id potest facere indirectè, aut directè; si enim indirectè, quotidie fit dispensando in ætate, veluti quando Capellania, aut aliud Beneficium infanti concederetur; tunc enim indirectè dispensatur in litteratura, donec fiat capax, & habilis ad serviendum Beneficio, interimque per Vicarium administratio exerceretur. Navar. *in Manual. cap.* 27. *n.* 205. Si verò directè fiat dispensatio, Suarez *d. sect.* 1. *n.* 11. asserit, posse dispensare, si litteratura non sit necessaria de jure divino; secus verò si de jure illo requireretur. Ast absolutè loquendo dicendum, justa existente causa, posse dispensare, quia de jure divino solùm habetur ut Capellanus, vel Beneficiatus sit aptus ad exercendum munus Beneficii: ast Pontifex in hoc dispensat, assignando illi coadjutorem, per quem adimpleatur: Ergo poterit dispensare. Azorius *d. cap.* 6. *q.* 4. Palao *d. punct.* 6. *n.* 11. unde & dispensare valet, ut quando quis est bonæ indolis, & de eo speratur profecturum, ut exemplis illustrat Salced. *ad Bernard. d. cap.* 21. *lit. H*, Barbosa *de offic. Episcop.* 2. *part. alleg.* 46. *n.* 12.

50 In Capellaniis juris Patronatus idoneitas scientiæ requiritur, quapropter præsentatus poterit ab Episcopo examinari, & debet per examen constare de ejus idoneitate, prout in aliis Beneficiis. Trident. *sess.* 7. *de Reform. cap.* 13. latè Th. Hurtado *tom.* 2. *tr.* 12. *cap.* 1. *resol.* 3. t. Frasso 1. *part. de Patronatu Indiarum, cap.* 31. aliter erit nulla institutio: in simplicibus verò, si personæ fuerint notæ Episcopo, veluti DD. alicujus Universitatis, examen poterit omittere, cùm eorum litteratura innotescat. Leon *d. quaest.* 4. *praxi* 6. *n.* 91. Henr. *in Summa, lib.* 10. *cap.* 18. *in princip.* Cenedo *collect.* 15. *n.* 3. Barbosa 3. *part. de offic. Episcop. alleg.* 60. *n.* 85. Illud tamen expeditum, ut in Capellaniis, aut Beneficiis simplicibus, ad unum approbatus, etiam ad aliud approbatus censeatur, nec indigebit novo examine. Gonzalez *d. gloss.* 4. *n.* 88. Riccius *in praxi forens. decis.* 419. *alias in novis. decis.* 356. Barbosa *d. alleg.* 60. *n.* 89. qui animadvertit hoc in Curia observari, in partibus verò contrarium: idem Barbosa *ad Concil. d. sess.* 7. *cap.* 13. *n.* 18. sed ejus doctrina in partibus admittenda, si in primo examine minùs aptè respondisset, aut intelligatur negligenter in studio sese habere. Massobr. *in prax. habendi concurs. prælud.* 3. *dub.* 3. *n.* 33.

51 In his verò Capellaniis, & Beneficiis simplicibus, quando quis est approbatus ad Ordinem Sacrum, examine non indiget; nam eo ipso approbatus censetur ad Capellaniam, vel Beneficium simplex. Gonzalez *d. gloss.* 4. *n.* 84. Garcia 7. *part. de benef. cap.* 4. *n.* 10.

52 Cæterùm ad obtinendas Capellanias Ecclesiasticas, sicut ad cætera Beneficia, gravitas morum requiritur, ut docet textus *in d. cap. Cum in cunctis* 7. *de elect. cap. Grave nimis* 29. *de Præbend. Clement.* 1. *de ætat. & qualit. ordin.* Trid. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 18. & *sess.* 24. *de Reform. Mor. c.* 12. Ratio est, nam Ministri Ecclesiæ debent ad pietatem, & morum gravitatem alios promovere, idque non solùm monitis, verùm exemplo, & piis precibus: quare Christus Dominus apud Matth. *cap.* 24. prudentes, & Fideles eos requirit; fidelitas verò in Ecclesiastico munere, in charitate, & rectis moribus fundatur, ut exprimit Lessius *de instit. lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 23. *n.* 125. quamobrem Sacra Congregatio apud Leonem *d. praxi* 6. *n.* 92. censuit eum præferendum esse, cujus mores noti, & probati sunt, Doctori cujus vita ignoratur. Azorius *Institut. Moral.* 2. *part. lib.* 6. *cap.* 7. Garcia *de benef.* 7. *part. cap.* 8. Palao *d. tract.* 13. *disp.* 4. *punct.* 5. Ojeda *de incompatib.* 1. *part. cap.* 24.

53 Verùm in morum bonitate, & gravitate æstimanda non facilè credendi sunt plurimi homines larvati, qui sub exterioritate circunspectissima plurima scelera abscondunt, & sub tegumento ovium, intus sunt lupi rapaces, monumenta dealbata à Domino ostenduntur, exteriùs ornatissima & formosa, intus verò nihil nisi putredinem, horrorem, & vermes abscondunt: quapropter maxima consideratione hæc qualitas examinanda est, ne hypocritæ isti ad Altare Dei conscendant, unde Dominus interdixit, ne cygnus ad Altare sacrificaretur, rationemque præstitit Origenes *hom. in Num.* sic: *Prohibetur inter alia animalia cygnus Israeli, qui cum albus sit foris, intus nigerrima carne cooperitur; quia hoc solemne hypocritis est, qui dum castitatem exteriùs prædicant, intus teterrima tabe luxuriæ maculantur.*

54 Hi verò magnopere sunt rejiciendi ab omnibus Beneficiis Ecclesiasticis, qui cùm ea adepti fuerint, ad majora vitia prolabuntur: itaque optimè Bern. *serm.* 2. *de Assumpt.* dixit: *Quid aliud est quàm fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto quoniam pullulabit uberius.*

55 Io aliis verò, qui criminibus adnotantur, nisi infames effecti fuerint, prorsus à Beneficiis Ecclesiasticis ablegandi non sunt, dummodo ingenium, & capacitatem habeant; sunt enim aliqui istorum ad Beneficia assumpti: quos postea fuisse præstantissimos Prælatos, litterarum monumenta commendant, ut ex Cantiprat. *lib.* 2. *de Apib. cap.* 2. ostendit Lantmeter *de vet. Clericor. vict.* 2. *part. lib.* 2. *c.* 31. qui lepida historia id demonstrat: sunt duo exempla breviter attingenda. Primum Caii Valerii Flacci, qui cùm pravæ indolis fuisset, & morum nota infamaretur, à Publio Licinio Pontifice Maximo Sacerdos creatus, qui luxuriei exempla dederat, postea continentiæ, & temperantiæ magister admirandus extitit. Valerius Maximus *lib.* 6. *cap.* 9. Secundum præstabit Vigilius Romanus Pontifex, qui antequam ad apicem Pontificatus ascenderet, seditiosus, & ambitiosus apparuit: verùm adepto Pontificatu, strenuus, & admirabilis Pontifex fuit, ut ex actis Sylverii, & ejusdem Vigilii demonstratur apud Platinam *fol. mihi* 67. noster Illescas *lib.* 3. *hist. Pont. cap.* 11. & 12.

56 Collatio verò facta criminoso, licèt illicita sit, non est tamen irrita, nisi crimen aliquod perpetraverit, ob quod irrita fiat. Palao *d. disp.* 4. *punct.* 5. *à n.* 2. ast verò, si fiat alio crimine irretito, etiam publico, an irrita sit ipso jure, disceptatur: æquior tamen opinio est, ut tantùm sit irritanda, ut benè docet Garcia *d. c.* 8. *à n.* 47. qui verò notoriè est in delicto, ad Capellaniam Ecclesiasticam, seu aliud Beneficium non est promovendus: si verò occultus peccator sit, corripiendus erit ad emendam, non verò publico suffragio privabitur, *cap. fin. de temp. ordin.* Cardoso *verb. Sacramentum Ordinis, n.* 20. Barbosa *de offic. Episc.* 2. *part. alleg.* 10. *n.* 40. publici enim pœnitentes nec ad Beneficia admittentur, *cap. Ex pœnitentibus, cap. Illud, c. Maritus,* 33. *distinct.* Cardoso *d. n.* 20. Tolet. *in Sum. lib.* 1. *c.* 68. Lantmeter *d.* 2. *part. lib.* 2. *c.* 13. *ad fin.*

57 Nec enim admittentur aliqua censura, aut irregularitate irretiti, quorum collatio aut irrita est, aut irritanda, prout suprà explicuimus. Leon *dict. praxi* 6. *à num.* 92. Covarruvias *in cap. Alma*, 1. *part.* §. 7. Cochier *de permut. cap.* 33. *num.* 7. Garcia *de benef. dict.* 7. *part. cap.* 13. Tondutus *quaest. benef.* 2. *part. cap.* 5. §. 3. *numer.* 1. Suarez *de cens. lib.* 4. *sect.* 7. *per tot.*

C A P U T V.

De Capellania Sacerdotem requirente, vel (ut dicitur) Sacerdotali.

S U M M A R I U M.

Capellaniæ aliquæ requirunt Sacerdotem, aliæ verò non, numer. 1. *In dubio non intelligitur Sacerdotalis, num.* 2.

Si fundator vocaverit Petrum Sacerdotem ad suam Capellaniam, non est Sacerdotalis, n. 3.

An quando fundator vocaverit Capellanum, qui Missas celebret, sit Capellania Sacerdotalis. Prima sententia negat, n. 4. *Secunda affirmat, n.* 5. *Tertia, & quarta distinguunt, n.* 6. & 7. *Resolvitur, à n.* 8. & *seqq. ubi disceptatur, an Capellanus obligatus ad Missas dicendas, teneatur celebrare per se, à n.* 12.

Rejicitur Tondutus, num. 14.

An Capellania sit Sacerdotalis, si dicat fundator, Eligatur Presbyter? *Negant aliqui, n.* 15. *Sed contrarium defenditur, à n.* 16.

Si fundator dicat, Eligatur Capellanus, seu Sacerdos, *dicit Leon non esse Sacerdotalem, n.* 18. *Sed contrarium defenditur, n.* 19.

Si apponantur in fundatione hæc verba, Eligatur Capellanus, qui diu noctuque officia peragat, *non esse Sacerdotalem multi dicunt, num.* 20. *sed explicantur, num.* 21.

Ex solo onere Missarum Capellaniam non esse Sacerdotalem proba-

lum Dei habeat, & secundum scientiam; cùm indiscreta religio magis obesse soleat, quam prodesse. Literatum autem ideo, ut sciat quod injungat, cui parcat, cui parcere debeat, quam consolationem proferat de scripturis. Religiosum idcircò, ne pu-ras manus levet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem ne unquam de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquenti consentiat, Layman *in Summa*, *lib.5. tract.6. cap. 13. in fin.*

35 Est ad rem optimus textus *in cap.1. de pœnit. dist.6.* qui postquam de Confessoris scientia disseruit, hæc subnectit verba: *Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, & secus onus portare: habeat dulcedinem in affectione, adjuvet confitentem orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciende: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cùm opus fuerit increpando. Doleat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudii: doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne justè perdat potestatem judiciariam.*

36 Verùm quoad scientiam, de qua noster est sermo, scire tenetur distinguere inter peccata venialia, & mortalia, quæ restitutionem requirunt, censuras, & casus reservatos, & alia quæ in Theologia Morali continentur, idque ordinario saltem modo, non autem eminentiori: estque necessarium, ut sciat communia, & in extraordinariis dubitet, *d.cap.1. §. Caveat, de pœnit. dist.6.* ubi Navarrus, & *in man.c.4. n.8.* Villalobos *d.difficult.68.n.3.* Suarez *de pœnit. disp.28. sect. 1.* de Lugo *de pœnit. disp.21. sect.4.n.70.* qui *n.71.* animadvertit in omnibus casibus non requiri, ut Confessarius agnoscat præcisè peccatum esse mortale, seu veniale, vel si sit peccatum, necne: sufficit confusè agnoscere, & absolutè; contrarium enim etiam prudentioribus difficile est, Navarrus *d.c.4.n.9.*

37 Unde colligitur, graviter peccare qui absque scientia necessaria confessiones excipit: qua in re nulla est facienda differentia inter eos qui voluntariè, aut ex obligatione officii pœnitentes audiunt, vel an sit Confessarius Regularis, sive Sæcularis? Navarrus *d. sect.4. n.10.* de Lugo *d. sect.4.n. 72.* Layman *d.tract.6.c.13.n.1. versic. Circa hanc assertionem*, Hurtado *d. c.1. §.3. n.456.* Quod tenendum si extra necessitatem confessionem exaudiat, Trullench *de Sacram. lib.4. c. 10. dub.10. n.7.* Si verò cum necessitate, utpote in articulo mortis, quando alius Confessor non est, indoctus idoneus est, Navarr. *d.c.4. n.13.* sicut quando locus ita est redditum paucorum, ut nullus alius nisi indoctus in illo remanere velit, Azorius *Institut. mor. 2.p. lib.6. c.6. qu.9.* de Lugo *d. sect.4. num.74.*

38 Observet tamen Capellanus, cui onus incumbit audiendi confessiones, ne ex eo solo quod institutus sit, illas excipiat; debet enim habere approbationem, & jurisdictionem ab Episcopo, vel ab alio, qui ad id habeat facultatem, & insimul magnopere de rebus in confessione scitis secretum servet, *cap.1. de pœnit. dist.1. cap. Omnis 12. de pœnit. & remiss. cap. Dilectus 13. de excess. Prælat.* aliàs si absque jurisdictione id fecerit, irritæ erunt confessiones, Trident. *sess.23. de reformat. c.15.* Layman *lib.5. tract.6. cap.21.* & ex fractione sigilli grave sacrilegium committitur, & graviter punietur, Vasquez *in 3. part. quæst.91. art.4. dub.1.* Villalobos *d. tract.9. difficult.72.* Trullench *de Sacram. lib.4. cap.8. à dub.1.* Menochius *de præsumpt. lib.6. præsumpt.95.* Torreblanca *de Magia, lib.4. de pœnit. cap.7.* Farinacius *in praxi crimin. quæst.51. à num.61.*

39 In aliis verò Capellaniis quibus appositum est onus recitandi Horas Canonicas, ut quis idoneus censeatur, tenetur scire legere, scribere, & insimul construere linguam Latinam, & sufficienter intelligere; quia cùm habeat onus recitandi, necessariò tenetur Latinam linguam percipere. Si tamen choro deputetur, etiam ad canendum habilis erit; est enim certum, quemlibet præficiendum debere scire quidquid necessarium fuerit ad illud munus exercendum, *cap.4. dist.23.* Glossa *in Clement.1. de concess. præbend. verbo Reputamus*, Garcia *d. 7. part. cap.4. n.4.* Leon *de offic. Capell. d. quæst.4. praxi 6. à n.90.* Tondutus *quæstionum beneficial. tom.1. 2. part. cap.5. §.5. num.8.* Tapia *d. artic.13. num.7.*

40 Si verò Capellania petat Ordinem Sacrum, ita ut præcisè Capellanus fieri debeat Sacerdos, debet scire quæ pertinent ad Sacramentum Eucharistiæ, & Missæ Sacrificium conficiendum, & administrandum: tum explicare Symbolum, & Decalogum, & populum in necessariis instruere, Trident. *de reform. sess.23. c.14.* necnon aliqua de Sacramento pœnitentiæ agnoscere, quia recipit potestatem absolvendi in ipso Sacerdotio, licèt absque jurisdictione in subditos, Leon *d. praxi 6. n.30. vers. Secundo casu.*

41 Si verò quis instituitur in Capellania, aut præsentatur, sit ignarus, inhabilis redditur, nec institutio, collatio, aut præsentatio tenebit, Trident. *sess.22. de reformat. cap.4.* ibi: *Irrita decernitur omnis provisio facta ei, qui ætatem, & cæteras habilitates integrè non habuerit.* Quod tene si pœnitus est illiteratus, quia est irregularis, *cap. Illiteratos, 36. dist.* & ob hanc causam, & defectum hujus qualitatis, irrita à jure decernitur institutio, seu collatio, Leon *d. praxi 6. num.87.* Diez *in praxi, cap.21.* ubi Salcedo *lit. H,* Corrasius *de Sacerdot. 3. par. cap.5. n.3.* Lessius *de justit. lib.2. cap.34. dub.24. n.129.* Palao *d. tr.3. disput.4. punct.6. n.5.* Garcia *d.7. part. cap.7. num.27.*

42 Verùm ut advertit Garcia, hoc indistinctè suscipiendum non est; nam si Capellanus, aut beneficiarius penitus illiteratus non sit, verùm qualemqualem scientiam habeat, ita ut aliquo modo satisfacere possit Officio, irrita non est institutio, seu collatio Capellaniæ, vel beneficii, *cap. fin. de ætat. & qualit. ordin.* ubi Episcopus ab officio removetur; quia non habebat scientiam sufficientem: unde perpenditur institutionem, seu collationem à principio extitisse: cæterùm irregularitas ista non dicitur propriè, Garcia *d. c.7. n. 19.* & in his, quæ ad habilitatem scientiæ requiruntur, est maxima latitudo, Villalobos *in Summa, 1. p. tr.21. diff.34. n.4.* quapropter si aliquam scientiam habuerit Capellanus, seu beneficiatus, irrita non erit collatio, seu institutio, Lessius *d. dub.24. num.129.* Garcia *d. cap.4. num.14.* Salcedo *ad Bern. d. cap.21. lit. H,* Gonzalez *ad regul.8. gloss.4. n.48.* Petrus Gregorius *syntagm. lib.16. c.10. n.13.* Barbosa *de offic. Episcop. 3. p. alleg.63. n.3. & de univers. jur. lib.3. c.13. n.165.* Palao *d. punct. 6. num.8.*

43 Est dubium, an collatio, seu institutio Capellaniæ Ecclesiasticæ, aut beneficii simplicis, facta penitus illiterato, irrita sit, necne ipso jure? Prima sententia asserit irritam non esse ipso jure; nam in his nec industria, nec Consilium requiritur, sed nudum ministerium recitandi Horas Canonicas, & Missas celebrandi, quod facilè post institutionem, seu collationem addiscitur: ergo collatio, seu institutio non erit ipso jure irrita, Rota *2. p. divers. decis.16. n.4.* quam sequitur Gonzalez *d. gloss.4. n.50.*

44 Verùm illas decisiones existimo non esse intelligendas de penitus illiteratis ad beneficia simplicia, sed de illis illiteratis, qui qualemqualem scientiam habebant, etiam minorem, quam sufficeret ad valorem collationis, seu institutionis beneficii curati, aut alterius habentis administrationem. Minor enim illa litteratura est sufficiens in Capellaniis, & beneficiis simplicibus ad sustinendam collationem, seu institutionem, nec dicetur penitùs illiteratus.

45 Quamobrem contra Gonzalez assero, collationem, vel institutionem Capellaniæ, vel beneficii simplicis, esse irritam, factam penitus illiterato, *cap. Cum in cunctis 7. §. fin. de elect.* qui in omnibus beneficiis absolutè intelligendus est, ut ibidem docet Barbosa *n.9.* cæterùm penitùs illiteratus est inhabilis, etiam ad beneficia simplicia, sicut & ad alia administrationem habentia: ergo similiter erit collatio, seu institutio nulla, Garcia *d.c.4. n.20. in fin.* Palao *d. punct.6. n.7.* Thom. Hurtad. *d.c.1. §.3. n.456.*

46 Sed dubitatur, an Pontifex possit dispensare, ut Capellania, seu beneficium Ecclesiasticum concedatur penitus illiterato? Negarunt putes, quia de jure divino prohibitum est, ne incapacibus, & inhabilibus sacra administranda concedantur: ergo in defectu scientiæ non poterit Pontifex dispensare, Turrecr. *in c. In laicus, 38. dist.* Diez *in praxi, c.21. in fin.* Majolus *de irregular. lib.1. c.32. n.13.* Riccius *in praxi, 1. p. resol.311. n.7.* Tondut. *d. cap.5. §.5. n.8.* Thom. Hurtad. *d. §.3. num.458.*

47 At contrarium tenent Vivaldus *in Candelabr. de irregularit. §.5. num.9.* Villalobos *in Summ. 1. part. tract.22. difficul.3. num.3.* nam ista est irregularitas, quæ potest tolli à Pontifice.

48 In re dico, quæstionem non esse de Episcopo, iste verò nequit hanc dispensationem concedere, Suarez *de censur. disput.50. sect.1. numer.11.* Palao *dict. punct.6. num.12.* qui scripsit benè posse Episcopum, justa existente causa, ei qui patum

parum scit, Beneficium conferre, brevi tempore profecturo, quia potest pro brevi tempore in obligatione annexa Beneficio dispensare. Azorius 2. *part. Instit. Moral. lib.* 6. *cap.* 6. *quæst.* 5.

49 Erit ergo difficultas in Summo Pontifice, & id potest facere indirectè, aut directè; si enim indirectè, quotidie fit dispensando in ætate, veluti quando Capellania, aut aliud Beneficium infanti concederetur; tunc enim indirectè dispensatur in literatura, donec fiat capax, & habilis ad serviendum Beneficio, interimque per Vicarium administratio exercetur. Navar. *in Manual. cap.* 27. *n.* 205. Si verò directè fiat dispensatio, Suarez *d. sect.* 1. *n.* 11. asserit, posse dispensare, si litteratura non sit necessaria de jure divino; secus verò si de jure illo requireretur. Ast absolutè loquendo dicendum, justa existente causa, posse dispensare, quia de jure divino solùm habetur ut Capellanus, vel Beneficiatus sit aptus ad exercendum munus Beneficii: ast Pontifex in hoc dispensat, assignando illi coadjutorem, per quem adimpleatur: Ergo poterit dispensare. Azorius *d. cap.* 6. *q.* 4. Palao *d. punct.* 6. *n.* 11. unde & dispensare valet, ut quando quis est bonæ indolis, & de eo speratur profecturum, ut exemplis illustrat Salced. *ad Bernard. d. cap.* 21. *lit. H*, Barbosa *de offic. Episcop.* 2. *part. alleg.* 46. *n.* 12.

50 In Capellaniis juris Patronatus idoneitas scientiæ requiritur, quapropter præsentatus poterit ab Episcopo examinari, & debet per examen constare de ejus idoneitate, prout in aliis Beneficiis. Trident. *sess.* 7. *de Reform. cap.* 13. latè Th. Hurtado *tom.* 2. *tr.* 12. *cap.* 1. *resol.* 31. Frasso 1. *part. de Patronatu Indiarum, cap.* 31. aliter erit nulla institutio: in simplicibus verò, si personæ fuerint notæ Episcopo, veluti DD. alicujus Universitatis, examen poterit omittere, cùm eorum litteratura innotescat. Leon *d. quæst.* 4. *praxi* 6. *n.* 91. Henr. *in Summa, lib.* 10. *cap.* 18. *in princip.* Cenedo *collect.* 15. *n.* 3. Barbosa 3. *part. de offic. Episcop. alleg.* 60. *n.* 85. Illud tamen expeditum, ut in Capellaniis, aut Beneficiis simplicibus, ad unum approbatus, etiam ad aliud approbatus censeatur, nec indigebit novo examine. Gonzalez *d. gloss.* 4. *n.* 88. Riccius *in praxi forens. decis.* 419. *aliàs in novis. decis.* 356. Barbosa *d. alleg.* 60. *n.* 89. qui animadvertit hoc in Curia observari, in partibus verò contrarium: idem Barbosa *ad Concil. d. sess.* 7. *cap.* 13. *n.* 18. sed ejus doctrina in partibus admittenda, si in primo examine minùs aptè respondisset, aut intelligatur negligenter in studio sese habere. Massobr. *in prax. habendi concurs. prælud.* 3. *dub.* 3. *n.* 33.

51 In his verò Capellaniis, & Beneficiis simplicibus, quando quis est approbatus ad Ordinem Sacrum, examine non indiget; nam eo ipso approbatus censetur ad Capellaniam, vel Beneficium simplex. Gonzalez *d. gloss.* 4. *n.* 84. Garcia 7. *part. de benef. cap.* 4. *n.* 10.

52 Cæterùm ad obtinendas Capellanias Ecclesiasticas, sicut ad cætera Beneficia, gravitas morum requiritur, ut docet textus *in d. cap. Cum in cunctis* 7. *de elect. cap. Grave nimis* 29. *de Prebend. Clement.* 1. *de ætat. & qualit. ordin.* Trid. *sess.* 24. *de Reform. cap.* 18. *& sess.* 24. *de Reform. Mor. c.* 12. Ratio est, nam Ministri Ecclesiæ debent ad pietatem, & morum gravitatem alios promovere, idque non solùm monitis, verùm exemplo, & piis precibus: quare Christus Dominus apud Matth. *cap.* 24. prudentes, & Fideles eos requirit; fidelitas verò in Ecclesiastico munere, in charitate, & rectis moribus fundatur, ut exprimit Lessius *de justit. lib.* 2. *c.* 34. *dub.* 23. *n.* 125. quamobrem Sacra Congregatio apud Leonem *d. praxi* 6. *n.* 92. censuit eum præferendum esse, cujus mores noti, & probati sunt, Doctori cujus vita ignoratur. Azorius *Institut. Moral.* 2. *part. lib.* 6. *cap.* 7. Garcia *de benef.* 7. *part. cap.* 8. Palao *d. tract.* 13. *disp.* 4. *punct.* 5. Ojeda *de incompatib.* 1. *part. cap.* 24.

53 Verùm in morum bonitate, & gravitate æstimanda non facilè credendi sunt plurimi homines larvati, qui sub exterioritate circunspectissima plurima scelera abscondunt, & sub tegumento ovium, intus sunt lupi rapaces, monumenta dealbata à Domino ostenduntur, exteriùs ornatissima & formosa, intus verò nihil nisi putredinem, horrorem, & vermes abscondunt: quapropter maxima consideratione hæc qualitas examinanda est, ne hypocritæ isti ad Altare Dei conscendant, unde Dominus interdixit, ne cygnus ad Altare sacrificaretur, rationemque præstitit Origenes *hom. in Num.* sic: *Prohibetur inter alia animalia cygnus Israeli, qui cum albus sit foris, intus nigerrima carne cooperitur; quia hoc solemne hypocritis est, qui dum castitatem exteriùs prædicant, intus teterrima tabe luxuriæ maculantur.*

Hi verò magnopere sunt rejiciendi ab omnibus Beneficiis Ecclesiasticis, qui cùm ea adepti fuerint, ad majora vitia prolabuntur: itaque optimè Bern. *serm.* 2. *de Assumpt.* dixit: *Quid aliud est quàm fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto quoniam pullulabit uberiùs.* 54

In aliis verò, qui criminibus adnotantur, nisi infames effecti fuerint, prorsus à Beneficiis Ecclesiasticis ablegandi non sunt, dummodo ingenium, & capacitatem habeant; sunt enim aliqui istorum ad Beneficia assumpti: quos postea fuisse præstantissimos Prælatos, literarum monumenta commendant, ut ex Cantiprat. *lib.* 2. *de Apib. cap.* 2. ostendit Lantmeter *de vet. Clericor. vict.* 2. *part. lib.* 2. *c.* 31. qui lepida historia id demonstrat: sunt duo exempla breviter attingenda. Primum Caii Valerii Flacci, qui cùm pravæ indolis fuisset, & morum nota infamaretur, à Publio Licinio Pontifice Maximo Sacerdos creatus, qui luxuriei exempla dederat, postea continentiæ, & temperantiæ magister admirandus extitit. Valerius Maximus *lib.* 6. *cap.* 9. Secundum præstabit Vigilius Romanus Pontifex, qui antequam ad apicem Pontificatus ascenderet, seditiosus, & ambitiosus apparuit: verùm adepto Pontificatu, strenuus, & admirabilis Pontifex fuit, ut ex actis Sylverii, & ejusdem Vigilii demonstratur apud Platinam *fol. mihi* 67. noster Illescas *lib.* 3. *hist. Pont. cap.* 11. & 12. 55

Collatio verò facta criminoso, licèt illicita sit, non est tamen irrita, nisi crimen aliquod perpetraverit, ob quod irrita fiat. Palao *d. disp.* 4. *punct.* 5. *à n.* 2. ast verò, si fiat alio crimine irretito, etiam publico, an irrita sit ipso jure, disceptatur: æquior tamen opinio est, ut tantùm sit irritanda, ut benè docet Garcia *d. c.* 8. *à n.* 47. qui verò notoriè est in delicto, ad Capellaniam Ecclesiasticam, seu aliud Beneficium non est promovendus: si verò occultus peccator sit, corripiendus erit ad emendam, non verò publico suffragio privabitur, *cap. fin. de temp. ordin.* Cardoso *verb. Sacramentum Ordinis, n.* 20. Barbosa *de offic. Episc.* 2. *part. alleg.* 10. *n.* 40 publici enim pœnitentes nec ad Beneficia admittentur, *cap. Ex pœnitentibus, cap. Illud, c. Marius,* 33. *distinct.* Cardoso *d. n.* 20. Tolet. *in Sum. lib.* 1. *c.* 68. Lantmeter *d.* 2. *part. lib.* 2. *c.* 15. *ad fin.* 56

Nec enim admittentur aliqua censura, aut irregularitate irretiti, quorum collatio aut irrita est, aut irritanda, prout suprà explicuimus. Leon *dict. praxi* 6. *à num.* 92. Covarruvias *in cap. Alma*, 1. *part.* §. 7. Cochier *de permut. cap.* 33. *num.* 7. Garcia *de benef. dict.* 7. *part. cap.* 13. Tondutus *quæst. benef.* 2. *part. cap.* 5. §. 3. *numer.* 1. Suarez *de cens. lib.* 4. *sect.* 7. *per tot.* 57

CAPUT V.

De Capellania Sacerdotem requirente, vel (ut dicitur) Sacerdotali.

SUMMARIUM.

Capellaniæ aliquæ requirunt Sacerdotem, aliæ verò non, numer. 1. *In dubio non intelligitur Sacerdotalis, num.* 2.

Si fundator vocaverit Petrum Sacerdotem ad suam Capellaniam, non est Sacerdotalis, n. 3.

An quando fundator vocaverit Capellanum, qui Missas celebret, sit Capellania Sacerdotali. Prima sententia negat, n. 4. *Secunda affirmat, n.* 5. *Tertia, & quarta distinguunt, n.* 6. *& 7. Resolvitur, à n.* 8. *& seqq. ubi disceptatur, an Capellanus obligatus ad Missas dicendas, teneatur celebrare per se, à n.* 12.

Rejicitur Tondutus, num. 14.

An Capellania sit Sacerdotalis, si dicat fundator, Eligatur Presbyter? *Negant aliqui, n.* 15. *Sed contrarium defenditur, à n.* 16.

Si fundator dicat, Eligatur Capellanus, seu Sacerdos, *dicit Leon non esse Sacerdotalem, n.* 18. *Sed contrarium defenditur, n.* 19.

Si apponantur in fundatione hæc verba, Eligatur Capellanus, qui diu noctuque officia peragat, *non esse Sacerdotalem multi dicunt, num.* 20. *sed explicantur, num.* 21.

Ex solo onere Missarum Capellaniam non esse Sacerdotalem proba-

lum Dei habeat, & secundum scientiam; cùm indiscreta religio magis obesse soleat, quàm prodesse. Literatum autem ideò, ut sciat quod injungat, cui parcat, cui parcere debeat, quam consolationem proferas de scripturis. Relgiosum idcirco, ut puras manus levet ad Deum, & pro peccatoribus fiducialiter intercedat. Videat autem ne unquam de his, quæ sub signaculo confessionis accepit, aliquam faciat mentionem, vel alicui loquensi consentiat, Layman *in Summa, lib.5.tract.6.cap.13.in fin.*

35 Est ad rem optimus textus *in cap.1.de pœnit.dist.6.* qui postquam de Confessoris scientia disseruit, hæc subnectit verba: *Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere, & secus onus portare: habeat dulcedinem in affectione, adjuvet confitentem orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo: semper eum juvet leniendo, consolando, spem promittendo, & cùm opus fuerit increpando. Doleat loquendo, instruat operando, sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudii: doceat perseverantiam, caveat ne corruat, ne justè perdat potestatem judiciariam.*

36 Verùm quoad scientiam, de qua noster est sermo, scire tenetur distinguere inter peccata venialia, & mortalia, quæ restitutionem requirunt, censuras, & casus reservatos, & alia quæ in Theologia Morali continentur, idqne ordinario saltem modo, oon autem eminentiori: estque necessarium, ut sciat communia, & in extraordinarus dubitet, *d.cap.1.§.Caveat, de pœnit.dist.6.* obi Navarrus, *& in man.c.4.n.8.* Villalobos *d.difficult.68.n.3.* Suarez *de pœnit.disp.28.sect.1.* de Lugo *de pœnit.disp.21.sect.4.n.70.* qui *n.71.* animadvertit in omnibus casibus oon requiri, ut Confessarius agnoscat præcisè peccatum esse mortale, seu veniale, vel si sit peccatum, necne: sufficit confusè agnoscere, & absolutè; contrarium enim etiam prudentioribus difficile est, Navarrus *d.c.4.n.9.*

37 Unde colligitur, graviter peccare qui absque scientia necessaria confessiones excipit: qua in re nolla est facienda differentia inter eos qui voluntariè, aut ex obligatione officii pœnitentes audiunt, vel an sit Confessarins Regularis, sive Sæcnlaris? Navarrus *d. sect.4.n.10.* de Lugo *d. sect.4.n.72.* Layman *d.tract.6.c.13.n.1.versic. Circa hanc assertionem*, Hurtado *d.c.1.§.3.n.456.* Quod tenendum si extra necessitatem confessionem exaudiat, Trullench *de Sacram. lib.4.c.10.dub.10.n.7.* Si verò cum oecessitate, utpotè in articulo mortis, quando alius Coofessor non est, indoctus idoneus est, Navarr *d.c.4.n.13.* sicut quando locus ita est reddituum paucorum, ut oullus alius nisi indoctus in illo remanere velit, Azorius *Institut.mor. 2.p. lib.6.c.6.qu.9.* de Lugo *d.sect.4.num.74.*

38 Observet tamen Capellanus, cui onus incumbit audiendi confessiones, ne ex eo solo quod institutus sit, illas excipiat; debet enim habere approbationem, & jurisdictionem ab Episcopo, vel ab alio, qui ad id habeat facultatem, & insimul magnopere de rebus in confessione scitis secretum servet, *cap.1. de pœnit.dist.1. cap. Omnis 12. de pœnit. & remiss. cap. Dilectus 13. de excessib. Prelat.* aliàs si absque jurisdictione id fecerit, irritæ erunt confessiones, Trident. *sess.23. de reformat.c.15.* Layman *lib.5.tract.6.cap.21.* & ex fractione sigilli grave sacrilegium committitur, & graviter punietur, Vasquez *in 3.part.quæst.91.ars.4.dub.1.* Villalobos *d.tract.9.difficult.72.* Trullench *de Sacram.lib.4.cap.8. à dub.1.* Menochius *de præsumpt.lib.6.præsumpt.95.* Torreblanca *de Magia, lib.4. de pœnit. cap.7.* Farinacius *in praxi crimin. quæst.51. à num.61.*

39 In aliis verò Capellaniis quibus appositum est onus recitandi Horas Canonicas, ut quis idoneus censeatur, tenetur scire legere, scribere, & insimul construere linguam Latinam, & sufficienter intelligere; qnia cùm habeat onus recitandi, necessariò tenetur Latinam linguam percipere. Si tamen choro deputetur, etiam ad canendum habilis erit; est enim certum, quemlibet præficieodum debere scire quidquid necessarium fuerit ad illud munus exercendum, *cap.4. dist.23.* Glossa *in Clement.1. de concess. prebend. verbo Reputamus*, Garcia *d. 7.part. cap.4.n.4.* Leon *de offic.Capell.d.quæst.4. praxi 6.à n.90.* Tondutus *quæstionum beneficial.tom.1. 2.part.cap.5.§.5. num.8.* Tapia *d. artic.13. num.7.*

40 Si verò Capellania petat Ordinem Sacrum, Ita ut præcisè Capellanus fieri debeat Sacerdos, debet scire quæ pertinent ad Sacramentum Eucharistiæ, & Missæ Sacrificium conficiendum, & administrandum: tum explicare Symbolum, & Decalogum, & populum in necessariis instruere, Trident. *de reform.sess.23. c.14.* necnon aliqua de Sacramento pœnitentiæ agnoscere, quia recipit potestatem absolvendi in ipso Sacerdotio, licèt absque jurisdictione in subditos, Leon *d.praxi 6.n.30.vers.Secundo casu.*

Si verò qni instituitur in Capellania, aut præsentatur, 41
sit igoarus, inhabilis redditur, nec institutio, collatio, aut præsentatio tenebit, Trident. *sess.22. de reformat. cap.4.* ibi: *Irrita decernitur omnis provisio facta ei, qui ætatem, & cæteras habilitates integrè non habuerit.* Quod tene si penitus est illiteratus, quia est irregularis, *cap. Illiteratos, 36. dist.* & ob hanc causam, & defectum hujus qualitatis, irrita à jure decernitur institutio, seu collatio, Leon *d. praxi 6. num.87.* Diez *in praxi, cap.21.* ubi Salcedo *lit.H*, Corrasius *de Sacerdot.3.par.cap.5.n.3.* Lessius *de justit.lib.2.cap.34. dub.24. n.129.* Palao *d.tr.3.disput.4.punct.6.n.5.* Garcia *d.7.part. cap.7. num.27.*

Verùm ut advertit Garcia, hoc indistinctè suscipiendum 42
non est; nam si Capellanus, aut beneficiarius penitns illiteratus non sit, verùm qualemqualem scientiam habeat, ita ut aliquo modo satisfacere possit Officio, irrita non est institutio, seu collatio Capellaniæ, vel beneficii, *cap. fin. de ætat. & qualit. ordin.* ubi Episcopus ab officio removetur, quia non habebat scientiam sufficientem: unde perpeoditur institutionem, seu collationem à principio extitisse: cæterùm irregularitas ista non dicitur propriè, Garcia *d. c.7. n.19.* & in his, quæ ad habilitatem scientiæ requirnntur, est maxima latitudo, Villalobos *in Summa, 1.p.tr.21.diff.34.n.4.* quapropter si aliquam scientiam habuerit Capellanus, seu beoeficiatus, irrita oon erit collatio, seu institutio, Lessius *d.dub.24.num.129.* Garcia *d. cap.4. num.14.* Salcedo *ad Bern. d.cap.21.lit.H*, Gonzalez *ad regul.8.gloss.4.n.48.* Petrus Gregorius *syntagm.lib.16.c.10.n.13.* Barbosa *de offic.Episcop. 3.p. alleg.63.n.3.& de univers.jur.lib.3.c.13.n.165.* Palao *d.punct.6.num.8.*

Est dubium, an collatio, seu iostitutio Capellaniæ Eccle- 43
siasticæ, aut beneficii simplicis, facta penitus illiterato, irrita sit, necne ipso jore. Prima sententia asserit irritam non esse ipso jure; nam in his nec industria, nec Consilium requiritur, sed oudum ministerium recitandi Horas Canonicas, & Missas celebrandi, qood facilè post institutionem, seu collationem addiscitur: ergo collatio, seu institutio non erit ipso jure irrita, Rota *2.p. divers. decis.16. n.4.* quam sequitur Gonzalex *d.gloss.4.n.50.*

Verùm illas decisiones existimo non esse intelligendas 44
de penitus illiteratis ad beoeficia simplicia, sed de illis illiteratis, qui qualemqualem scientiam habebant, etiam minorem, quam sufficeret ad valorem collationis, seu institutionis beneficii curati, aut alterius habentis administrationem. Minor enim illa litteratura est sufficiens in Capellaniis, & beneficiis simplicibus ad sustinendam collationem, seu institutionem, nec dicetur penitùs illiteratus.

Quamobrem contra Gonzalez assero, collationem, vel 45
institutionem Capellaniæ, vel beneficii simplicis, esse irritam, factam penitùs illiterato, *cap.Cum in cunctis 7. §.fin.de elect.* qui in omnibus beneficiis absolutè intelligendos est, ut ibidem docet Barbosa *n.9.* cæterùm penitùs illiteratus est inhabilis, etiam ad beneficia simplicia, sicut & ad alia administrationem habentia: ergo similiter erit collatio, seu institutio nolla, Garcia *d.c.4.n.20.in fin.* Palao *d.punct.6.n.7.* Thom. Hurtad. *d.c.1.§.3.n.456.*

Sed dubitatur, an Pontifex possit dispensare, nt Capella- 46
nia, seu beneficium Ecclesiasticum concedatur penitus illiterato? Negatunt pures, quia de jure divino prohibitum est, ne incapacibus, & inhabilibus sacra administranda concedantur: ergo in defectu scientiæ non poterit Pontifex dispensare, Torrect. *in c. In laicis, 38.dist.* Diez *in praxi, c.21 in fin.* Majolus *de irregular.lib.1.c.32.n.13.* Riccius *in praxi, 1.p. resol.311.n.7.* Tondut. *d.cap.5. §.5.n.8.* Thom.Hurtad. *d. §.3. num.458.*

Ast cootrarium tenent Vivaldus *in Candelabr. de irregu-* 47
larit. §.5. num.9. Villalobos *in Summ. 1.part. tract.22. difficul.3. num.3.* nam ista est irregularitas, quæ potest tolli à Pontifice.

In re dico, quæstionem non esse de Episcopo, iste verò 48
nequit hanc dispensatiooem concedere, Suarez *de censur. disput.50.sect.1.numer.11.* Palao *dict. punct.6. num.12.* qui scripsit benè posse Episcopum, justa existente causa, ei qui

parum

parum scit, Beneficium conferre, brevi tempore profecturo, quia potest pro brevi tempore in obligatione annexa Beneficio dispensare. Azorius *2. part. Instit. Moral. lib. 6. cap. 6. quaest. 5.*

49 Erit ergo difficultas in Summo Pontifice, & id potest facere indirectè, aut directè; si enim indirectè, quotidie fit dispensando in ætate, veluti quando Capellania, aut aliud Beneficium infanti concederetur; tunc enim indirectè dispensatur in litteratura, donec fiat capax, & habilis ad serviendum Beneficio, interimque per Vicarium administratio exercetur. Navar. *in Manual. cap. 27. n. 205.* Si verò directè fiat dispensatio, Suarez *d. sect. 1. n. 11.* asserit, posse dispensare, si litteratura non sit necessaria de jure divino; secus verò si de jure illo requireretur. Ast absolutè loquendo dicendum, justa existente causa, posse dispensare, quia de jure divino solùm habetur ut Capellanus, vel Beneficiatus sit aptus ad exercendum munus Beneficii: ast Pontifex in hoc dispensat, assignando illi coadjutorem, per quem adimpleatur: Ergo poterit dispensare. Azorius *d. cap. 6. q. 4.* Palao *d. punct. 6. n. 11.* unde & dispensare valet, ut quando quis est bonæ indolis, & de eo speratur profectum, nt exemplis illustrat Salced. *ad Bernard. d. cap. 21. lit. H,* Barbosa *de offic. Episcop. 2. part. alleg. 46. n. 12.*

50 In Capellaniis juris Patronatus idoneitas scientiæ requiritur, quapropter præsentatus poterit ab Episcopo examinari, & debet per examen constare de ejus idoneitate, prout in aliis Beneficiis. Trident. *sess. 7. de Reform. cap. 13.* latè Th. Hurtado *tom. 2. tr. 12. cap. 1. resol. 31.* Frasso *1. part. de Patronatu Indiarum, cap. 31.* alıter erit nulla institutio: in simplicibus verò, si personæ fuerint notæ Episcopo, veluti DD. alicujus Universitatis, examen poterit omittere, cùm eorum litteratura innotescat. Leon *d. quaest. 4. praxi 6. n. 91.* Henr. *in Summa, lib. 10. cap. 18. in princip.* Cenedo *collect. 15. n. 3.* Barbosa *3. part. de offic. Episcop. alleg. 60. n. 85.* Illud tamen expeditum, ut in Capellaniis, aut Beneficiis simplicibus, ad unum approbatus, etiam ad aliud approbatus censeatur, nec indigebit novo examine. Gonzalez *d. gloss. 4. n. 88.* Riccius *in praxi forens. decis. 419. alias in novis. decis. 356.* Barbosa *d. alleg. 60. n. 89.* qui animadvertit hoc in Curia observari, in partibus verò contrarium: idem Barbosa *ad Concil. d. sess. 7. cap. 13. n. 18.* sed ejus doctrina in partibus admittenda, si in primo examine minùs aptè respondisset, aut intelligatur negligenter in studio sese habere. Massobr. *in prax. habendi concurs. praelud. 3. dub. 3. n. 33.*

51 In his verò Capellaniis, & Beneficiis simplicibus, quando quis est approbatus ad Ordinem Sacrum, examine non indiget; nam eo ipso approbatus censetur ad Capellaniam, vel Beneficium simplex. Gonzalez *d. gloss. 4. n. 84.* Garcia *7. part. de benef. cap. 4. n. 10.*

52 Cæterùm ad obtinendas Capellanias Ecclesiasticas, sicut ad cætera Beneficia, gravitas morum requiritur, ut docet textus *in d. cap. Cum in cunctis 7. de elect. cap. Grave nimis 29. de Praebend. Clement. 1. de aetat. & qualit. ordin.* Trid. *sess. 24. de Reform. cap. 18. & sess. 24. de Reform. Mor. c. 12.* Ratio est, nam Ministri Ecclesiæ debent ad pietatem, & morum gravitatem alios promovere, idque non solùm monitis, verùm exemplo, & piis precibus: quare Christus Dominus apud Matth. *cap. 24.* prudentes, & Fideles eos requirit; fidelitas verò in Ecclesiastico munere, in charitate, & rectis moribus fundatur, ut exprimit Lessius *de iust. lib. 2. c. 34. dub. 23. n. 125.* quamobrem Sacra Congregatio apud Leonem *d. praxi 6. n. 92.* censuit eum præferendum esse, cujus mores noti, & probati sunt, Doctori cujus vita ignoratur. Azorius *Institut. Moral. 2. part. lib. 6. cap. 7.* Garcia *de benef. 7. part. cap. 8.* Palao *d. tract. 13. disp. 4. punct. 5.* Ojeda *de incompatib. 1. part. cap. 24.*

53 Verùm in morum bonitate, & gravitate æstimanda non facilè credendi sunt plurimi homines larvati, qui sub exterioritate circumspectissima plurima scelera abscondunt, & sub tegumento ovium, intus sunt lupi rapaces, monumenta dealbata à Domino ostenduntur, exteriùs ornatissima & formosa, intus verò nihil nisi putredinem, horrorem, & vermes abscondunt: quapropter maxima consideratione hæc qualitas examinanda est, ne hypocritæ isti ad Altare Dei conscendant, unde Dominus interdixit, ne cygnus ad Altare sacrificaretur, rationemque præstitit Origenes *hom. in Num.* sic: *Prohibetur inter alia animalia cygnus Israeli, qui cum albus sit foris, intus nigerrima carne cooperitur; quia hoc solemne hypocritis est, qui dum castitatem exterius praedicant, intus teterrima tabe luxuria maculantur.*

Hi verò magnopere sunt rejiciendi ab omnibus Beneficiis 54 Ecclesiasticis, qui cùm ea adepti fuerint, majora vitia prolabuntur: itaque optimè Bern. *serm. 2. de Assumpt.* dixit: *Quid aliud est quàm fictio execranda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecus eradices? Certus esto quoniam pullulabit uberius.*

In aliis verò, qui criminibus adnotantur, nisi infantes ef- 55 fecti fuerint, prorsus à Beneficiis Ecclesiasticis ablegandi non sunt, dummodo ingenium, & capacitatem habeant; sunt enim aliqui istorum ad Beneficia assumpti: quos postea fuisse præstantissimos Prælatos, litterarum monumenta commendant, ut ex Cantiprat. *lib. 2. de Apib. cap. 2.* ostendit Lantmeter *de vet. Cleric. vict. 2. part. lib. 2. c. 31.* qui lepida historia id demonstrat: sunt duo exempla breviter attingenda. Primum Caii Valerii Flacci, qui cùm pravæ indolis fuisset, & morum nota infamaretur, à Publio Licinio Pontifice Maximo Sacerdos creatus, qui luxuriei exempla dederat, postea continentiæ, & temperantiæ magister admirandus extitit. Valerius Maximus *lib. 6. cap. 9.* Secundum præstabit Vigilius Romanus Pontifex, qui antequam ad apicem Pontificatus ascenderet, seditiosus, & ambitiosus apparuit: verùm adepto Pontificatu, strenuus, & admirabilis Pontifex fuit, ut ex actis Sylverii, & ejusdem Vigilii demonstratur apud Platinam *fol. mihi 67.* noster Illescas *lib. 3. hist. Pont. cap. 11. & 12.*

Collatio verò facta criminoso, licèt illicita sit, non est ta- 56 men irrita, nisi crimen aliquod perpetraverit, ob quod irrita fiat. Palao *d. disp. 4. punct. 5. à n. 2.* ast verò, si fiat alio crimine irretito, etiam publico, an irrita sit ipso jure, disceptatur: æquior tamen opinio est, ut tantùm fit irritanda, ut benè docet Garcia *d. c. 8. à n. 47.* qui verò notoriè est in delicto, ad Capellaniam Ecclesiasticam, seu aliud Beneficium non est promovendus: si verò occultus peccator fit, corripiendus erit ad emendam, non verò publico suffragio privabitur, *cap. fin. de temp. ordin.* Cardoso *verb. Sacramentum Ordinis, n. 20.* Barbosa *de offic. Episc. 2. part. alleg. 10. n. 40* publici enim pœnitentes nec ad Beneficia admittentur, *cap. Ex paenitentibus, cap. Illud, c. Maritus, 33. distinct.* Cardoso *d. n. 20.* Tolet. *in Sum. lib. 1. c. 68.* Lantmeter *d. 2. part. lib. 2. c. 15. ad fin.*

Nec enim admittentur aliqua censura, aut irregularita- 57 te irretiti, quorum collatio aut irrita est, aut irritanda, prout suprà explicuimus. Leon *dict. praxi 6. à num. 92.* Covarruvias *in cap. Alma, 1. part. §. 7.* Cochier *de permut. cap. 33. num. 7.* Garcia *de benef. dict. 7. part. cap. 13.* Tondutus *quaest. benef. 2. part. cap. 5. §. 3. numer. 1.* Suarez *de cens. lib. 4. sect. 7. per tot.*

CAPUT V.

De Capellania Sacerdotem requirente, vel (ut dicitur) Sacerdotali.

SUMMARIUM.

Capellania aliqua requirunt Sacerdotem, alia verò non, numer. 1. In dubio non intelligitur Sacerdotalis, num. 2.

Si fundator vocaverit Petrum Sacerdotem ad suam Capellaniam, non est Sacerdotalis, n. 3.

An quando fundator vocaverit Capellanum, qui Missas celebret, sit Capellania Sacerdotali. Prima sententia negat, n. 4. Secunda affirmat, n. 5. Tertia, & quarta distinguunt, n. 6. & 7. Resolvitur, à n. 8. & seqq. ubi disceptatur, an Capellanus obligatus ad Missas dicendas, teneatur celebrare per se, à n. 12.

Rejicitur Tondutus, num. 14.

An Capellania sit Sacerdotalis, si dicat fundator, Eligatur Presbyter? *Negant aliqui, n. 15. Sed contrarium defenditur, à n. 16.*

Si fundator dicat, Eligatur Capellanus, seu Sacerdos, *dicit Leon non esse Sacerdotalem, n. 18. Sed contrarium defenditur, n. 19.*

Si apponantur in fundatione haec verba, Eligatur Capellanus, qui diu noctuque officia peragat, *non esse Sacerdotalem multi dicunt, num. 20. sed explicantur, num. 21.*

Ex solo onere Missarum Capellaniam non esse Sacerdotalem proba-

probatur; sed erit, si dicat fundator, Parochum adjuvet, *num.23.*

Ex quibus verbis fiat Capellania Sacerdotalis, numer. 24. & 25.

An in Capellania Sacerdotali præsentandus debeat esse actu Sacerdos? Prima sententia affirmat, negat secunda, num.26. & 27. Tertia, & quarta distinguunt, num. 28. & 29. Resolvitur, a num. 30. & seqq. Capellania desinit esse Sacerdotalis dispensatione, vel præscriptione, num. 35.

Episcopus an possit alterare hanc qualitatem cum consensu Patronorum? Negant aliqui, num. 36. alteri affirmant, num.37. Resolvitur, & explicantur plures casus, à num.38. & seqq. Si aliquis bona aliqua Capellaniæ adjecerit, nequit mutare qualitates illius, sed addere conformes, à n.48.

1 Capellaniæ aliquæ Sacerdotales non sunt, quæ nec requirunt Sacerdotium, nec aliquem Ordinem Sacrum: aliæ verò hanc qualitatem requirunt, veluti quæ curam animarum tenent, vel obligationem audiendi confessiones, aut quæ id petunt fundatione, statuto, vel consuetudine. Azorius 2.*part.lib.6.cap.8.q.12.* Garcia *de benef 7.part.cap.1.§.1.* Fagnanus *in cap. Abbates, de ætat. & qual. ordin. n.61.* Valenz. *cons.135.n.17.*

2 In dubio verò quando non constat ex aliqua causa, Capellanum Sacerdotali, aut alio Sacro Ordine initiandum, minimè Capellania Sacerdotalis dicetur; nam cùm de jure tale requisitum non desideretur, fundatorem videtur se conformem reddidisse cum jure communi: unde qui hanc qualitatem allegaverit, eam debet probare, utpote extrinsecam à qualitate Capellaniæ. Leon *dict. quæst. 4. praxi 6. num.208.* Barbosa *de univ. jur. lib. 3. cap. 5. num. 30.*

3 In re tamen sunt aliqua disquirenda, & in primis, si fundator vocaverit Petrum Sacerdotem ad suam Capellaniam, non ex hac vocatione valet intelligi, voluisse illam facere Sacerdotalem, ita ut illius successores Sacerdotes sint: ratio est, nam Petrum non vocavit Sacerdotem, quia vellet facere suam Capellaniam Sacerdotalem, sed quia de facto erat Sacerdos, ut cum Rota scripsit Leon *dict. praxi 6. num.210.*

4 Est tamen grave dubium, an quando fundator dicat, *Eligatur Capellanus, qui Missas celebret*, sit Capellania Sacerdotalis, necne? Prima sententia negat Sacerdotalem, quin sufficere, ut Sacellanus sit prima Tonsura initiatus, quia nec actu, nec aptitudine Sacerdotium petit; nam ex illis verbis tantùm intendit fundator facere Capellaniam, seu Beneficium simplex, quod de jure nihil petit, nisi primam tonsuram, & ætatem quatuordecim annorum. Zerola *in praxi, verb. Benef. §.7. à n.1.* Ferretus *cons.112.* Azorius 2.*part. Instit. Moral. lib.3. c.8. q.5. ad fin.* Quamobrem nihil aliud voluit testator, nisi ut Sacellanus prima Tonsura initiaretur, non verò Ordine Sacerdotali. Cæterùm, nam verba illa, *ut Missas celebret*, non dicunt necessariò, ut ipse per se Missas celebret, sed inducunt onus, seu obligationem illas dicendi, aut per se, vel per alium: ergo non erit Capellania Sacerdotalis, ut cum aliquibus tenet Garcia *de Benef. 7. part. cap. 1. §. 1. n.86.* dicit veriorem Moneta *de commutat. ultimar. voluntat. c.10. n.140.* Leon *de offic. Capellan. dict. quæst. 4. num.212.* Palao *dict. tract. 13. de benefic. cap. 1. punct. 6. num.18.* Layman *in Summa, lib.4. tract.2. cap.14. num. 2. versic. Porro*, de Lugo *resol. Moral. lib.5. dub.26.* Barbosa *de offic. Episcop. 3. part. allegat.24. n.43.* Tondutus *tom. 1. quæst. beneficial. cap.31. à n.1.* Fagnan. *ubi sup. num.62.* Valenzuela *cons. 135. num. 24.*

5 Secunda sententia tenet affirmativè, nempe esse Sacerdotalem, nam ut docet Abbas *in cap. Dilecto, de testibus, not. 2. num.3.* quoties onus imponitur Capellaniæ, ut Capellanus Missas celebret, dicitur Sacerdotalis; non aliter enim onus adimplebit, nisi Sacerdos fiat: ergo erit Capellania Sacerdotalis. Cæterùm, nam licèt fundator dicat, ut Missas celebret per se, vel per alium, adhuc Capellania erit Sacerdotalis, quia intentio fundatoris illa fuit, ut ipse Sacellanus per se celebraret, & si impeditus, per alium. Ergo erit Sacerdotalis. Guttierrez *cons. 1. num. 11.* Rodriguez *quæst. Regularium 2. tom. quæst. 122. art.1.* Azor. *Institut. Moral. 2. part. lib. 6. c. 24. quæst. 3.* Quintanaduen. *lib. 4. Eccles. num.67.*

Tertia sententia asserit, non requiri Sacerdotem actu, sed aptitudine, id est ut possit intra annum ordinari; quia clausula illa non respicit actum præsentis temporis, sed potiùs illius prosecutionem; idcircò sufficiet, ut postea congruo tempore fiat Sacerdos, eritque Capellania Sacerdotalis, cùm necessariò debeat intra annum fieri Sacerdos, ut tenuit Rota 14. Maii 1586. coram Pamphilio, transcripta à Garcia *d. c.1.§.1.n.79.* Spino *in specul. testam. gloss.4. à n.68.* Parlador. *diff.120. n.14.* Cevall. *commun. quæst.693. à n.6.* Henno *de Sacrif. Miss. disput.19. sect.3. n.67.* 6

Quarta sententia distinguit, quando Capellania ab aliquo laico fundatur, & tunc inquit Sacerdotalem esse Capellaniam; secus si ab Ecclesiastico, quia ipse præsumitur examinasse, posse Capellanum per alium deservire. Azor. *d. cap.24. q.4.* Ferret. *cons.305.* Lambert. & alii apud Garc. *d. §.1. num.82.* 7

Cardo hujus difficultatis consistit, an ex clausula illa, *Eligatur Capellanus, qui Missas celebret*, ipse per se sit obligatus ad celebrandum, ita ut non adimpleat celebrando per alium? Et quamvis multi teneant, posse adimplere per alium, quia solùm verba illa diriguntur ad onus, non ad personam, Lapus *allegat.35.* Leon *dict. q.4. praxi 6. n.245.* Dian. *2. part. tract.14. resol.18.* Pasqualig. *de Sacrif. Miss. q.1117. n.2.* Barbosa *d. allegat. 24. n.29. & de univ. jur. lib.3. cap.5. à n.31.* Frasso *de Patronat. Ind. cap. 14. n.63.* Garcia *d. cap.1. n.89.* Fagnan. *ubi sup. n.66.* 8

Attamen credo in praxi non esse admittendam illam sententiam, absolutè loquendo, sed tantùm in aliquo casu irregulari. Et probo, quia illa verba, *Missas celebret*, non diriguntur directè ad onus, sed ad personam, ut benè considerat Castillo *controversiarum lib.5. cap.90. n.41.* est enim in Capellania onus Missarum, tum persona quæ debet illud onus adimplere; quando enim fundator dicit, *Capellanus Missas celebret*, non agit de impositione oneris directè, sed de persona, quæ illud adimplere debet, ut est ipse Capellanus. Ergo directè clausula illa dirigitur in personam Capellani, ita ut ille obligatus remaneat per se ad illas Missas dicendas. Guttierrez *d. cons.1. n. 1. ad fin.* Cæterùm, quando verba diriguntur ad personam, ut in præsentiarum, censetur electa industria personæ, de qua fiduciam habet fundator, rectiùs onus adimpleturam, *cap. Quoniam Abbas 14. de offic. delegat.* ubi Abbas, *cap. Quoniam 43. de offic. delegat. cap. Cum dilecti 22. de rescript.* Sed verba diriguntur præcisè ad personam, cùm dicit fundator, *celebret Capellanus*: Ergo tenetur adimplere per se, idque semper in dubio admittendum, nempe electam esse industriam personæ. Seraphin. *de privil. jurament. privil. 57. n. 10.* Riccius *1. part. decis.88. n.7.* 9

Præterea interpretatio verborum fundatoris ita facienda est, ut congruat ipsis verbis, *leg.4. §. Quoties, ff. de damn. infect. leg. Si ancillas omnes, ff. de legatis 1.* ubi Jason *num.3.* Marzarius *decis. Sicil. 152. n. 79.* Ergo quando dicit testator, *Capellanus Missas dicat*, non est facienda interpretatio, ut alius per illum celebret, hoc enim illis verbis non congruit; sed tantùm, quod ipse per se celebret. Rursus dicens fundator, *Capellanus celebret*, non solùm vult effectus Missarum, ut non benè consideravit Pasqualigus *dict. quæst. 1117. num. 4.* sed vult, ut rectiùs fiat celebratio ab ipso Capellano, & majori cura, quàm à substituto mercenario: ergo tenebitur ipse Capellanus per se ipsum celebrare. 10

Denique in fundatore Capellaniæ credendum est, velle omnia facere, & disponere, prout magis ad servitium Dei expediant; idcircò præsumendum, potiùs velle instituere Capellanum, qui per se celebret, quàm tonsuratum tantùm, qui otiosè degat, & absque labore emolumenta percipiat, ex quo tanta damna proveniunt in Ecclesia, dum Capellani isti tantùm tonsurati ad nihil in Capellis deserviunt, verùm vitiis, & vanitati traditi statum Ecclesiasticum deturpant, Sæculares Judices contemnunt, sua bona à tributis liberant in perniciem Reipublicæ. O utinam Sanctissimi nostri Pontifices similes Capellanias, & Beneficia simplicia non Sacerdotalia, & sine administratione aliqua, tollerent, & simul præstimonia, & Beneficia, quæ per substitutos administrantur, relictis proprietariis in otio, & luxu! & nihil in Ecclesia daretur, nisi prævio literarum, & morum examine, & ad serviendū per se, & non per substitutos, ita ut omnes Ecclesiastici apes argumentosæ in Dei domo conspicerentur, non verò fuci mel, id est patrimonium Christi, otiosè comedentes: unde te- 11

de teneo hanc sententiam cum Azorio 1. *part. lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 10. Lara *de Capellaniis, lib.* 2. *c.* 8. *n.* 44.

12 Hac igitur retenta opinione, in præsentiarum resolvo, illis verbis appositis, *Capellanus Missas celebret*, absolutè Capellaniam fieri Sacerdotalem, ut tenet secunda sententia. Mastrillo *decis.* 2. *n.* 7. & 8. Castillo *controversiarum lib.* 5. *cap.* 90. *num.* 48. Villalobos *in Sum.* 2. *part. tract.* 9. *diff.* 8. *n.* 2. In casu verò irregulari admittenda erit contraria, nempe quando fundator fuisset litteratus, ex quo cognosceretur, sensisse in illis verbis, *Capellanus Missas celebret*, deservire posse per substitutum; quia agnoscit id in simplicibus Capellaniis admissum ab aliquibus Doctoribus; & insimul si Capellani fuissent de sua familia, aut de benemeritis, quos ultra onus honorare voluisse existimaretur: quo in sensu suscipio declarationes Cardinalium, quas refert Pasqual. *d. q.* 1157. *n.* 3. Garcia *d. cap.* 1. *num.* 87. & 93. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 5. *n.* 77.

13 Hæc itidem opinio tenenda est in praxi, etiamsi dicat, *Capellanus Missas celebret per se, vel per alium*; nam licèt qui contrariam sententiam tenent, id negare teneantur; verumtamen cùm ista sententia sit magis conformis majori Dei servitio, magis ex mente pia fundatoris præsumenda est; dicere enim, *per alium*, ita intelligendum est, ut solùm deservire possit per alium, si impeditus fuerit, aut interim quod Ordine Sacro insigniatur, per substitutum valeat deservire. Lambert. *de jurepatron. lib.* 1. *part.* 2. *q.* 7. *art.* 17. Guttierrez *dict. cons.* 1. *n.* 11. *vers. Ex prædicta*, Villalobos *d. diff.* 8. *n.* 2. *ad fin.*

14 Unde adnotanda est doctrina Tonduti *tom.* 1. *quæstionum beneficialium, cap.* 31. *n.* 2. asserentis minimè esse Capellaniam Sacerdotalem, etiamsi dicat fundator, *Eligatur Capellanus idoneus, & Missas celebret*; illa enim qualitas idoneitatis verificatur, etiamsi per alium celebret. Sed in hac specie adest major ratio tenendi contrarium; nam illa idoneitas respicit Missarum celebrationem, quapropter majori ratione dicetur Capellania Sacerdotalis. Et confirmatur, nam quod idoneus sit, respicit proprium servitium, *cap. Super inordinata* 35. *de Preb.* Ergo constat velle testatorem facere Capellaniam Sacerdotalem. Guttierrez *dict. cons.* 1. *num.* 9. & 10.

15 Quid verò si testator dicat, *Eligatur Presbyter ad Capellaniam, an Capellania sit Sacerdotalis*? Et nonnulli censuerunt, adhuc Sacerdotalem non esse; nam sub nomine Presbyteri, etiam alii Clerici minorum Ordinum comprehenduntur, *cap. Vestra, in principio, de cohabitat. Clericorum.* Itaque potest verificari illa vocatio in Clerico minorum Ordinum, & consequenter Capellania non erit Sacerdotalis. Gonz. *ad regul.* 8. *gloss.* 4. *n.* 85. Monet. *de commut. ult. vol. c.* 10. *n.* 142. Leon *d. q.* 4. *praxi* 6. *n.* 214.

16 In hac opinione noto, pro ea solere adduci Gonzalez, & Monetam relatos, qui non loquuntur in specie, sed quando in Capellania fuisset observantia, ne Sacerdos eligeretur, licèt testator dixerit, *Eligitur Presbyter*; tunc enim ex simili observantia interpretaretur Capellania non Sacerdotalis, *leg. Si de interpretatione, leg. Minime ff. de legibus*: quare Doctores illi non benè pro illa sententia allegantur. Mantica *dict. decis.* 129. *n.* 1. Tondut. *d. c.* 31. *n.* 9.

17 Igitur teneo contrariam sententiam, ita ut quando testator dicat, *Eligatur Presbyter, seu Sacerdos*, semper intelligatur Sacerdotalis Capellania; nam licèt aliquando sub nomine Presbyteri alii etiam Clerici intelligantur, Glossa *in c.* 1. 15. *q.* 1. *verbo Sacerdos*, Petrus Gregorius *syntagm. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 12. id impropriè sumitur, & tantùm in favorabilibus, non autem in propria verbi significatione. Cùm ergo interpretatio debeat fieri secundùm proprietatem verbi, Menoc. *lib.* 1. *præsumpt. quæst.* 28. *num.* 7. Mantica *de conjecturis, lib.* 3. *tit.* 9. *per tot.* debemus intelligere, voluisse testatorem facere Capellaniam Sacerdotalem. Et confirmatur, nam in dubio si nihil certum expresserit fundator, in proprietate verbi, & naturali significatione sumenda est dispositio, non verò accidentaliter, & fictè, *leg. fin. Cod. de his qui ven. æt. impetrarunt, leg. Fideicommissum, ff. de condit. & demon.* Tuschus *tom.* 8. *lit. V, conclusione* 102. Mar. Anton. *lib.* 1. *resolutione* 4. *n.* 9. Presbyter enim intelligitur propriè de Sacerdote, *cap. Cleros* 1. §. *Presbyter*, 21. *distinct. leg. Presbyteri* 8. *Cod. de Episcopis, & Cleric.* Anton. Fabricius *Rudiment. Iur. Canonic. lib.* 2. *tit.* 2. *vers. Septimus est ordo*. Ergo si testator aliud non expresserit, intelligenda est dispositio illa de propriè Presbytero, seu Sacerdote, & Capellania erit Sacerdotalis. Guttier. *d. cons.* 1. *n.* 11. Tondut. *dict. tom.* 1. *cap.* 31. *à n.* 7. Barbosa *de univ. lib.* 3. *c.* 5. *n.* 33.

18 Si fundator dicat, *Eligatur Capellanus, seu Sacerdos, qui Missas dicat*, asserunt aliqui Capellaniam non esse Sacerdotalem, quia Sacerdos idem est quod Capellanus, ac perinde est, ac si diceret, *Eligatur Capellanus*. Leon *d. q.* 4. *praxi* 6. *n.* 216. *ad fin.*

19 Hoc tamen est debile fundamentum, quia reverà fundatur in doctrina illa, quam suprà non admisimus, ut sub nomine Presbyteri, & Sacerdotis, alius Clericus subaudiatur. Quapropter est admittendum contrarium; nam illud verbum, *Sacerdos*, in proposita specie non ponitur disjunctivè, sed expositivè, ita ut sit sensus, Eligatur Capellanus, qui sit Sacerdos. Paris. *vol.* 3. *cons.* 110. *n.* 18. Honded. *volum.* 2. *cons.* 69. *n.* 28. Cenedo *singul.* 6. *n.* 5. Ergo Capellania erit Sacerdotalis, Zerola *in praxi*, 1. *part. verb. Beneficium*, *n.* 7. Lara *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 514. Garcia *d. cap.* 1. §. 1. *num.* 71. Barb. *de offic. Episcop.* 2. *part. alleg.* 24. *n.* 39.

20 Solent etiam fundatores disponere, ut eligatur Capellanus, qui diu, noctuque divina peragat officia: & in hac specie dicunt DD. Capellaniam non esse Sacerdotalem, quia per alium Divina Officia poterit obire. Censuit Sacra Congregatio, quam refert, & sequitur Gonzalez *in regul.* 8. *gloss.* 5. *n.* 88. Grat. *decis. March.* 155. *à n.* 1. plures decisiones, quas refert, & sequitur Leon *d. q.* 4. *prax.* 6. *n.* 217.

21 In hac doctrina dico, quod si testator dicat, *Eligatur Capellanus ad obeunda Divina Officia*, nec aliud addat, tunc absque dubio Capellania non est Sacerdotalis, non ob rationem quam exprimunt illi DD. sed quia licèt per se obire teneretur, ad illam obligationem explendam non requiritur Sacerdotium; valet enim adimpleri per Clericum minorum ordinum. Ergo ex illa sola obligatione Capellania non erit Sacerdotalis. Rursus ex alia ratione fundamentum illud solidum non est; nam non est necessaria consequentia: Potest per alium Beneficii, seu Capellaniæ servitium adimplere: Ergo non est Sacerdotalis; dari enim valet Capellania Sacerdotali, cujus officium per alium valeat impleri, ut optimè docet Moneta *de commut. cap.* 10. *n.* 155. & *n.* 156. Fagnanus *ubi suprà, n.* 71. ergo fundamentum illud solidum non est. Erit ergo ratio suprà tradita, quia ad obeundum Officium Divinum non requiritur Sacerdotium.

22 Erit ergo dubium, quando ultra obligationem dicendi, seu canendi Divina Officia, adderetur, *& Missas celebret*, quo quidem casu inquiunt plures Doctores, Sacerdotalem non esse Capellaniam, quia adhuc Missas dicere poterit per alium, ut in terminis cum Rota tenet Leon *dict. praxi* 6. *num.* 217. Barbosa *dict. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 32. Tondutus *dict. cap.* 31. *num.* 31. Gratianus *Disceptat. Forens. tom.* 1. *cap.* 133. *num.* 12. Sed ex traditis suprà non admitto hanc sententiam; quia licèt ex obligatione canendi Horas Canonicas non teneatur ad Sacerdotium, tenetur tamen ex obligatione dicendi Missas. Azevedo *cons.* 20. *num.* 8. *ad fin.* Tondutus *cap.* 118. *n.* 29.

23 Ex solo autem onere Missarum minimè Capellania est Sacerdotalis, nisi ad personam dirigatur. Lara *dict. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 8. Moneta *d. cap.* 10. *n.* 155. Barbosa *lib.* 3. *vot.* 111. *à n.* 1. & *vot.* 113. Sanchez *cons. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 34. Verùm si dicat testator, *Eligatur Capellanus, qui Parochum adjuvet*, erit præcisè Sacerdotalis; non enim adimplere valet juvamen Parochi absque Sacerdotio. Filliucius *de benefic. tract.* 41. *cap.* 1. *n.* 15.

24 Erit verò Sacerdotalis Capellania, si testator, seu fundator utatur verbis negativis, ut si dicat: *Non præsentetur nisi Presbyter, vel Sacerdos*; vel, *Non præsentetur qui non fuerit Sacerdos*. Lara *d. cap.* 5. *à n.* 20. Leon *d. praxi* 6. *à n.* 226. Rota apud Cavaller. *decis.* 231. Simili enim modo dices, si fundator ita disposuerit: *Eligatur unus Sacerdos bonæ conditionis, Presbyter Sæcularis*. Rota apud Seraphinum *decis.* 871. Idem dicendum, si dispositum fuerit: *Eligatur Capellanus, qui per seipsum celebret*. Ita censuit Sacra Congregatio apud Squilliante *de privileg. Clericorum, cap.* 4. *num.* 27. Leon *dict. praxi* 6. *num.* 211. Rota apud Merlin. *decis.* 399. *num.* 1. Fagnan. *in dict. cap. Ut Abbates*, *num.* 76. Tondutus *tom.* 1. *cap.* 118. *num.* 28.

25 Similiter erit Capellania Sacerdotalis, si fundator ita disponat: *Præsentetur Capellanus, vel Sacerdos, qui Missas celebret, & celebrare debeat*. Rota apud Cavaller. *decis.* 436. *in fin.* Quibus & adjungere liber, si ita testator decreverit: *Præsentari debeat Capellanus de mea linea masculina, & ea*

deficiente, de foemmina, etiamsi sit Clericus primæ tonsuræ; & utraque deficiente, extraneus, qui tamen sit Sacerdos. Barbosa *d.lib.3.c.5.n.32.vers.Vice versa.* Tambur. *in Meth. celebr. lib.3.cap.4.§.2.à n.5.*

26 Est dubium in praxi sæpè sæpiùs disquisitum, an ad Capellaniam Sacerdotalem necessariò sit præsentandus actu Sacerdos, an verò sufficiat, ut intra annum possit Sacerdotio insigniri. Prima sententia requirit actu Sacerdotem, ita ut præsentatio, aut collatio alterius sit nulla. Ducitur, nam qualitas adjuncta verbo, debet regulari secundùm tempus verbi, *leg.In delictis, §.1. de noxalib.* ideò cùm testator dicat, *Eligatur, seu præsentetur Sacerdos*, ista qualitas Sacerdotii debet stare tempore præsentationis, seu collationis. Cæterùm ad Beneficium Curatum, in quo urget major necessitas, licèt sufficiat intra annum Sacerdotio insigniri, *c. Licèt Canon 14.de elect.in 6.Clement.Ut hi qui, de ætat.& qualit.ordin.* id non valet admitti in his Capellaniis Sacerdotalibus, quia fundatoris voluntas specificè est observanda, *leg. Qui heredi 44.leg.Mævius 55.ff.de condit.& demon.* Ergo tempore præsentationis, & collationis debet esse actu Sacerdos. Barbatia *volum.2.cons.33.* Fabius de Anna *cons.22.* Azevedus *cons.9.n.24.& 25.* Rota apud Farin. *1.part.decis.496.n.3.* Palao *d.disp.4.punct.6. num.12.* & alii relati à Sanchez *cons.lib.7.cap.3. dub.48. n.10.* Garc.*d.cap.1.§.1.à n. 58.* Thierrius *d. sect.4. vers.Quid ergo.*

27 Secunda sententia contrarium tenet, & ducitur; nam in Beneficiis etiam curatis sufficit intra annum Sacerdotio initiari: ast tamen ad collationem sufficit prima tonsura, *cap.2. de instit. in 6.* Trident.*sess.24. de Reform. cap.12.* Ergo etiam ad quamlibet Capellaniam Sacerdotalem, in illa major obligatio Sacerdotii inveniri nequit, quàm in Beneficio curato: cæterùm quoties aliquis fundator id clarè non expressit, videtur se conformem reddere cum jure communi, *l.2.Cod.de hered.instit.leg.Heredes mei, §. Cum ita, ff.ad Trebell.* Gutierrez *pract.lib.3.q.70.n. 29.* Amato *resol.34.n.20.* Jus verò commune non requirit actu Sacerdotem, sed quod intra annum ordinetur: ergo istud sufficiet. Denique illa proxima aptitudo ad Sacerdotium consideratur, quasi actu fuisset Sacerdos. Spino *in specul.testam.gloss.4. nu. 67.* Sanchez *d.lib.7.c.3. dub.48.n.15.* Ergo sufficiet, ut intra annum possit ordinari, & Sacerdotium accipere. Gratian. *Discept.For.cap.133. à n.2.* Lara *d.lib.2.cap.5.à n.16.* Cevallos *quæst.693. à num.9.* Spino *d. gloss. 4. num.68.* Rota apud Farinac. *2.part.decis.207.* Leon *dict. praxi 6. n. 234.* Ludov. à Concept. *verit. Theol. Mor. tom.1. tr.2. casu 33.* Tambur. *in Meth. celebr. lib.3.cap.4.§.2.n.2.* March. *de Ordin.tract.3.2 part. cap.29. n.4.*

28 Tertia sententia distinguit, quando Capellania fundatur à Clerico, aut quando à laico; si enim fundatur à Clerico, sufficiet aptitudo, ut intra annum Sacerdotio insigniatur, secus si à laico, tunc enim actu Sacerdos requiritur. Azorius *Instit. Moral. 2. part. lib.6. cap.24. quæst. 4. ad finem*, & tenet praxis Genuensis, ut refert Squillante *de privileg. Clericorum, cap. 4. n. 22.* Villalobos *dict. diff. 8. num. 3.*

29 Quarta sententia aliter distinguit, nempe in Capellaniis, quæ à fundatore adstruuntur, semper debere esse actu Sacerdotem, secùs ex aliquo statuto, seu legis dispositione. Garc. *7.part. de Benef. cap.4. n.49.*

30 In hoc tamen dubio animadvertendum est circa Capellanias, quæ non ex fundatione alicujus proveniunt, sed ex aliquo statuto, seu dispositione legis: & in his licèt Sacerdotales sint, sufficiet proxima aptitudo Sacerdotii intra annum suscipiendi, nec actu requiritur Sacerdos: ratio est, nam cùm lex, seu statutum illas ita disposuerit, verùm ipsa lex decernat sufficere hanc proximam aptitudinem, *d. cap. Licèt Canon*, Trident. *dict. sess. 24. cap 12.* consequenter ipsa sufficiet, ut benè considerat Garcia nuperrimè allegatus *num. 29.*

31 Quæstio enim versatur in Capellaniis habentibus fundatores, id est, quæ sunt ex dispositione hominis: & ista magis est voluntatis, quàm juris. Quapropter magna cura considerandum, an tendat mens fundatoris, ut actu sit Sacerdos, an aptitudine; si enim fundator disponat verbis negativis, *Non præsentetur nisi Presbyter, aut Sacerdos*, actu debet esse Sacerdos; verba enim illa tempus præsens respiciunt. Cevallos *dict. quæst. 693. n. 15.* Lara *dict. lib.2. cap.5.n.22.* Leon *dict.praxi 6. n.235.* Idem dicendum si dicat, *Sit omnino Sacerdos, qui præsentetur, seu eligatur.* Parlad. *diff.120. num.15.* aut si præcisè verba fundationis respiciant tempus ipsius præsentationis, ut si dicat, *Capellanus minimè celebret per substitutum*; aut, *Qui præsentatur, sit actu Sacerdos*; vel per actus geminatos, *Præsentetur Sacerdos bonæ famæ, & qui sit Presbyter.* Denique quando Ordo Sacerdotii annexus sit Capellaniæ, non simpliciter, sed cum qualitate celebrandi quotidie; hæc enim tempus præsentationis, & Sacerdotem in actu requirunt tempore illius, aut electionis, ut benè considerat Castillo *lib. 5. controv. cap. 90. n.47.*

32 Si verò præsumatur ex illius voluntate aptitudinem proximam voluisse fundatorem, id observabitur; est enim casus quando ad Capellaniam Sacerdotalem concurrit Sacerdos extraneus in actu, & consanguineus in aptitudine proxima; & tunc ex affectione præsumitur voluisse fundatorem, ut præsentaretur potiùs consanguineus illius in aptitudine, quàm extraneus Sacerdos in actu. Castillo *d. cap. 90. n.43. vers. Respondetur.*

33 Quando verò nihil percipitur ex voluntate testatoris, sed sumus in dubio, probabilior sententia est illa, quæ asserit præsentandum, vel eligendum ad Capellaniam Sacerdotalem, actu debere esse Sacerdotem; hoc enim magis est conveniens naturæ ipsius Capellaniæ, & proprietati verborum requirenti Sacerdotem; aliàs si facilè admittimus interpretationes, ferè omnes ultimæ voluntates facillimo negotio illuderentur, ut rectè tenet Castillo *dict. cap. 90. num. 41. & 42.* Gutierr. *cons.20. n.28.* Campanil. *in D. vers. rubr. 7. cap.6. n.9.* Barbosa *de offic. Episcop. 2.part. allegat. 24. n. 37.* Capponi *tom.2. cap.101. n.16.* Moez *in cap. 9. de rescript. in 6. n.12.* Riccius *in prax. for. decis.302.* Tondutus *tom.1 cap. 118. num.27.*

34 Contraria verò sententia est probabilis, saltem à principio extrinseco, & ejus rationibus sufficienter respondet Castillo *d.cap.90. à num.42.* Verùm in praxi ita invaluit, ut vix contrariorum placitum admittatur, ut animadvertit ipse Castillo *num.40.* idque fortè admissum; nam cùm quoad effectum Missarum non differat, an ipse Capellanus dicat, an alius, Gratianus *Discept. Forens.cap.133.n.3.* aut quod ad aliqua munera Ecclesiastica, & servitium personale per tam breve tempus deficiat Clericus, libenter à judicibus admissa est, ut se gratos aliquando ostendant. Rojas *de incompat. lib.5.c.3. n.13.*

35 Sunt tamen aliqui modi, quibus Capellania desinit esse Sacerdotalis, & tonsurato tantùm quatuordecim annorum conceditur; nempe quando à Pontifice dispensaretur, vel quando ex quadragenaria præscriptione non Sacerdoti fuerit collata. Vivianus *in praxi jurispatr. lib. 6.c.6. n.37.* Leon *d. q.4. praxi 6. n. 239.*

36 Est verò quæstio, an Episcopus pro unica vice possit de consensu Patronorum hanc qualitatem Sacerdotii alterare, sicut & alias qualitates. Leon *d.prax.6. n.240. vers.Dixi per Pontificem*, scripsit post Concilium Trident. id agere non posse Episcopum; nam *sess. 25. de Reform. cap. 5.* illis prohibetur, ne per hanc causam fundatores à fundandis memoriis piis retraherentur: tum magna cura Ecclesia ultimas voluntates observat, quapropter non facilè similis facultas concedenda est Episcopis, etiam cum consensu Patroni. Guttier. *cons.1. num.19.* Garcia *7.part. cap.1. n.107.* Palao *d.tract.13. disp.1. punct.6. n.22.* Carpio *de execut.testam. lib. 3. cap. 4. à n.24.* Barbosa *ad Concilium, dict.sess.25.cap.5.n.3.& de offic. Episcop. 2.part. allegat.24. num.46. & 3. part. allegat. 83. nu. 15.* Araujo *de Eccles. stat. tract.3. q.26. dub.5. n. 44.* Azevedus *in l.5. tit.6. lib.1. Recopil. n.2.* qui asserit vidisse in Cancellaria Pintiana annullare per viam violentiæ collationem factam ab Episcopo de consensu patroni, contra qualitatem fundationis.

37 Alteri verò tenent contrarium, nam qualitas posita in fundatione Capellaniæ, potest tolli ab Episcopo de consensu patroni, quoties necessitas, aut utilitas id petierit. Navarr. *cons.5. de Prabend.* Caputaquensis *2.part.decis.290.* Ergo licèt fundator petierit præsentandum actu Sacerdotem, poterit Episcopus alterare, seu commutare illam qualitatem cum consensu patroni. Et confirmatur, nam quando necessitas, aut utilitas id petierit, non agit contra voluntatem fundatoris, sed secundùm ipsam: si enim fundator illam necessitatem prævidisset, aut utilitatem, similiter disposuisset: Ergo poterit fieri ab Episcopo cum consensu patroni. Sà *verb.Benef. n.37.* Lambertinus *de jurepatron. 1. part. lib. 2. q.20. art.6. & 7.* Lara *dict. lib. 2. cap. 5. num. 28.* Leon *in*

thesaur.

thesaur. for. Ecclesiast. cap. 29. num. 35. & alii plures relati apud Gerciam *dict. cap.* 1. *num.* 106. Moez *in dict. cap.* 9. *num.* 13.

38 In hoc dubio, ut à radice hanc difficultatem sumamus, dico duobus modis posse fundari Capellaniam, aut inter vivos, aut in ultima voluntate. Quando enim fundatio facta fuit inter vivos irrevocabiliter, si fundator vivat, de consensu Episcopi poterit alterare Capellaniam, vel qualitates mutare ad tempus, vel in perpetuum, si nullum jus alicui tertio fuerit quæsitum in his quæ alterantur, aut tolluntur; idque nullo jure interdicitur, & inest favor fundantium, ut suas dispositiones reforment: ergo nulla erit causa, ut fieri non possit.

39 Si verò jus alicui tertio fuerit quæsitum, veluti quia est nominatus Capellanus, aut patronus, tunc aliter dicendum, nempe mutari non posse à fundatore, etiam de consensu Episcopi; quia quando contractus perfectus est, & jus alicui tertio quæsitum, nequit jus illud vulnerari absque consensu illius, *l. Perfecta donatio* 4. *C. de donat. quæ sub mod. l. In bonæ fidei* 13. *C. de pact.* Covarr. *lib.* 1. *var. cap.* 14. *n.* 1. Castillo *controv. lib.* 4. *cap.* 10. *à n.* 1. D. Olea *de cess. tit.* 1. *qu.* 6. *n.* 15. idque intelligendum in his juribus, quæ ad tertium pertinent; secus in aliis ejusdem Capellaniæ. Araujo *dict. dub.* 5. *num.* 45.

40 Sed dices, quando Capellania fundatur irrevocabiliter inter vivos, totus contractus fit inter fundatorem, & Episcopum: tertii verò jus, qui non intervenit ad contractum, revocabile est, idque exemplo demonstratur: nam si quis Petro donaverit centum, illa adjecta conditione, seu modo, ut post mensem Joanni restituat, illa adjecta restitutio revocabilis remanet, quia cum illo tertio actum non est, ut docet Bart. *in l. Qui Romæ*, §. *Flavius*, *ff. de verbor. oblig.* Cancerius 1. *part. var. cap.* 8. *nu.* 52. Ciriacus *tom.* 2. *controv.* 269. *n.* 83. Ant. Faber *diff.* 2. *C. de donat.* Ergo similiter dicendum in nostra specie, siquidem totus contractus fit inter fundatorem, & Episcopum, non cum illo tertio, cui jus fuit quæsitum.

41 Ut ad hanc instantiam respondeamus, dico posse duobus modis fieri Capellaniam inter vivos cum consensu Episcopi: in primis quando tertius ille erat præsens, & acceptavit jus Capellani, aut patronatus; & in hoc casu etiam ex consensu Episcopi nequit illud tolli, aut alterari à fundatore, quia per acceptationem irrevocabile redditur; & id non solùm ratione ipsius personæ, sed totius familiæ vocatæ ad Capellaniam, seu patronatum, quia non solùm suo nomine, sed aliorum acceptavit. Suarez *in l. Quoniam in prioribus*, q. 8. *à num.* 1. Molina *de primog. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 75. Gomez *in l.* 40. *Tauri*, *n.* 33. *&* 34. Guttierrez *pract. lib.* 2. *q.* 52. *num.* 4. *&* 6. Castillo *lib.* 4. *controv. cap.* 5. *n.* 22. Sanchez *cons. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 1. *n.* 8.

42 Si verò adhuc non acceptaverit tertius, quia absens fuerit, aut non deliberaverit, est gravissima quæstio, an adhuc revocabilis sit illa qualitas? Affirmarunt relati *num.* 38. quibus etiam assentiunt Surdus *decis.* 204. *n.* 13. Trentacinquius *var. lib.* 3. *resol.* 1. *tit. de donat. num.* 13. Sed dissentiunt Covarruv. *d. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 7. Menochius *cons.* 723. *n.* 22. Mieres *de majorat.* 1. *part. q.* 13. *n.* 13. *&* 20. Mendoza *disp. jur. lib.* 3. *c.* 9. *n.* 45. Parlador. *rer. quot. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 37. Fachineus *controv. lib.* 8. *cap.* 39.

43 In hoc dubio animadverto DD. utriusque sententiæ varia jura pro se adducere, quæ quidem nihil efficaciter probant, verùm varia recipiunt interpretamenta apud ipsos videnda. De jure communi, ut meliorem accipio, asserentem revocari posse qualitatem, seu conditionem impositam favore tertii, si nondum acceptavit: nam quando alicui donatur illa adjecta conditione, ut post mensem restituat, duæ sunt donationes distinctæ, *l. fieri*, *C. de Donat. leg. Donationis*, §. *Specie*, *ff. eod. tit.* rectè Suarez *in d. l. Quoniam in prioribus*, *q.* 8. *n.* 6. Ergo ut donatio facta tertio irrevocabilis remaneat, est necessaria acceptatio, aliàs de jure communi stabit revocabilis, quia de jure illo ad irrevocabilitatem donationis requiritur acceptatio, *l. Si ego*, *ff. de negot. gest. l. Nec ambigi* 6. *C. de donat.* Cancerius *d. cap.* 8. *à n.* 36. Grat. *Discept. Forens. cap.* 297. *n.* 32. Azevedus *in l.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *Recopil. n.* 20. Molina *de just. tom.* 3. *disp.* 587.

44 De jure nostro Regio controversum valde est, an absque acceptatione perfecta remaneat donatio, taliter ut nequeat revocari. Ast illud certius, donantem obligatum remanere, ita ut nequeat illam revocare, *ex l.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *Recopilat. l.* 3. *tit.* 8. *lib.* 3. *Ordin.* ubi ad donationem solum requiritur animus se obligandi, absque aliqua acceptatione, & quod non sit repugnantia ex parte donatarii. Castillo *controvers. lib.* 5. *cap.* 80. *num.* 8. *vers. Sexto quæres.* Quapropter de jure Regio, in meliori sententia fundator non poterit mutare ex consensu Episcopi illam qualitatem factam irrevocabiliter inter vivos favore tertii, etiamsi non acceptaverit, ut depromitur ex Guttierrez *dict. cons.* 1. *n.* 28. Sarmiento *Select. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 24. Tondutus *quæst. Benef. cap.* 88. *n.* 9.

45 Si verò in fundatione Capellaniæ nominatio Capellani, aut patroni conferatur post mortem fundantis per contractum inter vivos, rectè revocare poterit ex consensu Episcopi; nondum enim jus est alicui quæsitum. Valasco *consult.* 102. Castillo *d. lib.* 5. *c.* 80. *per tot.*

46 Aliter verò Capellania fundari valet, scilicèt per ultimam voluntatem cum consensu Episcopi: in qua fundatione, si adhuc testator vixerit, poterit qualitatem Sacerdotii, vel aliam quamlibet mutare ex assensu illius; est enim deambulatoria usque ad vitæ exitum, quapropter revocabilis. Guttierrez *d. cons.* 1. *n.* 28. Azevedus *in l.* 5. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopilat. n.* 2. Moneta *d. cap.* 10. *n.* 229. Garcia *d. cap.* 1. *n.* 103. Palao *d. disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 26.

47 Si verò fundator vita functus fuerit, Episcopus ex consensu patroni, aut patronorum, hanc qualitatem, vel aliam pro una, aut altera vice, ex causa necessaria poterit alterare, seu mutare, quod ut probabilius admitto: nam Trident. *d. sess.* 25. *de Reform. cap.* 5. tantùm decrevit, ne benè constituta à fundatoribus alterentur, seu commutentur; quando enim causa necessaria existit alterationis, seu commutationis, non sunt benè constituta, sed requirunt aliam formam melioris dispositionis: ergo Concilium non prohibet hanc commutationem, seu alterationem istius qualitatis, aut alterius, causa existente, & cum consensu patronorum.

48 Deinde ad id valet intelligi Concilium *sess.* 22. *de Reform. cap.* 6. ubi Episcopis conceditur tanquam Apostolicæ Sedis Delegatis, ut causa justa, & necessaria existente, de qua cognoscant summariè, & extrajudicialiter, faciant commutationes ultimarum voluntatum: quod decretum licèt aliqui intelligant tantùm quando Episcopi sunt exequutores commutationum factarum à Summo Pontifice, Carpio *d. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 27. alteri verò intelligunt de auctoritate concessa Episcopis, ut ipsi per se commutent, ut Delegati Sedis Apostolicæ. Marescotus *var. lib.* 1. *cap. ult. casu* 40. Riccius *collect.* 558. Tondutus *quæst. Benefic. cap.* 68. *n.* 11. Ergo si ex causa necessaria valet Episcopus commutare ultimas voluntates, rectè poterit eadem existente pro una, aut altera vice, cum consensu patroni alterare, aut tollere hanc qualitatem Sacerdotii, aut aliam. Crescentius *decis.* 7. *de jur. patron.* Riccius *d. collect.* 558. *vers. Quinta causa.* Moneta *de commut. c.* 5. *n.* 332. Diana 2. *part. tract.* 3. *resol.* 26.

49 Solent aliquando nonnulli Capellaniis ab aliis fundatis bona adjicere, & novum onus, aut qualitates apponere: quamobrem abs re non erit disquirere, an qui bona ista adjecerit, possit tollere qualitatem Sacerdotii, aut alterius dispositionis? Qua in disquisitione animadverto, quod si aliquis aliqua bona antiquæ Capellaniæ applicaverit, & nullas dispositiones fecerit, aut qualitates apposuerit, subaudiuntur adjectæ illæ qualitates, & onera, quibus fuit Capellania fundata, *l. Si ita scripserit* 38. *ff. de condit. & demonst. l. Asse toto*, 77. *de hered. inst.* Ratio, nam cùm nullas qualitates apposuerit, videtur contentus antiquis, ac si expressè illas retulisset. Tiraquellus *in ll. connub. gloss.* 7. *verb. Expressè*, *num.* 282. & in majoratibus Garcia *de expens. cap.* 22. *n.* 6. *versic. Unde si majoratus.*

50 Si verò aliquas qualitates addiderit, aut conditiones conformes primis qualitatibus, & conditionibus, sunt observandæ; secus si contrariæ, aut derogatoriæ priorum, quæ in antiqua fundatione sunt positæ, ut in primogeniis scripserunt. Molina *de primog. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 35. Castillo *lib.* 4. *controvers. cap.* 10. *n.* 17. Unde colligitur in præsentiarum, eum qui antiquæ Capellaniæ bona addiderit, non posse tollere qualitatem Sacerdotii, aut aliam quamlibet positam in prima fundatione, sed se debet in omnibus conformem reddere; aliàs magis existimaretur diversam Capellaniam formare, quàm antiquam confirmare. Rojas *de incompat.* 1. *part. cap.* 7. *num.* 29.

CAPUT VI.

De adimplemento Capellaniarum.

SUMMARIUM.

Capellaniæ accuratè sunt adimplendæ, & Capellanus quando teneatur celebrare per se, n.1.

Obligatio celebrandi intelligitur moraliter, & potest omitti ex causa rationabili infirmitatis, devotionis, vel aliis, num. 2. & 3. quod extenditur etiamsi onus sit quotidie celebrandi, num.3.

Unde in simili obligatione excusantur Capellani si in qualibet hebdomada ob reverentiam unam, aut duas Missas omiserint, aut quando adest distractio, ut explicatur num. 4.

An causa recreationis Capellanus quotidie obligatus celebrare, possit aliquas Missas omittere? Negant plures, num. 5. alteri affirmant, num.6. resolvitur affirmativè, num. 7. & 8. & explicatur textus in cap. 11. de Præbend. *num. 8. & ibi etiam glossa verbo* Salva honestate, *à num. 10. & seqq.*

An quando Capellanus ob reverentiam non tenetur celebrare ratione Capellaniæ, possit celebrare pro stipendio, negatur à num. 14.

Sed an illis diebus teneatur adimplere per substitutum, aliqui affirmant, n.17. alteri negant, n.18. defenditur negativa sententia, n.19.

Quid verè si fundator dicat, Celebretur Missa quotidie in tali Altari, *& postea designet Capellanum, posito impedimento, an debeat celebrare per substitutum, affirmant communiter, n.20. negat Tamburinus, n.21. defenditur, & explicatur, n.22. & 23.*

Capellanus infirmus excusatur à celebratione per paucos dies, per octo aut quindecim, à n.24. Latè difficultas ista explicatur, à n.27. Explicatur, à n.27. explicatur lex 4. §. Stichus, ff. de statuliber. *n.35.*

Si fundator dicat, Feria prima, tertia & quinta cujuslibet hebdomadæ celebret Capellanus, *his diebus transactis non teneri supplere, tenet Pasqualigius, n. 36. sed explicatur, n.37.*

Si fundator dicat, Celebret Capellanus tres Missas in qualibet hebdomada, *impeditus si fuerit, tenetur postea supplere, n.39.*

Si dicat, Celebret quotidie, & qualibet hebdomada det unicam vacationem, *si fuerit impeditus, non tenetur supplere, n.40.*

An licita sit clausula, Capellanus quotidie celebret, *negat Abbas, num. 41. sed explicatur, à num. 42. & seqq.*

Si dies hebdomadæ signentur à fundatore, an præcisè his diebus sit celebrandum, sub distinctione respondetur, num. 47. & 48.

Sed quid quando pœna apposita fuerit à fundatore, si non celebret, n.49.

1 SAcellani magna cura tenentur adimplere onera Missarum, & alia quælibet pertinentia ad eorum obligationem: quapropter accinguntur adimplere Missarum numerum, locum, tempora, Altare, horam, & alia de quibus egimus, *lib.2. cap.5.* Riccius *in praxi for. 1. edit. decis. 405. & 412.* Debet etiam celebrare per se, & non per alium, quoties verbis negativis id præceperit fundator, vel si dicat, *Celebret per se, & non per alium*; vel alio modo, quo personalitatem demonstret, ut in meliori sententia diximus, quando testator dixit, *Eligatur Capellanus, qui Missas celebret.* Rota relata à Leone *d. q.4. praxi 6. n. 245.* Garcia *de Benef. 7. part. cap. 1. n.89.* Fagnanus *in cap. Ut Abbates, de ætat. & qualit. num.65.* Sanchez *in Select. disp.50. n.12.* Pasqual. *de Sacrif. Missæ, q.1117. n.1.* qui *n.8.* scripsit, quod si Capellania non requirat personalem celebrationem, nequit ex consuetudine induci talis obligatio; quia licèt Capellani celebraverint per se, fuit actus facultativus, qui non inducit obligationem.

2 Hæc verò obligatio Capellani sumenda est ab institutione Capellaniæ, sive collativæ, sive non, & transit ad omnes successores. Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 2. disp. 5. quæst. 9. num.25.* Barbosa *de offic. Episcop. 2. part. allegat. 24. n.28.* Garcia *in Sum. tract. 3. diff. 2. dub. 2. n.7.* & communiter dicunt DD. accipiendam esse moraliter, ac proinde aliquando omittere posse celebrationem ex causa, vel necessaria, aut rationabili, & honesta, veluti ratione infirmitatis, urgente necessitate, vel devotionis causa. Naldus *verb. Missa, n.7.* Sà *nu. 46.* Henriquez *lib.8. de Miss. cap.24. num.4.* Marchinus *de Ordin. tract. 3. part. 2. cap.23. à n. 1.* Leander *de Sacrament. tract. 8. disp. 5. quæst. 14. n.1.* Henao *de Sacrif. Miss. disput. 19. sect. 3. n.31.*

3 Unde cognoscere oportet, quid possit agere Capellanus, cui incumbit onus quotidie celebrandi? Et dicendum, moraliter intelligendam esse hanc obligationem; idcircò poterit pro aliquibus vicibus à celebratione abstinere, prout occasio, vel impedimentum exegerit, & consequenter obligatus remanebit, quàm frequenter fieri possit, salva honestate, & debita devotione, *cap. Significatum 11. de Præbend.* Ratio est, nam gravis difficultas comparatur impossibilitati, *l.2. §. Ex quo, l. Continuus, §. Cum quis, de verb. obligat.* Medicis *de casibus fortuit. 1. part. q.4. n.13.* Farin. *in fragm. crimin. lit. E, n.143.* Cùm ergo quotidie celebrare difficile sit, unde est ut obligatio illa moraliter, & cum temperantia sit intelligenda, ut sufficiat frequenter celebrare, aliquibus vicibus prætermissis, prout necessitas, aut devotio petierit. Cæterùm licèt aliqua necessitas non occurrat, id petit reverentia tanto Sacramento, & Sacrificio debita, ut propter humilitatem, & reverentiam aliquoties abstemii existamus. S. Thom. *3. part. q.80. art.10.* de Lugo *de Euch. disp. 17. sect. 1.* Sichard. *de la disposicion para comulgar, à punct. 1.* unde R. Pater de Moya *tom. 2. Select. tr.4. disp.2. §.2.* scripsit, quod si etiam major utilitas certa fuisset communicandi, si tamen hæc contingat cum diminutione reverentiæ, aut certò, vel probabiliùs futura; tunc reverentia Christi præferenda est utilitati propriæ, & abstinendum à communione: quare in hac obligatione moraliter est procedendum, ut non obstante illa clausula quotidie celebrandi, pro aliquibus vicibus possit Capellanus non celebrare. Navarrus *in Man. cap.25. n.135.* Layman *in Sum. lib.5. tract.5. cap.3. n.6.* Palao *de Euch. tr. 22. disp. unic. punct. 23. à n.1.* Gavantus *in rubr. Miss. 3. part. tit. 12. n.17.* Pasqual. *q.1116. à n.7.* Diana *2. part. tract. 14. ref. 28.* Barbosa *de univ. jur. lib.3. cap.5. n.34.*

4 Unde communiter resolvunt DD. in qualibet hebdomada posse Capellanum unicam Missam omittere, honestatis, aut devotionis causa. Alii verò ad duas vices extendunt. Navarr. *cons. 6. de Præbend.* Naldus *in Summa, verb. Missa, n.7.* quod admittendum, si rationabilis sit distractio, aut timor irreverentiæ, prout admittit Marchinus *d. tr.3. 2. part. c. 23. n.2.* dum contrarium dicit verius. Pasqual. *d. q.1116. num. 11.* qui magis extendit, nempe ut si per plures dies duraret distractio, ita ut vinci non posset à Capellano, per totidem deobligaretur, quia est casus dicti capitis *Significatum*. Sed non placet similis extensio; cùm enim Capellanus nequit vincere distractionem, nulla videtur irreverentia fieri Sacramento, si ex justitia obligatus accedat ad celebrationem Missæ, quoniam jam ex parte sua fecit quidquid potuit.

5 Est dubium, an causa recreationis Capellanus quotidie celebrare obligatus, possit pro aliqua vice omittere celebrationem? Negarunt quam plures, nam textus *in d. cap. Significatum 11.* clarè id prohibet, ibi: *Nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendæ.* Ergo causa recreationis nequit pro aliqua vice se à celebrando abstinere. Bonacina *de Sacram. disp. 4. q. ult. punct. 7. §.2. num.16.* Fraxinellus *de obligat. Sacerd. sect. 4. concl. 4. §.3.* Narbona *in horographia, hor. 5. num. 11.* Pasqual. *d. quæst. 1116. n.12.* Gonzalez *in dict. cap. Significatum, num.4.*

6 Contrarium tamen tenet Leander *de Sacrif. Missæ, tract. 8. disp.5. quæst.17.* Hurtado *eodem tract. disp.4. diff. 1. vers. Et Capellanus*: idque ob rationem consuetudinis; nam in Ecclesiis, ubi Capellani tenentur quotidie celebrare qualibet hebdomada, una dies eis conceditur, ne celebrent: cui consuetudini, utpote rationabili, fundator, nisi aliud expresserit, consentire videtur. Ergo causa recreationis pro una, aut altera vice excusabitur Capellanus à celebratione.

7 Hoc fundamentum solidum non est, nam licèt in aliquibus Ecclesiis talis vigeat consuetudo, tamen admissa non est, ut Capellani recreentur, sed ob honestatem, & devotionem: non verò facilè credendum, quod ob aliam

causam

causam id aliqua Ecclesia permiserit. Verùm adhuc sententia Leandri mihi probabilis videtur; nam animi recreatio, seu refocillatio, honestissima causa est, unde ad laborem validiores homines fiunt. Itaque canit Poeta:

Laxaturque chilus, vires instigat, aliuque.
Tempestiva quies: major post otia virtus.
Talis, cantata Briseyde, venit Achilles
Acrior, & positis erupit in Hectora plectris.

Cùm ergo *in dict. cap. Significatum*, honesta causa sit sufficiens, ut Capellanus una, vel altera vice à celebratione cesset, inde est, ut recreationis causa id facere valeat.

8 Noc contrà est textus ille, ibi. *Sivè voluptatis causa*; quia verba illa oon dicuntur, ne ex causa recreationis non possit aliquando à celebratione vacare, sed tantùm adaptantur ad translationem alterius Ecclesiæ, ita ut sit sensus, minimè Capellanum prætextu transeundi ad aliam Ecclesiam, posse subtrahere servitium illius, in qua posita est Cappellania, sive ex causa necessaria transferatur, sive voluptatis causa, prout explicat Alagona *in Compendio Iuris Can. lib. 3. tit. 5. c. 11. ad fin.*

9 Si tamen hoc interpretamentum tibi oon placet, accipe aliud literale, oempe ex causa voluptatis minimè Capellanum aliqua vice excusari posse à celebratione quotidiana, non intelligendo voluptatem in bonam partem; duobus enim modis potest capi nomen *Voluptas*, nempe propter animi honestam jocunditatem, Cicero 1. *de Oratore*, ibi: *Percipietis enim illam ex cognitione juris lætitiam, & voluptatem.* Plinius *lib. 2. epist. 17.* Sed in potiori significatu in partem malam desumitur, eo quòd à voluptate luxus, & intemperantia regitur, ut dicebat Plato *in Phædone*, unde Cicero *de senectute*, ait: *Divinus Plato escam malorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces.* Ovid. 7. Metamorph.

Nulla est sincera voluptas.

Silius Italicus *lib. 15. de Scipion.*

Illinc virtuti inimica voluptas.

Et alibi.

Florentes quondam luxus, quas verterit urbes,
Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum sola noces animis illapsa voluptas.
Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te semper volitans infamia pennis.

Quapropter sensus illius textus est, minimè à celebratione excusari Capellanum ex causa voluptatis, nempe inhonestæ; oon verò si honesta sit recreatio.

10 Cæterùm excusabitur Capellanus à celebratione quotidiana, si gravi negotio præpediatur, iter peragat, aut infirmitate premeretur: tùm etiam pro toto anno per sex vices poterit pro seipso celebrare. Marchinus *d. 2. p. cap. 23. à n. 3.* Diana *d. tract. 14. resol. 28. in fin.* Homobonus *consult. mor. tom. 2. p. 7. respons. 52.*

Unde recolenda est Glossa *in dict. cap. Significatum, verb. Salva honestate*, asserens ex causa infirmitatis non posse excusari Capellanum à quotidiana celebratione; nam verba illa, *salva honestate & devotione*, nihil aliud exprimunt, nisi ut multoties Capellanus una die non celebret: quod salva honestate, & devotione fieri nequit, *cap. Sufficit 5. de consecrat. dist. 1. cap. Tereferentes 12. de celebr. Miss.* aut tantùm ostendunt, excusari debere, quando mortali culpa gravaretur: quare verba illa nullam excusatioorum relatarum admittunt, quo in sensu similiter illa accipit Tamburin. *in Meth. celebrandi, lib. 3. cap. 3. §. 1. nu. 4. vers. Nota 2.*

11 Sed hæc interpretatio Glossæ, & Tamburini admittenda non est, plus enim quàm percompertum est, una die non posse Sacerdotem nisi unicam Missam celebrare, *cap. Consuluisti 3. de celebr. Miss.* Toletus *in Summa, lib. 2. c. 3.* de Lugo *de Euchar. disput. 20. sect. 1. n. 43.* nec aliquo modo ad Sacramentum Eucharistiæ posse eum accedere, qui lethali culpa inquinaretur, ut communiter probatur ex Paulo 1. *ad Corinth. cap. 11. Probet autem se ipsum homo.* Ubi Hugo de Sancto Victore: *Quid est ergo se probare, nisi videre, un conscientia mordeat se de mortali, & si est in proposito manendi adhuc in peccato.* Quod idem explicuit ibidem D. Thom. *lect. 11.* ibi: *Necesse est, ut primo homo seipsum probet, id est diligenter examinet suam conscientiam, ne sit in eo voluntas peccandi mortaliter, vel aliquod peccatum præteritum, de quo sufficienter non pœnituerit, cap. Qui scelerate 24. cap. Panem 64. de consecrat. dist. 2. cap. de homine 7. de celebrat. Miss.* Trid. *sess. 13. cap. 7.* Hurtado *de Eucharist. disp. 9. diff. 5.* Reginaldus *in praxi forens. lib. 9. num. 48.* Layman *in Summa, lib. 5. tr. 4. c. 6.*

12 Nec in his clarissimis decisionibus leges, seu decreta Canonica sont capienda, sed cum aliqua difficultate, prout est quando Capellanus non esset aliqua culpa gravi irretitus; verùm propter hooestatem, & reverentiam tanti Sacramenti vellet se à commonione abstinere, quod aliquando etiam spiritualibus convenit, ut benè notat Venerabilis Joan. de la Cruz *en su Noche Obscura, lib. 1. cap. 6.* ibi: *Ay tambien otros, que por esta gulesina tienen tan poco conocida su baxeza, y miseria, y tan echado à parte el amoroso temor, y respeto que deben à la grandeza de Dios, que no dudan de porfiar mucho con sus Confessores, sobre que no les dexan confessar, y comulgar muchas vezes; y lo pejor es, que muchas vezes se atreven à comulgar sin licentia y parecer del Ministre, solo por su parecer, y lo procuran encubrir la verdad. Y à esta causa, con ojo de ir comulgando, hazen como quiera las confessiones, teniendo mas codicia en comer, que en comer limpia, y perfectamente. Como quiera que fuera mas sano y santo, teniendo la inclinacion contraria, y rogar à los Confessores, que no les manden llegar tan à menudo; aunque entre lo uno, y lo otro, mejor es la resignacion humilde, pero los demasiados atrevimientos, cosa es para gran mal, y pueden temer el castigo de ellos sobre la temeridad.* Sic in cap. *Quotidie*, 13. *de consecrat. dist. 2.* S. Theres. *lib. de la fundac. cap. 6.* Rosende *en la vida de Palafox, lib. 3. cap. 17.*

13 Unde cognoscitur, quàm utile sit Sacerdotibus ratione personæ aliquando à celebratione sese abstinere; idcircò maxima ratione scripsit Pontifex, Capellanum, quotidie celebrare debere, salva honestate, & devotione; cùm propter humilitatem, & reverentiam id aliquoties conveniat: quo in sensu intelligunt illa verba Abbas ibidem, *num. 4.* Immola *num. 7.* Barbosa *n. 9.* Riccius *in praxi forensi decis. 403. num. 1.* Spino *de testament. gloss. 3. num. 51.* Azorius *Institut. Moral. 1. part. lib. 10. cap. 24. quæst. 7.* Henriquex *in Summa, lib. 9. cap. 24. num. 4.* Henao *de Sacrif. Miss. tom. 2. disp. 19. sect. 3. n. 31.*

14 Est verò difficultas breviter resolvenda, an quando Capellanus ob devotionem, seu honestatem noo tenetur Missam celebrare pro fundatore, possit dicere pro alio, sive stipendio accepto, sive liberaliter? Et affirmandum videtur, quia si tunc est solutus ab obligatione dicendi pro fundatore, liberè pro alio celebrare poterit. Vidal *in Arca, tit. de Iustit. inquisit. 1.*

15 Contrarium tenet Bonacina *de Euch. disp. 4. quæst. ultim. punct. 7. §. 7. n. 16.* quia sequeretur, quod duo stipendia perciperet, unum de Capellania, alterum pro celebratione illius Missæ. Sed est debilissimum fundamentom, nam si ex causa honestatis liberatur ab obligatione Capellaniæ pro illis vicibus, Tambur. *d. lib. 3. cap. 3. §. 1. n. 4.* si potuisset celebrare, rectè & stipendium percipere.

16 Admittenda est tamen Bonacinæ doctrina ex alio fundamento, quia ex causa honestatis, & devotionis debet vacare, non verò dicere Missam: itaque si diceret, cessaret ratio; quapropter illam tenetur applicare pro fundatore, nec poterit pro alio, nec cum stipendio, nec sine illo licitè celebrare. Marchinus *dict. 2. part. cap. 23. n. 9.* Tamburinus *d. lib. 3. cap. 3. §. 2. num. 1.* Alter Tamburinus *de jur. Abbat. tom. 2. disp. 5. quæst. 9. n. 15.* Leander *d. tract. 8. disp. 5. quæst. 18.* Henao *n. 36.*

17 Cæterùm disquirendum, an quando Capellanus ob honestatem non celebret, teneatur dicere Missam illam per substitutum? Et Sacra Congregatio 14. Maii 1627. decrevit per substitutum teneri celebrare: & est ratio, nam mens fundatoris illa fuit, quoties jussit celebrare quotidie, ut nulla dies transiret absque celebratione: Ergo si ipse personaliter de obligetur dicere ex causa honestatis, tenebitur per alium adimplere. Navarrus *in Man. cap. 25. nu. 134. in fin.* Riccius *in praxi for. decis. 403. n. 6.* Bonacina *d. disp. 4. q. ult. punct. 7. §. 7. n. 16.*

18 Contrarium tenent alii, nam illa obligatio quotidie celebrandi, ex vi sua non extenditur ultra terminos decentiæ, reverentiæ, & honestatis; quapropter cùm in illis casibus obligatus noo sit ad celebrandum, nec per substitutum tenebitur celebrare. Cæterùm textus *in dict. cap. Significatum*, loquitur de excusatione ratione hooestatis, eo modo ut non teneatur per substitutum supplere, ut ibidem intelligunt Abbas, & Immola. Ergo per substitutum non

tenebitur supplere. Azorius *dict. 1. part. lib. 10. cap. 24. q. 7.* Fagundez *in præcept. Ecclesiæ*, *lib. 3. cap. 15. num. 11.* Pasqualigius *quæst. 1116. num. 9.* Mendo *de Ordinibus, disp. 9. q. 4. num. 32.*

19 Hanc sententiam admitto, quoties tantùm fundator dicat, *Celebret quotidie*, ita simpliciter, ut mens illius ad aliud non se extendat; quia solùm vult inducere obligationem, salva honestate, & decentia celebrandi. Si verò alia addat unde percipiatur velle quotidie, ut Missa in sua Capellania non deficiat, tunc contrarium dicendum est: & id evenire valet, si disposuerit Capellanum debere celebrare quotidie per se, vel per alium; tunc enim benè cognoscitur, voluisse fundatorem, ut quotidie non defecisset Missa, dum casu quo Capellanus proprietarius fuisset impeditus, disposuit ab alio suppleri; quo in casu loquitur Navarrus *dict. num. 634.* Tamburinus *d. cap. 3. §. 1. num. 6.* Barbosa *de offic. Episcop. 2. part. allegat. 24. num. 28.* Fagnanus *in cap. 11. de Præbend. num. 9.*

20 Quid verò si fundator dicat, *Celebretur Missa quotidie in tali Altari, vel Ecclesia*, & postea designet Capellanum ad celebrationem; an in vacantiis, vel posito impedimento, teneatur per alium celebrare? Et illa est communis opinio, ut teneatur: nam ex eo quod principaliter dirigat verba in locum, videtur voluisse honorare talem locum, ut minimè quotidie in eo deficiat Missa: quod secus esset, si verba in personam dirigeret. Marchinus *dict. cap. 23. num. 7.* Fraxinellus *de obligat. Sacerdot. sect. 4. conclus. 4. §. 1.* Bonacina *d. punct. 7. §. 2. num. 17.* Garcia *in Summa*, *tract. 3. diff. 2. dub. 2. num. 14.* Barbosa *dict. allegat. 24. num. 28.* Pasqualig. *q. 1121. à n. 2.*

21 Sed contrarium tenet Tamburinus *dict. cap. 3. §. 1. num. 4. vers. Nota 1.* & rationem dat, quia duobus modis potest testator, seu fundator dirigere verba in personam Capellani, aut directè, veluti quando dicit, *Capellanus Missam celebret quotidie in tali Altari, vel Ecclesia:* quo quidem casu conveniunt DD. in vacantiis per aliquod impedimentum, non teneri per substitutum supplere, relati *n. 20.* Lara *de Capell. lib. 2. c. 8. num. 43.* Ludovicus à Cruce *in Bull. Composit. disp. 3. dub. ult. n. 19.* Faustus *lib. 2. de Eucharist. quæst. 152.* Alter verò poterit dirigere indirectè, nempe dicendo, *Celebretur Missa quotidie in tali Altari*, *aut Ecclesia per meum Capellanum*, & Capellanum postea designet ad celebrationem; & in hoc casu etiam verba ad Sacellanum diriguntur, licèt indirectè: quare non tenebitur celebrare, quando impeditus fuerit, per substitutum.

22 Hæc enim interpretatio voluntatis magis consona videtur, quàm communis sententia, eamque admittere libet, nisi in casu quo ex aliis circumstantiis, constaret, voluisse testatorem, ut Missa quotidie non deficeret, veluti si sit Ecclesia, aut Altare, ubi alia non esset Missa, ut Fideles quotidie Sacrum audirent; aut alia declaraverit, unde perpenderetur desiderare quotidie Missam pro satisfactione suorum peccatorum, aut præcisè vellet honorare locum, non solùm honore, ut dicat Capellanus, quando justè impeditus non fuerit; sed quotidiano, ut præcisè Missa quotidie diceretur: quibus quidem casibus admittenda erit communis sententia.

23 Prout etiam admittit Pasqualigius *dict. quæst. 1121. num. 4.* quando disposuerit fundator, ut Capellanus faciat Missam celebrare quotidie, tunc enim absque intermissione celebranda erit, quia magis exequutor, quàm Capellanus videtur.

24 Cæterum transeamus ad agendum de Capellano infirmo, an hoc impedimento detentus celebrare teneatur? Et textus *in d. cap. Significatum 11.* clarè Capellanum infirmum excusat à celebratione, dummodo infirmitas inhabilem illum ad celebrandum reddat; si verò non sit notabilis incommodi, nequaquam excusabitur. Pasqual. *q. 1122. n. 1.* Barbosa *in d. cap. Significatum, n. 8.*

25 Id explicant DD. dummodo infirmitas sit paucorum dierum, sive continua, sive interpolata: & tantùm præsumendum est, ex voluntate fundatoris per paucos dies voluisse admittere hanc excusationem. Tenent plures, quos refert Pasqualigius *dict. quæst. 1122. num. 3.* Quapropter aliqui id extendunt ad octo dies, ut ex Concilio Mediolanensi 7. *tit. de Missis*, refert Marchin. *dict. 2. part. cap. 23. à num. 5.* prout observatur in salariis famulorum, qui si ad breve tempus, veluti octo dierum, infirmentur, salario non privantur. Parlador. *diff. 130. §. 6. num. 2.* unde per hoc tam breve tempus Capellanus salario non privabitur, si non celebret, ut cum Navarra tenet Riccius *d. decis. 403. n. 5.* Barb. *d. 2. part. allegat. 24. n. 31.* Layman *lib. 5. tract. 5. c. 3. n. 7.* Marchin. *d. c. 23. n. 6.*

26 Alii enim ad quindecim dies extendunt. Ludovicus à Cruce *in Bull. Compos. disp. 3. dub. ult. num. 16.* Trullench *lib. 3. de Sacram. cap. 8. dub. 11. n. 9.* Diana *2. p. tract. 14. resol. 27.* Alteri ad unum mensem Layman *d. n. 7.* Thom. Hurtad. *Resol. Mor. 1. part. tract. 2. cap. 4. resol. 8.* Ac denique est sententia, ut id extendi valeat ad duos menses infirmitatis. Leander *d. tract. 8. disp. 5. q. 29. ad fin.* Diana *5. p. tract. 13. resol. 51.* Mendo *d. q. 4. n. 31.*

27 In re verò tres casus distinguendi sunt cum Pasqualig. *d. quæst. 1122. à num. 4.* Primò, quando onus injungeretur hæredibus, ut facerent quotidie Missam celebrare, aut tres in qualibet hebdomada, per aliquem Capellanum, vel per unum, seu per alterum; quo casu etiamsi persona designata ab hæredibus ad adimplendum infirmetur, non excusabuntur hæredes, si Missæ illæ non adimpleantur, prout dispositum est à fundatore; quia revera voluit ne quotidie, aut certis vicibus deficerent: quod idem dicendum in qualibet Capellania, si expressa, aut conjecturata fuisset mens illius, ut nunquam Missæ omitterentur, ut diximus *num. 22.*

28 Secundò, si verò Capellania non fuisset collativa, asserit Pasqualigius *dict. quæst. 1122. n. 5.* Capellanum infirmum per breve tempus excusari, quod ad mensem extendit; nam stipendia istius Capellaniæ, potiùs salariis, quam fructibus comparantur: idcircò famulo comparatur, cui si infirmatur, salarium non debetur, ut tradunt Bart. *in leg. Si uno, §. Item cum quidam, ff. locat.* Abbas *in c. 1. de Cleric. ægrot.* Covarr. *lib. 3. variar. c. 13.* Unde ex benigna interpretatione cum Capellano illo poterit extendi, ut per breve tempus infirmus non teneatur ad celebrandum.

29 Tertiò, quando Capellania fuisset collativa, & in hoc casu dicit, per totum tempus infirmitatis, etiamsi longa sit, non teneri Capellanum celebrare, sed excusari ex illa causa, quia est casus exceptus *in dict. cap. Significatum*, dictione *nisi*, quæ est exceptiva illius. Surdus *cons. 11. num. 6.* Tuschus *litt. D, conclus. 314.* Seraphinus *de privileg. jurament. privil. 57. num. 12.* Ergo toto tempore infirmitatis excusabitur. Deinde fructus Capellaniæ Ecclesiasticæ non dantur ut salaria, sed percipiuntur ex titulo, & benevolentia instituentis: quare non obligant Capellanum, nisi quatenus implere potuerit: non verò ita sunt oneri annexi, ut illo cessante, cessent fructus ex qualibet causa.

30 Sed in re nullam distinctionem facio inter Capellaniam collativam, & non collativam; nam ut diximus suprà cum de Lugo *lib. 2. cap. 5. num. 32.* stipendia cujusque Capellaniæ, ut salaria censentur. Unde ad resolutionem, tam in Capellaniis collativis, quàm non, dico quod si Capellanus morbo perpetuo laboret, & non speretur sanandus, & Capellania sit pinguis, tunc non excusabitur, verùm per substitutum tenebitur adimplere; nam ut benè considerat Layman *dict. cap. 3. num. 7.* grave incommodum inferretur Ecclesiæ, si perpetuò cultu privaretur: tum animæ fundatoris, dum usque ad mortem Capellani illius suffragio Missarum privaretur: quapropter necessarium est, ut per substitutum adimpleat.

31 Si verò Capellania tenuis sit, & infirmus Capellanus perpetuo morbo pauper sit, ita ut indigeat fructibus Capellaniæ ad ipsius alimoniam, tunc excusabitur, nec per substitutum tenebitur adimplere. Ratio, nam ex voluntate fundatoris tunc rectè tenues fructus percipit in tam gravi necessitate, qui si videret suum Capellanum infirmum, & pauperrimum, omninò ad alimoniam illius concederet: tum in tam extrema, & gravi necessitate rectè Capellanus suscipiet tenues illos fructus, tanquam si à fundatore in bonum suæ animæ, veluti eleemosynæ concederentur. Layman *dict. cap. 3. num. 7.* Faustus *de Eucharist. lib. 2. quæst. 101.*

32 Attamen si infirmitas fuerit temporalis, & speretur Capellanum sanandum, etiamsi infirmitas sit longa, toto illo tempore excusabitur, nec tenebitur adimplere etiam per substitutum. Fundamentum sumitur *in dict. cap. Significatum*, ubi absolutè excipit hunc casum infirmitatis, nec distinguit inter Capellaniam collativam, & non collativam, nec quando infirmitas est longa, aut brevis. Cæterùm, nam ut supponimus, Capellani isti debent celebrare per se, &

conse-

consequenter Presbyteri; quoties enim salarium, aut stipendium conceditur personæ in dignitate constitutæ, non solùm datur ratione oneris annexi, sed dignitatis: quapropter Prælatus infirmus recipit integrè salarium, ut etiam Canonicus, *leg.4. tit.8. part.5. leg.9. tit.15. lib.4. Recopilat.* Escobar *de ratiociniis, cap.27. num.22.* & in Prætoribus, & Advocatis, *l.1. §. Divus 13. de extraord. cogn.* Covarr. *d. cap.13. n.8.* Parlador. *d. diff.130. §.1. num.2.*

33 Et in famulis est etiam aliquorum sententia asserentium, tempore suæ infirmitatis debere salarium percipere. Gloss. *in l. Arboribus 12. §. De illo, ff. de usufruct. verb. Aegrotante*, Innocent. Joan. Andreas, & Immola *in cap.3. de locat.* Gregorius *in l.7. tit.2. part.5. verb. Senor*, Horoscius *in leg. Diem functo, ff. de Assessoribus, n.16. & 17.* Aviles *in cap. Pretorum 1. par. verb. Salario:* quorum doctrinam probabilem censeo; nam qui per annum, aut per aliud certum tempus suas operas locat, illas tantùm locare videtur, quas moraliter præstare valet dum sanus est, non verò quas propter infirmitatem nequit præstare; idcircò poterit integrum salarium percipere, quippe non vacare videtur ab operibus, quæ non veniunt in obligatione: quæ ratio mihi videtur facere probabilem illam sententiam, quidquid in contrarium senserint Abbas *in cap.1. de Cleric. ægrot. n.9.* Suarez *in Thesaur. lit. I, num.48.* Bonacosa *de famulo, quæst.103.* Gomez *var. 2. tom. cap.3. num.3. in fin.* Parlador. *d. diff.130. §.1. n.1.* Azevedus *in leg.9. tit.15. lib.4. n.16.* Mena *variar. lib.1. quæst.8. §.2. num.17.*

34 Unde cùm in Sacerdote Capellano vigeat dignitas Sacerdotii tempore quo fuerit infirmus, etiam longa infirmitate, excusabitur à celebratione, & fructus percipiet, sicut & percipit distributiones quotidianas, si infirmus fuerit, licèt propter personalem assistentiam concedantur, *cap. unic. de Cleric. non resid. in 6.* Covarr. *d. lib.3. cap.13. n.8.* Spino *de testament. gloss.9. in princip. n.30.* Garcia *de Benef. 3. part. cap.2. num.363.*

35 Denique ad comprobationem valet expendi textus *in leg. Cùm hæres 4. §. Stichus, vers. Sed etsi, ff. de statuliber.* ubi si libertas relicta fuerit ea conditione, ut hæredi eo anno servierit, si tamen propter infirmitatem servitium non præstiterit, adhuc anno transacto libertatem consequitur; quem textum licèt favore libertatis tantùm suscipiat Covaruvias *d. cap.13. num.8.* & aliter Escobar *d. cap.27. num.22.* meliùs tamen intelliges, ut quando quis certo tempore ad serviendum obligatur, excipiatur casus infirmitatis, quam nequeunt contrahentes, aut legantes ignorare, cum nostra imbecillis natura tantis morbis obnoxia remaneat. Unde colligo Capellanum, sive Capellania sit collativa, sive non, ex causa infirmitatis temporalis, sive brevis, sive longæ, à servitio excusari, nec tenetur per substitutum celebrare.

36 Præterea si fundator dicat, *Tres Missas in qualibet hebdomada Capellanus celebret, prima, tertia, & sexta feria*; si infirmus fuerit, aut aliàs legitimè impeditus, aliis diebus supplere non tenetur; nam ex eo quod dies certos affixerit, illis transactis, extincta est obligatio: quapropter justa existente causa impedimenti, nec peccabit, nec tenebitur supplere. Pasqual. *quæst.1118. à num.2.*

37 Hanc sententiam maxima consideratione prospiciendam dico; nam ex eo quod dies hebdomadæ signanter apponantur à fundatore, non facilè credendum, affixisse obligationem præcisè ad diem, ut illa transacta extingueretur obligatio; quippe obligatio adimplendi intra certum tempus, adhuc illo transcurso durat, *l. Celsus 23. ff. de recept. Arbit.* ubi Scribentes: & in dubio non præsumitur tempus appositum causa limitandæ obligationis, *l. Si mandato 39. §.5. ff. mandat.* Bart. *in l. Cùm ita quis, §. Quis ita, ff. de verb. obligat.* nisi clarè ex mente fundatoris, aut contrahentium conciperetur, ut quando apponitur pactum ad retrovendendum. Menochius *de arbitr. casu 217.* Gratianus *discept. for. tom.2. cap.207. n.15. & 16. & cap.307. n.28. & 29.* aut quando fuisset clausula, ne in aliis diebus adimpleretur Missarum celebratio, ut in hebdomada observat Leander *de Sacrif. Miss. tract.8. disp.4. quæst.21. vers. Sed longè.*

38 Unde nisi constet, fundatorem voluisse illam obligationem apponere, ut affixa diebus illis remaneret, ita ut illis transactis extingueretur obligatio, non erit admittenda sententia Pasqualigii; secus si apparet, quia semel extincta obligatio non reviviscit, *leg. Qui res, §. Aream, ff. de solut. leg. Ejus qui, §. fin. ff. de jur. fisci.* Surdus *cons.18. num.10.* Vela *dissertat.33. n.67.*

39 Verumtamen si testator, aut fundator Capellaniæ dicat, *Tres Missæ celebrentur in qualibet hebdomada*, impeditus Capellanus tenetur supplere; nam hæ Missæ non sunt præcisè in qualibet hebdomada dicendæ, sed voluntas fundatoris fuit, ut in quolibet anno tot Missę celebrarentur per hebdomadas distributæ. Pasqual. *d. qu.1118. à n.4.* idcircò poterit anticipare, aut postponere illas Missas, ut Capellaniam adimpleat, Bonacina *de Euchar. disp.4. quæst. ult. punct.7. §.1. num.3.* Garcia *in Summa, tract.3. diff.2. dub.2. n.10. in fin.* Diana *2. part. tract.14. resol.16.* Leander *d. quæst.21.* & diximus suprà.

40 Deinde si fundator jusserit suo Capellano celebrare quotidie, & qualibet hebdomada det unicam vacationem, si infirmabitur, aut aliquo justo impedimento teneatur, adhuc non tenebitur supplere; nam hæc vacatio jam erat à jure concessa, qua supposita, ipsum jus excusat ob causam infirmitatis, *in d. cap. Significatum*. Ergo non tenebitur supplere. Pasqual. *de Sacrif. Miss. quæst.1123.*

41 Prorsus obliviscenda non est Abbatis doctrina *in dict. cap. Significatum, num.4.* dicentis illicitam esse institutionem, seu fundationem Capellaniæ, seu Beneficii, mandantem ut Capellanus quotidie celebret; quia facilè daret materiam peccandi; non enim facillimè Sacerdos ita devotus, & perfectus inveniretur, qui absque culpa quotidie celebrare posset: unde Augustinus scripsit, quotidie communicantem se nec laudare, nec vituperare. Consentit Bonacina *dict. disput. 4. punct.7. §.2. num.17.* Fagnan. *in dict. cap.11. num.9.*

Hanc sententiam minimè admitterent aliqui tenentes, Sacerdotem quotidie celebrare teneri, ut Sylvester, Anton. & alii relati à Leandro *tract.8. de Sacrif. Miss., disp.5. qu.3.* Sed horum Doctorum admissa non est sententia, itaque pergo.

42 Doctrina Abbatis duobus in casibus est consideranda. In primis quando fundator simpliciter dixit, *Meus Capellanus celebret quotidie*. In hoc igitur non benè loquitur Abbas, quia ut dictum est, obligatio ista intelligitur, salva honestate, & devotione, & absque aliquo periculo indignè celebrandi: quapropter nequit esse illicita jussio fundatoris, ut patet. Secundo modo, quando fundator præscribat suum Capellanum celebrare debere per se, & non per alium, ita ut nullam Missam omittat.

43 Et in isto casu minimè præceptum fundatoris erit illicitum, quamvis magis urgeat ratio Abbatis; quoniam quilibet Clericus licitè quotidie celebrat, secluso peccato mortali; nam ex vi suæ ordinationis habet potestatem offerendi Sacrificium, & non impeditur, in quotidie Missam celebrer: Ergo secluso peccato, licitè; & rectè celebrat, prout faciebat Beatus Andreas, & antiquitus observatum ex Sanctis Patribus scripsit Bellarm. *lib.2. de Missa, cap.9. vers. Deinde negari.* Suarez *de Euchar. disp 80. sect.2. vers. Dico 4.* Garcia *in Summ. tract.3. diff.2. dub.1. num.10.* Tamburinus *dict. lib.3. cap.3. §.1. num.7.* Pasqual. *quæst.365.* Unde facilè colligitur, præceptum fundatoris licitum esse, ut quotidie per se Missam celebret, quia rem licitam præcipit, & Sacerdotibus permissam, *in cap. Si quotiescumque 14. de consecrat. dist.2. cap. Visum 62. de consecrat. dist.1.* erit tamen difficile, & grave, prout communiter intelligunt DD.

44 Poterat tamen Abbas alio modo difficultatem proponere, anne jussio ista utilior esset quotidie celebrandi per se, nulla die omissa, quàm aliquando abstinere? Qua in re breviter dico, quod olim in principio Ecclesiæ non multæ non multæ Missæ permittebantur; non erat autem nisi unum Altare in una Ecclesia, & non nisi unicam Missam celebrare hora tertia post meridiem permissum fuit, ut depromitur ex S. August. *epist.118. cap. Nullus 25. de consecrat. dist.1.* nec Clericus Missam dicebat, nisi ab Episcopo obtenta licentia. Concilium Chartag. II. *cap.9.* nec nisi unum Sacrificium peragebatur quotidie in unico Altari. Concilium Antisiodorense *cap.10.* & alia quæ congessit Garcia *d. diff.2. dub.1. num.5.*

45 Ast postea quotidie quemlibet Clericum celebrare permissum est, quod quidem consultius est per se, & absolutè loquendo, prout denotant verba Bedæ communiter ad id adducta: *Cùm Clericus non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tum quantum in ipso est, privat Sanctissimam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, justos subsidio & gratia, in purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali Beneficio, seipsum medici-*

na &

na & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. Verùm si aliquando fiat ex motivo virtutum Sacrificii omissio, & ad adornandam animam majori ornatu earum, veluti ut fervor charitatis magis flammiescat, crescat reverentia & humilitas, ratione circumstantiarum utilior est omissio Sacrificii, quàm celebratio. Scripserunt Gabriel *in Can. Miss. lect.* 87. *dub.* 5. Azorius *Inst. Moral.* 1. *part. lib.* 10. *cap.* 24. *quæst.* 10. Garcia *dict. tract.* 3. *diff.* 2. *dub.* 1. *num.* 10. Ludovicus Cresol. *lib.* 15. *Mystagog. sect.* 6. March. *de Ordin. tract.* 3. 2. *part. cap.* 36. *n.* 10. Pasqual. *quæst.* 367. Tamburinus *dict. cap.* 3. §. 1. *num.* 7. & diximus suprà.

46 Unde resolvo in specie, quod licèt testator, seu fundator Capellaniæ dicat Capellanum debere quotidie celebrare per se, absque omissione alicujus diei, adhuc poterit pro aliqua vice motivo virtutum à Sacrificio sese abstinere; idque ex voluntate illius concipiendum, cùm credendum non sit, ob talem obligationem prohibere majorem profectum animæ Capellani, & quod ferventiùs, & devotiùs alias Missas celebret, & majoribus virtutibus condecoretur.

47 Si verò testator dicat, *Celebret Capellanus feria secunda, & sexta*, & in Sabbato cujuslibet hebdomadæ, dubitare poterimus, an præcisè debeat in illis diebus celebrare. Sed cum distinctione respondendum; nam si cum mysterio id præceperit, veluti dicendo, *Feria sexta dicatur Missa de Passione, & in Sabbato de Virgine*, nequit fieri mutatio, cùm illos dies se legerit ob reverentiam, & devotionem Passionis Domini, & Beatæ Virginis: non tamen erit grave peccatum omittere illos dies, præcipuè si id non faciat frequenter, aliàs poterit mutare: de Lugo *de Eucharist. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 43. Tamburinus *dict. cap.* 3. §. 3. *num.* 1. Pasqualig. *quæst.* 1131.

48 Animadvertendum, quod in hoc casu feria sexta & Sabbato majoris hebdomadæ, non poterit Capellanus celebrare, nec tenebitur. Tamburinus *dict. cap.* 3. §. 2. *num.* 3. Pasqualigius *quæst.* 1118. Leander *dict. tract.* 8. *dispu.* 5. *quæst.* 22.

49 Denique si fundator disponat pœnam, ut Capellanus parte fructuum privetur, si non celebret, verùm id non faciat, quia justo impedimento tenetur, minimè pœna erit adimplenda, cùm careat culpa non celebrando. Si verò teneatur per substitutum tunc deservire, aut quia jussum est à fundatore, aut conformi observantia sic receptum, pœnam incurret, si non celebrare fecerit. Ast ad nullam restitutionem tenebitur, pœna soluta, quia ea contentus fuit fundator, ut latè prosequitur Pasqual. *qu.* 1126.

CAPUT VII.

De Capellaniis consanguineis fundatoris deferendis.

SUMMARIUM.

Ad Capellanias, & Beneficia Ecclesiastica jure sanguinis non pervenitur, num. 1. *& an Papa possit sibi eligere successorem, latè discutitur, à num.* 2. *Explicatur caput* 2. 8. quæst. 1. *& alia jura similiter; & an Capellanus possit nominare successorem, ibid.*

Prima sententia negat, num. 3. *Secunda affirmat, num.* 4. *Tertia sententia affirmat, sed asserit non expedire, n.* 5. *Resolvitur à num.* 6.

Discutitur amplius textus in cap. Simon Petrus, *& factum D. Petri sibi successorem designantis, num.* 7. 8.

Prælati varii successores sibi designarunt, num. 9. *Christus Dominus Vicarios suos eligendos decrevit, sed electionis modum non designavit, num.* 10. *& seq.*

Summus Pontifex potest electionis modum mutare, sed non penitus eam tollere, nec successorem sibi eligere, num. 12.

An supremus Pontifex possit sibi successorem eligere, negativè resolvitur, à n. 13. *& per consistoriale decretum prohibetur, num.* 16.

In Capellaniis Capellanus nequit Sacellanum eligere, nisi id à fundatore disponatur, à num. 17.

An si Capellanus non nominet, extinguatur Capellania, resolvitur negativè, & explicatur lex 4. C. de condit. insert. *à num.* 19.

Sed quis in hoc casu præsentabit Capellanum, n. 22. *Respondetur, Episcopum debere præsentare, num.* 23.

Fundatores in Capellaniis rectè disponunt, ut consanguineis conferantur, vel proximiori, n. 24. *&* 25. *Interpretatur textus* in cap. 5. de instit. *num.* 26.

An Capellania Ecclesiastica possit fundari in modum majoratus, num. 28. *Respondetur affirmativè, num.* 29. *Ecclesia benignè se habet in admittendis dispositionibus fundatorum Capellaniarum, num.* 30. *& seq.*

Quando fundator simpliciter vocaverit consanguineos, an necessario instituendus sit proximior. Prima sententia dicit sufficere nominare remotiorem, num. 32. *Secunda negat, num.* 33. *Resolvitur, à num.* 34. *lex* 67. §. Itaque, *lex* 116. §. 15. ff. de legat. 1. *explicantur, num.* 35.

In Capellaniis Ecclesiasticis non præfertur linea masculina, num. 42.

An quando duo consanguinei sunt in pari gradu, debeat pro vita dividi Capellania, affirmat Cevallos, num. 43. *Sed distinguitur, num.* 44.

Si vero unus sit utrimque conjunctus, præfertur, num. 45.

Si fundator descendentes consanguineos vocaverit, non admittuntur collaterales, num. 46. *ubi id explicatur, à num.* 47. *& seqq.*

In Capellania vocante descendentes, in defectu eorum transversales præferuntur, num. 50. *&* 51.

Et quid si concurrant transversales proximiores cum descendentibus remotioribus? & asserendum istos esse præferendos, à num. 52. *& sequentibus.*

1 IN Beneficiis Ecclesiasticis, & Capellaniis collativis, quæ ut verè Beneficia censentur, de jure expeditum est, jure sanguinis minimè conferendas esse, *cap.* 1. *de Præb. cap. Consuluit* 15. *de jurepatron. cap. Ex transmissa* 7. *de filiis Presbyt. cap. Ad hæc* 15. *de decim.* Et ostendit D. Paulus *ad Hebr. cap.* 5. *vers.* 4. ibi: *Ne quisquam assumat sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Cornelius à Lapide *in cap.* 1. *ad Roman. vers.* 1. ibi: *Nota tertiò*. Ratio est, nam licèt Sacerdotium veteris Legis jure sanguinis propagaretur, *Exod. cap.* 19. id fuit speciale, quia se exercebat in mactandis victimis carnalibus: verùm Sacerdotia Legis Gratiæ spiritualia sunt; immolatur enim Christus Dominus spiritualis Hostia, quapropter jure sanguinis non propagantur, sed eliguntur per scientiam, & morum probitatem, absque ulla imaginis successione. Duarenus *lib.* 7. *de Sacros. Ecclesiæ Minist. cap.* 7. Petrus Gregorius *lib.* 42. *syntagmat. cap.* 7. *num.* 4. Spino *de testam. gloss.* 3. *num.* 18. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 5. *num.* 33.

2 Sed contra argumentum potest fieri *ex cap. Simon Petrus* 2. 8. *quæst.* 1. ubi D. Petrus cùm ad martyrium duceretur, apprehendit Clementem, & illum sibi successorem designavit: quod idem in primitiva Ecclesia adservatum ab aliquibus Prælatis dicunt aliqui, & exempla adducunt Theodoretus *lib.* 4. *cap.* 10. Quintanadveñas *lib.* 4. *Ecclesiast. à num.* 30. In Capellaniis autem Ecclesiasticis illud etiam admissum, posse fundatorem disponere, ut Capellanus nominet successorem, ut cum Molfesio, & Riccio docet Leon *de offic. Capell. quæst.* 5. *sect.* 26. *num.* 403. Rubeus *practic. resolut. cap.* 86. *num.* 70. Ergo in Beneficiis, & Capellaniis Ecclesiasticis datur successio vera, ut alia quælibet hæredis institutio.

3 Ad hanc difficultatem plura adducunt DD. & in primis ad textum *in d. cap. Simon Petrus*, dicunt minimè Pontificem posse nominare successorem, nec in Ecclesia unquam id observatum, unde præsumitur de jure divino interdictum: tum, nam ut considerat Abbas *in cap. Licèt, de elect.* si id posset fieri, duo capita eodem tempore darentur in Ecclesia Dei, nempe Pontifex qui eligit, & electus, quod est absurdum. Ergo dicendum, minimè posse Pontificem successorem eligere. Ad textum *in d. cap. Simon Petrus*, dicunt illud trahendum non esse ad consequentiam, quod fit à Sanctissimis viris, qui plura peragunt ex Dei privilegio, & illuminatione. Tenent hanc sententiam Turrecremata *de author. Papæ, tract.* 1. *cap.* 13. *& tract.* 2. *cap.* 21. Cajet. *in opusc.* 1. *de author. Pap. cap.* 13. Baronius *tom.* 11. *Annal. anno* 1073. Gomez *in reg. de infirm. resign.* 1. *part. quæst.* 1. Torres *de Fide, disp.* 15. *dub.* 3. *vers. Sed difficultas*, Spino *de testam. gloss.* 3. *num.* 19. Barbosa *de univ. jur. lib.* 1. *cap.* 1. *à num.* 38. Grana *in cap.* 1. *de Præb. num.* 6. Jul. Lavor. *de elect. tit.* 4. *cap.* 3. *num.* 32.

4 Alteri verò contrarium tenent *ex epist. Ioan.* 3. *ad Germ. & Gall. Episcop. cap.* 1. ubi probatur, posse Pontificem successo-

cessorem nominare, & eligere, cùm jure divino id prohibitum non sit: si tamen ita esset, credendum non est D. Petrum ignorasse. Tum, nam modus eligendi Pontificem sæpe sæpiùs à Pontificibus est mutatus, unde apparet Christum Dominum illum non præscripsisse, sed suis Vicariis in retta reliquisse, ut ex suo placito præscriberent: quamobrem si voluerint, possunt illum modum designare, nempe ut quilibet Pontifex sibi eligat successorem. Cæterùm istinc nullum resultat inconveniens; nam electio ista non est, ut vivente Papa electio sustineatur, sed post ejus mortem. Ergo erit valida electio, si Papa successorem elegerit. Suarez *de fid. disput. 10. sect. 4. num. 16. & contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 13. num. 13.* Duvalius *de potest. Pont. lib. 3.* Vasquez *in 3. part. tom. 3. disp. 244. cap. 3. num. 26.* Victor. *de potest. Eccl. relect. 2. quæst. 2. n. 23.* Bonac. *de elect. Pontif. quæst. 6. punct. 4. proposit. 2. n. 3. 5. & 8.*

5 Denique nonnulli Doctorum dixerunt, de rigore juris posse Summum Præsulem successorem eligere; ast verò minimè hoc expedire Ecclesiæ Catholicæ, cùm contra ejus instituta, & antiquissimam illius praxim esset hæreditaria successione Papatum suscipere. Diana 10. *part. tract. 5. resolut. 3. & 4.* Suarez *d. disp. 10. sect. 5. num. 16.* Thom. Hurtado *de resident. tom. 1. lib. 2. resolut. 3.* Miñano *Bas. Pontific. jurisd. tract. 2. fundament. 2. quæst. 8. §. 1. sect. 2. n. 29.*

6 In hoc dubio observo, textum *in d. cap. Simon Petrus*, nihil efficaciter probare; varia enim recipit interpretamenta. Barbosa *d. cap. 1. num. 46. vers. Ad textum*, inquit Clementis non fuisse veram electionem, sed simplicem designationem, ut postea ab electoribus eligeretur: quæ quidem interpretatio ex verbis Gratiani valet sustineri, sed si ad integram illius epistolæ deveniamus, non est admittendum illud interpretamentum, in ea enim sunt verba Divi Petri: *Audite fratres, & conservi mei, quoniam ut edoctus sum ab eo qui misit me Domino, & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat, Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado.* Transcripsit Miñano *d. sect. 2. num. 15.* & Lavor. *dict. cap. 3. num. 1.* quæ quidem non simplicem designationem, seu nominationem demonstrant, sed veram electionem, & Pontificatus traditionem.

7 Alteri Doctorum negant textum illum integræ esse fidei, quia desumptus est ex epistola Clementis ad Jacobum Hierosolymitanum fratrem, qui quidem antequam D. Petrus cruci affigeretur, occisus erat anno septimo Neronis; Petrus verò anno Neronis 13. passus est, quapropter ad eum dirigi non potuit. Verùm epistola illa suspectæ fidei habetur, ut tenent Turrecremata, & alii recensiti a Miñano *d. num. 15.* qui *num. 16.* affert alios illam defendentes, & suscipientes, ex Joan. III. decreto *in cap. 1. 8. quæst. 1. cap. Clemens 13. eadem causa, & quæstione.*

8 Illud verò interpretamentum magis consonum videtur literæ illius textus, ut factum Petri omninò ex revelatione processisset, quod denotant verba illius: *Ut edoctus sum ab eo qui misit me, Domino, & Magistro meo Iesu Christo:* quæ verba non solùm Christum Dominum illum docuisse suæ mortis diem advenire, sed ut Clementem eligeret, demonstrant. Gloss. *in cap. Transitus 76. dist. verb. Non potuit*, D. Gonzalez *in cap. 1. de Præbend. num. 16. ad medium.*

9 Ex hoc facto Petri aliqui Prælati successores sibi designarunt in primis temporibus, ut Alexander Alexandriæ Præsul Anastasium, Anastasius Petrum, Augustinus Eradium, Theothegnus Cæsareæ Palæstinæ Episcopum Anatolium. Gonzalez *in d. cap. 1. num. 6. in fin.* Ac denique Bonifacius II. in quadam Synodo successorem fecit. Baronius *tom. 7. Annal. anno 571.* ubi etiam Spondanus: quod postea revocavit. Sed tamen Prælati isti id fecerunt per simplicem designationem, ut postea à Sacerdotibus, & à populo eligerentur; aut cum consensu eorum, ad quos electio pertinebat; vel Dei illustratione, absque aliqua fraude, nec affectione domestica: quod postea ob aliquas res non benè gestas in similibus designationibus antiquatum, & abolitum, *cap. Si transitus 10. 79. dist.* Concil. Roman. *sub Hilario*, Gonzalez *dict. num. 16.*

10 Cùm ergo nihil certum ex juribus percipi valeat, ad rem dico, Christum Dominum successores, & Vicarios suos eligendos esse instituisse: quapropter Salvator noster ipsum Petrum inter alios Discipulos elegit, apud Matth. *cap. 16.* ibi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves Regni Cælorum.* Et *Joan. cap. 21.* interrogatur Petrus à Domino, an illum amaret? & post ejus responsum ter agnos, & oves suas pascendas ei commisit, *Pasce agnos meos, pasce oves meas:* quæ quidem vera fuit electio, propter Petri eximias virtutes, quas benè expendit Barbosa *de univers. jur. lib. 1. cap. 1. num. 12.*

11 Modum verò hujus electionis Dominus non præscripsit, quapropter Pontifices multa in illo decreverunt, *cap. In nomine 23. dist. cap. Licèt 6. de elect. cap. Ubi periculum 3. de elect. in 6. Clement. Ne Romani, de election.* suntque aliæ plures constitutiones, quas recenset Barbosa *de univ. jur. lib. 1. cap. 1. n. 59.* Petrus Gregorius *de elect. cap. 2. n. 7.* Jul. Lavor. *lucubrat. variar. tit. 4. de elect. cap. 7.* Azor. *Instit. Moral. 2. part. lib. 4. cap. 5.*

12 Unde cognoscitur, posse Summum Pontificem modum istum mutare, aut alterare, prout meliùs sibi visum fuerit, dummodo electio non transeat ad aliam speciem, & desinat esse electio. Lavor. *d. cap. 3. num. 40.* Quare ad rem si Pontifex voluerit nominare sibi successorem, ut tanquam hæres, & hæreditatorio jure percipiat Papatum, nihil faciet; nam nequit tollere electionem, quam Christus instituit, ut sic crearentur sibi successores, ut benè notat Gloss. *in cap. 10. 29. dist. verb. Non possit*, & cum Amico Diana 10. *part. resol. 3. vers. Assertionem*, Barbosa *d. cap. 1. n. 44.*

13 Erit ergo dubium, quando id agere vellet non per modum hæreditariæ successionis, sed electionis canonicæ? Et affirmandum videtur, nam licèt electio canonica dicatur, quæ fit per multorum suffragia, *cap. Quia propter 42. de elect.* Layman *de Prælat. Ecclesiast. cap. 2. quæst. 13.* Petrus Gregorius *de elect. cap. 3. n. 2.* hoc tamen est quoad modum, quapropter poterit facere Pontifex, ut ab uno fiat, prout concessit Moguntino Episcopo *in cap. Petiisti 17. 7. quæst. 1.* Ergo benè poterit facere per seipsum solum veram electionem successoris, prout tenent DD. secundæ sententiæ.

14 Sed non assentior huic sententiæ; nam electio Summi Præsulis ex Christi commissione uni concessa non est, sed necessariò facienda est per plures, ut jam demonstravit Anacletus Pontifex *in cap. fin. 79. dist.* hisce verbis: *Electionem vero Summorum Sacerdotum sibi Dominus reservabit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & spiritualibus populis concessisset.* Latè Lavor. *dict. tit. 4. cap. 4.* idque Christus Dominus conforme reddidit juri naturali; nam cùm Pontifices omnibus præesse debeant, non ex proprio, sed aliorum consensu eliguntur. Cùm ergo constet electionem Pontificis secundùm jus divinum, & naturale fieri debere per plures, quibus Pontifex præesse debet, nequit fieri ab ipso Pontifice. Et confirmatur ex continua observantia Ecclesiæ, in qua nunquam Pontifex successorem elegit, quin Celestinus III. cùm ad id urgeretur, renuit assentiri: cui addere libet, nec S. Clementem in meliori sententia electionem factam à Divo Petro admittere voluisse, quin propter maximam humilitatem renunciavit, ut Linus, & Cletus Pontificatum tenerent, Sanctissimi quidem viri. Suarez *d. cap. 13. n. 13.* Lavor. *lucubrat. tom. 1. tit. 4. cap. 3. n. 3.* Turrecremata *de potest. Ecclesiæ, lib. 2. cap. 51. vers. Nec obstat*, Baronius *tom. 1. anno 60. à n. 35.* Bellarminus *de Rom. Pontifice, lib. 2. cap. 5.* optimum quidem argumentum electionem Papæ non ad unum, sed ad plures pertinere de jure divino. Barbosa *dict. cap. 1. num. 41.*

15 Cæterùm licèt de jure divino id non esset statutum (ut volunt contrarii) nequit tamen Pontifex successorem eligere de jure naturali, in quo nequit dispensare. Nam licèt Pontifex habeat potestatem istam, non tamen eo modo, ut plura mala contra Ecclesiam orirentur, prout nascerentur, si sibi successorem eligeret; facilis enim pateret aditus, ut Papatus hæreditarius fieret, & in familia propria per similes electiones relinqueretur, & de nepote ad nepotem transiret: quod execrabile est dicere, & in gravissimum dispendium Ecclesiæ vergeret. Ergo cùm jus naturale id prohibeat, nequit Pontifex per se solum successorem eligere, ut benè considerat Azorius *d. lib. 4. cap. 5. quæst. 3.*

16 Denique Decretum Consistoriale est id prohibens, ne scilicet Pontifex eligat successorem: unde in praxi tenenda est hæc sententia, ut considerat Diana *dict. 10. part. tract. 5. resol. 4.* Lavor. *d. tit. 4. cap. 3. per tot.* Mancinus *gen. cap. 178.* quidquid probabilitatis alteram habere aliqui dixerint.

17 In aliis Beneficiis, ac Capellaniis Ecclesiasticis, similiter nec Beneficiarius, nec Capellanus successorem eligere valet, *cap. Episcopo 4. cap. Plerique 5. 8. quæst. 1.* sed in Capellaniis, vel Beneficiis à fundatoribus institutis, si adsit clausula, ut

ipsi

ipsi successores faciant, de jure admittitur; nam ipse Beneficiatus, aut Capellanus censetur nominatus Patronus, ut præsenter alium, quod fieri valet, veluti si alter Patronus nominaretur, qui quidem præsentatus, postea cognita ejus idoneitate rectè instituitur, ut tenuit Rota *in Gerund. personat. causa pia 17. Maii* 1630. quam refert, & sequitur Leon *d. quæst.* 3. *num.* 47. Pasqualigius *de Sacrif. Missæ, quæst.* 1108. *num.* 1.

18 Quid verò dicendum, si Capellanus moriatur antequam præsentet, vel nominet successorem, an tunc extinguatur Capellania? Dubium istud non est, si fundator certas personas designatas reliquerit, ut eas nominet successores Capellanus; aut quando ex certa familia proximior vocaretur ad illius designationem: tunc enim licèt Capellanus non nominet successorem, non extinguetur Capellania, cùm jam fuerint nominatæ illæ personæ à fundatore. Leon *de offic. Capell. quæst.* 5. *sect.* 29. *num.* 409.

19 Erit ergo quæstio nostra, quando persona nominanda fuisset incerta? Et affirmandum videtur, Capellaniam extingui, si Capellanus successorem non nominaverit, *ex leg. Legatum* 4. *C. de condit. insert.* ubi si conditio inserta in legato defecerit, extinguitur legatum, quia in eventu conditionis stat, ut legatum valeat, necne. Gomez *tom.* 1. *variar. cap.* 12. *num.* 59. Cæterùm ad id est doctrina Menochii *vol.* 5. *cons.* 474. ubi si ab Ecclesia concedatur emphyteusis, ea adjecta conditione, ut possessor eligat successorem, si ille moriatur, & non nominet, revertitur ad Ecclesiam? ergo similiter Capellania extinguetur.

20 Sed contrarium tenendum, nam mens fundatoris fuit, ut semper duraret Missarum celebratio, & earum suffragia ad bonum suæ animæ, quæ est causa finalis illius fundationis: quoties enim durat causa finalis, non extinguitur Capellania, cùm ab ea reguletur, *leg. Lucius* 123. §. 1. *ff. de legat.* 1. *leg. Nec semel* 12. §. 7. *ff. quando dies legat.* Magonius *decis. Lucensi* 28. *num.* 8. Ergo licèt Capellanus non nominet, cùm duret causa finalis, sustinebitur Capellania: unde non obstat dicta lex *Legatum* 4. quia causa finalis erat Matrimonium, & mortua erat illa persona, cum qua erat contrahendum: ergo cùm causa finalis defecit, extinguitur legatum.

21 Protsus non obstat doctrina Menochii; nam emphyteusis illa Ecclesiastica nullas habebat personas in illius successione, nisi quas ipse possessor nominaret, idcircò extinguitur, & ad Ecclesiam revertitur. Clarus *lib.* 4. *sent.* §. *Emphyteusis, quæst.* 42. *num.* 1. Fulgineus *de emphyt. tit. de contract. emphyt. quæst.* 34. *num.* 1. Gratianus *disceptat. forens. cap.* 707. *num.* 14. Sperellus *decis.* 152. *num.* 9. Cyriacus *controvers.* 174. *num.* 3. Rota apud Millium *decis.* 51. *num.* 14. quod secus nunc dicendum, quia in præsentiarum adhuc possunt alii successores nominare, prout in aliis Beneficiis. Leon *d. quæst.* 5. *sect.* 21. *num.* 411.

22 Sed dices, quis in hoc casu Capellanum alterum præsentabit, aut nominabit, dubium exoritur. Nam Capellania ista est juris Patronatus, in qua nequit Episcopus aliquem instituere, nisi fuerit à Patrono præsentatus, *cap. Decernimus* 16. *quæst.* 7. *cap. Illud* 8. *de jur. Patron.* Gregorius *in l.* 5. *tit.* 15. *part.* 1. *gloss.* 2. Flaminius *de resignat. lib.* 2. *qu.* 4. *n.* 15. & 19. Garcia *de benef.* 5. *part. cap.* 9. *num.* 231. Cùm ergo in præsentiarum non sit qui præsentet, quia Capellanus defunctus est, nec alius Patronus invenitur, necessario extinguetur Capellania ex defectu successorum, prout in majoratibus, ubi deficientibus omnibus vocatis, bona fiunt libera, & majoratus extinguitur, *leg. Qui solidum* 78. §. 1. *ff. de legat.* 2. Mieres *de major.* 4. *part. qu. æst.* 29.

23 Ast facilè respondetur cum Leone *dict. quæst.* 29. *num.* 415. In hac occurrentia Episcopum Capellanum instituere posse ex duobus capitibus. Primò, nam quando ex negligentia Patronorum Capellanus non præsentatur, tunc devolutio fit ad Episcopum, ut ipse instituat, observatis qualitatibus fundationis, *cap.* 3. *cap. Eam te* 22. *de jur. Patron.* Azotius *Instit. Moral.* 2. *part. lib.* 6. *cap.* 27. *quæst.* 5. Riccius *in praxi* 1. *part. resol.* 58. *num.* 1. Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *par. alleg.* 126. *num.* 65. Ergo cùm Capellanus fuerit negligens successorem non nominando, ex jure devoluto id pertinebit ad Episcopum. Secundò ex alio capite; nam Episcopus est exequutor ultimarum voluntatum, deficientibus exequutoribus, *cap. Nos quidem* 3. *de testament.* Guttierrez *pract. lib.* 1. *quæst.* 44. *num.* 4. Cenedo *ad Decret. coll.* 114. *num.* 1. Fuscus *de visitat. lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 47. Cùm ergo nullus sit qui nominet Capellanum, poterit ab Episcopo fieri nominatio, tanquam exequutore voluntatis fundatoris. Unde sequitur in præsentiarum, Capellaniam non extingui, etiamsi possessor moriatur, absque eo quod successorem nominaverit.

Præterea licèt in Beneficiis non sit danda aliqua imago successionis, in Capellaniis tamen, & Beneficiis benè possunt fundatores imponere clausulam, ut suis consanguineis conferantur, & non aliis, vel proximiori ex parentela, *cap. Monasterium* 33. 16. *quæst.* 7. ubi fundatoribus liberum est vocare ad Beneficia quoscumque voluerint? unde DD. colligunt, posse etiam vocare consanguineos, ut considerat Toletus *in Summ. lib.* 5. *cap.* 78. *num.* 4. ratio est, nam quamvis consanguinei ad Capellaniam, seu Beneficium vocentur, non est tamen hæreditario jure; habet enim fundatoris intentio tacitam conditionem, *Si dignus fuerit:* unde Episcopo præsentabitur antequam eum instituat, ut agnoscat, an dignus sit, & idoneus ætate, moribus, scientia: quapropter rectè poterunt consanguinei vocari absque aliqua successionis imagine, ut perpendit Spino *de testament. gloss.* 3. *num.* 30. 24

Cæterùm ratio sanguinis per se considerata, nullo pretio accedente, non facit irritam, nec illicitam Capellaniæ, aut Beneficii institutionem. Christus Dominus certissima regula nostrarum operationum, filios Zebedæi suos consanguineos ad Apostolatum elegit, & ob eandem rationem valent bona Ecclesiæ solita infeudari, suis consanguineis conferri. Flamin. *de resignat. quæst.* 17. *num.* 124. Cevallos *comm. quæst.* 275. ergo in ipsa fundatione rectè poterit fundator vocare suos consanguineos, idque meritò tum dicit Spino *d. gloss.* 3. *num.* 30. Covarruv. *in reg. peccatum, part.* 2. §. 7. *n.* 5. Guttierrez *Canon. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 37. Ojeda *de incompat.* 1. *part. cap.* 23. *num.* 132. Lara *de Capell. lib.* 2. *cap.* 2. *à num.* 1. Leon *de offic. Capell. quæst.* 4. *praxi* 6. *à num.* 138. Valenz. *cons.* 103. *num.* 2. 25

Sed contrà expendi valet textus *in cap. Ad decorem* 5. *de instit.* ubi improbatur Patriarcha Constantinopolitanus nolens nisi Venetos ad Beneficia assumere: & rationem dat Pontifex, quia ex omni gente, qui facit justitiam, acceptus est Deo, nec Sanctuarium Dei convenit hæreditario jure possideri: quod etiam in electione Imperii decrevit Innoc. III. *in cap. Venerabilem, de elect.* Ergo si ex eo solùm, quod ex una Civitate Beneficiati assumebantur, datur hæreditaria successio, multò magis si essent assumendi ex unica parentela, seu familia. 26

Sed tamen, ut probatum est, in his Capellaniis, & Beneficiis, in quibus à fundatoribus vocantur consanguinei, non datur hæreditaria successio, & validæ remanent similes vocationes. Major *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 9. Leon *d. praxi* 6. *num.* 140. Garcia *de benef.* 7. *part. cap.* 15. *num.* 12. Si tamen aliqua imago illius consideretur, est remotissima, quam in his fundationibus permittit Ecclesia, ut fundatores magis ad fundandas Capellanias, Beneficia, & alia opera pia alliciantur: quæ quidem ratio nequit considerari quando Beneficia, vel Capellaniæ liberæ sunt, nec habent similes vocationes, in quibus non solùm hæreditaria successio, verùm etiam illius imago detestatur, ut benè advertit Spino *dict. gloss.* 3. *num.* 28. 27

Est tamen difficultas, an Capellaniæ istæ Ecclesiasticæ possint institui vocando consanguineos in modum majoratus, ita ut ingressa una linea, ad aliam non perveniat, sitque in eis repræsentatio, prout in aliis primogenitis, *ex l.* 40. *Taur.* Et asserendum videtur, similem conditionem validam non esse, quia tunc non solùm daretur imago illa remotissima successionis, verùm propria hæreditaria successio, quam abhorrent Jura Canonica, *cap. Episcopus* 3. 8. *quæst.* 1. ubi ala congessit Gratianus, Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 5. *num.* 33. Ergo in modum majoratus nequit institui Capellania. Cæterùm, nam ut scripsit Lara *d. cap.* 2. *num.* 8. in Capellaniis Ecclesiasticis vocantibus consanguineos, quamvis intraverint in una linea, transitus fit ad aliam, & aliquis illis admittitur, exclusa repræsentatione. Garcia *dict. cap.* 15. *num.* 22. Robles *de repræsent. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 10. quæ quidem requisita sunt majoratus. Gregorius *in l.* 3. *tit.* 13. *part.* 6. *quæst.* 18. Molina *de primogen. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 14. Robles *dict. lib.* 3. *cap.* 4. *per tot.* Ergo nequit constitui Capellania Ecclesiastica in modum majoratus, quamvis consanguinei ad illam voceutur. 28

Sed in his Capellaniis duo sunt consideranda: in primis 29
jus

jus Patronatus, in quo succeditur hæreditario jure, & in eo datur repræsentatio, quia favore fundantium id est ab Ecclesia concessum, Robles *dict. lib.3. cap.3. a num.9.* & metitur regulis majoratus, Molina *de primog. lib.1. cap.1. n.26.* Valenzuela *cons.172.* Rojas *de incompatib. 1. par. cap.7. n.35.* Secundò vocationes quæ fiunt, ut consanguinei obtineant ipsam Capellaniam: & in his est difficultas, an possint vocari in modum majoratus? Et cum Lara *dict. cap.2. num.7. & 8. in fin.* assero rectè fieri posse; nam in simili vocatione nullo modo intelligitur vocatio illa, ut succedat de persona in personam, ut fit in majoratibus laicis; sed tantùm ut electio fiat de personis idoneis, & dignis similis familiæ. Azorius *Instit. Moral. 2. part. lib.6. cap.4. quæst.25. versic. Objicies*; quælibet enim dispositio, quantumvis generalis, recipit interpretationem ab habilitate, Bart. *in l.2. §. Præter, ff. qui satisd. cogant.* ubi Jason *num.4.* Aaevedus *in leg.4. tit.17. lib.4. Recopilat. num.8.* Spino *dict. gloss.3. num.31.* & ad computandam ejus consanguinitatem, & proximitatem observatur regula majoratus: ergo cum aliud non importet dispositio ista, non est unde improbetur.

30 Prorsus ut cum Spino diximus suprà, *num.27.* ut fundatores ad Capellanias, & alia opera pia invitentur, benignè se habet Ecclesia in admittendis eorum dispositionibus, ut videre est in jure Patronatus, quod licèt spirituali sit annexum, *cap. Quanto 3. de judiciis, cap. Cùm Clerici 6. cap. Ex insinuatione 14. de jur. Patronat.* Selva *de benef. 1. par. cap.7. num.78.* aut secundùm se spirituale, ut latè docet Suarez *de Relig. tom.1. lib.4. cap.28. à num.7.* attamen favore fundantium laicorum eis conceditur, ut sint illius capaces, *cap. Decernimus 16. quæst.7.* Firmianus *de Episcop. 3. part. lib.1. quæst.18.* & hæreditario jure in illis succedant. Carolus Marant. *4. part. respons.13. num.8.* Spino *de testam. gloss.4. n.43.* Ergo quamvis in simili fundatione sit aliqua successionis imago magis clara, quàm quando simpliciter vocantur consanguinei, adhuc favore fundatoris sustinebitur dispositio facta in modum majoratus.

31 Unde rationes dubitandi positæ *num.28.* facilè diluuntur. Prima, ex ratione supra posita numero antecedenti. Secunda, quia doctrina Laræ, & aliorum intelligitur quando fundatio facta non est per modum majoratus, tunc enim sufficit, ut consanguineus sit proximior ex qualibet linea. Gomez *in leg.40. Tauri, num.41.* secus verò si hujuscemodi fundatio constitueretur.

32 Altera verò quæstio magis est dubia, an quando fundator simpliciter vocaverit consanguineos ad Capellaniam, necessariò proximior sit præferendus taliter, ut alter remotior nequeat admitti. Prima sententia asserit, sufficere præsentare remotiorem, nec erit necessarium ut proximior admittatur, ex eleganti textu *in l. Vnum ex familia 67. §. Itaque 2. ff. de legat.2.* ubi fideicommissum relictum fuit familiæ, si modò tres ex familia existant dispari gradu, uni sufficiet fideicommissum concedere; nam postquam paritum est voluntati testatoris, cæteri excluduntur. Cæterùm hæc ratio magis patet, nam quando simpliciter vocat consanguineos, nec gradum petit, absque illo vocati censentur: ergo sufficiet consanguineum, quamvis remotiorem, admittere. Pelaez *de majorat. 1. part. quæst.72.* Rodriguez *in Summa, tom.1. cap.106. num.8. ad finem*, dicit probabile Palao *Oper. Moral. tom.2. tract.13. disp.4. punct.9. n.5.*

33 Secunda sententia tenet contrarium, nempe proximiorem tantùm esse admittendum; nam quando fundator simpliciter disposuit, aliquem eligendum de suis consanguineis, illud est intelligendum ordine successionis, ita ut proximior semper sit eligendus, *leg. Peto 69. §. Fratre 3. ff. de legat.2. l. fin. C. de verb. signific.* Gomez *in l.40. Tauri, n.40.* Ergo ex eo quod fundator simpliciter vocavit consanguineos, videtur vocasse proximiorem: & confirmatur, nam quando simpliciter vocat consanguineos, non concedit Patrono liberam electionem, sed tantùm ut præsentet secundum ordinem juris. Ergo debet præcisè nominare proximiorem, ut à jure decretum est. Azevedus *cons.16. num.1.* Guttierrez *cons.26. num.11.* Cevallos *comm. qu.905. à n.42.* Lara *dict. lib.2. cap.2. n.8.* Garcia *de benef. 7. part. cap.15. n.17.* Sylva *de qual. 1. Prælat. n.25.* Palao *d. punct.9. num.5.* qui dicit communem.

34 In hoc dubio illud ut verum suppono, quod si fundator reliquerit Patrono, ut liberè eligat quem maluerit ex consanguineis, aut præsentet, tunc rectè etiam remotum præsentabit, relicto proximiore; quia sufficienter paritum est ejus voluntati, quæ liberam electionem reliquerit, non autem regulatam. Garcia *d. cap.15. num.18.* Cevallos *quæst. 265. à num.5.* & in majoratibus tenet Molina *de primogen. lib.2. cap.5. num.4.* Rojas *de incomp. 1. part. cap.6. §.25. num.328.*

35 Erit ergo concertatio quando nō expressè liberam electionem reliquerit, sed tantùm dicat, *Eligat, aut præsentet ex meis consanguineis:* quo in dubio aliqui Doctorum asseruere, liberam concessam esse electionem, *ex d. l. Vnum ex familia, §. Itaque, l. Filiusfamilias 116. §. Cùm pater 15. ff. de legat.1.* Ast jura ista non rectè assumptum probant, loquuntur enim quando dicitur, *Fideicommissum non alienetur extra familiam, aut de ea non exeat:* quo in casu satis paritur voluntati testatoris, si remotiori concedatur, Mantica *de conject. lib.8. tit.12. num.15.* aut quando ex non libera electione absurdum sequeretur. Peregrin. *de fide-comm. art.22. num.26.* in his enim casibus satis cognoscitur, liberam electionem testatorem concessisse, cùm tantùm ejus mens fuerit, ne fideicommissum extra familiam exiret: quod idem dicendum, si expressè à testatore demonstraretur, *l. Cùm quidam 24. ff. de legat.2.* Guttierr. *pract. lib.2. quæst.67. n.3.* Valenauela *cons.40. à n.40.*

36 Sed horum Doctorum placitum reprobat sententia aliorum contrarium asserentium, quia in dubio electio regulata præsumitur secundùm juris regulam, ideircò non libera; unde successio debet esse de proximiori consanguineo, non verò de remoto. Molina *dict. lib.2. cap.5. num.6.* Crassus *de fideicom. §. Fideicommissum, qu.16.* Mantica *de conject. lib.8. tit.12. n.15.* Cevallos *d. qu.905. n.42.* Gratian. *cap.419. n.10.* Rojas *d. §.25. num.360.*

37 Stando enim in hac opinione, quoties Patronus ex consanguineis aliquem eligere debet, seu præsentare, videtur debere eligere proximiorem, nec satis erit si remotior nominetur, seu præsentetur; quia ex eo quod liberam electionem non reliquerit Patrono, videtur proximiorem vocavisse: sed in terminis Capellaniarum Ecclesiasticarum contrarium teneo, & ducor, nam ut in dubio observetur ordo successionis, ita ut proximior semper præferatur, id est intelligendum in his causis, ubi hæreditario jure proceditur, qua in specie loquuntur Doctores relati *num.36.* Verùm in Capellaniis Ecclesiasticis, non solùm non datur hæreditaria successio, sed nec imago illius, ut disponunt jura adducta *num.1.* Ergo nequit admitti doctrina illa, ut quando libera non conceditur electio, proximior debeat nominari: ergo sufficiet quemlibet etiam remotum nominare, seu præsentare.

38 Confirmo discursum; nam in Capellaniis, aut in aliis Beneficiis Ecclesiasticis successio hæreditaria non admittitur, quia necessariò est eligenda persona habilis ob scientiam, & morum probitatem, *cap. Cùm in cunctis 7. §. Inferiora, de elect.* Trident. *sess.24. de Reform. cap.12.* Rebuffus *in praxi benef. tit. super defect. nat. num.25.* Spino *de testam. gloss.13. n.18.* quod idem semper voluisse fundatorem præsumitur: ergo credendum est, in specie noluisse testatorem ordinem hæreditarium observari, sed quod ex consanguineis magis idoneus nominetur, ita ut hæreditaria successio non consideretur.

39 Præterea Patronus in meliori sententia tenetur eligere digniorem ad Beneficium, & Capellaniam curam animarum habentem. Guttierrez *canon. quæst. lib.2. cap.11. num.26.* Aaevedus *cons.24. dub.4. n.41.* Azorius *Instit. Moral. 2. par. lib.6. cap.21. n.41.* Lessius *de just. lib.2. cap.34. dub.14. n.65.* quod idem observandum in Capellania, aut Beneficio simplici. Vasquea *in opusc. de benefic. cap.2. dub.8. n.78.* Azorius *d. lib.6. cap.15. quæst.1. vers. Altera electio*, Molina *de primog. l.b.2. cap.5. num.66.* Rubeus *practic. cap.77. n.298.* Ergo quando aliud non expresserit fundator, sed tantùm simpliciter consanguineos vocaverit, credendum est dare liberam electionem Patrono, ut ex consanguineis digniorem eligat, non astrictus necessariò ad proximiorem.

40 Comprobatur discursus, nam licèt aliqui Doctorum teneant, sufficienter adimplere Patronum laicum eligendo dignum, omisso digniore, Lambertin. Valerus, Navarra, Garcia, & alii apud Dianam *2. part. tract.15. resolut.37. & 38.* Layman *lib.4. tract.2. cap.15. num.7.* Palao *tract.13. de benef. disp.2. punct.7. num.6.* tenenda tamen est hæc sententia, quando proximior, aut certa persona necessariò est eligenda, aut præsentanda à Patrono, cùm alteram non possit eligere, nec digniorem quærere: ergo si certas personas non

non nominaverit fundator, aut proximiorem, ejus erit voluntas, ut ex consanguineis dignior eligatur, non servata gradus prærogativa.

41 Unde à fortiori asserendum, observandam esse hanc sententiam, si dicat fundator, *Eligatur consanguineus de sua familia*, non addendo qualitatem proximitatis; mens enim ejus est, ut tunc sufficiat ex familia aliquem eligere. Sylva *de qualitat. Prelat. num.*37.

42 In his Capellaniis Ecclesiasticis illud observandum, ut si descendentes vocentur ad illas, cùm tamen in eis non tractetur de conservanda agnatione, si fortè duo concurrant in eodem gradu, non præferatur qui ex linea masculina descendit, sed in utraque linea proximior præfertur, rejecta hac differentia, *l. Maximum vitium, Cod. de lib. præterit.* Garcia *d. 7. part. cap.*15. *n.*21. Palao *dict. tract.*13. *punct.*9. *disp.*4. *num.*7. Si tamen duo concurrant in eodem gradu, is præfertur, qui à majore parte Patronorum præsentetur, aut dignior fuerit, data vocum æqualitate. Garcia *d. 7. part. cap.*15. *num.*21. Cevallos *qu.*265. *n.*25. Lara *d. lib.*2. *cap.*2. *n.*33. Sylva *de qualit. Prælat. num.*45.

43 Est tamen breviter discutienda doctrina Cevallos *dict. quæst.*265. *n.*24. asserentis, quod si duo consanguinei sint in pari gradu, & ejusdem qualitatis, Capellania est inter eos dividenda pro vita eorum: quæ quidem si laicalis sit, admitto illius sententiam; nam in eis observatur jus majoratus ex consuetudine, in quibus divisio fit pro vita, quoties duo concurrunt in eodem gradu, *leg.*2. §. *Hæreditas, ff. de suis & legitimis hæredibus, leg. Cùm inter, Cod. de fideicomm. l.*2. *tit.*33. *part.*7.

44 Si tamen Capellania sit Ecclesiastica, secus dicendum; nam Beneficii nequit fieri divisio, nec potest conferri, aliqua illius facta diminutione, *ut in Rub. Ut Ecclesiastica benef. absque diminut. conferant. cap. Dilecto* 25. *cap. Vacante* 26. *cap. Eam causam* 36. *de Præbend.* Rota 1. *part. diversor. decis.*454. *num.*6. quod etiam observatur in minoribus Beneficiis, *d. cap. Dilecto* 25. Cùm ergo Capellania Ecclesiastica sit Beneficium, nequit dividi inter duos, etiamsi sint in pari gradu. Tum quia in Beneficiis quasi contrahitur matrimonium, nempe spirituale, *cap.*2. *de postulat. Prælat.* & sicut unus homo nequit habere plures uxores, nec uxor duos maritos, *cap. Gaudemus* 8. *de divort. cap.*3. & 4. *de sponsa duorum*: similiter nec una Capellania duos Capellanos. Lara *d. lib.*2. *cap.*2. *num.*27. Garcia *d. cap.*15. *num.*22. Sylva *de qualit. Prælat. num.*44.

45 Sed quid dicendum quando concurrunt duo consanguinei, & unus est utrimque conjunctus, an iste sit præferendus? Et in primis illud est certum, quod si utrimque conjunctus sit proximior, iste est præferendus: si verò remotior, minimè, sed proximior, licèt consanguineus sit ex uno tantùm latere, ex eo quod proximior magis dilectus censetur. Si tamen in æquali gradu existant, præferendus est utrimque conjunctus, quia id præsumitur ex voluntate fundatoris, cùm magis dilectus censeatur ex duplici sanguinis conjunctione, *Authent. Itaque, Cod. commun. de success.* Gomez *in leg.*8. *Tauri, num.*9. Angulo *de melior. in leg.*11. *gloss.*8. *num.*4. Menochius *volum.*1. *consil.*187. *num.*4. Quapropter in Capellaniis similiter præfertur. Cevallos *qu.*761. *à num.*69. Guzm. *verit. jur.*24. *n.*7. & 8. Lara *d. lib.*2. *cap.*3. *à num.*31. qui *num.*34. id extendit ultra filios fratrum. Garc. *d. cap.*15. *n.*22. Sylva *de qualit. Prælat. n.*31. Castillo *lib.*5. *controv. cap.*67. *n.*29. *vers. Tertiò principaliter*. Rojas *de incompat.* 1. *part. cap.*6. *num.*262.

46 Cæterùm fundator aliquando solùm consanguineos descendentes vocat, & tunc nequeunt admitti collaterales; nam ex eo quod solùm vocet descendentes, intelligitur tantùm de his quæ sunt de linea effectiva, non verò contentiva, quin isti exclusi censentur. Idem dicendum quando fundator dicat vocare consanguineos de sua linea, aut in casu tertiæ personæ, vocando descendentes suæ lineæ; nam pronomen *meum*, aut *suum*, importat relationem ad personam disponentem, vel illius personæ in qua disponitur, *leg. Qui liberis*, §. *Hæc verba, ff. de vulgar.* non verò ad alios collaterales de linea contentiva. Lara *dict. lib.*2. *cap.*2. *n.*9. Leon *de offic. Capell. quæst.*4. *praxi* 6. *num.*143. Fusar. *de substitut. quæst.*345. *num.*6. Jul. Capon. *tom.*1. *discept.*57. *num.*7.

47 Idem dices si hæc pronomina non apponat, verùm dicat, *Præsententur qui sunt de linea fundatoris ipsius*: quia genitivus *fundatoris*, cum dictione *de*, denotat originem lineæ, ac perinde est ac si vocaret suos descendentes. Capic. *decis.*159. *n.*6. Menochius *cons.*924. *n.*1. Lara *d. cap.*2. *n.*12. Leon *d. qu.*4. *praxi* 3. §. 2. *cap.*1. *n.*79.

48 Si verò fundator vocasset simpliciter lineam domus hæredis, vel Petri, tunc non solùm descendentes intelligentur, sed etiam transversales. Menochius *d. cons.*924. *n.*12. Fusar. *de substit. qu.*345. *num.*13. Quod idem dices quando linea vocatur, attamen vocatio nequit verificari in linea effectiva descendentium, veluti si fundator non haberet filios, & incapax fuerit illorum; quia necessariò debent intelligi, ne aliàs dispositio redderetur inutilis, *l. fin. C. de posth. hæredib. instit.* Craveta *cons.*659. *n.*6. Fusar. *dict. quæst.*345. *num.*11. & 14. Lara *d. cap.*2. *num.*20. Capponi *tom.*3. *disceptat.*149. *à num.*10.

49 Similiter transversales intelligentur, si fundator vocaverit lineam agnationis, aut lineam masculinitatis. Barbosa *de appellat. verb.*135. *à n.*1. qui *num.*9. asserit, vocatos esse transversales, quoties fundator in linea intellexisset eos, prout intellexerat in alio testamento. Fusarius *d. quæst.*345. *num.*20. Lara *d. cap.*2. *num.*23. idem tenebis si vocaverit consanguineos de mea parentela, vulgò *linage*; tunc enim etiam transversales intelliguntur, ex communi usu loquendi, *l. fin. tit.*6. *part.*4. Quod maximè attendendum in his verborum interpretamentis, *leg. Habeo, vers. Non enim, ff. de supellect. legat. leg. Cùm de lanionis*, §. *Asinam, ff. de fund. instruct.* Marescotus *variarum lib.*1. *cap.*94. *num.*5.

50 In Capellaniis ubi tantùm vocati sunt descendentes, quæritur an illis deficientibus necessariò præferendi sint transversales, vel quasi extranei reputandi? Et affirmandum videtur, quasi extraneos esse reputandos; nam ex eo quod tantùm descendentes vocati sunt, exclusi, & quasi extranei à testatore habiti sunt. Ergo.

51 Sed contrarium tenendum, nam quando descendens vocatur de linea effectiva, non transversales, nisi quando descendentes adsunt; si tamen non extent, ex verisimili fundatoris voluntate admittuntur ut magis dilecti, quàm extranei: ergo necessariò sunt admittendi, extraneis exclusis. Cæterùm linea effectiva in favorabilibus includit contentivam, illa deficiente. Prætis *de interpretat. ultimarum voluntat. lib.*3. *interpret.*3. *dub.*1. *solut.*11. *num.*43. Cùm ergo causa ista sit favorabilis, vocati censentur transversales, quasi contenti in linea effectiva. Denique est alia præsumptio in concurrentia transversalium, & extraneorum, nempe dilectionis; credendum est enim, fundatorem in occurrentia illa magis velle admittere transversalem, quàm extraneum, cùm illum magis diligat, *leg. Non solùm* 67. §. 1. *de rit. nuptiar. cap. Litteras* 14. *de præs.* Menochius *cons.*62. *num.*17. Mascardus *de probat. conclus.*462. *n.*8. Valenzuela *cons.*130. *num.*52. Ergo si adsint transversales, hi necessariò extraneis sunt præferendi. Lara *dict. lib.*2. *cap.*2. *n.*23. Leon *quæst.*4. *praxi* 6. *num.*144. Valenzuela *cons.* 103. *num.*32.

52 Prorsus in Capellania vocante consanguineos discutere oportet, an si concurrant descendentes remotiores cum collateralibus proximioribus, præferendi sint descendentes? Et negandum videtur, quia cùm descendentes, & collaterales indiscriminatim fuerint vocati, quivis eorum proximior inveniatur, erit præferendus.

53 Sed contrarium tenendum, nempe descendentem etiam in remotiori gradu præferendum: ratio est, nam descendentes in qualibet dispositione ex verisimili conjectura mentis disponentis excepti videntur, ut sint potioris conditionis, *leg. Cùm avus* 101. *ff. de condit. & demonstrat. leg. Cùm acutissimi* 30. *C. de fideicomm. leg. Generaliter* 6. §. *Cùm autem, C. de institut. & substit.* Gomez *variar.* 1. *tom. cap.*5. *num.*40. Molina *de primogen. lib.*3. *cap.*3. *num.*42. Ergo licèt transversalis sit propinquior, adhuc descendens remotior præfertur. Cæterùm in concurrentia non habetur ratio collateralium, si adsint descendentes, etiam longissimi gradus. Alvarad. *de conjectur. ment. defunct. lib.*4. *cap.*1. *n.*6. Fusar. *de substit. quæst.*321. *num.*4. & *qu.*393. *n.*83. Ergo semper sunt præferendi descendentes etiam remotioris gradus in Capellaniis, Cevallos *quæst.*702. *n.*3. Leon *dict. quæst.*4. *praxi* 6. *num.*143. Barbosa 2. *tom. vot.*98. *num.*42. Sylva *d. tract. num.*38.

CAPUT VIII.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

An quando fundator vocat consanguineos de sua parentela, genere, seu familia, etiam illegitimi vocentur? Prima sententia affirmat, num.1. & 2. secunda negat, num.3. tertia asserit standum conjecturis, n.4. quarta distinguit, n.5. resolvitur, à num.6.

Filii naturales illegitimi, ad Capellanias vocantes eos qui sunt de familia, & stirpe, sunt admittendi, num.9. Idem dicendum de spuriis, num.10.

Illegitimi aliqui laudabiliter in muniis Ecclesiasticis procedunt, num.11. Illegitimi & spurii, quia pauperiores, facilius ad Capellanias fundatoris consanguineos vocantes admittendi, num.12.

Illegitimi respectu matris, de familia, parentela, & sanguine dicuntur, dummodo non ex damnabili copula nati, num.13.

An quando concurrunt legitimi, & illegitimi, & illegitimus sit proximior, debeat præferri. Prima sententia affirmat, num.14. negat altera, num.15. & ut probabilior defenditur, num.16. Limitatur, num.17.

Legitimati admittuntur ad Capellaniam, licèt à Sæculari Principe legitimentur, num.18.

An quando vir, & uxor in eodem instrumento fundarunt Capellaniam, præferatur qui est de linea viri? Prima sententia asserit esse dividendam, num.19. Secunda affirmat, esse præferendum consanguineum mariti, num.20. Comprobatur, num.21. Tertia dicit æqualiter esse admittendos, num.22. Resolvitur, à num.23. & seqq.

Disceptatur quando non constat, an vir, & uxor voluerint facere duas Capellanias, sint duæ, aut una? Aliqui dicunt esse duas, num.27. Sed in Capellania Ecclesiastica contrarium tenendum, à num.28.

Si Capellania est juris Patronatus, & persona certa consanguinea est vocata, non indiget præsentatione, n.31.

Consanguinitatis proximitas in Capellaniis computatur à fundatore, non ab ultimo possessore, num.33. Sed negant alteri, num.34. Resolvitur pro prima sententia, num.35.

In laicalibus Capellaniis ubi non adest consuetudo succedendi in modum majoratus, idem dicendum, num.36.

Si Capellania fundetur per modum majoratus, ab ultimo possessore est computanda, num.37. & idem si testator dicat, Ultimus Capellanus eligat successorem, *n.38.*

An computum gradus cōsanguinitatis in Capellaniis sit faciendum de Iure Civili, aut Canonico, à n.39. Prima sententia asserit faciendum juxta Ius Canonicum, n.40. Secunda sententia negat, num.41. Tertia distinguit, n.42. Resolvitur, à num.43.

Consanguinitas quando probanda, est difficilis probationis, & per conjecturas probatur, num.48.

Hæc probatio ad Capellaniam sufficit quod fiat in genere, n.49. Nisi adsit concursus consanguineorum, aut gradus petatur, num.50.

Quando hæc probatio facienda est per testes, debent deponere clarè, & distinctè, num.51. & admittuntur testes de auditu, num.52. Sed an sint necessariæ qualitates textus in cap.47. de testibus, *negant plures, num.53. Aliquas admittunt alii, num.54.*

Sed quomodo id intelligendum in Capellaniis, n.55. & seqq. & Quod si antiquitas non sit, tunc testes de auditu non sufficiunt, num.58. Explicatur dictum capus 47. de testibus, *num.59.*

An quando in Capellaniis probandus est certus gradus, requirantur qualitates illius textus? Sunt tres sententiæ, à num.60. Resolvitur, à num.62.

Probatur consanguinitas per famam, num.65. per nominationem, num.66. per instrumenta, num.67. per verba enunciativa, n.68. per libros Baptismi, num.69.

An Commissarius datus ad fundandam Capellaniam, possit consanguineos excludere? Negativo respondetur, à n.70. & explicatur, à num.72.

Aliquando potest præsentari, & institui extraneus, quando non sunt consanguinei; vel remotior, si proximior non appareat, nec poterunt amoveri, num.74.

1 Deinde in hac materia disquirenda est quæstio illa difficilis, an quando quis vocaverit ad Capellaniam consanguineos de sua parentela, genere, seu familia, etiam illegitimi vocati censeantur, si aliàs habeant dispensationem ad illam obtinendam? Prima sententia asserit admittendos esse, quia vocati censentur. Ducitur, nam verba non solùm civiliter, sed etiam naturaliter sumuntur, & sunt intelligenda secundùm communem usum loquendi, qui quidem sub his nominibus etiam illegitimos comprehendit. Bart. *in leg. Pronunciatio*, §. *Familia*, *de verbor. signific. & in l. fin. eod. tit.* ubi Salic. Bald. *lib.3. cons.441. num.1. vers. In contrarium*, Socin. *lib.3. cons.102. num.8.* Cephalus *lib.4. cons.59. num.4.* Ergo in simili Capellaniarum vocatione etiam illegitimi comprehensi videntur.

2 Cæterùm isti illegitimi de domo, vel familia intelliguntur in his Provinciis, ubi nobilitas, & arma familiæ illis communicantur, ut in Hispania observat cum aliquibus Azevedus *cons.24. num.29.* Rota relata à Leone *d. praxi 6. num.164.* Garcia *de benef. 7. part. cap.15. num.46.* quare saltem in his Ditionibus ad Capellanias in præsentiarum vocati censentur. Quamobrem Rodriguez *in Summ. tom.1. cap.106. n.8.* scripsit, quod si quis ad Capellaniam vocaverit unum de familia, ex defectu legitimorum poterit illegitimus eligi, vel præsentari: sic tenuit Rota apud Leonem *d. praxi 6. n.163.* Azevedus *cons.24. à n.22.* Guttierr. *cons.3. num.10.* Garcia *d. 7. part. cap.15. num.52.* Palao *dict. disp.4. punct.9. n.11. vers. Secundum*, Castillo *controversiarum lib.5. cap.61. n.31. vers. Quod si.*

3 Secunda sententia tenet contrarium, nam illegitimi non sunt de familia, casata, seu stirpe, *leg. Spurius 4. ff. und. cognat.* nec appellatione filiorum veniunt illegitimi, *leg. Filium 6. ff. de his qui sunt sui*, *leg. Generaliter 6. §. Cùm autem, Cod. de instit. & substitut.* Cevallos *quæst.164.* Fachineus *controvers. lib.4. cap.52.* Ergo nequeunt comprehendi in hac vocatione. Cæterùm quando vocantur consanguinei de familia, aut stirpe ad Capellaniam, non solùm vult fundator, ut opus pium adimpleatur, sed decorem illius familiæ, aut stirpis: quoties verò prospicitur decor, & honor familiæ, non admittuntur illegitimi, prout videre est in majoratibus. Gregorius *in l.2. tit.15. part. 2. verb. Sino el hijo mayor.* Molina *de primog. lib.1. cap.4. num.46.* Mena *variar. lib.1. quæst.16. num.13.* Barbosa *de appellat. verb.99. num.14.* Quamobrem idem dicendum est in Capellaniis habentibus similes vocationes. Denique nam quando aliqui vocantur de stirpe, vel familia, verba sunt civilia, quæ minimè illegitimos admittunt, verùm eos tantùm qui ex justis nuptiis procreati sunt: ergo exclusi censentur in his Capellaniis illegitimi, nec poterunt admitti. Rota *5. part. recent. decis. 616. n.2.* alia Rota apud Garciam *d. cap.15. n.48.* Navarrus *cons.4. de jur. Patronat.* Leon *d. praxi 6. num.162.*

4 Tertia sententia dicit, quæstionem esse voluntatis defuncti, quapropter standum est conjecturis, an ex vocatione illa velit fundator vocare tantùm legitimos, quod est cognoscendum ex ignorantia, facto, aut aliis modis. Barbos. *lib.3. vot.98. num.54.*

5 Quarta sententia aliquos adducit dicentes, prospicienda esse verba vocationis; nam si sunt civilia, veluti *De familia, casata, aut stirpe*, tunc illegitimi non admittuntur; secus autem si per verba naturalia fundator loquatur, veluti si ad Capellaniam vocet consanguineos, quia tunc illegitimi vocati censentur; de jure enim naturali etiam sunt consanguinei, *leg. Iura sanguinis, ff. de regul. jur. l.3. ff. de interdict. & relegat.* Hanc distinctionem admittunt Navarr. *d. cons.4.* Rota apud Leonem *d. praxi 6. n.162.* Peregrinus *de fideicom. art.22. num.85.* Garcia *d. cap.15. n.39.* Lara *dict. cap.2. num.25.* Palao *d. punct. 9. num.12.*

6 Sed in hoc dubio illud in primis observandum, quod si extent conjecturæ, unde cognoscatur voluntas fundatoris, illa ad unguem erit adimplenda, ut benè considerat Barbosa *d. vot.98. à num.14.* veluti quando ipse primum filium illegitimum ad Capellaniam vocaverit, aut quando fundator fuisset persona idiota, quæ minimè comprehenderet vim verborum civilium; quin potiùs credendum solùm naturaliter intellexisse, vel ex consuetudine illa verba *de stirpe*, aut *de familia*, etiam illegitimos comprehendere: ipse Barbosa

bosa

non nominaverit fundator, aut proximiorem, ejus erit voluntas, ut ex consanguineis dignior eligatur, non servata gradus prærogativa.

41 Unde à fortiori asserendum, observandam esse hanc sententiam, si dicat fundator, *Eligatur consanguineus de sua familia*, non addendo qualitatem proximitatis; mens enim ejus est, ut tunc sufficiat ex familia aliquem eligere. Sylva *de qualitat. Prælat. num.* 37.

42 In his Capellaniis Ecclesiasticis illud observandum, ut si descendentes vocentur ad illas, cùm tamen in eis non tractetur de conservanda agnatione, si fortè duo concurrant in eodem gradu, non præferatur qui ex linea masculina descendit, sed in utraque linea proximior præfertur, rejecta hac differentia, *l. Maximum vitium, Cod. de lib. præterit.* Garcia *d. 7. part. cap.* 15. *n.* 21. Palao *dict. tract.* 13. *punct.* 9. *disp.* 4. *num.* 7. Si tamen duo concurrant in eodem gradu, is præfertur, qui à majore parte Patronorum præsentetur, aut dignior fuerit, data vocum æqualitate. Garcia *d. 7. part. cap.* 15. *num.* 21. Cevallos *qu.* 265. *n.* 25. Lara *d. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 33. Sylva *de qualit. Prælat. num.* 45.

43 Est tamen breviter discutienda doctrina Cevallos *dict. quæst.* 265. *n.* 24. asserentis, quod si duo consanguinei sint in pari gradu, & ejusdem qualitatis, Capellania est inter eos dividenda pro vita eorum: quæ quidem si laicalis sit, admitto illius sententiam; nam in eis observatur jus majoratus ex consuetudine, in quibus divisio fit pro vita, quoties duo concurrunt in eodem gradu, *leg.* 2. §. *Hæreditas, ff. de suis & legitimis hæredibus, leg. Cùm inter, Cod. de fideicomm. l.* 2. *tit.* 33. *part.* 7.

44 Si tamen Capellania sit Ecclesiastica, secus dicendum; nam Beneficii nequit fieri divisio, nec potest conferri, aliqua illius facta diminutione, *ut in Rub. Ut Ecclesiastica benef. absque diminut. conferant. cap. Dilecto* 25. *cap. Vacante* 26. *cap. Eam causam* 36. *de Præbend.* Rota 1. *part. diversor. decis.* 454. *num.* 6. quod etiam observatur in minoribus Beneficiis, *d. cap. Dilecto* 25. Cùm ergo Capellania Ecclesiastica sit Beneficium, nequit dividi inter duos, etiamsi sint in pari gradu. Tum quia in Beneficiis quasi contrahitur matrimonium, nempe spirituale, *cap.* 2. *de postulat. Prælat.* & sicut unus homo nequit habere plures uxores, nec uxor duos maritos, *cap. Gaudemus* 8. *de divort. cap.* 3. & 4. *de sponsa duorum:* similiter nec una Capellania duos Capellanos. Lara *d. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 27. Garcia *d. cap.* 15. *num.* 22. Sylva *de qualit. Prælat. num.* 44.

45 Sed quid dicendum quando concurrunt duo consanguinei, & unus est utrimque conjunctus, an iste sit præferendus? Et in primis illud est certum, quod si utrimque conjunctus sit proximior, iste est præferendus: si verò remotior, minimè, sed proximior, licèt consanguineus sit ex uno tantùm latere, ex eo quod proximior magis dilectus censetur. Si tamen in æquali gradu existant, præferendus est utrimque conjunctus, quia id præsumitur ex voluntate fundatoris, cùm magis dilectus censeatur ex duplici sanguinis conjunctione, *Authent. Itaque, Cod. commun. de success.* Gomez *in leg.* 8. *Tauri, num.* 9. Angulo *de melior. in leg.* 11. *gloss.* 8. *num.* 4. Menochius *volum.* 1. *consil.* 187. *num.* 4. Quapropter in Capellaniis similiter præfertur. Cevallos *qu.* 761. *à num.* 69. Guzm. *verit. jur.* 24. *n.* 7. & 8. Lara *d. lib.* 2. *cap.* 3. *à num.* 31. qui *num.* 34. id extendit ultra filios fratrum. Garc. *d. cap.* 15. *n.* 22. Sylva *de qualit. Prælat. n.* 31. Castillo *lib.* 5. *controv. cap.* 67. *n.* 29. *vers. Tertiò principaliter.* Rojas *de incompat.* 1. *part. cap.* 6. *num.* 262.

46 Cæterùm fundator aliquando solùm consanguineos descendentes vocat, & tunc nequeunt admitti collaterales; nam ex eo quod solùm vocet descendentes, intelligitur tantùm de his quæ sint de linea effectiva, non verò contentiva, quin isti exclusi censentur. Idem dicendum quando fundator dicat vocare consanguineos de sua linea, aut in casu tertiæ personæ, vocando descendentes suæ lineæ; nam pronomen *meum*, aut *suum*, importat relationem ad personam disponentem, vel illius personæ in qua disponitur, *leg. Qui liberis*, §. *Hæc verba, ff. de vulgar.* non verò ad alios collaterales de linea contentiva. Lara *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 9. Leon *de offic. Capell. quæst.* 4. *praxi* 6. *num.* 143. Fusar. *de substitut. quæst.* 345. *num.* 6. Jul. Capon. *tom.* 1. *discept.* 37. *num.* 7.

47 Idem dices si hæc pronomina non apponat, verùm dicat, *Præsententur qui sunt de linea fundatoris ipsius:* quia genitivus *fundatoris*, cum dictione *de*, denotat originem lineæ, ac perinde est ac si vocaret suos descendentes. Capic. *decis.* 159. *n.* 6. Menochius *cons.* 924. *n.* 1. Lara *d. cap.* 2. *n.* 12. Leon *d. qu.* 4. *praxi* 3. §. 2. *cap.* 1. *n.* 79.

48 Si verò fundator vocasset simpliciter lineam domus hæredis, vel Petri, tunc non solùm descendentes intelligentur, sed etiam transversales. Menochius *d. cons.* 924. *n.* 12. Fusar. *de substit. qu.* 345. *num.* 13. Quod idem dices quando linea vocatur, attamen vocatio nequit verificari in linea effectiva descendentium, veluti si fundator non haberet filios, & incapax fuerit illorum; quia necessariò debent intelligi, ne alliàs dispositio redderetur inutilis, *l. fin. C. de posth. hæredib. instit.* Covarr. *cons.* 659. *n.* 6. Fusar. *dict. quæst.* 345. *num.* 11. & 14. Lara *d. cap.* 2. *num.* 20. Capponi *tom.* 3. *disceptat.* 149. *à num.* 10.

49 Similiter transversales intelligentur, si fundator vocaverit lineam agnationis, aut lineam masculinitatis. Barbosa *de appellat. verb.* 135. *à n.* 1. qui *num.* 9. asserit, vocatos esse transversales, quoties fundator in linea intellexisset eos, prout intellexerat in alio testamento. Fusarius *d. quæst.* 345. *num.* 20. Lara *d. cap.* 2. *num.* 23. idem tenebis si vocaverit consanguineos de mea parentela, vulgò *linage*; tunc enim etiam transversales intelliguntur, ex communi usu loquendi, *l. fin. tit.* 6. *part.* 4. Quod maximè attendendum in his verborum interpretamentis, *leg. Habeo, vers. Non enim, ff. de supellect. legat. leg. Cùm de lanionis*, §. *Asinam, ff. de fund. instruct.* Marescotus *variarum lib.* 1. *cap.* 94. *num.* 5.

50 In Capellaniis ubi tantùm vocati sunt descendentes, quæritur an illis deficientibus necessariò præferendi sint transversales, vel quasi extranei reputandi? Et affirmandum videtur, quasi extraneos esse reputandos; nam ex eo quod tantùm descendentes vocati sunt, exclusi, & quasi extranei à testatore habiti sunt. Ergo.

51 Sed contrarium tenendum, nam quando descendens vocatur de linea effectiva, non transversales, nisi quando descendentes adsunt; si tamen non extent, ex verisimili fundatoris voluntate admittuntur ut magis dilecti, quàm extranei: ergo necessariò sunt admittendi, extraneis exclusis. Cæterùm linea effectiva in favorabilibus includit contentivam, illa deficiente. Prætis *de interpretat. ultimarum voluntat. lib.* 3. *interpret.* 3. *dub.* 1. *solut.* 11. *num.* 43. Cùm ergo causa ista sit favorabilis, vocati censentur transversales, quasi contenti in linea effectiva. Denique est alia præsumptio in concurrentia transversalium, & extraneorum, nempe dilectionis; credendum est enim, fundatorem in occurrentia illa magis velle admittere transversalem, quàm extraneum, cùm illum magis diligat, *leg. Non solùm* 67. §. 1. *de rit. nuptiar. cap. Litteras* 14. *de præs.* Menochius *cons.* 62. *num.* 17. Mascardus *de probat. conclus.* 462. *n.* 8. Valenzuela *cons.* 130. *num.* 52. Ergo si adsint transversales, hi necessariò extraneis sunt præferendi. Lara *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 23. Leon *quæst.* 4. *praxi* 6. *num.* 144. Valenzuela *cons.* 103. *num.* 32.

52 Prorsus in Capellania vocante consanguineos discutere oportet, an si concurrant descendentes remotiores cum collateralibus proximioribus, præferendi sint descendentes? Et negandum videtur, quia cùm descendentes, & collaterales indiscriminatim fuerint vocati, quivis eorum proximior inveniatur, erit præferendus.

53 Sed contrarium tenendum, nempe descendentem etiam in remotiori gradu præferendum: ratio est, nam descendentes in qualibet dispositione ex verisimili conjectura mentis disponentis excepti videntur, ut sint potioris conditionis, *leg. Cùm avus* 101. *ff. de condit. & demonstrat. leg. Cùm acutissimi* 30. *C. de fideicomm. leg. Generaliter* 6. §. *Cùm autem, C. de institut. & substit.* Gomez *variar.* 1. *tom. cap.* 5. *num.* 40. Molina *de primogen. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 42. Ergo licèt transversalis sit propinquior, adhuc descendens remotior præferetur. Cæterùm in concurrentia non habetur ratio collateralium, si adsint descendentes, etiam longissimi gradus. Alvarad. *de conjectur. ment. defunct. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 6. Fusar. *de substit. quæst.* 321. *num.* 4. & *qu.* 393. *n.* 83. Ergo semper sunt præferendi descendentes etiam remotioris gradus in Capellaniis, Cevallos *quæst.* 702. *n.* 3. Leon *dict. quæst.* 4. *praxi* 6. *num.* 143. Barbosa 2. *tom. vot.* 98. *num.* 42. Sylva *d. tract. num.* 38.

CA-

CAPUT VIII.

Prosequitur materia antecedens.

SVMMARIVM.

An quando fundator vocat consanguineos de sua parentela, genere, seu familia, etiam illegitimi vocentur? Prima sententia affirmat, num.1. & 2. secunda negat, num.3. tertia asserit standum conjecturis, n.4. quarta distinguit, n.5. resolvitur, à num.6.

Filii naturales illegitimi, ad Capellanias vocantes eos qui sunt de familia, & stirpe, sunt admittendi, num.9. Idem dicendum de spuriis, num.10.

Illegitimi aliqui laudabiliter in muniis Ecclesiasticis procedunt, num.11. Illegitimi & spurii, quia pauperiores, facilius ad Capellanias fundatoris consanguineos vocantes admittendi, num.12.

Illegitimi respectu matris, de familia, parentela, & sanguine dicuntur, dummodo non ex damnabili copula nati, num.13.

An quando concurrunt legitimi, & illegitimi, & illegitimus sit proximior, debeat praeferri. Prima sententia affirmat, num.14. negat altera, num.15. & ut probabilior defenditur, num.16. Limitatur, num.17.

Legitimati admittuntur ad Capellaniam, licèt à Saeculari Principe legitimentur, num.18.

An quando vir, & uxor in eodem instrumento fundarunt Capellaniam, praeferatur qui est de linea viri? Prima sententia asserit esse dividendam, num.19. Secunda affirmat, esse praeferendum consanguineum mariti, num.20. Comprobatur, num.21. Tertia dicit aequaliter esse admittendos, num.22. Resolvitur, à num.23. & seqq.

Disceptatur quando non constat, an vir, & uxor voluerint facere duas Capellanias, sint duae, aut una? Aliqui dicunt esse duas, num.27. Sed in Capellania Ecclesiastica contrarium tenendum, à num.28.

Si Capellania est juris Patronatus, & persona certa consanguinea est vocata, non indiget praesentatione, n.31.

Consanguinitatis proximitas in Capellaniis computatur à fundatore, non ab ultimo possessore, num.33. Sed negant alteri, num.34. Resolvitur pro prima sententia, num.35.

In laicalibus Capellaniis ubi non adest consuetudo succedendi in modum majoratus, idem dicendum, num.36.

Si Capellania fundetur per modum majoratus, ab ultimo possessore est computanda, num.37. & idem si testator dicat, Ultimus Capellanus eligat successorem, *n.38.*

An computum gradus cōsanguinitatis in Capellaniis sit faciendum de Iure Civili, aut Canonico, à n.39. Prima sententia asserit faciendum juxta Ius Canonicum, n.40. Secunda sententia negat, num.41. Tertia distinguit, n.42. Resolvitur, à num.43.

Consanguinitas quando probanda, est difficilis probationis, & per conjecturas probatur, num.48.

Haec probatio ad Capellaniam sufficit quod fiat in genere, n.49. Nisi adsit concursus consanguineorum, aut gradus petatur, num.50.

Quando haec probatio facienda est per testes, debent deponere clare, & distinctè, num.51. & admittuntur testes de auditu, num.52. Sed an sint necessaria qualitates textus in cap.47. de testibus, *negant plures, num.53. Aliquas admittunt alii, num.54.*

Sed quomodo id intelligendum in Capellaniis, n.55. & seqq. & Quod si antiquitas non sit, tunc testes de auditu non sufficiunt, num.58. Explicatur dictum caput 47. de testibus, *num.59.*

An quando in Capellaniis probandus est certus gradus, requirantur qualitates illius textus? Sunt tres sententiae, à num.60. Resolvitur, à num.62.

Probatur consanguinitas per famam, num.65. per nominationem, num.66. per instrumenta, num.67. per verba enunciativa, n.68. per libros Baptismi, num.69.

An Commissarius datus ad fundandam Capellaniam, possit consanguineos excludere? Negative respondetur, à n.70. & explicatur, à num.72.

Aliquando potest praesentari, & institui extraneus, quando non sunt consanguinei; vel remotior, si proximior non appareat, nec poterunt amoveri, num.74.

DEinde in hac materia disquirenda est quaestio illa diffi- 1
cilis, an quando quis vocaverit ad Capellaniam consanguineos de sua parentela, genere, seu familia, etiam illegitimi vocati censeantur, si aliàs habeant dispensationem ad illam obtinendam? Prima sententia asserit admittendos esse, quia vocati censentur. Dicitur, nam verba non solùm civiliter, sed etiam naturaliter sumuntur, & sunt intelligenda secundùm communem usum loquendi, qui quidem sub his nominibus etiam illegitimos comprehendit. Bart. *in leg. Pronunciatio, §. Familia, de verbor. signific. & in l. fin. eod. tit.* ubi Salic. Bald. *lib.3. cons.441. num.1. vers. In contrarium,* Socin. *lib.3. cons.102. num.8.* Cephalus *lib.4. cons.59. num.4.* Ergo in simili Capellaniarum vocatione etiam illegitimi comprehensi videntur.

Caeterùm isti illegitimi de domo, vel familia intelligun- 2
tur in his Provinciis, ubi nobilitas, & arma familiae illis communicantur, ut in Hispania observat cum aliquibus Azevedus *cons.24. num.29.* Rota relata à Leone *d. praxi 6. num.164.* Garcia *de benef. 7. part. cap.15. num.46.* quare saltem in his Ditionibus ad Capellanias in praesentiarum vocati censentur. Quamobrem Rodriguez *in Summ. tom.1. cap.106. n.8.* scripsit, quod si quis ad Capellaniam vocaverit unum de familia, ex defectu legitimorum poterit illegitimus eligi, vel praesentari: sic tenuit Rota apud Leonem *d. praxi 6. n.163.* Azevedus *cons.24. à n.22.* Guttierr. *cons.3. num.10.* Garcia *d. 7. part. cap.15. num.52.* Palao *dict. disp.4. punct.9. n.11. vers. Secundum,* Castillo *controversiarum lib.5. cap.61. n.31. vers. Quod si.*

Secunda sententia tenet contrarium, nam illegitimi non 3
sunt de familia, casata, seu stirpe, *leg. Spurius 4. ff. und. cognat.* nec appellatione filiorum veniunt illegitimi, *leg. Filium 6. ff. de his qui sunt sui, leg. Generaliter 6. §. Cùm autem, Cod. de instit. & substitut.* Cevallos *quaest.164.* Fachineus *controvers. lib.4. cap.52.* Ergo nequeunt comprehendi in hac vocatione. Caeterùm quando vocantur consanguinei de familia, aut stirpe ad Capellaniam, non solùm vult fundator, ut opus pium adimpleatur, sed decorem illius familiae, aut stirpis: quoties verò prospicitur decor, & honor familiae, non admittuntur illegitimi, prout videre est in majoratibus. Gregorius *in l.2. tit.15. part.2. verb. Sino el hijo mayor.* Molina *de primog. lib.1. cap.4. num.46.* Mena *variar. lib.1. quaest.16. num.13.* Barbosa *de appellat. verb.99. num.14.* Quamobrem idem dicendum est in Capellaniis habentibus similes vocationes. Denique nam quando aliqui vocantur de stirpe, vel familia, verba sunt civilia, quae minimè illegitimos admittunt, verùm eos tantùm qui ex justis nuptiis procreati sunt: ergo exclusi censentur in his Capellaniis illegitimi, nec poterunt admitti. Rota *5. part. recent. decis. 616. n.2.* alia Rota apud Garciam *d. cap.15. n.48.* Navarrus *cons.4. de jur. Patronat.* Leon *d. praxi 6. num.162.*

Tertia sententia dicit, quaestionem esse voluntatis de- 4
functi, quapropter standum est conjecturis, an ex vocatione illa velit fundator vocare tantùm legitimos, quod est cognoscendum ex ignorantia, facto, aut aliis modis. Barbos. *lib.3. vot.98. num.54.*

Quarta sententia aliquos adducit dicentes, prospicienda 5
esse verba vocationis; nam si sunt civilia, veluti *De familia, casata, aut stirpe,* tunc illegitimi non admittuntur; secus autem si per verba naturalia fundator loquatur, veluti si ad Capellaniam vocet consanguineos, quia tunc illegitimi vocati censentur; de jure enim naturali etiam sunt consanguinei, *leg. Iura sanguinis, ff. de regul. jur. l.3. ff. de interdict. & relegat.* Hanc distinctionem admittunt Navarr. *d. cons.4.* Rota apud Leonem *d. praxi 6. n.162.* Peregrinus *de fideicom. art.22. num.85.* Garcia *d. cap.15. n.39.* Lara *dict. cap.2. num.25.* Palao *d. punct.9. num.12.*

Sed in hoc dubio illud in primis observandum, quod si 6
extent conjecturae, unde cognoscatur voluntas fundatoris, illa ad unguem erit adimplenda, ut benè considerat Barbosa *d. vot.98. à num.14.* veluti quando ipse primum filium illegitimum ad Capellaniam vocaverit, aut quando fundator fuisset persona idiota, quae minimè comprehenderet vim verborum civilium; quin potiùs credendum solùm naturaliter intellexisse, vel ex consuetudine illa verba *de stirpe, aut de familia,* etiam illegitimos comprehendere; ipse Barbosa

bosa nbi proximè, *num.*55. In his ergo casibus ad Capellaniam illegitimi sunt admittendi.

7 Aliæ verò sunt conjecturæ ad excludendos illegitimos, veluti quando fundator tractaret in fundanda Capellania de splendore familiæ, aut quando fundator fuisset fœmina illustris, aut Prælatus Ecclesiasticus; tunc enim ex suis descendentibus non admitteretur illegitimus, credendum namque est, similes personas nolle suas familias illegitimis deturpare. Peregrinus *d. art.*22. *n.*84. Barbosa *dict. appell.* 99. *num.*22. His enim, aut aliis existentibus conjecturis, unde capiamus voluntatem fundatoris, illam observare debemus.

8 Disceptatio enim est, quando nullæ adessent conjecturæ, nec ex illis capitur voluntas fundatoris: quo quidem casu, si tantùm consanguineos vocaverit, communis doctrina est, illegitimos esse admittendos ad Capellaniam, quod quidem admitto, si nullus legitimus adstaret; in concurrentia enim legitimi semper sunt præferendi. Garcia *dict. cap.*15. *num.*53. Si verò vocationes fecerit per verba civilia, veluti si dicat, *de familia, stirpe, aut domo*, ut explicat Menoch. *lib.*4. *præsumpt.*88. *per tot.* admitto doctrinam illorum asserentium, deficientibus legitimis, etiam illegitimos, sive naturales, sive spurios, esse admittendos: & ducor, quia illa est optima interpretatio voluntatis fundatoris, quæ percipitur ex natura actus ipsius ab eo præcepti: cùm ergo Capellania non fiat ad conservandam familiam, & ad ejus splendorem, sed tantùm ex natura rei ad obeunda onera sacra, quilibet de familia, sive legitimus, sive illegitimus, qui sit capax ad illa exercenda, vocatus censebitur, ut benè ratiocinatur Barb. *d. vot.*98. *num.*60.

9 In filiis illegitimis naturalibus facilè probatur, quia isti à multis satis probabiliter, etiam in sensu civili, de sanguine vocantur. Mieres *de majorat.* 2. *part. quæst.*2. *num.*22. & de familia. Alciat. *in l. Liberorum*, *ff. de verbor. signific.* Mieres *d. quæst.*2. *num.*27. & quando agitur de aliquo favore, & commodo in æquitate fundato, sub nomine filiorum etiam naturales comprebenduntur. Guttierrez *lib.*3. *pract. q.*82. *num.*6. Tum de jure Regio etiam cum aliis consanguineis ad retractum admittuntur. Azevedus *cons.*24. *num.*25. Spino *de testam. gloss.*16. *num.*29. Parlador. *diff.*109. §.3. *n.*11. & in Hispania nobilitate parentum condecorantur. Molin. *de justit. tract.*2. *disp.*165. unde facilè cognoscitur, ad Capellanias, etiamsi vocentur qui sunt de familia, stirpe, aut domo, naturales filios esse admittendos. Capponi *tom.*3. *discept.*149. *à num.*9.

10 De spuriis major erit difficultas, cùm valde in jure sint odiosi. Tiraquellus *de nobilit. cap.*15. *à num.*25. Spino *de testam. gloss.*16. *à num.*25. Albert. Trot. *de vero, & perfecto Clerico*, *lib.*2. *cap.*1. *&* 2. & in effectu à similibus Capellaniis excludendos asseruit Azevedus *d. cons.*24. *num.*37. Sed tamen contrarium tenendum, nam data capacitate ex dispensatione Pontificis ad obeunda munera sacra, & ad obtinendum Beneficium, in causis piis dispositiones intelliguntur non secundùm Juris Civilis scrupulositates, sed in sensu naturali, prout jam dictum est *ex cap. Relatum, de testam.* Cùm ergo in sensu naturali spurii comprebendantur sub nomine familiæ, stirpis, aut domus, vel consanguinitatis, quia revera de illis sunt, sequitur in vocatione illa comprehensos esse.

11 Præterea data capacitate, illegitimi, quamvis spurii, in Ecclesiasticis dignitatibus, & officiis quamplurimi rectè procedunt, & sæpiùs magis clarè quàm legitimi. Cardinalis Paleotus *de noth. & spuriis*, qui plures laudat, Bern. Diez *in praxi*, *cap.*14. *à num.*1. ubi Salcedo *lit. B*, ipsum Bernardum doctissimum, & præclarum illegitimum laudavit. Nos tamen minimè prætermittemus, Illustrissimum Dominum D. Joannem de Palafox & Mendoza, Oxomensem Episcopum illegitimum, verùm legitimum filium sanctitatis, & eloquentiæ, qui hac nostra tempestate, quando tam facilè homines ad vitia prolabuntur, ipse tanquam clarissimum jubar resplenduit, non tantùm sibi, verùm etiam omnibus, quos non solùm exemplo, verùm delicatissimis libris præclarissimè edocuit. Ergo minimè à Capellaniis excludendi sunt etiam spurii.

12 Denique fundatores Capellaniarum non solùm intendunt munera illa sacra, sed etiam alere pauperem consanguineum de sua familia; qui enim magis pauperes, quàm spurii, qui cùm legitimis, & omnibus successionibus careant, ferè inopia premuntur: quapropter piè credendum, fundatores voluisse etiam spurios admittere. Cevallos *quæst.*762. *num.*24. Sylva *de qualit. prælat. num.*122. Gonzalez *ad reg.*8. *gloss.*5. *à num.*123. Castillo *controv. lib.*5. *cap.*67. *à n.*31. *vers. Tertio principaliter.*

Si verò sit mulier, quæ Capellaniam fundaverit, vocan- 13
do consanguineos de sua familia, etiam illegitimi, si tantùm eos habuisset, admittuntur; quia respectu matris, de familia, parentela, seu sanguine dicuntur, *l. Si spurius* 4. *l. Modestinus, ff. unde cognat.* dummodo non sint de damnabili copula. Spino *d. gloss.*16. *num.*61. Garcia *d. cap.*15. *n.*52. quod citra dubium admittendum in nostra sententia. Cùm Garcia verò *num.*53. non desinam animadvertere, filios, aut descendentes legitimos, procedentes ex his spuriis, aut illegitimis, seu naturalibus, ad Capellaniam admittendos esse: quod admitto etiamsi fundator diceret consanguineos vocare de familia, vel stirpe, cùm in nostra sententia patres admittantur: ergo multò meliùs filii eorum legitimi, aut descendentes. Cevallos *quæst.*762. *à num.*39.

Est verò dubium, an quando concurrunt illegitimus, & 14
legitimus, proximior autem ille, iste verò remotior, quisnam sit præferendus? Prima sententia dicit, illegitimum proximiorem præferendum; nam ex eo quod omnes sint vocati ad Capellaniam, pariter legitimi, & illegitimi, si illegitimus proximior est, iste præferetur, ut tenet Azevedus *d. cons.*24. *n.*36. *ad fin.* Leon *d. quæst.*4. *praxi* 6. *num.*164. Garcia *d. cap.*15. *n.*53. *ad fin.*

Secunda sententia contrà tenet, quia legitimus, quam- 15
vis sit remotior, nobilior est quàm illegitimus, quapropter vincet illegitimum, quamvis proximiorem. Cæterùm si æqualiter vocarentur legitimi, & illegitimi, sequeretur ut concurrentibus in eodem gradu legitimo, & illegitimo, posset præferri illegitimus: quod dicendum non est. Ergo dicendum non est, proximiorem illegitimum præferendum esse remotiori legitimo. Rodriguez *in Summa*, *tom.*1. *cap.*106. *num.*8. *ad fin.* Palao *dict. punct.*9. *num.*13. *vers. Cæterum oppositum.*

Hanc ultimam sententiam uti probabiliorem admitto; 16
nam quoties vocantur illegitimi, & legitimi consanguinei, non æquali modo vocati censentur, sed inæqualiter, nempe ut priùs admittantur legitimi, si adsint, & in subsidium illegitimi. Peregrinus *de fideicomm. art.*22. *n.*89. Guttierrez *practic. lib.*2. *quæst.*67. *n.*4. idcircò licèt legitimus sit remotior, præferendus est proximiori illegitimo.

Tempero tamen assertum, si illegitimus sit de descenden- 17
tibus, & legitimus de transversalibus; tunc enim præferendus est illegitimus: nam ut diximus suprà, linea effectiva semper contentivæ præfertur: itaque cùm inveniatur in linea nobiliori, & insimul sit proximior, semper est præferendus.

Legitimati si habeant dispensationem à Pontifice, & ab 18
eo restituti sunt natalibus, ad Capellaniam admitti debent. Quod alii probabiliter tenent, etiamsi à Principe Sæculari legitimarentur; nam esto Sæcularis non possit legitimare quoad Beneficia, vel alia spiritualia: legitimat tamen, ut fiat de familia, parentela, vel consanguinitate; unde redditur capax ad Capellaniam vocantem consanguineos de familia, vel parentela. Garcia *d. cap.*15. *num.*46. Palao *dict. punct.*9. *num.*11. Gomez *in l.*9. *Tauri*, *num.*66. Molina *de primog. lib.*1. *cap.*4. *num.*44. Azevedus *in leg.*6. *tit.*8. *lib.*5. *Recopilat. num.*4.

Adest verò dubium grave, an quando maritus, & uxor 19
fundarunt Capellaniam, & suos vocarunt consanguineos, præferendi sint qui sunt ex linea mariti. Cevallos *qu.*265. *à num.*13. istum casum de facto disputat, cùm in ea causa adesset advocatus: asserit verò Capellaniam esse dividendam, & dat rationem, quia si maritus, & uxor in eadem charta testamentum conficiant, duo testamenta censentur, quippe alter eorum potest revocare illud quandocumque voluerit. Parlador. *lib.*3. *quot. quæst.*7. Castillo *controv. lib.*2. *quæst.*18. *n.*7. Unde si primogenium conficiant, duo sunt majoratus. Larrea *decis. Granat.*60. *n.*11. Idcircò sunt duæ Capellaniæ, & poterunt dividi, ita ut consanguineus mariti dimidium percipiat, & alteram partem uxoris consanguineus. Et confirmatur, nam cùm duo sint testamenta, unusquisque videtur suo consanguineo providisse, argumento *ex l. Si plures* 10. §. *In adrogato*, *ff. de vulgar. cap. unic. de duob. fratrib. à consang. invest.*

In

20 In hac tamen sententia non residet, sed amplectitur decisionem Senatus Toletani, ubi Capellania adjudicata fuit consanguioeo mariti, *ex l. Cùm pater 77. §. A te peto marite, ff. de legat.* 2. ubi asseritur, ordinem Scripturæ esse observandum: quapropter cùm primùm in dicta Capellania in primis vocarentur consanguinei mariti, & posteà uaotis, illi fuerunt prælati; ordo enim litteræ prælationem dat, *leg. Quoties 34. ff. de usufruct.* ibi: *Si quidem ibi legatum fuit Titio, & Mævio, potest dici primus Titio, deinde Mævio legatum datum*, Lara *de Capell. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 47. Valasco *consult.* 121. *à n.* 3. Valenz. *cons.* 63. *n.* 113. Castillo *controv. lib.* 2. *c.* 26. *n.* 5. Sylva *de qualit. prælat. à n.* 7.

21 Præterea comprobatur ex doctrina Gregorii *in leg.* 2. *tit.* 15. *part.* 2. *verb. El mas propinquo, quæst.* 5. ubi asserit, quod si vir & uxor in eodem instrumento majoratum instituant, quibusdam in primis vocatis, & posteà proximioribus: si tamen duo proaimiores concurrant in eodem gradu, præferendum esse consanguineum ex parte viri, idque ex ordioe scripturæ: quod quidem argumentum in Capellania est admittendum, uti concludont Castillo *d. lib.* 5. *c.* 67. *à n.* 28. Palao *d. disput.* 4. *punct.* 9. *n.* 8. Capponi *tom.* 2. *discept.* tot. *num.* 4.

22 Garcia *de benef. d.* 7. *p. c.* 15. *n.* 22. contrarium tenet, nempè æqualiter consanguineos mariti, & uxori esse admittendos; dabitur enim locus gratificationi, ut qui majores babeat prærogativas gradus scientiæ, sit præferendus; quia textus *in d. §. A te peto*, non intelligitur, nisi quando propinqui vocantur per dictionem *sive*, quæ est disjuoctiva, Tuschus *lit. D. conclus.* 378. *à n.* 1. Menochius *lib.* 4. *præsumpt.* 82. *n.* 15. quapropter dat oidinem litteræ ad priorem vocationem, Clar. *verb. Testamentum, qu.* 80. *n.* 5. Alvaradus *de conject. ment. defunct. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 12. Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 7. Difficultas verò nostra est, quando oulla est disjunctio, sed æqualiter mariti, & uxoris vocantur consanguinei; quapropter locus erit gratificationi.

23 In hac difficultate dico, duobus modis posse virum, & uxorem Capellaniam in eadem charta efficere, ita ut potiùs duas quàm unam conficere videantur, idque expressim ostendendo, vel ex aliqua demonstratiooe, ot inde perpendamus magis duas, quàm unam Capellaniam efficere: de qua re Guttier. *cons.* 2. *à n.* 8. Et in hoc casu certum est, consanguineos viri præferendos in sua Capellania, prout mulieris in sua, Azevedus *cons.* 3. *n.* 14. *vers. Quartò*, Garcia nuperrimè allegatus, Cancerius 1. *p. var. c.* 1. *n.* 51.

24 Quando enim unica Capellania indivisibilis instituta est ab ipsis conjugibus, vocando utriusque consanguineos, Garciæ placitum admitto; nam cùm æqualiter consanguineos vocent, æquali affectione, & voto vocati censentur: quamobrem nulla inter eos erit prælatio, sed causa decidenda per gratificationis qualitates, idque dum fiot in eodem gradu; aliàs proximior admittetur, sive sit ex linea mariti, sive uxoris, ut conveniunt DD.

25 Nec contrà est doctrina Gregorii Lopez, quæ tantùm pressit Castillum *d. c.* 67. *n.* 28. *vers. Sed an ejus resolutio*: nam illa doctrina ea dictis incerta redditur, verùm si certam dicamus, responsionem suscipit; nam quando in majoratibus concurrunt duo proximiores in eodem gradn, unus ex parte viri, & alter ex parte mulieris, præferenda est linea viri, tanquam potior ad conservandam familiam, qood in majoratibus intenditur, Roman. *cons.* 474. Simon de Prætis *de interpret. ultim. volunt. lib.* 2. *interpret.* 3. *dub.* 2. *n.* 2. Molina *de primog. d. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 7. Castillo *controv. lib.* 2. *c.* 26. *à num.* 9. Idque volitum censetur, quando maritus, & uxor insimul majoratum instituissent, ut semper linea viri præferatur, in qua magis conservatur familia, ut benè considerat Noguer. *allegat.* 9. *n.* 20.

26 Ast in Capellania Ecclesiastica non intenditur familiæ conservatio, sed quod eligatur qui dignior sit ad munera sacra obeunda: quapropter noo est unde conjectemus, voluisse fundatores præferre lineam viri, sed æqualiter voluisse consanguineos utriusque conjugis vocare, & necessariò erit recurrendum ad causas gratificationis.

27 Sed restat majus dubium, an quando non constat voluisse conjuges unam Capellaniam indivisibilem adstruere, præsumatur una, an duæ? Gregorius *in d. l.* 2. *q.* 4. & præcipuè *q.* 5. videtur velle loquendo in majoratu, esse necessarium, ut testatores dicant eapresè velle tantum unum efficere, aliàs duo efficerentur. Idem tenet in primogeniis Oldradus *cons.* 174. Covarr. *in rub. de test.* 2. *p. n.* 8. Molina *de primog. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 84. Guttier. *in c. Quamvis pactum, n.* 48. Noguerol *d. allegat.* 9. *n.* 19. quod suscipit in Capellania Castillus *d. lib.* 5. *c.* 67. *n.* 28. ubi inquit, expresè dicendam esse unicam Capellaniam, aliàs erunt duæ, Larrea *d. decis.* 6. *n.* 11. Cevallos *d. qu.* 265. *n.* 17.

28 Sed quando Capellania est Ecclesiastica, quæ fundatur in uno instrumento ab utroqne conjuge, in dubio contrarium existimo, scilicet unicam esse Capellaniam, nisi aliàs testatores eapresserint, velle facere duas Capellanias. Ratio, oam quoties conjuges tantùm unam Capellaniam adstruaerunt, videtur voluisse eam fundare cum omnibus requisitis à jure desideratis. Ast de jure communi unica Capellania Ecclesiastica est indivisibilis, nec valet considerari, nisi tanquam unum individuum, ex juribus adductis capite Antecedenti, *n.* 44. Rebuffus *in praxi benef. tit. de requisitis ad collat. n.* 6. Flaminius *de resign. lib.* 8. *q.* 9. *n.* 32. Corrasius *de benef.* 1. *p. c.* 2. *in fin.* Garcia *p.* 1. *c.* 6. *à num.* 31. Ergo dicendum est, voluisse conficere tantùm unam Capellaniam indivisibilem.

29 Cæterùm fundamentum revocationis, in quo instant coottarii, dicendo utrumque conjugem diversam Capellaniam fecisse, quia potest quilibet eorum suam partem revocare, ea latè traditis à Castillo *controvers. lib.* 2. *c.* 18. *per tot.* solidum noo est, quia ad revocationem illam non est necessariom fingere duas Capellanias, quia revocatio non fit Capellaniæ, sed ex illa parte bonorum, quibus ex parte conjugis revocantis construebatur; ad id enim fictio illa supervacanea videtnr.

30 Denique ratio altera, nempè utrumque conjugem voluisse consulere suis consaoguineis, idcircò duæ sunt Capellaniæ, robur non habet, quia quilibet satis suis consanguineis consulit, æqualiter eos vocando ad ipsam Capellaniam, ita ot proximior ea omnibus admittatur, aut si duo, aut plures concurrant in eodem gradu, per gratificationem causa decidatur: ergo tantùm in dubio existimanda est unica Capellania.

31 Præterea si Capellania sit juris patronatus, & coosanguineus certus vocatus sit, vel proximior, de quo certè constat, non est necessaria præsentatio patronorum, quin absq; ea poterit institui, quia ex eo quod a fundatore certa persona vocata est, jam est ab eo præsentata, Rota apud Viv. *decis.* 57. & apud Caval. *dec.* 565. Leon *d. q.* 4. *praxi* 6. *n.* 166.

32 Consanguinitas quomodo computanda sit ad Capellaniam, duas habet inspectiones? Io primis, an proximitas sit consideranda respectu fundatoris, an ultimi possessoris. Secundò quomodo computatio graduum facienda sit, an secundum jus Civile, vel Canonicum.

33 Quoad primum, distinctio facienda quando consanguinei simpliciter vocantur ad Capellaniam, aut quando vocantur per modum majoratus. Si enim simpliciter vocentur consanguinei proximiores, proximitas ista computanda non est ab ultimo possessore, sed ab ipso fundatore: nam in his Capellaniis hæreditarius ordo non observatur, quapropter computum non fit ab ultimo possessore, sed à fundatore, Lambertinus *de jurepatron.* 3. *p. lib.* 2. *q.* 5. *art.* 4. *n.* 15. Lara *d. lib.* 2. *c.* 2. *à n.* 7. Garcia *d. cap.* 15. *à n.* 20. Vasquez *de testament. c.* 8. *§.* 3. *dub.* 2. *num.* 48. Palao *d. punct.* 9. *num.* 6. Leon *d. praxi* 6. *num.* 159.

34 Hæc seotentia transire nequit absque maxima contradictione, quooiam multi sunt asserentes contrarium. Ducuntur, nam similes Capellaniæ vocantes consanguineos proximiores, ad instar fideicommissi regulantur, Cabedo *decis. Lusit.* 4. *p. decis.* 51. Valasco *consult.* 121. *n.* 7. Cùm ergo in fideicommissis proximitas computetur ab ultimo possessore, secundùm veriorem sententiam, quam tuentur Peregrinus *de fideicommiss. art.* 20. *n.* 3. Fusarius *de substit. qu.* 484. Castillo *controv. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 140. qui *num. cit.* idem observat in feudo, & in Regni successione, & in majoratibus, Molina *de primogen. lib.* 3. *c.* 9. Mieres *de major.* 2. *p. quæst.* 8. P. Molina *tom.* 3. *disput.* 628. Thesaurus *decis. Pedemont.* 64. ergo idem dicendum est in Capellania, ut tenet Jul. Capponi *tom.* 2. *discept.* tot. *à num.* 16.

35 In hoc dubio animadverto fundamentum Capponi solidum oon esse, quin potiùs in causis fideicommissi incerta est doctrina illa; nam etiam plurimi sunt, qui dicant proximitatem non esse computandam, nisi à primo institutore, ut cum multis docet Gratianus *discept. forens. c.* 493. *à n.* 13. Menoch. *lib.* 4. *præsumpt.* 75. *à num.* 16. Fachineus *lib.* 4. *controvers. cap.* 85. Mantica *de conjecturis, lib.* 8. *tit.* 12. *num.* 30. Quapropter

dico, in Capellaniis Ecclesiasticis minimè admittendam sententiam esse Capponi, sed regulandam esse à fundatore proximitatem consanguinei; nam cùm in ea non detur successio hæreditaria, nec illius imago, sed totum dependeat à vocatione fundatoris, à quo tanquam à radice procedit, absque aliqua dependentia ultimi possessoris, inde est, ut computum proximitatis fiat à primo fundatore, non verò ab ultimo possessore.

36 In laicalibus Capellaniis, quæ per modum majoratus non sunt institutæ, & in ditionibus, ubi non est consuetudo, ut in eis per modum primogenii succedatur, erit quæstio, quam prò utraque discutit, multis adductis, Capponi: verùm in his, seclusa consuetudine, teneo nec admittendum illius placitum; nam illa sunt opera pia, in quibus computum semper fit à fundatore, non ab ultimo possessore, ut in Anniversariis tenet Lima ad Molinam *d. lib. 3. c. 9. n. 1. vers. Et amplius*, & in eleemosynis Garcia *d. c. 15. num. 19.* intrat enim quælibet persona ex sua vocatione, non autem ex consanguinitate ultimi possessoris: Ergo computum faciendum à fundatore, non ab ultimo possessore, ut proximitas discutiatur.

37 In Capellaniis verò, in quibus vocationes fiunt per modum majoratus, similiter erat altera disquirenda quæstio; sunt enim nonnulli asserentes, etiam in majoratibus faciendam proximitatem ab institutore illius, Covarr. *pract. c. 38.* & alii apud Molinam *lib. 1. cap. 6. n. 46.* Sed cùm jam usus obtinuit, ut reguletur in primogeniis ab ultimo possessore, Molina *d. lib. 3. c. 9. n. 1.* ubi plures refert Lima, de jure nostro certum est, *ex l. 9. tit. 15. part. 5.* ubi Gregor *glos. a.* Vela *dissertat. 49. n. 76. & 77.* Castillo *controv. lib. 5. c. 91. à n. 61.* inde est, ut in omnibus Capellaniis, in quibus succedendum est per modum majoratus, proximitas reguletur ab ultimo possessore, non à fundatore, Lara *d. c. 2. à n. 7.* Leon *d. praxi 6. à num. 159.* Garcia *d. c. 15. n. 19.* Lima ad Molinam *d. c. 9. n. 1. vers. Et ampliatur.*

38 Est tamen casus, quando proximitas regularetur ab ultimo possessore Capellaniæ, scilicet si fundator disposuerit, ut ultimus Capellanus eligat successorem consanguineum proximiorem testatoris, vel suum, quem maluerit. In hoc ergo casu poterit ultimus possessor Capellaniæ proximiorem suum eligere, relicto proximiore fundatoris, quia id commissum est suæ liberæ electioni, ut de facto censuit Senatus Toletanus, & refert Cevallos *qu. 265. à n. 9.* Castillo *controv. lib. 5. c. 67. n. 5.*

39 Quoad alteram partem, an ad Capellanias consanguinitatis gradus sint computandi per dispositionem Juris Canonici, aut Civilis, difficilem grave est: ut tamen hanc difficultatem capiamus, observo computum graduum de Jure Civili fieri non solùm per distantiam à communi stipite, sed descendendo per collaterales: secus de Jure Canonico, quia tantùm numerantur gradus à communi stipite, quare diversa est utriusque juris graduum numeratio. V. g. Petrus & Paulus sunt in eodem gradu quarto à communi stipite: descendendo postea per collaterales, Petrus est in primo gradu, Paulus in secundo, secundùm Jus Canonicum sunt in eodem gradu consanguinitatis, nempè in quarto, sed secundùm Jus Civile descendendo per collaterales, Petrus est in quinto, Paulus in sexto gradu; unde constat, quàm dispar sit computum graduum de Jure Civili, & Canonico, Barb. *de diff. inter utrumque Jus, n. 96.* Cuchus *Inst. lib. 3. tit. de gradibus cogn. 12. n. 23.* Valenz. *cons. 105. n. 36.*

40 Hoc ergo supposito, prima sententia asserit, computum graduum ad Capellanias faciendum secundùm Jus Canonicum; nam Capellania Ecclesiastica est beneficium propriè spirituale: ergo computum faciendum est per Jus Canonicum; ratio enim graduum regulanda quælibet in suo foro, Covarr. *in 4. 2. p. c. 6. n. 8.* Cæterùm, nam in Capellaniis Ecclesiasticis nulla successio valet considerari, *c. Apostolica 8. qu. 1. c. 1. de Prabend.* Ergo computum graduum ad Capellanias non est faciendum per Jus Civile, ubi solùm attenditur ad regulas successionis. Hanc sententiam tenuit Senatus Toletanus, & refert Cevallos *q. 398. à n. 26.* Gozadin. *cons. 19.* Gratian. *discept. for. tom. 1. c. 177. n. 10.* Parlad. *diff. 120. n. 11.* Ricc. *in prax. for. 1. edit. decis. 413.*

41 Secunda sententia dicit, faciendum computum secundùm Jus Civile, quia licèt in his Capellaniis non detur successio aliqua, attamen negandum non est, habere aliquam imaginem successionis, & ad instar illius esse fundatas: quapropter intelligendum, voluisse fundatorem, gradus computum faciendum esse per Jus Civile. Cæterùm computatio graduum Juris Canonici tantùm est singularis ad matrimonia, *cap. Ad Sedem 35. qu. 5. l. 3. tit. 7. part. 4.* In aliis verò utitur ipsum Canonicum Jus computatione Civili, ut in retractu notat Tiraquellus *de retract. §. 1. glos. 9. numer. 22.* Mathienzo *in leg. 7. tit. 11. lib. 5. glos. 5. numer. 7.* Azevedus *in l. 12. tit. 11. lib. 5. num. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 7. disp. 50. num. 8.* Ergo cùm irregularis sit computatio Juris Canonici solùm ad matrimonia, nequit extendi ad Capellanias, & fieri debet per Jus Civile. Præterea verba in fundationibus naturaliter intelliguntur, *l. fin. C. de his qui veniam temp. impetr.* Ergo quoties fundator ad Capellaniam vocaverit proximiorem, intelligendum est, voluisse computum fieri de Jure Civili, utpotè magis naturale, Decianus *lib. 3. cons. 71. n. 7.* Lara *de Capell. lib. 2. c. 3. n. 33.* Garcia *d. 7. p. c. 15. à num. 24.* Sylva *de qualit. prælat. n. 41.* Castillo *controv. lib. 5. c. 67. n. 42.* Palao *d. punct. 9. n. 10.*

Tertia sententia est Cevallos *q. 905. n. 37.* distinguentis, 42
quando vocaverit fundator intra certos gradus, veluti intra quartum, quando proximior sit; aut quando simpliciter proximiorem vocaverit: primò enim casu asserit computum faciendum de Jure Canonico, alias semper de Jure Civili.

In hoc dubio assero in primis, in Capellaniis laicalibus 43
computum faciendum esse de Jure Civili; nam in eis, cùm temporales sint, aut succeditur per modum majoratus, aut fideicommissi, vel alterius successionis hæreditariæ, Gonzal. *de alternativis, in princip. n. 34.* Quapropter gradus computandi sunt per Jus Civile, Gratian. *d. cap. 77.* Riccius *d. decis. 413.* Idem dicendum in eleemosynis, dotibus, & legatis piis proximioribus relictis, Azevedus *cons. 24. n. 57.* Garcia *d. c. 15. n. 26.* Castillo *d. c. 67. n. 42.*

In Capellaniis Ecclesiasticis distinctio est facienda, nempè quando fundator proximiorem ex descendentibus vocaverit: & in hoc casu, quando ipsi concurrent, computum faciendum est secundùm Jus Canonicum, quia talis computatio tantùm facienda est ascendendo ad communem stipitem fundatorem nempè, à quo regulanda est proximitas: Ergo computum faciendum secundùm Jus Canonicum, quod tantum ascendit ad communem stipitem. 44

Si verò deficerent descendentes, & admitterentur collaterales, vel fundator tantùm collateralem proximiorem vocaverit, computum faciendum est de Jure Civili, ob præcisam necessitatem, non ob aliquam imaginem successionis. Ratio est, nam proximitas sumenda est à fundatore, ut diximus: Ergo necessariò debemus ascendere ad communem stipitem, & descendere per lineam collateralem ad quærendum fundatorem, à quo regulanda est proximitas, faciendo computationem civilem, prout tradunt DD. Molina *de just. tr. 2. disp. 161. per tot.* 45

Sed dices, in matrimoniis, etiam inter collaterales, fit graduum computum solùm ascendendo communem stipitem, & non descendendo ad collaterales: Ergo idem dicendum in Capellaniis secundùm Jus Canonicum. Respondetur, maximam esse rationem disparitatis; nam impedimentum consanguinitatis dirimens matrimonium, non transit ultra quartum gradum, *c. Non debet 8. de consangu. & affin.* Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 53.* Bonac. *de matrim. q. 3. punct. 5. §. 1. n. 7.* quapropter solùm est necessarium inquirere remotiorem gradum, ascendendo ad communem stipitem, ut pateat, an sit impedimentum, necne, *c. fin. de consan. & affin.* Sanch. *d. lib. 7. disp. 50. per tot.* Mol. *d. d. disp. 161.* At in præsentiarum, quando agitur de cognoscenda proximitate cum fundatore collaterali, necessarium est ascendere ad communem stipitem, descendere per lineam collateralem ad quærendum fundatorem, à quo sumenda est proximitas. 46

Instabis. Ergo quando fundator Capellaniæ vocaverit consanguineos intra quartum gradum, dummodo sint proximiores, computum est faciendum secundùm Jus Canonicum, ut tenent Cevallos *d. qu. 905. à n. 37.* Castillo *d. c. 67. num. 42.* Verùm in hoc casu, quando proximiores collaterales vocantur, nequit admitti hæc sententia, quidquid cum eis sentiat Palao *d. punct. 9. num. 10.* ob relatam rationem, quia quærendus est fundator descendendo ad lineam collateralem; quapropter præcisè faciendum est computum civile. 47

Restat verò in hoc capite differere, quomodo consanguinitas sit probanda, quando consanguinei ad Capellaniam vocantur; est enim consanguinitas difficilis probationis, 48

l. Lu-

l. Lucius, ff. de condit. & demonstrat. quia cum non cadat sub aliquo sensu, difficilè probatur, Mascardus *de probat. conclus.* 409. unde *n.* 2. asserit, per conjecturas, indicia, & præsumptiones probari, Rota apud Seraphinum *decis.* 578. *n.* 26. Rota apud Garciam *d. cap.* 15. *num.* 26. Quod non excludit, ut aliquando per testes, instrumenta, per nominationem, & famam probetur, Rota apud Seraphinum *d. decis.* 578. *num.* 1. Valenzuela *cons.* 92. *numer.* 190. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 71. *num.* 11. *in fin.* Castillo *lib.* 5. *controv. c.* 122. *à n.* 1.

49 Hanc probationem consanguinitatis, quando vocati sunt consanguinei, sufficit fieri in genere, ut tradunt DD. *in cap. Licèt ex quadam* 47. *de testibus*, absque aliquo speciali gradu, quod in dispositionibus perpetuis, veluti Capellaniis, dotibus, & eleemosynis, propter longinquam agnationem, tenet cum Rota Garcia *d. c.* 15. *n.* 26. & in fideicommissis Peregrinus *art.* 43. *n.* 60. Quod alii admittunt, quando quis mortuus fuerit ab intestato, & consanguineus hæreditatem petierit; tunc enim si alius tertius non se opponat, sufficere dicunt probare absque gradu consanguinitatem, Mascardus *de probat. conclus.* 124. *à n.* 1. Menochius *cons.* 816. *num.* 52. Covarruv. *var. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 6. Sed non admittendum, *ex l. Certum, C. unde legitimi*, ubi successio ab intestato non differtur ultra decimum gradum, Decius *cons.* 321. *n.* 13. Alciatus *reg.* 1. *præsumpt.* 28. *num.* 9. Peregrinus *d. art.* 43. *n.* 63. Ergo erit necessarium probare gradum, nec sufficiet in genere.

50 Verùm in Capellaniis aliquando non sufficit hæc generalis probatio, nempè si est concursus consanguineorum, & proximior vocatur: aut quando fundator vocat consanguineos in certo, aut intra certum gradum; nam tunc gradus necessariò est probandus, nec sufficiet probatio in genere, Rota apud Cavaler. *decis.* 575. quam refert, & sequitur Leon *d. qu.* 4. *praxi* 6. *n.* 171. Garcia *d. cap.* 15. *num.* 28. Valenzuela *cons.* 105. *num.* 61. sicut in aliis dispositionibus tenent Peregrinus *d. art.* 43. *n.* 63. Covarr. *lib.* 2. *var. c.* 6. *n.* 6. Escobar *de purit. sang.* 1. *p. qu.* 9. §. 13. *à n.* 40. Castillo *lib.* 5. *cap.* 67. *n.* 42. *in fin.*

51 Quando enim consanguinitas in certo gradu probanda est per testes, debent deponere clarè, & distinctè, *cap. Licèt ex quadam* 47. *de testib.* ibi: *Singulos gradus clarè computatione distinguant*. Quapropter debet incipere à communi parente, & inde ad singulos gradus descendere, ut inde gradum efficaciter distinguant, Abbas *in cap. Tua nos, de consangu. & affinit.* Mascardus *conclus.* 410. *nu.* 21. Farinac. *de testib. q.* 69. *num.* 116. & 117. Lotterius *de re benef. lib.* 2. *quæst.* 11. *num.* 94.

52 Est verò singulare in hac probatione, ut testes de auditu faciant fidem, *ex d. cap. Licet ex quadam*. Ast verò textus ille in similibus testibus de auditu aliquas qualitates requirit, scilicet ut sint personæ graves, & quod audierint à suis majoribus, saltem duobus, non infamibus, verùm fide dignis & omni exceptione majoribus, idque ante litem motam; nam si posteà, nullam fidem faciunt, debentque dicere pro certo se habere esse consanguineos, & vidcrunt se ut consanguineos tractare; & insimul debent deponere cum juramento, & de graduum specialitate: quas quidem qualitates latè prosequuntur Lara *d. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 11. Mascardus *concl.* 410. Farinacius *d. q.* 69. *à n.* 105. Castillo *controv. lib.* 5. *cap.* 122. *n.* 23. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 71. *n.* 11. Lotterius *d. q.* 11. *num.* 103.

53 Sed tamen in his qualitatibus non omnes DD. conveniunt, quia plures inquiunt, qualitates illas tantùm in specie illius textus esse necessarias, quia agebatur de dissolvendo matrimonio jam contracto, quod est difficillimum, idcircò in aliis causis illæ qualitates non erunt necessariæ, sed sufficiet ut testis deponat de auditu in consanguinitate probanda in antiquis, quando alio modo nequit probari, Garcia *de nobilit. gloss.* 18. §. 1. *n.* 5. Mascard. *d. conclus.* 410. *n.* 9. Cabedo 2. *part. decis. Lusit.* 73. *num.* 13. Sanchez *d. disput.* 71. *num.* 11. & alii relati à Castillo *d. cap.* 122. *nu.* 23. Decianus *cons.* 595. *num.* 8.

54 Gratianus tamen *discept. forens. tom.* 5. *c.* 969. *n.* 13. scripsit in aliis causis, nempè in successionibus, in quibus non omnes qualitates illius textus admittuntur, sed quod sint personæ graves, & quod ante litem motam audierint: cui me subscribo, aliàs suspectissimæ fidei haberentur, si posteà illud audierint; lis enim ipsa hanc famam trahere valet fraude introduci, ut cum Romano, Decio, & aliis docet Gratianus *d. cap.* 979. *n.* 10. Barbosa *in d. cap. Licèt ex quadam, n.* 2.

Unde ad propositum agimus de causis Capellaniarum, 55
quando tractatur de consanguinitate probanda, & proximitate respectu fundatoris: si tamen versemur in antiquis, testes de auditu recipiuntur, dummodo sint personæ graves, quæ à majoribus audierint ante litem motam; nam testes de auditu in antiquis, quorum memoria homines excedit, probant absque adminiculis: textus *in d. cap. Ex quadam*, Lara *d. cap.* 4. *n.* 11. Farinacius *d. q.* 69. *num.* 121. Mysingerius *cent.* 6. *observ.* 58. *n.* 4. Valenzuela *cons.* 90. *num.* 177. Escobar *de purit. sang. prob.* 1. *p. q.* 9. §. 4. *n.* 12. Marinis *allegat.* 10. *à num.* 1. idque optima ratione; nam cum antiquitas excludat alium modum concipiendi rem illam, necessariò probanda est ex auditu, Escobar *d.* §. 4. *n.* 13.

Addunt verò aliqui, insimul deponere debere de fama, 56
ut admittunt Farinacius, Ojeda, & alii relati à Garcia *d. c.* 15. *n.* 35. Valenzuela *d. cons.* 90. *n.* 72. & 85. Escobar verò hanc qualitatem excludit, *d.* §. 4. *n.* 25. Gregorius *in l.* 20. *tit.* 9. *part.* 4. *gloss.* 1. Castillo *d. lib.* 5. *c.* 122. *n.* 23. quod admittendum videtur, nisi commodè fama cognosci valeret, Garcia *d. c.* 15. *n.* 35.

Si verò tanta non sit antiquitas, ut memoriam hominum 57
non excedat, testes de auditu ad probandam consanguinitatem audiendi non sunt, quia solùm in subsidium admittuntur, aliàs ex regula generali non probant, *leg. Testium* 18. *vers. Nec quinque, C. de testibus, cap. Tum litteris* 33. *eod. tit.* Rota apud Seraphinum *decis.* 102. *n.* 2. plures quos dat Escobar *d.* §. 4. Castillo *d. c.* 122. *n.* 3. quapropter quoties probatio consanguinitatis potest fieri per alios testes aliter deponentes, nequit fieri per testes de auditu, Farinac. *d. q.* 69. *c.* 2. *n.* 120. Castillo *d. c.* 122. *n.* 23.

Nec contrà est textus *in d. c. Licèt ex quadam*, ubi agebatur 58
de probanda consanguinitate intra quartum gradum, quod nequit excedere hominum vitam; & tamen testes de auditu admittuntur: Ergo testes de auditu debent admitti ad probandam consanguinitatem, etiamsi antiquitas memoriam hominum non excedat, veluti si fuisset minor centum annorum. Sed respondetur, illas qualitates requisitas *in d. c. Licèt ex quadam*, adeò esse graves, ut æquivaleant aliis testibus deponentibus de alio sensu. Vel dicas, in specie illius textus impossibile non fuisse, ut quartus gradus excederet centum annos, propter longam vitam ascendentium, Castillo *d. c.* 122. *n.* 25.

Hæc enim satis admittentur, quando ad Capellaniam 59
probatio consanguinitatis facienda est in genere; si tamen necessariò facienda sit cum gradus prærogativa, ut in casibus quorum meminimus *num.* 52. Dissidium est grave inter DD. an qualitates illius textus requirantur. Prima sententia affirmat, nam textus ille loquitur quando consanguinitas probanda est cum qualitate gradus: ergo quando gradus est probandus, requiruntur testes de auditu cum illis qualitatibus: & confirmatur, nam quando gradus in specie est probandus, requirit major claritas, & distinctio: quapropter in testibus major fides requiritur, quæ cognoscitur intervenientibus illis qualitatibus, Mieres *de majorat.* 4. *p. q.* 20. *n.* 92. Maresc. *var. lib.* 1. *c.* 70. *n.* 1. & 3. Gratian. *d. c.* 969. *n.* 6. dicit certum Escobar *d.* §. 4. *n.* 21.

Secunda sententia contrarium tenet, quia requisita illius 60
textus sunt necessaria, quia agitur de re gravissima, scilicet de annullando matrimonio jam contracto, quod est difficillimæ dissolutionis ob Christi Domini mandatum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Itaque majores qualitates in testibus de auditu requiruntur in illo casu, quàm in aliis, in quibus gradus consanguinitatis est probandus, Castillo *d. c.* 122. *n.* 24.

Tertia sententia asserit in causis gravissimis, veluti hono- 61
ris, aut aliis ejusdem qualitatis, in testibus de auditu, quoties gradus est probandus, requisita illius textus esse necessaria in testibus de auditu; nam illa dispositio ob identitatem rationis extenditur ad similes casus, Rota apud Manticam *decis.* 307. *sub n.* 3. *vers. Nec obstat*, Valenz. *cons.* 90. *n.* 75. Lotterius *d. lib.* 2. *q.* 11. *n.* 97.

In hoc dubio illud est animadvertendum, hanc ultimam 62
sententiam grave fundamentum habere, ob argumentum à paritate, vel identitate rationis, quod in jure validissimum est, Surdus *cons.* 383. *num.* 14. Ant. Monachus *decis. Lucensi* 64. *à num.* 35. Angelus *de legit. contract. quæst.* 2. *n.* 204. quapropter erit difficultas in disquirendo, an similis causa

sit vocatio ad Capellaniam, & matrimonii dissolutio, qooad vinculum? Lotterius *d.q.* 11. *n.97.* similem dicit caussam successionis, vel vocationem juris patronatus; unde sumitur idem esse dicendum de vocatione ad Capellaniam, etiam quando gradus est probandus, ut in jure patronatus.

63 Sed contrariom teneo; est enim dispar casusquoad gravitatem materiæ; nam quando fundator vocat proximiorem Capellanum, aut in certo, aut intra certum gradum, quoad ejus probationem non vult aliam petere, nisi illam quæ sufficit ad aliam successionem: in successionibus verò in testibus de auditu non requiruntur illæ qualitates ad probandum gradum consanguinitatis, Aretinus *cons.*37. *num.* 3. Gratianus *d. cap.*969. *num.*13. Castillo *d. cap.*122. *num.* 24. Ergo non est consideranda similis gravitas in uno, ac in altero casu. Quod quidem argomentum non solùm dissimilem gravitatem probat, verùm etiam, quod si eadem gravitas fuisset, adhuc illæ qualitates non requirerentur: idque probo, nam cùm voluntas fundatoris alia non sit, nisi desiderare probationem gradus ad modum cojuslibet, in qua non requiruntur illæ qualitates, ut ultra allegatos tenet Marescotus *d. lib.*1. *c.*70. *n.*4. etiamsi fuisset eadem gravitas materiæ, illæ tamen qualitates non fuissent necessariæ, cùm illas non peteret voluntas fundatoris, qui in re soa arbiter est.

64 Cæterùm dissolvere matrimonium quoad vinculum, includit periculum frangendi divinum præceptum, cum gravi illarum animarum dispendio. Ast errare ad vocationem Capellaniæ, dum aliàs persona sit digna, & capax illius, est tantùm occasio non perfectè adimplendi voluntatem fundatoris, vocantem consanguineum in certo gradu, quod est minimum comparatione alterius periculi. Ergo qualitates testium de auditu in vocatione Capellaniæ non requiruntur, quæ non sunt necessariæ ad dissolvendum matrimoniom jam contractum. Considerabit tamen rectus judex, quomodo deponant similes testes, nempè de auditu ante litem motam, quod audierint non solùm ab uno, sed saltem à duobos, qui contestarent in gradu: quod personæ, à quibus audierint, fuerint fide dignæ, & alia, quæ animom possunt inducere ad credendum, Valenz. *d. cons.*90. *à num.*76. Maresc. *d. c.*70. *n.*8. Lotterius *d. q.* 11. *à n.*108.

65 Probatur etiam consanguinitas, parentela, seu quem esse de familia, per famam; quia cùm sit difficilis probationis, huic comprobationi leviores probationes sufficiunt, Decius *cons.*595. *n.*6. quod intelliges quando tractatur de probanda consangoinitate antiqua, quæ memoriam hominum excedat; quia tunc sufficit vox poblica & fama, aliis non existentibus probationibus, Mascardus *de probat. conclus.*411. *à n.*1. Valenz. *cons.*100. *n.*41. Maresc. *d. lib.*1. *c.*70. *n.*4. Escobar *de purit. sangu.* 1. *p. q.*15. §.3. *n.*2. & 3. prout etiam in antiquis nobilitas, & sanguinis puritas probatur fama, Valenz. *d. cons.*90. *à num.*175.

66 Probatur etiam consanguinitas per nominationem, id est, quando personæ tanquam consanguinei tractabantur, & nominabantur; credendum est enim non ex levitate id fuisse factum, sed ex vera cognatione, Tiraquellus *de retract. tit. de retract. consang.* §.1. *gloss.*10. Mascard. *conclus.*411. *à n.*9. sed noo probatur ex sola nomioatione, Valenzuel. *cons.*105. *num.*60.

67 Similiter consanguioitas probari poterit per instrumenta, *cap. Series* 26. *de testibus*, quod nequit fieri directè, cùm sit de re quæ nequit explicari, nec intervenire tempore, quo conficitur instrumentum; est enim consanguinitas, quæ provenit ex generatione principii, nec potest oriri ex solo consensu contrahentium: quapropter nec de ea fieri instrumentum potest, Alex. *lib.*1. *cons.*98. Mascardus *dict. conclus.*411. *num.*23. Escobar *dict.* 1. *part. quæst.*15. §.2. *per tot.*

68 Indirectè tamen probatur per verba enunciativa in antiquis instrumentis declarantia consanguinitatem, dum sint necessaria ad actum, & concurrant alia, de quibus Verall. *part.*3. *decis.*337. *n.*6. debent enim esse duo enunciativa; nam per unum instrumentum plenè non fit, sed requiruntur duo, Rota 1. *p. divers. decis.*185. *n.*1. Seraph. *decis.*1232. *n.* 4. Garcia *d.* 7. *p. c.*15. *n.*34. Lotter. *d. q.* 11. *n.*110. Maresc. *d. c.*70. *n.*6. qui scripsit instrumenta ista ad effectum probandi per enunciativam debere esse centum annorum, dempto tempore moræ litis, Peregrin. *de fideicomm. art.*23. *n.*84. Puteus *lib.*2. *decis.*207. Valenz. *d. cons.*100. *n.*46.

69 Denique probatur consanguinitas per libros Baptismi, addito aliquo adminiculo, ut in casu Capellaniæ tenuit Rota relata, & sequuta à Garcia *d. c.*15. *n.*33.

70 Sed antequam istinc abeamos, disquirere oportet, an si testator commissarium reliquerit ad fundandam Capellaniam, possit ponere clausulam, ut consanguinei non admittantur? Ratio dobitandi sumitur, nam ex eo quod liberè mandatum suom commissariis concesserit absque aliqua restrictione, nullo modo valent restringi, ne disponant prout illis placuerit, quin potiùs videtur fundatorem se conformem reddere cum voluntate commissarii: unde in majoratibus, in quibus commissa est libera electio, poterit eligi remotior, & quod magis est, fœmina, relicto primogenito digniore, ut latè docet Molina *de primogen. lib.*2. *cap.*5. *à n.*4. Paz *de tenut. cap.*34. *à n.*113. P. Molina *de justit. tract.*2. *disput.*594. & inimicus, prout aliqui censent, *ex l. Cum quidam* 24. *ff. de legat.*2. *verb. Offenderint*, ubi Baldos, & Scribentes. Ergo poterit commissarius fundare Capellaniam, excludendo consanguineos, & admittendo tantummodò extraneos, ut tenet Guzman *verit.*24. *per tot.* in patronis.

71 Sed contrarium tenet Carpio *de execut. testam. lib.*3. *c.*6. *per tot.* Ducitur; nam in qualibet dispositione semper intelligitur voluisse testatorem suos consanguineos, ac descendentes anteponere extraneis, *leg. Cum acutissimi, C. de fideic.* ubi Padilla *n.*5. quæ quidem præsumptio, cùm procedat ex affectione oaturali, validior est, quàm alia quælibet, Menochius *lib.*1. *præsumpt.*29. *n.*15. Mantica *de conject. lib.*6 *tit.*11. *à n.*3. qui *n.*9. & 10. asserit, absque dubio procedere, nisi testator contrarium expresserit, prout etiam observatur in legatis paoperom, & in Capellaniis, ut probat *n.*7. & 8. Ergo in præsentiarum commissarius nequit Capellaniam fundare, exclusis consanguineis, tantùm extraneos vocando. Cæterùm illa generalis commissio debet restringi, ita ut non præjudicet personis magis dilectis, *l. Decurionibus* 3. *C. de silentiariis, lib.*11. Alvarado *de conject. ment. defunct. lib.*4. *c.*11. *n.*2. Castillo *controv. lib.*4. *c.*41. *n.*7. Ergo non debet commissarius virtute illius consanguineos excludere, vocando tantùm extraneos. Tandem adducit textum *in leg.*31. & 32. *Tauri*, ubi disponitur, ne commissarii isti possint aliquem filiorum meliorare in præjudicium aliorum, nisi specialiter eis concederetur: unde est consequens, ex generali illa commissiooe nequire commissarium consanguineis propriis ipsius fundatoris exclusis, extraneos tantum ad Capellaniam vocare.

72 Hæc sententia Carpii admittenda est, nam mandatum illud datum commissario ad fundandam Capellaniam, nisi aliud expresserit fundator, semper intelligitur regulatum, & secundùm juris ordinem, qui semper præfert proprios consanguineos extraneis, ut in terminis Capellaniæ tenet Lambertinus *de jur. patronat. lib.*2. *art.*16. *qu.*5. *princip. num.* 3. *versic. Immo plus*, Lara *de Capellaniis*, *lib.*2. *cap.*3. *n.*31. Noguerol *allegat.*9. *n.*69. idcircò nequit Capellaniam fundare commissarius, à qua excludantur consanguinei, admissis extraneis.

73 Si verò det mandatum cum electione libera, ut vocet ad Capellaniam quascumque voluerit personas, prout commissario placuerit, tum rectè poterit à Capellania excludere consanguineos; nam per talem liberam facultatem, sicut ipse fundator id facere potuit, similiter commissarius: quo in sensu admittendæ suot doctrinæ adductæ *n.*70. Aliter enim est admittenda doctrina Carpii, qui *n.*11. in fine scripsit, in casu Capellaniæ Hispalensis respondisse, præferendum esse nepotem fundatoris minoribus Ordinibus initiatum, Sacerdoti extraneo, etiamsi commissarii illam adstruentes, fecissent Sacerdotalem; idqoe benigna interpretatione reor respondisse, prout fecerunt subscribentes.

74 Denique est animadvertendum, aliquando valere præsentationem, seu institutionem Capellani extranei, etiamsi ad Capellaniam consanguineos fundator vocaverit; veluti si tempore vacatioois nulli adsint, nec offerant se præsentandos, aut instituendos: quod idem dicendum si vocentur proximiores, nec sit qui habeat qualitatem, licèt postea illam habere eveniat: aut quando remotiori confertur Capellania, & postea petit eam proximior: valida enim est præsentatio, & institutio, quæ cùm effectum habuerit, nequit ex illa oova causa rescindi, Spino *in specul. testament. gloss.*40. *n.*70. Garcia *de beneficiis*, 1. *part. cap.*1. *à n.*73. Guttier. *cons.*2. *à num.*16. Cevallos *quæst.*678. *à num.*16. Garcia rela-

relatus 7.p.c.15.à n.7. qui n.11. scripsit, quod si aliquis consanguineus, vel qualificatus petierit à patrono præsentari, & ipse renuat, tenetur ad restitutionem, licèt alterat deferat litem, quia illarum est inimicus, Sylva *de qualit. Prælat. n.46.*

C A P. IX.

De causis prælativis ad Capellanias.

S V M M A R I V M.

Quibus in casibus est recurrendum ad causas prælativas, num. 1. & 2.

Est causa prælationis literatura, à num.3. Inter literatos Doctor præfertur Licentiato, Licentiatus Bachalaureo, Bachalaureus Scholari, & inter Doctores antiquior, n.6. Graduati per insignes Universitates, aliis in inferioribus graduatis præferuntur, n.7. Limitatur n.8.

Est etiam prælatio inter ipsas scientias, n.9. Sed est quæstio, an cæteris paribus, Theologus præferendus sit Canonistæ? Prima sententia asserit, nullam differentiam esse faciendam, n.10.

Secunda sententia dicit præferendum Theologum, n.11. Tertia distinguit, n.12. Resolvitur à n.13.

Canonista valet prædicare, à n.15. quod latè demonstratur.

Si ad Capellaniam concurrunt nobilis ignarus, & ignobilis literatus, iste est præferendus, n.17.

Sed an in Capellaniis simplicibus, si adsit oppositor idoneus, sit magis literatus præferendus? negant aliqui, n.18. rejiciuntur, à n.19.

An data paritate literaturæ, nobilis sit præferendus ignobili. Prima sententia affirmat, n.20. Expenditur c.28. de prab. n.21. & seq. Secunda sententia negat, n.23. Resolvitur à n. 24. & seqq.

Ecclesia militans ad modum Triumphantis componitur, in qua prælatio non à sanguinis nobilitate, sed à meritis personæ attenditur, n.27.

Ecclesiam suam Christus Dominus composuit ex pauperibus & ignobilibus, n.28.

Qualitas nobilitatis an prælativa in Ecclesia, & quomodo intelligenda, n.29.

Paupertas est alia causa prælationis, n.30. Sed an pauper minus idoneus est præferendus? Affirmant plurimi, n.31. sed distinguitur. 32.

In concursu habet prælationem, qui impenderit sua bona in studiis, & ideo pauper sit, & majori ratione si dives beneficium habuerit, n.33.

Aliquando dives est præferendus, nempè si Capellania, aut Ecclesia debitis premeretur: quod explicatur n.34. & 35.

Inter pauperes pauperior præfertur, n.36. Sed est dubium, quando concurrunt consanguineus dives fundatoris, & pauper extraneus, quisnam præferendus? Prima sententia affirmat consanguineum esse præferendum, num.38. Secunda negat, n.39. Admittitur hæc sententia, n.40.

Naturalitas loci est causa prælativa, n.41. quod extendunt aliqui ad forensem digniorem, n.42. explicatur, à num.43. & seqq.

Præferuntur qui sunt majoris ordinis, num.46. Limitatur tribus modis, n.47.

Senior præfertur juniori, nisi junior virtutibus ornaretur, vel senex fuisset valetudinarius, n.48.

Clericus habens majus exercitium præfertur, n.49.

Si patronus præsentet duos æquales, præfertur primus, præsentatus à Clerico præfertur, similiter præsentatus à masculo, & qui a patrono consanguineo, & similiter præsentatus a pupillo, vel à familias, respectu tutoris, aut patris, & qui præsentatur secundùm qualitates fundationis, n.50.

Est quæstio an præsentatus ab uxore patrona, præferendus sit, si maritus alium præsentaverit. Prima sententia affirmat, n.51. Secunda negat, n.52. Resolvitur, & explicatur, à n.53. Dominium dotis non transit ad maritum, n.56. & 57. Ius præsentandi inseparabile est à dominio rei cui annectitur, n.58. In præsenti casu semper præferendus præsentatus ab uxore n.50.

Fit instantia, n.60. & explicatur lex 9. tit.15. part.1. Respondetur, n.61.

Quando sunt plures patroni, præfertur præsentatus à majori parte, & quis dicatur præsentatus à majori parte, tam in Collegiis quàm privatis patronis, n.62. & 63.

Quando Rector Ecclesiæ, & parochiani sunt patroni, duæ tantum sunt voces, & si aliquis Rectori accrescat, is quem præsentat, semper præfertur, n.64.

SOlent multoties concurrere consanguinei ad Capellaniam ejusdem gradus, & ad videndum quinam eorum sit præsentandus, & instituendus cum aliorum prælatione, recurritur ad quasdam causas dignas prælationis, *l. fin. ff. de relig. & sumpt. fun. l.3. §. Si cùm omnes, ff. qui satisd. cognat.* Tiraq. *de primog. quæst.17. op.2. n.1.* Mieres *de majorat. 1.p. qu.72. num.3.* 1

Idem accidere valet, quando patroni plures personas idoneas præsentant ad Capellaniam, qui ut idonei, & præsentati, omnes sunt digni institutionis, *cap. Decernimus 29.16. qu.7. cap. Nullus 28. de jurpatron. l.5. tit.15. part.1.* Cassadoros *decis.2. n.4. de locat.* Franciscus Marcus *1. part. decis.494. n.3.* Riccius *in praxi, 1.p. resolut.154* Cum verò unus ex pluribus præsentatis sit tantùm instituendus, ut tamen præferatur, ad istas causas prælativas per necessè deveniendum, Gutierez *consil.2. n.26.* Lara *d. lib.2. c.9. à n.51.* Garcia *2.p. de benef. cap. 4. à num.73.* 2

Prælationis verò causæ aliquæ sunt, de quibus in hoc capite agendum est nobis: & in primis adsit literatura; qui enim literati sunt, prælationem semper habent contra non literatos, aut illos qui fundamentum non habent in scientiis: rationem dat textus Regius *in l.13. tit.2. lib.6. ordinam.* sic: *E porque segun la doctrina moral, los hombres de buen entendimiento naturalmente deben ser señores de los otros.* Quapropter hanc prælationem probat Rota apud Farinacium *in posthum. 1. tom. decis.219. n.2.* Leon *de offic. Capell. q.4. praxi 6. n.252.* Vivianus *in praxi jurispatr. 2.p. lib.12. c.14. n.8. & 9.* Hermosilla *ad Greg. in prolog. glos.2. num.6.* Bobadilla *in polit. lib.1. c.9. & 10.* 3

Idque majori ratione, quando Capellania Sacerdotem peteret, quia ad Sacerdotium maximè literatura desideratur. Oseas cap.4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Quem locum rectè explicat ibidem Hieronymus. Paulus *1. ad Timoth. cap.4. Attendite lectioni, exhortationi, & doctrinæ:* & alia sunt videnda quæ congessit Lara *lib.2. c.3. n.4.* literati enim tanquam sydera fulgentia considerantur in firmamento Ecclesiæ, *cap. fin. de Magist.* & valdè necessarii, *cap. Cum ex eo 34. de elect. in 6.* Maranta *4.p. resp.55. n.5. & 9.* 4

Extollit Clemens Pontifex *lib.2. const. Apostolicar. cap.28.* per hæc verba: *Presbyteris si assiduè in studio docendi verbum Dei laboraverint, seponatur etiam dupla portio in gratiam Apostolorum Christi, quorum locum tenent, tanquam consiliarii Episcopi, & Ecclesiæ corona: sunt enim Consilium, & Senatus Ecclesiæ.* Suntque plura Concilia id probantia, Concilium Tolel. VIII. *canon.8.* Mohuntinum *c.22.* Turonense III. *c.8.* Carthag. IV. *canon.7.* Aurelianense *cap.6.* Tridentinum *sess. 22. c.4. 11. & 13. & sess.24. de reformat. c.18.* Leo Pontif. I. *epist.85.* D. Augustinus *epist.148.* Mancinus *de iur. sacro, dissert.5. c.10. n.13.* Albert. Trot. *de vero & perfect. Cleric. lib.2. c.33.* Bollo *in œconom. can.1. clas. §.4.* Lantmeter. *lib.2. de vet. Cler. vit. c.107.* 5

Inter literatos ipsos Doctor præfertur Licentiato, Licentiatus Bachalaureo, Bachalaureus Scholari, Rebuffus *in tract. nominat. q.21. n.3. & 44.* Cevallos *comm. q.693. n.38.* Graduatus in utroque, Jure præfertur simplici graduato, nisi Doctor in utroque ignoret Canones, Sylva *de qualit. prælat. n.131.* inter Doctores antiquior præfertur, Barbosa *de offic. Paroch. 1.p. c.2. n.114.* 6

Qui per famosas Universitates rigoroso examine gradum percipiunt, anteferuntur graduatis in aliis Universitatibus, Sylva *ubi proximè, n.134.* dummodo doctiores appareant, per textum *in l.2. C. de offic. Magistr.* ibi: *Vt is gradus cæteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire,* Rota apud Toodut. *de pension. decis.30. num.7.* Cevallos *q.693. n.36.* 7

Illud tamen magnopere observet, qui præsentat, aut Capellaniam instituit, ut maximè attendat ad præsentatorum literaturam; gradus enim aliquando solet esse fallax, quia tantùm præsumptionem inducit: quapropter si Scholasticus excellentior in scientia appareat, graduatum antecellet, Gloss. *in l.1. C. de Ann. civilibus lib.11.* Rebuffus *d. q.21. n.11.* Tiraqu. *de primog. in præfat. n.210.* 8

Inter Doctores scientiarum etiam datur prælatio; nam Doctor Theologus antecedit Canonistam, Canonista Legi- 9

stam, Legista Medicum, Rebuffus *d.q.21.n.40.* Sylva *de qualit.n.142.* Mendo *de jur. Academic.lib.1.q.11.*

10 Verum est quæstio satis controversa inter Theologos, & Canonistas, an data paritate literaturæ, ad Capellaniam, vel beneficium curam animarum habens, Theologus, an Canonista sit præferendus. Prima sententia asserit nullam distinctionem esse faciendam inter Theologum, & Canonistam, sed quilibet erit eligendus, dummodo industriam necessariam habeat, Sotus *de justit.lib.3.q.6.art.2.ante conclusionem.*

11 Secunda inquir, cæteris paribus præferendum Theologum; nam quando adest animarum cura, incumbit onus prædicandi, & populum instruendi, *cap. Episcopus, dist.* 38. Concilium Rhemense *canon.14. & 15.* Tridentinum *sess.5. cap.2.* quod nequit fieri à Canonista: ergo semper Theologus prælationem feret. Cæterùm, nam qui curam habent animarum, tenentur respondere ad ea quæ fidei sunt: tum in his, & aliis populum edocere, Marcus *cap. ult.* Paulus *ad Corinth.1. cap.1.* quod nequit sufficienter fieri à Canonista: ergo semper anteponendus est Theologus. Sic tenent communiter Theologi cum S. Thom. 2. 2. q.63.*art.*2. ubi etiam Aragon, Turrianus *disp.22.dub.4.nu.9.* Vasquez *in opusc.de benef.c.2.* §.3. Villalobos *in Summa, 2.p. tract.9.difficult.16.*

12 Tertia distinguit. Si populus, ad quem Capellanus, vel beneficiatus assumitur, hæresibus scateat, præferendus est Theologus, ut magis expediens, & utilior ad illas sopiendas. Secus verò si non adsint, quia tunc anteponendus Canonistas, qui rectè populum instruat Catholicis decisionibus ab Ecclesia purè, & clarè decisis, eo modo ut populus eas meliùs percipiat, quàm à Theologo, qui à terminis metaphysicis scholarum nescit discedere: tum & bonis moribus imbuet sincerè, & satis eleganter; & licèt ita non subtiliter, verùm utiliùs: nam ut docet textus *in c. Oportet* 12. 8. q.1. *Oportet eum qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, ut pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere, cap. Rector* 43 *dist.* Trident. *sess.24.de reform. c.4.* quapropter quando hæreses non adsunt, præferendus Canonista, Boerius *de author. mag. Consilii, n.*88. Lambert. *de jur.patronat.lib.2.punct.3. q.5. art.12. & q.6.art.21.* Lara *d.lib.2.c.3.à n.31.* Vivianus *in praxi jurispatr. 2.part.lib.12.cap.14.n.10.* Bobadilla *in politic.lib.1.cap.6.num.14.* Barbosa *2.p.allegat.1.n.30.* Lotterius *de re benef.lib.3.qu.7. à num.96.*

13 In hac difficultate distinguendi sunt Theologi; aliqui enim, dicuntur Scholastici, versantes in quibusdam quæstionibus opinabilibus, magis ad Metaphysicam, quàm ad Theologiam pertinentibus, nec ad praxim deservientibus: unde Rebuff. *tit.de Regia ad Prælat.nominat.§.1.vers.Licentiatum,* inquit Theologos negotia intricare, & secundum regulas juris procedere dedignari, quapropter in eorum concurrentia præferendus est Canonista; nam ut aiebat Plinius *lib.8. epist. Quis vero tam patiens est, qui velit discere, quod in usu non sit habiturus?* Et illos præferre, esset agere contra proverbium, *Litus arare quid prodest?* Parlador. *lib.2.rer. quotidianar.cap.fin.1.part.§.5. n.3.* nec in casibus conscientiæ sunt consulendi, Breserus *lib.3.de conscient. cap.3.* R. Moya *select. tract.1.de opin.probab.q.4.§.5.* Ergo minimè Canonistas præferendi.

14 Alteri sunt Theologi in controversiis Fidei versati, periti in Sacris Bibliis evolvendis, in Theologia Morali, & Mystica experti: cum his igitur erit concertatio ista. Verùm, ni fallor, similes Theologi Canonistis sunt præferendi, etiam ubi non adsunt hæreses, nam sunt Ecclesiæ utiliores; licèt enim in populis, ut in nostra Hispania, non adsint, adhuc latenter possunt succedere, aut errores in Fide, quod meliùs agnoscunt Theologi isti, convincunt, & eradicant à cordibus errantium. Tum ad instruendum populum sunt aptiores, & ad regimen animarum, ex Theologia Morali, & Mystica: nec ad regimen exterius (in quo Canonista aptior) inhabiles sunt, possunt enim illa negotia facilè cum assessoribus expedire, attendendo ad principale animarum bonum, quod in Ecclesiasticis est præcipuum munus. Reatina Synodus *can.5.* Concilium Toleranum XI. *can.2. & 5.* Clemens Pontifex *epist.1. ad Iacob. Fratr. cap. Episcopus, 88. dist. cap. Cum multa, 86. dist. cap. Episcopi, 3. quæst.1. cap. Te quidem, 29. quæst.1.* Cùm ergo ad principale munus sit aptior Theologus quàm Canonista, erit præferendus. In hanc sententiam inclinat de Lugo *de justit. disp.35.sect.1.n.4.*

15 Istinc non credas, quod si Canonista excellentior sit in literatura, non sit Theologo præferendus; est enim difficultas, data paritate. Nec credas fundamenta secundæ sententiæ esse vera, quatenus dicunt Canonistam prædicare non posse; ex solis enim Canonibus elegantes sermones fieri possunt, Cuchus *instit.major.lib.4.tit.1.à n.125.* Lara *d.c.3.n.31.* quorum doctrina experimento quotidie confirmatur. In sermonibus enim moralibus, qui ad morum instructionem pertinent, tam apti sunt Canonistæ, quàm Theologi; in aliis verò de mysterio, aut qui Panegyrici dicuntur, adeò inutilis non est Canonista; valet enim de mysterio quæ sunt certa dicere, vel de Sancto, & exinde plura ad utilitatem audientium inducere: in quo si non ita delicatiùs, ast utiliùs prædicabunt.

16 In similibus enim sermonibus vidimus sæpiùs aliquos Theologos vafrè incedere, ut audientes quasi ad comœdiam conveniant: quamobrem Chrysostomus *tom.4.cap.6. ad Hebr.homil.15.* exclamavit: *Res nostra effectæ sunt risus, civilitas, & urbanitas: nihil stabile, nihil grave: si quis urbanum quid dixerit, inter ridentes statim nascitur risus, ubique choros ducit diabolus, omnes inducit, in omnibus dominatum inducet.* Itaque D. Hieronym. *in epist. ad Nepot.* ait: *Sermo Presbyteri sit scripturarum lectione conditus: nolo te declamatorem esse, & rabulam, garrulumque sine ratione, sed ministeriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditissimum.* Latè Gregorius Nazianzenus *in oratione Domin. orat.2.* Rupertus *in Matth.c.11.* Tertull. *lib.4. in Marc.* Chrysostomus *tom.2.in Matth.c.25.homil.79.* Bollo *in œconom. canon.2.class. c.4.§.1.* Nec in instruendis populis in rebus Fidei ineptus erit Canonista, *ex d.n.12.*

17 Si Capellaniam, vel beneficium concurrant nobilis ignarus, & literatus ignobilis, iste est præferendus; nam cùm ad munera sacra obeunda, & exercenda vocentur, parum curandum est de nobilitate ignara: quod admittes etiamsi Capellania sit simplex, absque animarum cura, & tantùm petat Sacerdotium; licèt enim pro tunc non teneatur populum instruere, nec docere, quatenus tamen Presbyter est, tenetur esse paratus, quando occasio eveniat, ut noster Parens 1. *Petri, cap.3.* ait: *Parati esse debetis reddere rationem, omni poscenti vos satisfactionem de ea Fide, & Spe, quæ in vobis est.* Paul. 1. *ad Timoth. cap.5.* ubi scripsit, Presbyteros laborare debere in verbo, & doctrina. Quare literatus semper est præferendus ignaro nobili, Lara *d. c.3. à n.6.* Leon *d.q.4.praxi 6. num.251.*

18 Unde libet disquirere aliquorum doctrinam, asserentium quod in Capellanius, & beneficiis simplicibus, si adsit oppositor idoneus, præferendus non est magis literatus, quia respectu illius occupationis parum interest, sitne magis literatus, necne, Rota *divers. 2.part. decis.16. num.4.* Guttierez *consil.2. num.77.* Rubeus *practicar. resolut. cap.77. à num.283.*

19 Sed noto Rotam non apertè loqui, quia loquitur quando aliquis idoneus fuerit à Patrono præsentatus, qui necessariò est instituendus ab Episcopo, etiamsi alius magis literatus quæri potuerat à Patronis, Sylva *de qualit. Prælat. n.148.* Guttierez verò gratis propositionem illam pro clientulo allegavit juxta consilium Cepolæ *caut.69.* Caballus *resolut.crim.cent.3. casu 287. n.82.* nec Rubeus aliqua majori nititur ratione.

20 Verùm quando concursus datur, & plures adveniunt ad Capellaniam, seu beneficium simplex, magis literatus est anteferendus, ob fundamentum positum *num.17.* Sylv. *num.144.*

21 Difficultas est, an data paritate literaturæ nobilis literatus sit præferendus ignobili literato? quæ quidem quæstio in beneficiis, & aliis Capellaniis disceptatur. Prima sententia affirmat, nobilem anteponendum, *ex c. De multa 28. de Præbend.* ibi: *Circa sublimes personas, & literatas.* Unde ex ordine literæ concipiunt DD. anteponendos esse nobiles literatis ignobilibus. Sed textus ille assumptum non probat; loquitur enim de magnatibus, quorum tanta est nobilitas, ut causa sit ad dispensandum in pluralitate beneficiorum; interest enim Ecclesiæ habere magnos Principes, ut eam defendant. Non verò loquitur de concursu nobilium, & ignobilium literatorum. Cæterùm probatur hæc sententia; nam quando quis nobilis est ex sanguine, præsumitur in moribus melior, *glos. in l. Cum unum. ff. de aliment. & cib.legat.* Bursat. *cons.311.n.60.* Bobadilla *in polit. lib.1.cap.4. num.17.* & uberiores fructus daturus Ecclesiæ, Cevallos *quæst.692.num.34.*

Bo-

Bobadilla in polit. d.lib.1.c.4.n.13. idcircò nobilis data paritate literaturæ præferendus est.

22 Præterea negandum non est concurrere in nobili majorem qualitatem prælationis, nam qualitas oobilitatis in beneficiis valdè considerabilis est, Azevedus in l.9. tit.3. lib.1. Recopilat.n.3. Cenedo ad Decretal.collat.150.num.7. Cabedo part.7. decis.73. n.8. & nobilitas ipsa per se est causa prælativa, Tiraquellus de nobilitat. cap.20. num.10. Gironda de privileg. num.653. Lara de anniverf. lib.2. cap.4. num.1. Hermosilla in prolog. gloss.2. n.119. Amaya in l.1. C. de condit. in publ. num.32. Segura in direct. judic. c.3. num.2. Ergo data paritate literaturæ, anteponendus est nobilis ignobili, Rota apud Farinac. in posth. 1 tom. decis.61, num.1. Cevallos d. quæst.603. à num.30. Lara d. cap.4. num.1. Leon de offic. Capell. quæst.4. praxi 6. num.181. Sylva de qualit. Prælat. n.199. Barbos. de offic. Paroch. 1.p. c.2. num.120. Balmaseda de collect. qu.42. num.3. Thom. Hurtado de resid. tom.1. lib.6. §.7. num.13.

23 Secunda sententia tenet contrarium, ut in beneficiis, & Capellaniis censeantur æquales, & in concursu ad alias qualitates antiquitatis, gradus, &c. recurrendum esse; nam ignobilis, eo ipso quod literatus est, nobilis reputatur, leg. Providendum 7. C. de postul. ubi Cinus, Chassaneus in Cathalog. glor. mund. 10.p. considerat.24. & 35. Velasco de privileg. paup. 1.p. qu.4. à n.42. Ergo nobilitas alterius non est causa prælationis. Et confirmatur, nam ut asserit noster Alphonsus in l.9. tit.9. part.2. hæc nobilitas, quæ virtute propria acquiritur, non est infimæ coodiionis, verùm melioris est existimanda, Hermosilla in prolog. gloss.3. num.2. & 3. quapropter ex sola ista qualitate nobilis non est præferendus, Barbatia lib.2. cons.57. col.6. Sigism. à Bonon. de elect. dub.3. num.4.

24 In hoc dubio distinguendum censeo, quando literatus sanguine ignobili concurrit cum aliquo Procere aut Magnate, vel quando cum alio nobili, vulgò Hidalgo. Quoad primum dico, data paritate literaturæ, in beneficiis, & Capellaniis præferendum Magnatem; nam interest Ecclesiæ habere Ecclesiasticos Principes, ut eorum potentia defendatur, & maxima nobilitate ad exteriora condecoretur: quapropter hac occasione quamplures ditissimæ Præbendæ sunt institutæ in Ecclesia, ut hos Magnates habeat, & ad Clericatum alliciat.

25 Concertatio ergo erit quando concursus fuerit cum aliis nobilibus inferioris nobilitatis: & tunc maxima consideratione prospiciendum, an beneficium, Præbenda, seu Capellania sit in aliqua particulari Ecclesia, in qua ex statuto procuratur, ut Præbendati, beneficiati, aut Capellani sint nobiles, & claritate sanguinis puriores. In hac ergo credo admittendam primam sententiam: Ratio est, nam cùm ibidem tantopere curetur de sanguinis claritate, & nobilitate, est qualitas prælationis sanguinis ipsius oobilitas; hoc enim ibidem desideratur ad exteriorem splendorem, & gravitatem illius.

26 In aliis verò Ecclesiis ubi de hoc non tractatur, minimè nobilitas sanguinis per se erit qualitas prælativa, sed erit recurrendum ad alias qualitates ætatis, antiquitatis, gradus, &c. nam ut asserit textus in cap. Venerabilis 36. de Præbend. in provisionibus genus ooo est attendendum, ibi: Nos igitur attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum Deo faciunt. Et textus in cap. Nos quidem 3. dist.40. ibi: Nos qui præsumus, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus. Et cap. Ad decorem 5. de instit. Vivianus in praxi jurispatr. lib.12. cap.14. n.6. unde communiter circumfertur responsio quorundam Cardinalium, qui ignobilem Pontificem elegerunt: Successorem quærimus Piscatoris, non Augusto, Lara dict. lib.2. cap.3. num.7. Ergo in præsentiarum nobilitas non est causa prælationis.

27 Cæterùm Ecclesia Dei Militans componitur ad instar Triumphantis, in qua oullus aliquam prælationem meretur, nisi ex operibus propriis, nec ullum meritum à sanguine percipitur, idque optimè demonstrat D. Jo: Apocalyps. c.7. ibi: Dixit ei unus de senioribus: Qui sunt, & unde venerunt? Et dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lavaverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. Quem locum explicans Sylveira in Evangel. lib.3. c.4. n.76. sic scripsit: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna. Cur de generis splendore nulla fit mentio? Ad hoc in domo Dei non attenditur, sed tantum ad id quod dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni, dum Christi vestigia sunt sequuti, & imitati. Ergo nec in Ecclesia Militante nobilitas sanguinis aliquam dabit prælationem, ut nobilis ratiooe illius aliis præferantur.

Denique Christus Dominus suam Ecclesiam ex pauperibus, & ignobilibus composuit; solùm enim prospexit eorum sanctitatem, quæ est potissima ratio prælationis: nec Ecclesia indiget nobilitate, aut aliorum splendore, ut splendeat; ipsa enim luculentissima, & formosa est, ut Cantic. cap.4. vers. dicitur: Quàm pulchra es amica mea! Et vers.7. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Quem locum licèt aliqui intelligant de Ecclesia Triumphante, prout intelligunt D. Paulum ad Ephes. cap.5. vers.77. ibi: Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, nec rugam, aut aliquod hujusmodi, sed ut sit sancta, ac immaculata. Attamen alteri intelligunt de Ecclesia Militante, ut ibidem explicat Gislerius, & cum Patribus aliquibus Serlogus in Cantic. tom.3. vestig.29. sect.2. explan.lit. Ergo qualitas nobilitatis non est prælativa, data paritate literaturæ, ubi illa oon petitur ex aliquo statuto. 28

Illud tamen non prætermittas, quod in Ecclesiis ubi qualitas ista est prælativa, intelligitur data paritate scientiæ, morum, prudentiæ, & aliorum requisitorom ad regimen beneficii, seu Capellaniæ, aliàs nobilis non præfertur, semper enim prospicienda est utilitas beneficii, aot Capellaniæ, Tiraquellus de nobilit. c.20. n.9. vers. Quod si virtus, Mazzarius cons.26. n.65. Hermosilla d. gloss.3. n.3. Rota apud Farinac. in posthum. decis.219. n.5. 29

Præterea est alia causa prælativa, nempè paupertas: quapropter quoties pauper concurrit cum divite pariter idoneo, est præferendus; quià in egeno, non solùm concurrit gratia, verùm pietas & misericordia, cap. Episcopus 4. de Præbend. cap. Si pauper 30. eodem tit. in 6. Et confirmatur, nam si duobus datæ fuerint expectativæ, prior pauper providetur, si conceduntur in forma pauperum, Crescentius decis.15. Riccius collect.2474. part.6. & rescripta in forma pauperum, de justitia dicuntur, Rota in antiquis, decis.55. n.4. de Præbend. Staphileus de lit. grat. §. Nona forma pauperum, n.5. Gonzalez in regul.8. gloss.2. n.7. & 8. quamobrem in concurrentia pauper semper est præferendus. Lambertinus de jurepatr. lib.2. part.3. q.5. art.3. n.1. & 7. Rota divers. 2. part. decis.16. num. 7. & 10. Gonzalez d. gloss.2. num.12. Gratianus discept. for. cap.211. n.30. Velasco de privileg. paup. 1. part. quæst.7. num.22. Leon de offic. Capell. q.4. praxi 6. n.253. Valenzuel. consil.135. num.118. 30

Quid verò si dives sit idoneus, an tuoc pauper sit illi præferendus? Et plures asserunt præferendum in beneficio, & Capellania: oam beneficia pauperibus non solùm ex gratia, sed etiam ex justitia debentur. Clement. Literas, de Præbend. gloss. in c. Si pauper. de Præbend. in 6. verb. Pauper, Cassad. decis.8. de concess. præbend. n.9. Itaque pauper, licèt minùs idoneus, erit diviti anteferendus, Velasc. d. qu.7. n.26. Campanill. in diversor. Iur. Canon. rubr.6. c.3. n.32. Sylva de qualit. Prælat. num.181. 31

Hæc sententia absque distinctione mihi admittenda non videtur in Capellaniis, & beneficiis curam animarum habentibus; nam cura animarum, ut per magis idoneum peragarur, validior est causa, quàm causa privati habentis prælationes ob paupertatem, præcipuè cùm in his beneficiis, & Capellaniis non est prospiciendum commodum personæ, sed Ecclesiarum, & insimul animarum; Rota 1. part. recent. decis.537. num.14. Covarruv. in reg. peccatum, 2. part. §.7. num.4. In Capellaniis, & beneficiis simplicibus benigna interpretatione poterit admitti, dummodò pauper idoneus sit ad munera illa explenda, cùm pietas exerceatur, & insimul sofficienter onera sacra illa adimplentur, Rochus de Curte de jurepatron. verb. Honorificum, n.42. Guttierrez cons.2. n.13. 32

Cæterùm in concursu babebit prælationem ille, qui in studiis bona sua impenderit, & ideò paupertate premitur, Auth. Habita, Cod. ne filius pro patre, ibi: Amore scientiæ exules facti sunt de divitibus pauperes. Quæ verba ad id expendit Lara d.c.3. n.11. qui extendit, si pauper fuisset Presbyter, quia ex eo quod ad hæreditatem Domini fuerit vocatus, de patrimonio Ecclesiæ debet alimoniam percipere: & majori ratione id procederes, si dives concurrens habuerit aliud beneficium, Capellaniam, & pauper nullam, quia non solùm habet prælationem paupertatis, sed quòd aliud beneficium non habeat, cap. Is cui 19. de Præbend. in 6. 33

in 6. Rota *in noviss.decis.26.n.2.de prabend.* Rota apud Seraph.*decis.796.n.*1.Sylva *de qualitat.n.*182.

34 Aliquando verò limitant Doctores doctrinam suprà positam,& inquiunt, divitem esse præferendum ad beneficium seu Capellaniam,quando Ecclesia multis debitis gravaretur ære alieno contracto; tunc enim melior erit divitis gubernatio,quàm pauperis Capellani,aut beneficiati,cùm poterit suis propriis bonis illam sublevare, Guttierr. *d.cons.2. n.*13. Barbosa *de offic.Parochi,* 1.*p.c.2.n.*118. Sylva *ubi suprà, n.*184. qui animadvertit id intelligendum, quando speratur provisum debita Ecclesiæ soluturum; nam inquit quotidiè videri beneficiatos, quamvis divites, ex fabricæ bonis æs alienum Ecclesiarum persolvere.

35 Sed non est admittenda Sylvæ restrictio, semper enim sperandum beneficiatum, aut Capellanum divitem, licèt non omnia, aliqua soluturum debita Ecclesiæ, aut quoad poterit in multis sua pecunia illam alleviaturum, saltem mutuando,& aliquas eleemosynas pro illa erogando ad bonum illius: quod nequibit fieri à beneficiato,seu Capellano paupere, quorum aliquos jam vidimus dolentes, quia ob suam nimiam paupertatem suas Ecclesias egenas sublevare non poterant.

36 Inter pauperes pauperior est præferendus; non tamen oblivisçaris, pauperem eum esse, qui licèt sibi habeat necessaria,tamen fratres,aut sorores pauperes habet, Velasco *d.q.* 7.*n.*27.Sylva *de qualit.à n.*189.

37 Sed est quæstio, quando consanguineus, & pauper concurrunt ad Capellaniam, quis eorum sit præferendus? In hoc dubio præmitto, difficultatem non esse quando Capellania vocaverit consanguineos; tunc enim citra dubium consanguinei,etiam divites,preferendi sunt extraneis,etiam pauperibus. Erit ergo difficultas, quando vocati non sunt, quod semper intelligitur, nisi expressim vocentur, ob juris repugnantiam in beneficiis, ne detur imago successionis, *c. Moyses* 6.8.*qu.*1. Acuna *in c.In nomine* 1.*dist.*23.*n.*2. Castillo *controv.lib.3.c.*19.*à n.*118. Quod extendunt alii etiamsi fundator voluerit eos vocare, dummodo non vocaverit, *leg. Quidam* 46. *ff. de heredibus institut.* Federicus Scotus *tom.*2. *respons.lib.5.resp.9.n.*18.Moez *ad textum in cap. Absolutionis, de his qua met.in 6.à n.*135. Sanchez *cons. lib.2. cap.*1. *dub.*11. *num* 4.

38 Hoc ergo supposito,Leon *de offic.Capell. q.4.praxi 6.num.* 256.scripsit, quod etiam in casu, in quo concurrat consanguineus non vocatus in Capellania, & alius idonejor, præferendus est consanguineus, utpotè magis dilectus: quod quidem affirmandum videtur in præsentiarum, quando concurrunt consanguineus, & extraneus pauper, qui licèt ratione paupertatis idonejor videatur, adhuc consanguineus erit præferendus: & confirmatur doctrina Baldi *in Auth.Similiter,C.ad leg.Falcid.n.*4. ubi scripsit, quod si concurrat qualitas consanguinitatis, & paupertatis, prævalet consanguinitas, Decius *cons.*120.*n.*4. nam est causa naturalis,quæ semper prævalet, *l.Tutor petitus* 28.§.1.*ff.de excusat. tutor.*Carrocius *decis.*120.*n.*8.& 10. Ergo in præsentiarum consanguineus erit præferendus,quamvis extraneus,si pauper, Valenzuela *cons.*203.*n.*15.& alii apud Guzm. *verit.*24.*à num.*5.

39 Verùm Sylva *de qualit.Pralat.n.*188. contrarium tenet; nam ex eo quod fundator non vocavit ad Capellaniam consanguineos,rem reliquit in dispositione juris communis, in qua pauper diviti præfertur: ergo in hac concurrentia pauper est præferendus.

Noto verò in hac difficultate concurrere duas qualitates prælativas. Prima est consanguinitatis; licèt enim ad Capellaniam consanguinei vocati non fuerint, si tamen se opponant, habent potiorem causam quàm extranei, respectu quorum præferendi sunt,ut tenuit Rota relata à Leone *d.n.* 156.& nos cap.antecedenti, *n.*71. Est etiam alia causa prælativa,nempè paupertas extranei oppositoris: quapropter dubium est, quænam sit præferenda; videtur enim anteponendam esse causam consanguinitatis,ex eo quod magis dilecta censeatur,& insimul naturalis,ex traditis à Mant. *de conject. lib.6.tit.*11.*à n.*3.

40 Sed contrarium teneo ex his quæ scripsimus *lib.*1. *cap.*1. *n.*16. & 24. ubi probavimus; concurrente causa consanguinitatis, & paupertatis, quæ includit causam piam, & bonum animæ fundatoris, prævalere causam pietatis, & paupertatis: quod idem dicendum in præsentiarum, concurrente qualitate consanguinitatis, & paupertatis. Et comprobatur; nam ex eo quod fundator non vocavit consanguineos ad Capellaniam, voluit illam fundare ex sola causa pietatis, absque consideratione ad familiam: sed illa est gravissima pietas; ut pauper extraneus præferatur diviti consanguineo: ergo in præsentiarum præferendus est pauper extraneus. Denique illud videtur dispositum, & mandatum à fundatore, quod verisimiliter præciperet si occurrentiam casus videret, *leg. Tale pactum* 40. §.*fin.de pact.* ubi glos. fin. *l.Titius* 23.§.*Lucius,ff.de liber. & posth.* Tiraquellus *in l.Si unquam, Cod.de revocand.donat.in prafat.num.*56. latè Castillo *controv.lib.4. cap.12.per tot.* Si ergo fundator Capellaniæ omninò piæ, in qua non sunt vocati consanguinei, vidisset concurrere ad illam pauperem extraneum, & consanguineum divitem, verisimiliter præferret pauperem: ergo iste est præferendus.

41 Est etiam alia qualitas prælativa, scilicet quando concurrit naturalis illius oppidi, ubi fundata est Capellania, cum forensi; præferendus est enim naturalis, *l.In Ecclesiis* 11. *C. de Episc.& Cleric. c.*1. *dist.*70. Idque statutum, quia mores naturalis magis agnoscuntur, & meliùs de residentia speratur,quàm de forensi,*c.Bona 4.de postul.Pralat.*ubi Barbosa *n.*110.Cevallos *q.*693.*num.*35.Covarruv.*practic.c.35.num.*5. Riccius *in praxi for.decis.*191.*num.*200. Lara *dict.lib.2.cap.*3. *num.*19. Garcia *de beneficiis*, 7.*part.cap.9.num.*3. Rota apud Tondut. *de pension. decis.*20. *num.*5. Valenzuela *cons.*105.*à num.*90.

42 Nonnulli id extendunt etiamsi forensis dignior sit; nam ex eo quod naturalis,& originarius magis cognitus sit,& de eo melior residentia speretur, idonejor videtur, Guttierez *cons.2.n.24.&* 25.Gomez *in regul.de idiom.q.*1.Barbos. *in d.c. Bona,n.*111.

43 Sed in examinanda hac doctrina animadverto, hanc causam prælativam de juris rigore non procedere, quin potiùs si forensis præsentetur,& ei beneficium,aut Capellania conferatur,sustinetur collatio,seu institutio,Sylva *de qualit.pralat.n.*196. In nostra verò Castella alienigenæ beneficia Ecclesiastica obtinere non valent, *l.*14.15.& 17.*tit.3.lib.5.Recopilat.*itaque nec Capellaniam Ecclesiasticam: de qua re videndi Rota 1.*p.divers.decis.*413.*n.*1. Azevedus *in d.l.*14.*n.*8. Ojeda *de incompatib.c.24.n.*115.Garcia *de benefic. 7.part.c.*9. D.Salced.*de leg.polit.lib.2.cap.*18.Frasso *de Patron. Ind. c.*30. *num.*13.

44 Quo supposito dico, cessante aliqua prohibitione speciali in beneficiis, & Capellaniis curam animarum habentibus,admittendam non esse illam sententiam;in re enim tanti momenti semper dignior est præferendus,nec cum aliquo damno animarum prælatio naturalitatis, & originis, quæ non de rigore juris, sed ex congruentia admittitur; debet admitti. Id verò maxima consideratione recipies; nam aliquando digniores solent ad concursum venire, de quibus cognoscitur, non ad residendum, nec ad serviendum beneficiis, & Capellaniis accedere, sed ad imponendas pensiones,prout solent facere aliqui Collegæ majores: & tunc naturales,& originarii, licèt minùs idonei, sunt illis præferendi,Sylva *de qualit.n.*197.

45 In aliis verò beneficiis, & Capellaniis simplicibus potest admitti doctrina illorum Doctorum, dummodò certò non cognoscatur, digniorem forensem ad residendum, & inserviendum pervenire; tunc enim timor ille evanescit, qui facit præferre naturalem, & originarium contra digniorem; debet enim in aliquibus casibus præferri forensis, scilicet quando naturalis,& originarius non est idoneus, vel quando forensis Capellaniam fundaverit,& suos alienigenas consanguineos vocaverit, Sylva *de qualit.n.*199. Valenz. *d.cons.* 105. *n.*92.

46 Similiter anteferuntur qui sunt majoris ordinis, veluti Presbyter respectu Diaconi & Subdiaconi, quia magis dignus reputatur,Rota *in posthum.* Farin. *decis.*61.*n.*1. Rota apud Seraphinus *decis.*968.*n.*1.& 2. Guttierez *cons.2.n.22. in fin.* idque admittendum etiamsi Diaconus senior sit; nam ratione majoris Ordinis semper Presbyter præfertur, Gratianus *decis.*161. Hermosilla *in prolog. gloss.2. num.*5. Barb. *d.* 1.*p.cap.2. num.*119. inter illos qui sunt ejusdem ordinis, antiquior antefertur, Rota apud Tondutus *de pens. decis.* 20. *n.*3.

47 Limita verò prælationem istam, quando Presbyter concurreret cum naturali & originario, qui facilè poterat Sacerdotio insigniri; & tamen populus ille indigeret Sacerdote,verùm alter Præsbyter ibidem non esset moraturus; tunc

enim

enim naturalis qui non est actu Sacerdos, præferendus est, ratio enim publicæ necessitatis id petit. Idem admittes si non ordinatus elegantis sit ingenii, de quo valdè speratur Ecclesiæ profuturum; iste enim præferendus est Presbytero. Idem similiter admittes, si Presbyter est dives, & concurrit pauper ad titulum Capellaniæ, seu beneficii ordinandus, aut qui ad studia redditibus illius indigeat; causæ enim istæ sunt superioris prælationis, Lara *d. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 16. Sylva *ubi proximè*, *n.* 105. *&* *n.* 111.

48 Senior data paritate præfertur juniori in Beneficiis, & Capellaniis, sicut in alia qualibet causa, Rota 1. *p. diversf. decis.* 122. & apud Tondut. *d. decis.* 20. *n.* 2. Cevallos *d. q.* 693. *n.* 37. Riccius *in praxi forens. decis.* 191. *n.* 200. *in fin.* Barbosa *d. cap.* 2. *n.* 109. Rota apud Farinac. *in posth. decis.* 61. *num.* 1. Hæc verò prælatio exceptionem suscipit, quando in juniore ornatus virtutum prævalet; aut si senior ita ætate prematur, ut minùs aptus sit ad servitium Capellaniæ, seu Beneficii, Federicus Scotus *lib.* 5. *resp.* 10. *n.* 6. Caputaq. 1. *part. decis.* 129. *&* 311. Leon *de offic. Capell.* q. 4. *praxi* 6. *nu.* 154. Sylva *de qualit. n.* 214.

49 Cæterùm est causa prælativa, quando Clericus qui concurrit, majus exercitium habuerit, eo quod alias Capellanias, seu Beneficia per plura tempora exercuerit, Rota apud Farinac. *d. decis.* 61. *n.* 1. quapropter Rota apud Tondut. *d. decis.* 20. *n.* 5. ponderat exercitium cujusdam ad prælationem, eo quod per plures annos exercuit.

50 Aliæ verò sunt causæ prælativæ, quæ non pendent à persona illius qui ad Capellaniam, seu Beneficium opponitur, sed ab ipsis Patronis, qui præsentant; idcircò quando Patronus variando duos præsentat, primus præfertur: tum præsentatus à Clerico antefertur, quia pinguius jus habet; nequit enim variare. Præsentatus à masculo antecellit præsentatum à fœmina, similiter quando quis præsentatur à Patrono consanguineo, quia habetur ratio conjunctionis personarum. Præsentatus à pupillo præfertur à tutore præsentato, sicut præsentatus à filiofamilias Patrono, præfertur præsentato à Patre, utpotè ejus administratore, Parlad. *diff.* 120. *n.* 21. Lara *d. cap.* 3. *à n.* 23. Palao *de benefic. tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 4. *num.* 21. estque etiam præferendus qui secundum qualitates fundationis fuerit præsentatus, quia necessario est instituendus, Cevall. *d. q.* 693. *num.* 28. Lara *d. cap.* 2. *n.* 22.

51 Est quæstio non prætermittenda, an quando uxor fuerit Patrona, & maritus unum præsentavit, alterum verò mulier, quisnam sit præferendus. Prima sententia dicit, præsentatum ab uxore esse præferendum; nam licet maritus habeat fructus bonorum uxoris in dotem datorum, non sunt nisi illi necessarii ad sufferenda onera matrimonii, *leg. Dotis fructus* 8. *in princ. l. Si quis Stichum*, §. *Ibi dos*, *ff. de jur. dot. l. Pro oneribus* 8. *C. eodem tit.* non autem jus præsentandi, quod est honorificum: quare jus præsentandi remanet penes uxorem, & ab ea præsentatus, necessario præferendus est, Abbas *in cap. fin. de conceff. Præbend. n.* 8. *&* 9. Lambertinus *de jure patronat.* 3. *p. tract.* 2. *art.* 3. Decius *in l. Fœminæ*, *ff. de reg. jur. n.* 47. Britto *in rub. de locat. cap.* 5. *n.* 169. Guillelm. Bened. *in quæst. Thesaur. à n.* 5. Montealeg. *in praxi*, *lib.* 1. 2. *p.* §. 2. *n.* 16.

52 Secunda sententia tenet contrarium, quia jus patronatus transit ad maritum, prout & dominium aliarum rerum dotalium, *l. Doce ancillam* 9. *C. de rei vindic. l. In rebus* 30. *vers. Naturali*, *C. de jur. dot. l.* 7. *tit.* 11. *part.* 4. Ergo cùm maritus sit dominus illorum bonorum, jus præsentandi transit ad illum, & consequenter ab eo præsentatus præferendus, Barbosa *in d. l. Divortio* 8. §. *Si vir*, *ff. solut. matr. n.* 58. Garcia *de benef.* 5. *p. cap.* 9. *n.* 181. Leon *de offic. Capell.* q. 4. *praxi* 3. *n.* 254. Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 223. Mant. *decis.* 140. *n.* 13.

53 In hoc dubio considerandum, duobus modis posse jus patronatus dari in dotem: scilicet quando ipsum subsistit per se, aut quando annexum est villæ, vel castro; quando enim subsistit per se, minimè transire valet ad maritum ex sola dotis datione, quia necessaria est licentia Episcopi, & nequit absque ea ad laicum transferri, *c. Illud* 8. *de jurepatronat.* ubi Scribentes, Riccius 3. *p. collect.* 496. Tondutus *tom.* 1. *c.* 54. Salgado *de protect.* 2. *p. cap.* 14. *n.* 39. Itaque præferendus erit præsentatus à muliere, non autem à viro, Spino *de testament. gloss.* 4. *numer.* 112. Lara *dict. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 29. Riccius *collect.* 1453. Sylva *de qualit. Prælat. num.* 77.

54 Quando verò annexum est villæ, vel Castro, potest accessoriè in dotem dari, & transferri ad maritum, *cap. Ex literis* 7. *de jurepatron.* Cabedo *de Patron. Reg. Coron. cap.* 3. *n. fin.* Frasso *de Patron. Ind. cap.* 4. *num.* 47. *&* 48. qui plures dat, scribens tunc non esse necessariam licentiam Episcopi; idque duobus modis fieri valet, nempe quando villa, vel castrum daretur in dotem æstimatum ea æstimatione quæ venditionem faceret; tunc enim simul cum villa, vel castro transiret jus patronatus ad maritum, *leg. Quoties* 5. *C. de jur. dot. l. Ex conversione*, *C. de pactis*, *l.* 16. *&* 18. *tit.* 11. *part.* 4. Covarruvias *practicar. cap.* 28. Gomez *in leg.* 40. *Taurs*, *n.* 44. Mantica *de tacit. lib.* 12. *tit.* 29. & consequenter ab eo præsentatus erit præferendus, Garcia *dict.* 5. *part. cap.* 9. *à num.* 162. Palao *d. tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 4. *num. fin.*

55 Altero etiam modo, quando villa, vel castrum cui annexum est jus patronatus, in dotem datur, vel prædium, in quo adhæret, absque aliqua æstimatione, sed simpliciter ad dotem conceditur: quo quidem casu quamplurimi tenent, præsentatum à marito esse præferendum; nam ad eum transit dominium rerum dotalium, tum commoditas, & ususfructus illarum, *l. Dotis fructus* 8. *ff. de jur. dot. leg. Pro oneribus* 8. *C. eodem tit.* in quo quidem jus Patronatus continetur, gloss. fin. *in cap. Cum Bertoldus*, *de re judicat.* Gloss. *in cap. Cum olim*, *de majoritat. & obedient.* Ergo jus Patronatus cùm ad maritum transeat, inde est ut ab eo præsentatus præferatur, Guttier. *de tut.* 3. *part. cap.* 29. *num.* 3. Mantica *de tacit. lib.* 12. *tit.* 30. *num.* 24. Lara *de Capell. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 29. Castillo *de usufruct. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 36. Parlad. *diff.* 120. *num.* 22. Frasso *dict. cap.* 4. *à num.* 52.

56 Hæc fundamenta solida, nec efficacia sunt; nam incertum est, rerum dotalium dominium transire ad maritum, hoc enim quamplures negant: alteri verò distingunt, ut dominium civile transeat, & naturale apud uxorem remaneat. Verùm quando nulla æstimatio facta est, asserendum existimo, minimè rerum dotalium dominium ad maritum transire, uti probat textus *in l. In rebus* 30. *C. de jur. dot.* ibi; *Cum eadem res ab initio uxoris fuerit, & naturaliter in ejus permanserit dominio*. Quæ verba apertè denotant dominium remanere apud uxorem, idque naturæ jure, quia sine illius voluntate nequit dominium ad maritum transire, *reg. Id quod nostrum*, *ff. de regul. jur.* Thomasset. *reg.* 263. Menochius *de præsumpt. lib.* 5. *præs.* 47. *num.* 14. Nec enim ex eo, quod solùm in dotem det, vult dominium transferre ad maritum, quod quidem necessarium erat per æstimationem, quæ faceret venditionem, ut est clarus textus *in l. Quoties* 5. *C. de jure dot.*

57 Idem sentire apertè videtur Consultus *in l. Quamvis* 75. *ff. de jure dot.* ibi: *Quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est*. Dos enim, quatenus maritus fructus ejus percipit, in bonis mariti videtur adesse: ast revera mulieris est, idque quoad dominium. Suntque alia jura pro hac parte, quæ congessit Pichard. *princip. Instit. quibus alien. licet, vel non*, *num.* 2. Nec contraria, quæ congessit *n.* 10. contrarium probant; intelligenda enim sunt quando æstimatio fecerit venditionem, aut de dominio impropriè sumpto, eo quod interim quo durat matrimonium, & dominium mulieris quasi in silentio est, ut loquitur Pichard. ubi proximè *n.* 11. & maritus vicem domini exercet: aut quando pacto expresso mulier ad maritum dominium transferret, quo quidem casu verè esset dominus.

58 Secundum fundamentum diluitur; nam jus præsentandi, nisi aliud expressum fuerit, semper remanet inseparabiliter cum dominio rei, cui annectitur, prout videre est in bonis majoratus, quæ si habeant annexum jus patronatus, & in dotem dentur, mulier ipsa præsentat; quia dominium illorum bonorum non transit ad maritum, Molina *de primog. lib.* 1. *c.* 24. *n.* 32. Guttierez *d.* 3. *p. c.* 29. *n.* 4. idem dicendum quando bona cui annexum est jus Patronatus, pignorarentur, aut in sequestrum darentur; quia cùm dominium ad creditorem, non ad illum in quo sequestrantur, transeat, minimè queunt præsentare, Sahagun *in c. fin. de sequestrat. possess. n.* 56. Cevallos *commun.* q. 740. Barbosa *de univers. jur. lib.* 3. *c.* 12. *à n.* 236. Amaya *in l.* 46. *C. de Decurionibus*, *à n.* 51. Ergo cùm in nostra specie dominium bonorum, quibus annectitur jus patronatus, non transeat ad maritum, nec ipse valet præsentare.

59 Unde admitto in hac specie doctrinam illorum Doctorum

rum asserentium, præferendum esse præsentatum ab uxore; nam cùm maritus nequeat præsentare, necessariò est instituendus à muliere præsentatus, & eadem necessitate anteferendus, Giurba *ad Consuet. Messan. cap.* 1. *glossa* 2. *num.* 43. Camill. Borellus *controv.* 61. *à num.* 10. Palao *d. disput.* 2. *punct.* 4. *num.* 28. Azorius *Institut. Moral.* 2. *part. lib.* 6. *cap.* 22. *quæst.* 2. Villalob. *in Sum.* 2. *part. tract.* 9. *diff.* 6. *num.* 9.

60 Sed dices, jus patronatus non est inseparabile à dominio, quin potiùs si aliquis creditori dederit bona cui annexum est jus patronatus jure pignoris, jus præsentandi ad ipsum transfert, *l.* 9. *tit.* 15. *par.* 1. quod saltem de jure Regio observandum scripsit Frasso *d. cap.* 4. *num.* 50. & tamen ad creditorem non transit dominium, sed nec possessio, *leg. Si pignoris* 37. *ff. de pignor. action. l.* 1. §. *Per servum*, *ff. de acquir. poss.* Ergo non est inseparabile à dominio rei, cui annectitur.

61 Jura enim Regia disponentia circa spiritualia, aut spirituali annexa, jus non decernunt, sed tantùm uti opiniones habentur, quare illa contra Frassum non admittimus; asserendum est enim, minimè creditorem posse præsentare, ut docent relati *num.* 58. Marc. Maranta *respons.* 50. *num.* 42. *part.* 4. Poterit tamen in aliquo casu percipi lex illa, nempe si bona traderentur creditori, non solùm ut ea haberet ut pignus, sed ut possideret; nam cùm tunc possessio ad illum transiret, posset præsentare, *cap. Querimoniam* 9. *cap. Consulti* 19. *de jure patronat.* prout etiam posset sequester, ad quem ex voluntate domini transferretur possessio, ut cum Sahagun docet Amaya *in dict. lib.* 46. *num.* 53. nam tunc nomine ipsius Domini præsentare videtur, ut in conductore ad longum tempus, ad quem possessio, & utile dominium transfertur, *cap. Ex literis* 7. *de jure patronatus*, Amaya *dict. num.* 53. vel ad modicum tempus, si in conductione ex voluntate Domini traderetur possessio, alias nec dominium, nec possessio transit ad conductorem, *leg. Certè* 6. §. *Is qui*, *ff. de precario*: nec poterit præsentare, quidquid aliqui in contrarium senserint, de quibus Lopez *in d. l.* 9. *gloss.* 1. Maranta *dict. respons.* 50. *per tot.* Cevallos *quæst.* 740. Cenedo *quæst.* 10. Frasso *dict.* 1. *part. cap.* 5.

62 Quando enim sunt plures Patroni, ille præfertur, qui fuerit præsentatus à majori parte, quod intelligas respectu aliorum præsentatorum, v. g. sunt decem Patroni, Petrus præsentatur à quatuor, Antonius à tribus, & Paulus ab aliis tribus. tunc præfertur Petrus, quia respectu aliorum à majori parte est præsentatus. Secus verò si à Collegio præsentaretur, quia major pars consideranda est habita consideratione ad Collegium, non ad præsentatos, *cap.* 3. *de jur. patronat.* Lambert. *de jur. patronat.* 3. *part. lib.* 2. *art.* 2. *quæst.* 4. Leon. *de offic. Capell. quæst.* 4. *praxi* 6. *num.* 250. Vasquez *in opuscul. de benefic. cap.* 2. §. 1. *dub.* 7. *n.* 20. Palao *d. disp.* 2. *punct.* 8. *n.* 2.

63 Dicitur enim præsentatus à majori parte, qui habet plures Patronorum voces, non habita comparatione zeli ad zelum, sed meriti ad meritum, Rota apud Farinac. *tom.* 2. *decis.* 146. *num.* 4. Vivianus *in praxi jurispatron.* 2. *part. lib.* 12. *à num.* 1. Est tamen quoad prælationem animadvertendum, quod licet Patronus seipsum præsentare non possit, si verò ab aliis Patronis præsentetur, auget numerum, itaut necessariò sit anteferendus, si ab aliis Patronis aliquis præsentetur, Abbas 2. *p. cons.* 25. *n.* 3. Rota apud Farinac. *in posthum. decis.* 291. *n.* 2. Sylv. *de qualit. prælat. à n.* 59.

64 Denique quando jus patronatus relinquitur Rectori alicujus Ecclesiæ, & Parochianis, duæ tantùm sunt voces, *ex l. Interdum* 13. *ff. de hæredibus instituend. leg. Si Pater* 9. *ff. de vulgar.* Crescentius *decis.* 4. *de jure patronat.* Rota 1. *part. divers. decis.* 770. *num.* 1. Rota apud Farinacium 2. *tom. decis.* 308. Gratianus *disceptat. forens. cap.* 70. *num.* 14. Si tamen unus Parochianorum Rectori accrescit, præfertur à Rectore præsentatus; nam cæteris paribus, quod uni accrescit, etiamsi minimum, prævalet, *leg. Si duo Patroni*, ubi gloss. *verb. Habitum*, *ff. de jurejur.* Sylva *de qualit. Prælat. num.* 71. Barbosa *lib.* 3. *vot.* 121. *num.* 18.

CAPUT X.

De aliis qualitatibus Capellani, petitis à fundatore, nempe gradus nobilitatis, & sanguinis puri.

SUMMARIUM.

Fundatores Capellaniarum solent quasdam qualitates ponere in Capellaniis, num. 1. *Si petat fundator quod Capellanus sit graduatus, sufficit quilibet gradus; si Doctorem, & non inveniatur, Licentiatus admittetur: Doctores actu legentes, seu scribentes præferuntur, n.* 2.

Quando Doctor vocatur ad Capellaniam, an sufficiat absque scientia. Prima sententia affirmat, n. 3. *Secunda negat, num.* 4. *Resolvitur à n.* 5.

Quid si graduatus sit, deficientibus aliquibus requisitis? Sub distinctione respondetur, & in foro poli, si idoneus fuerit, erit tutus, num. 7.

Graduatum ab aliquo Principe sufficere dicit Leon, num. 8. *Sed contrarium tenendum, n.* 9. *& quomodo gradus probetur, n.* 10.

Fundator potest apponere conditionem nobilitatis, & quod triplex sit nobilitas, n. 11.

Hæc qualitas, de qua nobilitate sit intelligenda, num. 12. *Non intelligitur de nobilitate morum, sed sanguinis, num* 13.

An quando nobilis vocatur ad Capellaniam, admittendus sit nobilis ex privilegio? Negant aliqui n. 16. *Affirmant alteri, n.* 17. *Resolvitur à n.* 18. *& possunt admitti Doctores, n.* 19.

An admittendi ex patribus nobiles, & non ex matribus, explicatur, & resolvitur affirmative, à numero 20. *Debent tamen esse legitimi: in Hispania sufficit esse naturales, vel spurios Magnatum, n.* 22. *aut legitimatos n.* 23.

Nobilitas est probanda, & quomodo, n. 24.

Potest fundator apponere qualitatem sanguinis puri, & est licita ista conditio, contra Montalvum & alios à num. 25.

An hæ conditiones, seu statuta puritatis hodie expediant? Aliqui negant, & latè comprobatur hæc sententia, à num. 29. *& seqq. Hispani ab antiquissimis temporibus Catholicæ fidei fuere addicti, & in ea constantissimi, quorum fides enituit præcipuè in Maurorum invasione, num.* 30. *Hispaniarum regna à Iudæis & Mauris expurgata, n.* 31. *Vnde ex statutis puritatis gravissima eveniunt damna, suntque iam prorsus inutilia, num.* 32. *& seq. In praxi tamen prædicta sententia negans non servatur, num* 34.

Hispani honorum avidissimi, & ardentissimi zeli erga religionem Catholicam, ibid. Veri Dei cultores antiquissimi probantur, num. 35. *& seqq.*

Idololatria quando cœperit, à num. 36. *Non statim ab ejus initio ad Hispanos pervenit, n.* 39. *A quibus ad eos idola deportata, num.* 40. *Hispani plurimi à cognitione veri Dei non defecere, præsertim Bætici, n.* 41. *&* 42. *Idem de Gallæcis asseritur, num.* 43.

Hispani in lege gratiæ semper verum Deum coluerunt, & ab hæresi valde abhorruerunt, n. 44. *Vnde ab eis discrimen puritatis Religionis auferre difficillimum est, num.* 45. *Ideo apud nos quando in Capellaniis petitur puritas sanguinis, est probanda, n.* 46. *Sed est differentia probandi in statutis, & in Capellaniis, num.* 47. *& quomodo probetur, num.* 48.

Quando quis fuerit in possessione puritatis, nequit testis ex aliqua occulta notitia contra eum deponere, num. 49.

Sed quid si sit statutum inquirens de impuritate occulta confirmata à Summo Pontifice, & testibus notificata, an possit testis deponere notam occultam? Ponitur ratio dubitandi, num. 51. *Affirmat Moya, n.* 52. *Explicatur à num.* 54.

An quando plures testes deponunt de puritate sanguinis, & pauci de impuritate, reiiciendus sit oppositor? Prima sententia negat, n. 56.

Affirmat secunda, num. 57. *Resolvitur, & explicatur, à n.* 58.

1 FUndatores Capellaniarum, multoties istas qualitates solent petere ad splendorem ipsius Capellaniæ, quæ quidem necessario à Capellano sunt habendæ, aliàs præsentari non poterit, Cevallus *quæst.* 393. *à num.* 32. Leon *d. quæst.* 4. *praxi* 6. *n.* 174. Lara *de Capellan. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 1.

2 In primis igitur si fundator præceperit, ut eligatur, aut præsentetur Graduatus simpliciter, Gradu non designato, sufficiet eligere Doctorem, Licentiatum, aut Bachalaureum, quia sufficienter paritur ejus voluntati, Mendo *de jur. Academic. lib.* 1. *q.* 11. *num.* 304. Si verò Doctorem vocaverit, Doctor, si inveniatur, erit necessariò eligendus, seu præsentandus; si verò non inveniatur, sufficiet Licentiatus: nam in favorabilibus sub nomine Doctoris: intelligitur Licentiatus, Gabr. *tit. de major. & obed. concl.* 1. Besoldus *de studiosis*, *cap.* 8. Mendo *dict. q.* 11. *num.* 305. Riccius *in praxi*, 2. *part. resolut.* 667. Leon *d. quæst.* 4. *praxi* 6. *num.* 78. Inter Doctores, si concurrant, præfertur qui actu legit non legenti, *l.* 2. *C. ut dig. ord. servet.* Rebuffus *in tract. nomin. q.* 21. *num.* 48. Sicut etiam Doctor scribens antecellit non scribentem, ille enim suis vigiliis, & continuo labore multis prodest, Sylva *de qualit. prelat. à n.* 151. Frasso *de Patronat. Ind.* 1. *p. c.* 31. *n.* 18.

3 Est verò dubium, an quando vocaretur Doctor ad Capellaniam, vel Beneficium, sufficiat esse Graduatum, sed absque scientia? Qua in re duæ sunt sententiæ. Prima affirmat, quia licet scientiam non habeat, habet tamen Gradum, & fruitur omnibus privilegiis illius; quamobrem si de facto institueretur, aut ei conferretur Capellania, seu Beneficium, validè id fieret, ut in Capellaniis tenet Leon *dict. q.* 4. *praxi* 6. *num.* 176. & in aliis Beneficiis Azor. 2. *par. Instit. Moral. lib.* 6. *c.* 6. *q.* 1. Mand. *ad reg.* 16. *Canc. q.* 13. *n.* 4. Barbosa *de offic. Episc.* 2. *p. alleg.* 55. *n.* 5. Garcia 2. *p. de benef. cap.* 7. *num.* 50.

4 Secunda tenet contrarium, nam quando petitur gradus Doctoratus, non simpliciter gradus quæritur, sed scientia, per quam fit quis idoneus ad munus illud obeundum: ergo non sufficiet gradus absque scientia. Et confirmatur, nam in rebus agendis, id quod principaliter intenditur, est in consideratione, *leg.* 1. *ff. de authorit. tut. cap. Ad audientiam, de præscript.* ubi Gloss. Surdus *cons.* 67. *num.* 31. quando enim gradus Doctoris petitur, quod principaliter intenditur, est scientia ad rectius exercenda opera sacra, & spiritualia: ergo non sufficiet gradus absque scientia in Capellaniis, & Beneficiis, ubi requiruntur gradus, Gratianus *discept. forens. cap.* 186. *à num.* 29. Barbosa *de Canonic. cap.* 26. *n.* 9. Thom. Hurtado *tom.* 2. *tr.* 3. *c.* 1. §. 3. *n.* 429.

5 In hac difficultate prospicienda sunt munera Capellaniæ, seu Beneficii, an teneatur curam agere animarum, confessiones excipere, prædicare, aut litteras docere: & in hoc casu si petat Doctorem, seu Licentiatum, non valet admitti graduatus absque scientia, prout tenet secunda sententia; nam tunc requiritur gradus, quatenus supponit scientiam ad munera illa exercenda, & rectè adimplenda. Ergo non sufficiet gradus absque scientia. In Capellaniis, seu Beneficiis simplicibus, in quibus aliud onus non est, nisi recitare Officium Divinum, & Missas celebrare, videtur admittenda prima, quia licet fundator petat gradum Doctoratus, tantùm est ad honorem, & auctoritatem Capellaniæ, quod sufficienter fit per solum gradum, absque scientia.

6 Sed adhuc teneo contrarium; nam in his Capellaniis, & Beneficiis simplicibus non solum gradus requiritur, sed etiã scientia, quia licet pro nunc non requiratur, potest accidere occasio, ut sit necessaria: tum quia Præsbyter, ut Presbyter tenetur scire, & esse paratus ad docendum, & instruendum populum, ut cum D. Petro, & Paulo diximus *c. anteced. n.* 17. quapropter etiam in his Capellaniis, & Beneficiis simplicibus gradus, si petatur à fundatore, non sufficiet absque scientia. Cæterùm si gradus in illis peteretur ad solam gravitatem, & splendorem, gradus absque scientia tam longè se habet ut deserviat ad gravitatem, & honorem, quin potius ridiculus, & ignominiosus sit, Craveta *cons.* 65. *ad medium*: nec debet talis graduatus frui privilegiis Doctoratus, Menochius *de arbitrar. casu* 379. *n.* 12. Gratianus *d. cap.* 186. *n.* 29. Ergo etiam quando Capellaniæ, aut Beneficia sint simplicia, neque petant nisi Missas celebrare, & recitare Officium, si gradum petunt, non sufficiet illum habere absque scientia.

7 Quid verò dices, si graduatus habuerit scientiam, sed gradum susceperit deficientibus aliquibus requisitis, aut contra statuta Universitatis? Et communiter respondetur, distinctionem esse faciendam, quando requisita deficientia irritant gradum ipso jure, & tunc non sufficiet; secus si valeat, donec irritetur, idque in foro fori observandum, Azorius *d. lib.* 6. *cap.* 6. *q.* 1. Garcia *d. cap.* 7. *n.* 51. Massobrius *in praxi*, *requisit.* 10. *dub.* 8. Barbosa *d. allegat.* 55. *n.* 5. In foro autem poli tutus erit, dummodo scientiam habeat, quamvis illa requisita deficiant, Parlador. *diff.* 12. *n.* 25. Diana 4. *p. tract.* 4. *resol.* 173. Ludov. à Conceptione *in examin. tom.* 2. *tr.* 1. *lit. D*, §. 4. *illat.* 9.

8 Si tamen aliqui fuerint graduati ab aliquo Principe ex privilegio speciali, possintne admitti ad Capellaniam, seu Beneficium vocantem Doctorem, seu graduatum, sub judice est? Leon *d. praxi* 6. *n.* 179. scripsit admittendos, nam in favorabilibus sub nomine Doctoris, aut Licentiati, à Principe graduati intelliguntur: cùm ergo favor sit iste, vocati censentur.

9 Sed contrarium tenendum; nam ex Constitutione Pii V. similes facultates datæ Principibus sunt revocatæ, ut cum Garcia docet Massobrius *in praxi*, *requisit.* 10. *dub.* 6. *num.* 6. & transcripsit Mendo *de jur. Academic. lib.* 1. *q.* 12. *n.* 314. de jure nostro Regio adest textus idem prohibens *in l.* 5. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopilat.* quapropter gradus isti nulli sunt censendi, nec ipsi sic graduati poterunt admitti ad Capellanias, aut Beneficia gradum requirentia. Cæterum vel fundator requirit gradum ad scientiam, vel ad honorem Capellaniæ: utrumque verò deficit in his à Principe graduatis; nam ut animadvertit Mendo nuperrimè allegatus, gradus in Academiis conceditur ob examen, à Principibus verò ob solam liberalitatem; unde similiter graduati scientiam non habent, & consequenter nec honorem, cùm isti, ut dicebamus *num.* 6. plus ad risum deserviant, quàm ad auctoritatem, & decorem.

10 Doctoratus, aut alterius gradus probatio fit per demonstrationem privilegii, aut per duos testes deponentes de publica voce, & fama, Flaminius *de resignat. lib.* 10. *q.* 3. *n.* 49. Caputaquens. 1. *p. decis.* 277. & 2. *p. decis.* 6. Leon *d. praxi* 6. *n.* 180. qui cum Lessio animadvertit, hanc qualitatem non requiri præcisè tempore præsentationis, & institutionis; sed sufficere, quod habilis sit ad gradum istum statim comparandum.

11 Præterea fundator Capellaniæ, aut Beneficii, conditionem valet apponere, ut non nisi nobilis ad illam admittatur, exclusis ignobilibus, Lara *d. c.* 4. *n.* 2. Leon *d. q.* 4. *praxi* 6. *n.* 176. Hanc qualitatem ut benè explicemus, observo nobilitatem in triplici esse differentia. Prima est nobilitas animi, id est excellentis virtutis: secunda sanguinis, & est merè personalis, procedens ex genere, & sanguine majorum, *l.* 3. *ff. de interd. & relegat. l.* 2. *tit.* 21. *p.* 2. Garcia *de nobilit. gloss.* 7. *n.* 17. Valenzuela *cons.* 90. *n.* 114. tertia est fortunæ, id est, quæ ex magnitudine divitiarum provenit, quæ si ab antiquis receptæ fuerint, majori ratione decorem, & nobilitatem afferent: unde D. Hieronymus in epist. ad Helvid. *Nobilitas mundi, nihil aliud est, quàm inveterata divitia*, Bart. *in leg.* 1. *C. de dignit. lib.* 12. *à n.* 14. Mexia *in Nobiliario, lib.* 1. *c.* 4. Moreno *de la Nobleza*, *disc.* 2. Ast propriè loquendo licet divitiæ causam præstent ad nobilitandum, tamen verè nobilitas non sunt, Bart. *in d. l.* 1. *n.* 47. Tiraquell. *de nobilit. c.* 3. *à n.* 13. Moreno *d. disc.* 2. & *disc.* 9. *num.* 8. Jul. Capponi *tom.* 1. *discept.* 52. *c.* 1. *n.* 2.

12 Unde dubium exoritur, an quando nobilis vocatur ad Capellaniam, seu Beneficium, de qua nobilitate sit qualitas illa intelligenda? Et quoad nobilitatem divitiarum, dico quæstionem non esse: tum quia non est vera nobilitas: tum quia non facilè credendum, fundatorem qui piam causam instituit, voluisse ad illam vocare divites, sed potiùs pauperes.

13 Ergo erit concertatio inter nobiles morum, & sanguinis: quo in dubio affirmandum videtur, nobilem morum etiam vocatum esse, quia ista est vera nobilitas, & præstantior altera ex sanguine procedente. Itaque *l.* 1. *Regum*, *c.* 2. legitur: *Quicumque honorificabit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, D. Hieronymus *in epist. ad Demetriadem*, ait: *Nulli te unquam generis pro nobilitate præponas, nec obscurioris quoque loco natus, te inferiorem putes: nescit Religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed*

ani-

animos suscipit singulorum. Sola apud Deum libertas est non servire peccatis. Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus. Quid apud Deum nobilius Petro, qui piscator fuit, & pauper? Quid in fœminis Beata Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur. Latè Naxianxenus *de nobil. malè morig.* noster Alphonsus *in l.12. tit. 21. par.2.* Edoardus Vvestonus *de morib. Christ. Reipubl. lib.1. c.19. n.3.* Bollo *in œconom. can. 1. clas. §. 4.* Pich. *de nobilit. communic. num. 75.* Bobadilla *in polit. lib. 1. cap. 4. à n. 5.* Ergo iste erit admittendus. Denique illa est optima interpretatio, quæ fit à verisimili fundatoris mente, Carpio *de execut. testament. lib. 3. cap.6. n.6.* Si enim vidisset oppositorem ad suam Capellaniam, seu Beneficium, Clericum excellentis virtutis, proculdubio illum admitteret, etiamsi nobilis non fuisset: Ergo idem facere poterunt patroni, seu electores.

14 Sed admitti non valet boc placitum; nam in fundationibus illud quod principaliter eas regit, est voluntas fundatoris, *l. In conditionibus, ff. de condit. & demonstrat.* quapropter cùm nobiles vocat, intelligitur de sanguinis nobilitate, alias viros probos, & excellentis virtutis vocaret. Et coofirmatur discursus, nam quoties dicitur nobilis, intelligitur de oobilitate sanguinis, *cap. 1. de his quæ met. cap. Dilectus 2. de ordin. cognit. cap. Ex tenore 11. de for. competen.* Si verò nobilis morum oominatur, nota morum, seu virtutis designatur, *cap. Nosque, dist. 4. cap. Venerabilis 37. de præbend.* Ergo si fundator tantum nobilem vocet, intelligitur de nobilitate sanguinis, non morum, Præterea quando fundator vocat oobiles ad Capellaniam, non solùm morum honorem prospexit (supponitur enim nominandum Clericum non esse debere pravis moribus imbutum, sed benè morigeratum,) sed splendorem nobilitatis sanguinis, quæ quidem etiam Sacris Litteris probatur, *lib. 1. Regum, cap. 9.* ibi *Ecce vir Dei est in Civitate hac vir nobilis.* Deut. cap. 1. *Moyses tulit de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles constituit.* Proverb. cap. 31. *Nobilis in portis vir ejus.* Marci capite 15. *Abbari Mathias nobilis Decurio,* Bobadilla *d. c. 4. n. 12.* Ergo dicendum, nobilem morum non esse admittendum ad Capellaniam.

15 Unde fundamenta contraria dilabuntur; non enim negamus virtutum nobilitatem non esse præstantiorem, quàm sanguinis; sed negamus voluisse fundatorem illam vocare nobilitatem; quia in arbitrio ejus fuit eligere nobilitatem sanguinis, licet inferiorem. Ad alterum fundamentum dico, illam verisimilitudinem admittendam, quoties non versamur in claris, quæ faciunt cessare quamlibet conjecturam, *l. Nuptura filio, ff. de jur. dot.* Surdus *cons. 37. num. 17.* Tuschus *lit. P, concl. 612.* Gratianus *discept. tom. 5. cap.835. n. 15.* Cùm ergo clarè voluit fundator vocare nobiles ex genere, admittendi non sunt nobiles morum.

16 Prorsus est alia quæstio exaranda, an quando nobiles vocantur ad Capellaniam, vel Beneficium, nobilis ex privilegio sit admittendus? Negavit Lara *d. cap. 4. n. 106.* nam quando aliqua qualitas petitur, intelligitur de naturali & propria, *l. 3. §. Hæc verba, ff. de negot. gest. l. fin. C. de his qui veniam temp. impetrarunt:* nobilitas autem ex privilegio per accidens est, nec naturalis, nec descendens à genere: Ergo nobilis ex privilegio non est admittendus ad Capellaniam. Cæterùm, qoia licet nobilitas ex privilegio sit nobilitas, tenet tamen diversos effectus; non tamen ita æstimatur, prout nobilitas ex genere, quare pensaodum, noluisse illam nobilitatem vocare fundatorem, & consequenter non est admittendus nobilis ex privilegio.

17 Contrarium tenent Leon *d. q. 4. praxi 6. num. 18.* Capponi *d. discept. 55. cap. 2.* nam nobilitas ex privilegio vera nobilitas est, quia nulla est nobilitas, quæ non processerit à concessione Principis, Avendannus *in d. verb. Cavalero,* Baexa *de inop. debit. cap.16. num.37.* Guttierez *pract. lib.3. q. 13. num. 99.* Itaque vocatis nobilibus; etiam nobilis ex privilegio est admittendus. Deinde utraque nobilitas, sive ex sanguine, sive ex privilegio, vera est, & non nisi ex tempore distinguuntur, *l. 1. C. de præposit. lib.12. l.6. tit.27. par. 2.* quæ qoidem circumstantia parvi ponderis est: Ergo nobilis ex privilegio admittendus est ad Capellaniam nobiles vocantem.

18 In hoc dubio maxima consideratione prospicienda sunt verba fundationis bane vocationem facientia; nam denotare possunt vocari nobiles ex genere ad majorem honorem, & auctoritatem Capellaniæ, prout in aliquibus statutis potentibus oobilitatem sanguinis, à qoibus exeluduotur nobiles ex privilegio: & in hoc casu admittenda est doctrina Laræ; Escobar *de purit. sang. 1. p. q.4. §. 5. n.56.*

19 Si verò simpliciter vocet nobiles, etiam nobiles ex privilegio sunt admittendi, quia revera adimpletur voluntas fundatoris; nobiles enim sunt, Moreoo *de la nobleza, disc.11. n.4.* Capponi *d. discept. 52. c.1. n.10.* Escobar *d. §.5. num.53.* Tum quia ad Beneficia Ecclesiastica parum conducit scrupulosè nobilitatem disquirere, quare sufficiet oobilis ex privilegio. Quapropter etiam admittendi sunt Doctores, & Licentiati graduati per insignes Universitates, ot in nostra Castella est Salmanticensis, Vallisoletana, Compluteosis quoque; isti enim nobiles sunt, Barbosa *d. appellat. 164. n. 6.* Capponi *d. discept. 52. cap. 1. n.9.* Escobar *d. q.4. §. 5. n. 4.* quod absque scrupulo faciendum censeo, cùm isti ultra nobilitatem ex gradu acquisitam, habeant litteraturam; qua digniores, & idoneiores redduntur ad Ecclesiam, Leon *d. praxi 6. n.188.*

20 Dubitari etiam poterit, an ad has Capellanias vocantes nobiles, possint admitti qui ex patribus nobilibus, sed ex ignobilibus matribus nascuntur? Et dicendum videtur, minimè recipiendos, quia isti licet fidalgui dicantur, propriè tamen nobiles oon sunt, *l. 7. & 20. tit. 18. part. 2.* Gregor. *in l. 6. tit. 18. par.2. gloss. 1.* Farias *ad Covarr. lib. 2. c.1. n.20.* Capponi *d. c.1. n.22.* Cùm ergo Capellania nobiles vocet, intelligendi sunt propriè, non impropriè.

21 Sed in specie consideranda sunt etiam verba fundatoris, quæ si expresè, aot tacitè demonstrent velle vocare propriè nobiles ex utroque parente, ex patre tantùm nobiles admittendi non sunt; nam ut docet Natta *cons.637. num.16.* Tiraquellus *de nobilit. c.18. n.26.* magis clara est nobilitas ex utroque parente, quam vult fundator Capellanum habere, oon verò alteram minoris claritatis. Si verò id non demonstret nobilis ex patre sufficiet, quia vulgò isti nobiles dicuntur, & fidalgui, *l.3. tit.21. p.2. l.4. tit.21. p.4. l.1. tit.11. p.7.* Tiraq. *de nobilit. c.15. per tot.* Otalora *de nobilit. 2. p. c.1. & 3.* Olanus *in Concord. jur. lit. B, nu. 10.* Cevallos *comm. quest. 688. num. 9.* Farias *d. n. 22.* quo in sensu intelligendum, sic vocasse nobiles ad Capellaniam, Garcia *de nobilit. gloss. 18. à n.26.* Lara *decis. 34. à n. 52.*

22 Debent verò filii patrum nobilium esse legitimi, alias ad eos non transit nobilitas, nec ad Capellaniam similem admittendi sunt, ut cum Viviano notat Leon. *dict. praxi 6. n. 196.* idque excipit, si contraria consuetudo contrarium observaverit, prout in Hispania, ubi nobilitas patris communicatur filio naturali, *l. 1. tit. 11. part. 7.* ubi Gregorius *gloss. 4.* Gomez *in l. 9. Tauri, n. 52.* Guttierez *pract. lib. 4. q. 23. n. 4.* Molina *de iust. tract. 2. disp. 179.* Spurii verò non participant, nec illis communicatur nobilitas patris, quos ad has Capellanias vocare, seu nominare oefas est. Verùm in Hispania receptum est, ut bastardi Magnatum pro legitimis habeantur, & oobiles communiter reputentur. Mena *variar. lib. 1. cap. 16. n. 9.* Noguerol. *alleg. 23. n. 12.* Escobar *de purit. 2. part. q. 4. §. 8. à n. 18.* Solorzan. *de jur. ind. tom. 2. lib. 20. cap.7. n. 49.* qui quidem cum nobiles habeantur, possunt ad has Capellanias eligi, & præsentari, dum à Pontifice ad adipiscendum Beoeficium dispensetur, propter illegitimitatem.

23 Quod idem asserendom de legitimatis à Principe, si natalibus restituantur cum expressa mentione nobilitatis, ex traditis à Julio Capponi *d. discept. 52. c.1. à n. 19.* Leon *d. n.196.*

24 Oppositores verò ad Capellaniam vocantem nobiles, suam nobilitatem probare tenentur; est enim qualitas extrinseca, quæ non præsumitur, nec nobiscum nascitur, & ideò oecessariò est probanda, Baldus *in l. Non ignorat, C. qui accus.* Covarr. *var. lib. 2. cap. 16. n. 10.* Tiraquellus *de nobilit. cap. 10. n. 3.* Barbosa *d. appellat. 164. n. 14.* Probatur enim nobilitas communi existimatione, & opinione bominum immemoriali, si sanguinis sit, *l. Providendum, C. de postul.* si verò sit ex privilegio, per præsentationem privilegii. Similiter probatur per præscriptionem immemorialem, qoia habet vim tituli: per libros historicos ejusdem loci, aot per alios actus, qui tantùm nobilibus competunt, de quo videndus Leon *d. praxi 6. n.197.* Guttierez *pract. lib.3. q.17.* Mascardus *de probat. concl. 1095. à n. 1.* Garcia *de nobilit. gl. 7. à n.21.* Riccius *1. p. collect. 37.*

25 Valet etiam fundator aliam apponere qualitatem, scilicet ut

ut Capellanus præsentandus sit de sanguine puro veterum Christianorum, aut si aliquam maculam impuritatis habuerit, excludatur; quia quilibet fundatòr potest, quaslibet conditiones apponere in sua fundatione, nisi turpitudinem contineant adversantem juri divino, aut naturali, aut à jure reprobentur, & interdicantur, Rubeus *pract. cap.* 86. *n.* 83. inter quas ista non est: verum à multis statutis approbatur, & justissimam esse probant Navarrus *in Manual.* c.27.*n.*205. Hojeda *de incompatib. c.* 21. *n.* 153. Diez *in praxi, c.* 23. ubi Salcedo, Mieres *de major.* 1. *p. q.* 51. *à n.* 22. Lara *d. lib.* 2. *c.* 4. *à n.* 2. D. Salcedo *de leg. Polit. lib.* 1. *c.* 5. *à n.* 5. Idque ita juris expediti est, ut contrarium asserere sub anathemate à Supremo inquisitionis Senatu interdictum sit, Azevedo *in l.* 22. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopilat. n.* 4. Escobar *de purit. sang.* 1. *p. q.* 2. *à n.* 9. qui *n.* 12. inquit, statuta similia puritatis tanquam leges esse observanda, etiam in foro conscientiæ, ad tradita a Rojas *de incompat.* 3. *p. c.* 3.

26 Multi vero similibus statutis, & conditionibus repugnarunt, quos refert Barbosa *lib.* 3. *vot.* 93. *conclus.* 2. *à n.* 47. Ast inter alios Montalvus *in leg.* 2. *fori, tit.* 3. *lib.* 4. *verb. Tornadizo*, acerbè loquitur, ibi: *Quæ conclusiones, seu opiniones, sic generatæ, quantum sunt detestabiles, quantum Deo, Sanctisque sint contrariæ, Divina, Prophetica, necnon Evangelica Lex, & Sacri Canones docent.* Unde perpendere libet; nec similes conditiones puritatis sanguinis posse à fundatoribus apponi, uti repugnantes juri divino.

27 Montalvus tamen oscitanter loquitur nimio zelo; non enim statuta ista, & conditiones Capellaniarum universalia sunt in tota Hispania, ita ut maculati isti ab omnibus honoribus, officiis publicis, & Ecclesiasticis repellantur; hoc enim infensum fuisset Catholicę Religioni, & conversi retraherentur ab illa suscipienda, dum omnibus privati perpetua infamia laborarent: tum & facillimo negotio illam susceptam desererent, haberentque similia statuta turpitudinem, & injustitiam adversus nostram sanctissimam, & verissimam Catholicam professionem, prout ipse asserit.

28 Sed inter nostrates non ita; tantum enim sunt aliqua Collegia, & Ecclesiæ, & aliquæ Confraternitates, seu Communitates, tum & aliquæ Capellaniæ petentes hanc qualitatem sanguinis puritatis, stantibus aliis quamplurimis, & officiis, ubi maculati honorari possunt, & admitti: non enim est contra jus divinum & naturale, ut aliquæ Communitates majori honore, & auctoritate condecorentur, dum ab aliis infecti valeant suscipi, & honoribus affici: quapropter similia statuta, & Capellaniarum conditiones justissimas existimo, Cevallos *comm. q.* 900. *à n.* 107. Amaya *observat lib.* 2. c. 6. *n.* 52. Villar *lib.* 1. *respons.* 12. *n.* 37. Solorzan. *de jur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 4. Bobadilla *in polit. lib.* 1. *cap.* 4. *à n.* 26.

29 Ast hodie disquirere placet, an similia statuta, & Capellaniarum conditiones sint necessariæ, aut convenientes in nostra Hispania? Marius Curellus *ad ll. Federici, cap.* 63. *not.* 73. graviter carpit nostros Hispanos ob id quod habeant similia statuta, & discriminatim vivant inter veteres, & novos Christianos, asseritque tanto Imperio solum deficere tale discrimen ablegare: plura alia inconvenientia attulit Torreblanca *de jur. spirit. lib.* 13. *c.* 22. *à n.* 54. apud Toletanos olim statutum decretum fuit, ne ex Judæis descendentes, etiamsi Christiani fuissent, ad officia ascenderent, nec Tabelliones, nec Advocati existerent, prout Rex D. Alphonsus Sapiens eis concesserat, ne Christiani novi officia, vel beneficia haberent. Veruntamen Nicolaus Pontifex simile statutum duabus Bullis reprobavit, prout fecit D. Alphonsus Carillo Archiepiscopus Toletanus, in Complutensi Synodo, & D. Petrus Gonzalez de Mendoza in alio apud Victoriam celebrato, ut refert Mariana *in Hist. Hisp. lib.* 22. *c.* 8. quod credo ob gravissima inconvenientia factum esse, non quia talia statuta per se illicita fuissent: unde majori ratione videtur dicendum, hodie nec necessaria esse, nec convenientia similia statuta.

30 Idque rationibus probandum; nam in cordibus Hispanorum adeò fixa est Catholica Fides, ut quamvis aliqui Judæorum, aut Maurorum macula conspergantur, tamen uti veterani Christiani pro ea mori non vereantur; idque experimento capimus ex pluribus Martyribus, qui apud Indos quotidiè, tanquam Christi strenui milites martyrii laureolam suscipiunt. Sed miranda Hispanorum Fides in rebellione Maurorum (vulgò *de las Alpujarras*) ubi tanti Ecclesiastici, & Sæculares gravissimas mortes, & tormenta ob Christi Fidem tanta patientia sustinuerunt: de qua te legendi D. Didacus de Mendoza *integro tract. illius belli*, Fuenmayor *in vit. Pii V.* latè, & benè Cabrera *in vit. Philippi II. lib.* 8. *à c.* 14. quod etiam deponere possum, quia cùm ferè per vigintiquinque annos confessiones exceperim, nunquam aliquem habui pœnitentem, nisi firmissimum Catholicum: idem gravissimi Patres Confessores mihi deposuerunt, ob idque gratias Deo Optimo Maximo rependo. Tum quia nostri Hispani tanto sunt Fidei lumine illustrati, ut jam cessarint quælibet suspiciones, quæ in Fide & moribus in his maculatis, & infectis inveniebantur, nec necessaria similia adsunt statuta, & nunc nec necessaria, nec convenientia videntur à ratione cessante, ut latè probat Barbosa *d. vot.* 93. *n.* 58.

Prætetea Judæi ab Hispania expulsi sunt à Rege Ferdinando Catholico, Mauri à Philippo III. unde Regna ista purissima relicta sunt. Si tamen aliqui eorum macula inurantur, ita vetustissimi sunt Christiani, ut de eis nihil contra Fidem valeat suspicari, idcircò ex diuturnitate temporis sicuti alii Christiani veteres debent censeri, prout minori tempore factum est apud Gallos & Italos, Barbosa *d. vot.* 93. *n.* 66. Ergo similia statuta, & Capellaniarum conditiones hodie necessaria non sunt, nec convenientia. 31

Cæterùm gravissima damna proveniunt ex his statutis; nam ut considerat Curellus *d.* c. 63. *not.* 73. qui sunt ex plebeis parentibus, & ignotis, ex hoc capite minimè repelluntur ab honoribus, & officiis quamplurimis: nobilissimi tamen, & generosi rejiciuntur, quorum origo cum cognita est, insimul agnoscitur eorum macula: tum & qui nullam habent, pro faciendis informationibus gravissimas expensas faciunt, unde quamplures familiæ ad paupertatem perveniunt, & quod magis est, in his informationibus plura observantur contra legum ordinem, unde multi præclari viri ex odio, aut ignorantia infamia asperguntur, prout latè ostendit Torreblanca *d. c.* 22. *à n.* 52. Ergo ob tam gravissima damna, jam nec necessaria, nec convenientia sunt similia statuta, & conditiones Capellaniarum. 32

Denique hac nostra tempestate, in qua pecunia tantùm habet imperii, experimur omnes maculatos, licet manifestissima nota inurantur, ad omnia officia, & communitates statutum habentes ascendere, jam informantium, aut testium corruptione, jam obscurata veritate, ruptis instrumentis, aut falsificatis atrocissimis delictis ad id commissis, nec causa cadunt, nisi qui absque marsupio claritatem sanguinis prætendunt. Ergo cùm videamus tot modis statuta ista illudi, necessariò fatendum, jam non esse convenientia, nec Reipublicæ utilia. Ad nihil enim deserviunt, nisi ut divites illa munia omnia obtineant otiosi, & imperiti; pauperes verò honorati, idonei, & periti obscuro loco abjiciantur, quod maximè dolendum. Ergo non sunt necessaria jam hodie, nec convenientia talia statuta. 33

Sed hæc, & alia gravissima fundamenta à peritissimis viris considerata, quorum multos refert Barbosa *d. vot.* 93. *concl.* 2. *per tot.* apud nostrates nihil suadent, itaut nec pragmaticam promulgatam Matriti 10. Febr. 1623. quam transcripsit Torreblanca *d. c.* 22. *à n.* 52. rem maximè mitigantem, recipere voluerint; sunt enim Hispani avidissimi ut honoribus afficiantur, Escobar *de purit. sanguin.* 1. *p. q.* 1. *proœm.* §. 5. *n.* 2. Tum erga Religionem Catholicam ardentissimi sunt zeli, & pietatis, ut benè consideravit Lyndanus *in Apolog. tom.* 2. ibi: *Pietas Christianorum hoc facit, ut immunis ab hac labe permaneat Catholicæ veritatis Senatus. Itaque Chrysostomus dicit, Paulum per Hispaniam peregrinasse, quia in ea noverat fervorem, zelumque altissimæ charitatis*, Mariana *lib.* 1. *Hist. c.* 6. *vers. En lo mas.* Quapropter hæc statuta, & discrimen inter veteres, & novos Christianos, toto corde observant. 34

Idque non solum his temporibus, verùm etiam à priscis nostris majoribus adservatum videbimus, si antiquitatis monumenta evolvamus: & ut res pateat, Hispaniam in triplici statu libet contemplari. Primò à creatione mundi usque ad idololatriam, in quo omnes homines Deum verum agnoverunt, & coluerunt. *Sapient. c.* 10. *vers.* 5. ibi: *Ecce unus est populus, & unum est labium omnibus.* Unitas enim populi ostendit eandem esse religionem, cum id ad bonam politicam pertineat, ut ex hostibus etiam, scilicet Machiavello, & Bodino, recepit Torreblanca *de Magia, lib.* 3. *c.* 2. *n.* 6. Minnano *Bas. Pontif. tr.* 1. *q.* 5. §. 1. *n.* 8. quod idem dicendum est in nostra Hispania, si deserta non erat ante idololatriam, quod affirmat Genebrardus *lib.* 1. *Chronolog.* 35

Sed id dependet à cognitione, quando idololatria originem ha-

habuerit: nonnulli ante diluvium adfuiſſe dicunt à tempore Enoch. *Gen. c. 4. verſ. 26.* ibi: *Iſte cœpit invocare nomen Domini*. Ubi paraphraſis Chaldaica vertit: *Tunc in diebus illis inceperunt filii hominum, ut non orarent in nomine Domini*. Hæbrei plures dicunt: *Tunc profanatum eſt in invocande nomine Domini*: & cum eis confert Metaphraſtes, quorum ſententiæ aſſentitur Torniellus *Ann. Sacr. anno mundi* 236. reſiſtit Minnano *d. §. 1. num. 5.* & rectè videtur; nam fundamentum Dornielli ſolidum non eſt, volentis probare diluvium proveniſſe ex peccatorum multitudine, Gen. *c. 6. verſ. 5. & 6.* unde credendum, filios hominum etiam idololatriam exercuiſſe: verum ad Hiſtoriam conjecturæ parum probant: è contra eſt alia, nempe Textus ſacer, rem tam novam, & ſingularem non omiſſurus, prout facit quoties Judæi ad idola convertebantur.

37 Igitur tenendum cum S. Thoma 2. 2. *q. 94. art. 4. ad* 2. in prima ætate nullam adfuiſſe idololatriam, ſed tantùm poſt diluvium cœpiſſe. Sed valde res hæc eſt incerta, & diverſis opinionibus involuta. Aliqui à Regibus ortum idololatriæ deducunt, quos poſt obitum maximo honore proſequebantur ſubditi, Polydorus Virg. *de invent. lib. 1. cap. 5.* Alteri à Phœnicibus, Chaldæis, & Aſſyrus originem habuiſſe ferunt, Solem, Lunam, & Sydera adorantibus? nec defuere qui Zoroaſtem inventorem idololatriæ prædicent, Gregorius Turonenſis *in hiſt. Franc. lib. 1. c. 5.* Sunt alteri dicentes à Nino ortam, qui Belum patrem adoravit: alii à turre Babylonis, de qua re videndus Hieronymus *ad Oſee cap. 2.* ibi: *Et erit in die illa*, Torniellus *Ann. Sacr. Ann. ab orbe condit.* 1997. Euſebius *de preparat. Evang. lib. 1. cap. 6. & 7.* Serlogus *in Cant. antiloq. 5. ſect. 5. ſubſect. 3. n. 93.*

38 Aſt credo originem habuiſſe ab amore patrum, qui tenerè obitum filiorum ſentientes, imagineſque eorum facientes, ſervi eas adorarunt: demonſtrat clarè textus ſacer *Sapient. c. 14. verſ. 15.* ibi: *Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem: & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos Sacra, & Sacrificia*. Quod Thare primus, Abrahæ pater, poſt mortem filii ſui Aran fecit, ut exiſtimant plures aſſerentes poſt diluvium, tranſactis ducentis & quinquaginta annis, idololatriam cœpiſſe, quo quidem tempore jam erat Hiſpania populata à Tubale nepote quinto Noe, & filio Japhet, ut unanimes tenent noſtri hiſtorici, Florian. de Ocampo *Hiſt. Gen. lib. 1. c. 1.* Mariana *lib. 1. c. 1.* Sanchez *de rebus Hiſp. lib. 1. c. 2.* Villegas *Floſc. 2. tom. 2. p. c. 3.* Marure *Proſapia de Chriſto, 2. ætat. c. 2. §. 4.*

39 Nec tamen ſtatim idololatria ad Hiſpaniam pervenit; nam licet aliqui dicant Oſirim Ægyptiorum Regem primum idololatriam Hiſpanos docuiſſe, Baſſæus *in Chron. c. 10. à n.* 514. Mendoza *ad Concilium Illiber. II. cap. 4. ad fin.* incertiſſimum tamen eſt; quippe non ipſe Deos coluit, verùm poſt ejus mortem ob egregias illius virtutes, ſimulque ad Rempublicam proficuas, tanquam Deus venerabatur ſub nomine Apis, Serapis, & Oſiris, Siculus *lib. 1. cap.* 2. Euſeb. *de preparat. Evangelic. c. 3.* Ocampo *d. lib. 1. cap.* 11. Sanchez *d. lib. 1. c. 7.* Mariana *lib. 1. cap.* 8. Ergo non potuit Hiſpanos idololatriam docere.

40 Verum nationes diverſæ, quæ ad Hiſpanorum opes capiendas advenerunt, idola portarunt, & fana conſtruxere: etenim Zacinthi templum Dianæ ſacrarunt, inſtitutis ſacrificiis, apud Hiſpanos in Promontorio Dianæ, Saagunto ſibi occupato. Mariana *lib. 1. c. 12.* & nonnulli Hiſpanorum alterum Tariſę Herculi dicarunt, multiſque ibidem ceremoniis, & hoſtiis decretis, famoſum reddiderunt, Mariana *d. lib. 1. c. 9.* Subſequentes Phœnices, Rhodii, Carthaginenſes & Romani ſimilem adduxerunt peſtem.

41 Verum noſtratium plurimi ab idololatria ſegregati, ab agnitione Dei Optimi Maximi non deſecere: ex Bæticis plures ſe immunes ab idololatria adſervarunt; nam ut ſcribit Ephorus Socratis diſcipulus, ante Chriſti adventum 330. annos, Bætici nullum templum habebant, nulloſque Deos; ſed tantùm ternos lapides, quibus cultum præſtabant; ſic enim, quamvis confusè, Trinitatem colebant: meminit Strabo *lib. 3. de ſit. orb.* Adſtipulatur ſolemnitas fœderum inter antiquos à ſacra Pagina benè conſcripta, *Gen. c. 3. verſ. 45.* ubi Jacob, & Laban fœdus inierunt acervo lapidum conſtructo, ut ſic teſtem Deum adducerent: poſtea dæmon ceremoniam illam imitatus eſt, quando Ethnici ſuper lapidem terminalem jurabant, de quo Plato *lib. 8. de legib.* Dionyſius Hallicarn. *de Antiquit. Rom. lib. 2.* vel quando jurabant per Jovis lapidem manu apprehenſum, & poſtea dimiſſum, Feſtus Pomponius *lib. 10. in princ.* Favorinus *ad Gell. lib. 1. c. 2.* Alex. ab Alex. *Genial. l. 5. c. 5.* ubi Tiraq.

Sed dices, Bæticos habuiſſe templum Herculis ab eis frequentatum, ubi idololatria exercebatur, ut diximus cum Mariana: ergo dicendum eſt, non in vera Religione permanſiſſe. Sed reſpondetur, id ab aliquibus Bæticorum ſuſceptum, non ab omnibus; vel aliter, templum illud, licet Herculeum diceretur, dicatum erat ignoto Deo, Silius Italic. *lib. 3.* Nonius *in Hiſpan. c. 9.* Ignotus verò Deus ſemper Deus verus, & prima cauſa exiſtimabatur, ut eſt optimus locus *Act. Apoſt. c. 17.* ibi: *Præteriens enim, & videns ſimulacbra veſtra, inveni aram, in qua ſcriptum erat*, IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*, Auguſtinus *lib. 1. cont. Creſcentium, cap. 9.* unde cognoſcitur Bæticos minimè ibidem exercuiſſe idololatriam, ſed Dei veri adorationem. 42

Quod in Bæticis advertimus, idem notandum in Gallecis auctoritate Strabonis *de ſit. Orb. lib. 3.* aſſerentis, nullum Deum habuiſſe; idque Gentiles dicebant, quia nec ſimulachra, nec templa inter eos habebantur: verùm Galleci fanis, & idolis excluſis, Deum verum colebant. Similiter ex eodem Strabone decerpitur, Celtiberos, & ad latus boreale habitantes, id eſt partes Septentrionales Hiſpaniæ, Deum verum adoraſſe; quia inquit Deo cuidam abſque nomine ipſos deſervire, qui quidem erat verus, cujus nomen dicere non permittebatur, niſi tantùm Sacerdotibus in nuptiis, Abul. *ad Exod. c. 6. q. 1.* 43

In tertio verò ſtatu, nempe legis gratiæ, Hiſpani ſemper Deum verum coluerunt, & ſtatim à morte Chriſti Domini ſuam ſanctiſſimam legem ſuſceperunt, quam nos docuerunt D. Jacobus, D. Petrus, & D. Paulus noſtrorum excellentiſſimi Prædicatores, Pineda *in ſua Monarch. lib. 10. c. 31.* Sophronius & alii *in epiſt. ad Rom. c. 15.* Puente *de la convenien*cia, *lib. 2. c. 10. & lib. 7. per tot.* & licet Gothi hæreſim Arrianam ad Hiſpaniam traduxerint, quantum noſtrates eam abhorruerint, ex multis Conciliis comprobatur, in quibus Catholici cum hæreticis communicare interdicuntur, & tanquam ab igne adurente aufugiendum decreverunt Carthag. IV. *can. 70. 71. & 72.* Africanum ſub Cœleſtino, *can.* 60. Bracharenſe I. *can.* 15. Epaunenſe *can.* 15. Illerdenſe *can.* 15. Toloſanum ſub Victorio II. *can.* 13. Lateranenſe ſub Alex. III. *c. 27.* Lateranenſe ſub Innoc. III. *c. 3.* Clemens Pontifex *lib. 6. Conſt. Apoſt. c. 11. 13. & 16.* quod item apud Hiſpanos adſervatum, ita ut à primis temporibus cum infidele, aut hęretico matrimonium inire graviter prohiberetur, Concilium Illiberitanum *can. 15. & 16.* ubi Mendoza, & Gonzalez. 44

Ex his igitur cognoſcitur, quantum à priſcis temporibus Hiſpani optimæ religionis cultores, ſemper cum diſcrimine vixerint ab aliis ſuperſtitioſam, & vanam exercentibus, nec cum eis convenire voluiſſe, ſed ſemper ſegregati ardentiſſimo zelo puritatem religionis adſervarunt: quapropter ab eis ablegare ſimile diſcrimen difficillimum eſt. 45

Igitur quando in Capellaniis, aut Beneficiis qualitas ſanguinis puritatis petitur, neceſſariò eſt ſervanda, & inſimul probanda; nam licet omnes Hiſpani veteres Chriſtiani præſumantur, Cevallos *d. quæſt. 900. n. 95.* Eſcobar *de purit. ſang. 1. p. q. 8. §. 2. n. 1.* quoties tamen qualitas ponitur in conditione, conſideratur prout ſubſtantia, & neceſſariò eſt probanda, *l. 4. §. Quoties, ff. de damn. infect.* Cæterùm quia hæc qualitas inter Hiſpanos reſpectu ſtatutorum, & conditionum Capellaniarum eſt quędam ſpecialis nobilitas proveniens ab ipſa qualitate, Lara *de Capell. lib. 2. c. 4. n. 119.* Ergo neceſſariò eſt probanda, Lara *d. c. 4. à n.* 22. Valenzuela *conſ. 90. n.* 47. Eſcobar *de purit. ſang. 1. p. q. 8. n. 3. & d. q. 8. §. 2. num.* 34. Cevallos *q. 900. n. 112.* 46

Eſt verò in modo probandi differentia in ſtatutis, ac in Capellaniis; quia in ſtatutis dantur informantes, qui abſque citatione partis teſtes examinant, nec ab ea producuntur, Lara *d. c. 4. n. 24.* Torreblanca *d. lib. 13. c. 2. à n.* 54. Pareja *2. tom. de edit. inſtr. tr. 10. reſol. 4. per tot.* Quod quidem in Capellaniis non obſervatur, verum oppoſitores hanc qualitatem articulant partibus citatis, prout aliquoties obſervatum vidi, quod ut magis juri conforme, ubi contraria non fuerit obſervantia, ſemper debet ad praxim adduci. 47

Probatur enim puritas ſanguinis per famam, & commu- 48

nem

nem opinionem, historiam, instrumenta, testes de auditu, ac per alias circumstantias, quas hic referre longum esset. Rota apud Farinac. Lara d. cap. 4. Valenzuela d. cons. 90. Escobar d. 1. part. à quæst. 8. Carleval. de jud. tom. 2. tit. 2. disp. 3. à num. 3.

49 Illud verò observandum, ut quando quis fuerit in possessione nobilitatis, vel puritatis sanguinis, nequeant testes ex aliqua occulta notitia contra illum deponere; nam tunc agerent contra leges charitatis, & justitiæ. Tapia lib. 5. de just. Car. quæst. 27. art. 2. à n. 1. nec judex, aut informans aliud petet, alias injustitiam, & rem illicitam peteret: quapropter si oppositor, aut candidatus apud probos, & graves personas integram famam habuerit, licèt apud plures levis famæ integra non esset, nequit dici infamatus, nec testis valet contra eum deponere, etiamsi in his terminis interrogaretur; nam potest æquivocè respondere, ut perdoctè docet R. Moya 2. tom. Select. tr. 2. de Relig. disp. 1. q. 7. à n. 11.

50 Erit tamen dubium, an quando sunt aliqua statuta inquirentia de impuritate sanguinis, etiam occulta, confirmata à Summo Pontifice, & testibus notificata, debeant etiam occultam infamiam impuritatis deponere? Et in hoc casu videtur asserendum, adhuc deponere non posse, quia Summus Pontifex non videtur approbare statutum eo modo, ut opponatur juri divino, & naturali servandi famam proximi, quando publicè bonus, & purus ab omnibus habetur, licet occultè sit denigratus: ergo etiam statuto sibi notificato, & de eo certioratus, nequit testis deponere de occulta impuritate oppositoris; vel candidati.

51 Præterea licet oppositor consentiat statuto, ex eo quod vult illo honorari, nequit ipse absque gravissima culpa id facere; non enim est dominus suæ famæ, nec in re tam gravi honoris se ipsum potest lædere, Abbas & Felinus in c. 1. de testib. cog. Lupus tr. de Reg. Navarr. 3. p. §. 2. Cajet. 2. 2. q. 73. art. 2. Pedraza in Summa, precepr. 8. §. 2. Valencia tom. 3. disp. 5. q. 17. punct. 2. & alii apud Navarram de restit. lib. 2. c. 4. n. 111. & apud Sanch. Select. disp. 46. n. 9. Ergo ex nullo capite testis poterit etiam certioratus de statuto, dicere impuritatem occultam oppositoris, seu candidati.

52 Sed contrarium tenet R. Moya d. q. 7. n. 14. nam in probabiliori sententia quisque est dominus suæ famæ, sicut & aliorum bonorum externorum, illamque absque culpa perdere valet, si aliqua adsit causa rationabilis, ut famam jacket, ut latè probat Navarr. de rest. d. lib. 2. cap. 4. à n. 115. Lessius de just. lib. 2. cap. 4. dub. 11. vers. Contrà obicies, Prado Theolog. Mor. tom. 2. c. 25. q. 2. §. 5. & sine causa tantùm erit peccatum veniale ex vitio prodigalitatis, Navarr. in Man. c. 18. n. 27. & 28. Sanchez d. Select. 49. n. 9. Layman in Sum. lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 4. n. 15. Villalobos 2. p. Sum. tr. 10. diff. 9. à n. 10. Covarr. lib. 2. var. cap. 2. n. 2. & 8. Ergo cùm oppositor ex causa adipiscendi honorem statuti, consentiat ut impuritas occulta inquiratur, rectè testis poterit eam detegere: tum quia renunciat juri naturali illi competenti, ne occulta impuritas sanguinis detegatur.

53 Temperat tamen perdoctus ille vir, nisi aliis grave damnum irrogaretur; quia ipse pro se tantùm valet juri naturali renunciare, nec ullo modo poterit aliis præjudicare, Tapia d. lib. 5. q. 14. art. 11.

54 Verùm, ut clarius rem explicem, dico absolutè loquendo, etiam in specie de qua loquimur, minimè testem deponere posse talem occultam impuritatem, absque gravi culpa: nam ut certum est, confirmatio Pontificis ita est intelligenda, ne aliquam culpam contineat, nec animarum dispendium, c. 1. de pact. ubi Scribentes, c. Quintavallis 23. de jurejur. c. Quamvis, de pact. lib. 6. Tum quia quando tractatur de detegenda impuritate sanguinis, inseparabile est præjudicium aliorum consanguineorum: quo casu etiam ex consensu illius candidati nequit fieri infamatio aliorum, c. Non sunt audiendi 56. 11. q. 3. prout etiam libet intelligere Augustinum de bono viduit. c. 22. ibi: Conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis, ac proinde crudelem esse qui famam negligit, Navarrus d. c. 8. n. 28. & 61. Sanch. d. disp. 46. n. 9. ad medium, Sanch. in Decalog. lib. 6. c. 8. n. 43. ad fin. Escobar de purit. sang. 1. p. q. 1. proœm. §. 2. n. 20. Idcircò licèt candidatus consentiat, & renunciet juri suo, nequit testis occultam impuritatem sanguinis detegere in præjudiciũ aliorum consanguineorũ.

55 Poterit tamen in aliquo raro casu testis deponere, quando oppositoris, aut candidati nulli essent consanguinei ex linea ubi macula provenit, nec ex tali depositione aliorum grave præjudicium irrogaretur, aut quando omnes illi consentiant, ut tales fierent informationes, certiorati de tali qualitate impuritatis occultæ: unde R. Moya petit, ut consulantur propinqui consanguinei, & ad informationes consentiant, non contradicendo.

56 Est dubium in hac probatione puritatis sanguinis; an quando plures testes deponunt prætendentem esse puri sanguinis, & sic audivere a suis majoribus, & ab omnibus veterem Christianum reputari, & teneri; sed pauciores dicant contrarium, an paucioribus standum sit. Prima sententia asserit, non standum esse paucioribus, sed plurimis, ita ut admittatur oppositor; nam quando agitur de probanda fama alicujus, standum est paucioribus testibus deponentibus bonam esse, quam pluribus dicentibus malam, Gabr. de testib. concl. 4. n. 24. Grammaticus vol. 2. cons. 6. Mantua cons. 67. Valenz. cons. 90. n. 84. Ergo in specie multò magis credendum est his, quando plurimi dicunt de bona fama, & puritate candidati, quàm paucioribus contrarium dicentibus. Et confirmatur; nam hæc credulitas magis conformis est nostræ Religioni præcipienti semper de proximis bene existimare. Cæterùm pro hac opinione adest regula generalis asserens, quando adsunt probationes contrariæ, præferendam esse partem pro qua adest major numerus testium, c. Ex litteris 3. de probat. c. In nostra 32. de testib. l. 3. §. Ejusdem, ff. de testibus, l. fin. vers. Lex enim, C. de fideicom. Rota apud Farinac. 1. p. decis. 272. n. 2. Buratus decis. 912. n. 2. Farinac. in praxi crimin. q. 65. n. 107. Fagnan. in c. Ne innitaris, de const. n. 281. Ergo etiam in præsenti, major numerus est præferendus, maximè in causa tam gravissimi documenti: tenet, & defendit hanc sententiam Cevallos comm. q. 900. à n. 48. Castillo l. 5. controv. c. 123. n. 17. Carleval. tom. 2. de ind. disp. 3. à n. 14.

57 Secunda sententia tenet contrarium, ex communi praxi Hispaniæ, ubi observatur, quod quando aliqui sunt testes dicentes impurum esse, etiam plurimis contrarium dicentibus, semper rejicitur oppositor: quæ quidem praxis probatur; nam ut quis bonus dicatur, necessarium est, ut sit ex integra causa: ergo malus dicendum est, si ab aliquibus, etiam paucioribus, impurus dicatur. Præterea testes, qui dicunt esse puri sanguinis, deponunt de negativa, scilicet quod non descendat de Judæis, seu Mauris, nec à punitis à S. Officio Inquisitionis. Testes pauciores deponunt de affirmativa, nempe ab eis descendere: sed duobus testibus deponentibus de affirmativa magis creditur, quàm mille negantibus, Glos. in l. Diem proferro, §. Si plures, ff. de recept. arbitr. verb. Consenserunt, Mascardus de probat. concl. 70. n. 2. Maranta in l. Is potest, ff. de acquir. heredit. n. 329. Natta vol. 2. cons. 283. n. 4. Gutierr. alleg. 6. n. 1. ergo istis paucioribus credendum est: tenent Lara de Capell. lib. 2. c. 4. à n. 60. Paz de tenut. tom. 2. c. 32. ex n. 65. Amaya in Apologia pro Collegio Conch. n. 28.

58 In hoc dubio maxima consideratione prospicienda sunt statuta; seu Capellaniæ petentes sanguinis puritatem; si enim petunt non solum quod prætendentes sunt veteres, & antiqui Christiani, verùm etiam tam integræ puritatis, ut nihil contra eos unquam dictum fuerit, nec publicè, nec secretè, tunc admittenda est secunda sententia; nam tunc puritas sanguinis non solum quomodolibet à fundatore petitur, sed quod nulla fama, aut dicta contra eam existant: quapropter si aliqui sunt testes, qui dicant contra oppositorem, etiamsi pauciores, statutum, seu Capellaniæ conditio vulnerabitur, Escobar de purit. 2. p. q. 9. §. 3. n. 75. Valenz. cons. 90. num. 47. Amaya in Apolog. per tot. præcipuè à n. 63. Ergo, &c.

59 Erit ergo dubium, quando simpliciter in oppositoribus peteretur, ut essent antiqui Christiani: quo casu si pauciores testes deponerent verisimilius quam plures, ita ut ex eis magis cognosceretur veritas, tunc præferendi sunt isti plurimis contrarium deponentibus, etiam in causa puritatis, ut tenet Cevallos d. q. 900. à n. 98. Carleval. d. disp. 3. n. 24. Ratio est, nam ut asserit textus in l. Ob carmen 21. §. fin. vers. Nec etiam ff. de testib. ubi Glos. & Bart. non est attendendus numerus testium, sed ad testimonium eorum, & sinceram fidem, ex qua lux pateat veritatis: quaproter pauciores isti sunt credendi, Petra de fideicom. q. 12. n. 1195. Farinac. in praxi, q. 65. n. 120. Rota apud Seraph. 2. p. decis. 1482. n. 1. & 3.

60 Id demonstrabitur quando pauciores nominarent personas, à quibus macula procedit, vel quæ punitæ à Sancto Officio, cujus rei memoria non multùm habet antiquitatis, de qua à majoribus potuit certificari, ut benè expendit Escobar de purit. 2. p. q. 9. §. 3. à n. 45. & testes plurimi generaliter deponerent de sanguinis puritate; tunc enim melius pauciores veritatem declarant, & ideò præferendi, prout intelligens

gens Laram, latè explicat ipse Escobar *dict.* §. 3. *à num.* 1.

61 Remanebit ergo cardo difficultatis, quando tota puritatis probatio fieret per solam famam, & reputationem, prout fieri valet, & quotidiè fit, Valenzuela *cons.90.n.175.* & plurimi testes deponerent de fama, & reputatione bona sanguinis puritatis, & quod pro tali fuerit habitus oppositor, & à majoribus auditum; non tamen aliquid audierint in contrarium, tum & pauciores sint qui de reputatione, & fama eadem verisimilitudine deponant in contrarium.

62 Quo quidem casu admittenda videtur sententia Cevallos nam cùm Hispani omnes veteres Christiani præsumantur, idque ex naturali, & originaria præsumptione, quæ validissima est, Cevallos *d. q.900. n.95.* Escobar a.*p. q.8. à n.* 88. inde est, ut testes plurimi deponentes de puritate, debeant præferri, cùm eis assistat juris præsumptio faciens eorum dicta verisimiliora; *c. fin. in fin. de Presbyt. non baptiz.* & ideò preferenda contrariæ, quæ non habet similem assistentiam, ut est elegans doctrina Baldi *lib.3.cons.77.n.6.* Guttierr. *cons.35. n.27.* Pacianus *de probat. lib.1.c.50.n.81.* Paris. *de confident. q.74.n.2.*

63 Sed contrarium tenet Escobar *d.§.3.n.71.* ex mente statutorum Hispaniæ, quæ excludunt illos, qui maculati dicerentur à paucioribus testibus, dummodo in eis concurrant conditiones sex, quas expendit *n.* 98. Prima si sint saltem septem testes, licet major pars sit aliorum, aut sint præsumptiones, & indicia, ex quibus possit numerus suppleri arbitrio judicis. Secunda, quod deponant in originis loco, in quo fuit ascendentia illius, de cujus puritate agitur. Tertia, quod testes pauciores sint integræ fidei, & omni exceptione majores, & in nihilo suspectæ fidei. Quarta, quod loquantur de fama, seu auditu antiquorum, à quibus sine hæsitatione, nec dubio scientiam maculæ susceperunt, & quod in illorum tempore pro vero acceptum fuit. Quinta, quod afferant causas, & rationes verisimiles ad movendum animum judicum, ut sic credant. Sexta, quod rationes quas attulerint contrarii testes, non destruant horum rationes.

64 Sed in terminis propositæ quæstionis, adhuc cum his conditionibus non facilè assentiendum doctrinæ Escobar, nisi quando ex illis rectè judex crediderit oppositorem maculatum esse, aut revera illa infamia laborare ex tali probatione, quia verisimilior videatur; nam licet similes informationes fiant ad instruendum judicem, vel illas personas, quæ debent de puritate judicare, Pareja *de edit. instrument.* 2.*p. tit.*10. *resol.*4. *n.*8. attamen id non tollit, quin judicium ab eis faciendum sit jure regulatum, nec libero eorum arbitrio relinquitur, aliquid judicare, Escobar *d.* §. 3. *n.*48. nec id ab aliquo statuto, seu conditione Capellaniæ conceditur: Ergo cùm de jure statutum sit, ut in æqualitate dispositionum, tam in rationibus, quàm in gravitate testium, majori numero credatur, dicendum est in specie non præferendos esse pauciores cum illis sex requisitis, cùm eadem sint in majori numero testium.

65 Prorsus mens statutorum, aut fundatorum Capellaniarum simpliciter petentium veteres Christianos, nequit facere, ut non legitimis probationibus stetur, quibus majori ratione credendum; quia ultra testes adest pro illis juris assistentia, Valenz. *d. cons. 90. n.*195. Ergo ex mente statutorum, aut fundatorum nequit oppositor ex illis paucis testibus reiici.

66 Cæterùm in æquali probatione puritatis semper standum est affirmantibus, non autem negantibus, Ojeda *de incompatib.*1.*p.c* 23.*n.*14. Cevallos *q.*821.*n.*39. & ratio non est, quàm præstitit Ojeda, & revincit Escobar *d.* §. 3. *n.* 99. sed quia ex justa ratione declinandum ad illud, ex quo non tam grave nocumentum provenit, sicut est dedecus totius familiæ, & illius personæ, quando ita est pro utraque parte probatio, ut dubium reddat judicium judicis, ut rectè scripsit ipse Escobar *d. q. 9.* §. 4. *à n.* 16. Ergo multò melius quando fuerint pauciores testes, & oppositor habet certam probationem. Hanc sententiam teneo ut veriorem & securiorem, & insimul æquiorem; non enim decet Clericos scribere, nisi quæ meliora sunt ad animarum, & proximorum bonum, & honorem.

67 Illud denique teneas cum Lara *d. c.*4. *n.*88. quod si aliquis fuerit vocatus ad Capellaniam, & prævia informatione obtinuerit, si illa resignata ad illam postea perveniat, nova informatione non indigebit, verum sufficiet prima puritatis informatio.

CAPUT XI.

De residentia Capellaniarum.

SUMMARIUM.

*De jure communi omnia Beneficia, etiam simplicia residentiam requirunt; de consuetudine fallit in simplicibus, & in dubio quid observandum, n.*1.

*In Capellaniis cum cura residentia est præcisa, n.*2. *Sed an tunc de jure divino? Prima sententia asserit de jure positivo, n.* 3. *Secunda de jure divino, n.*4. *Defenditur hæc sententia, à num.* 5.

*Quomodo Pontifex dispenset in residentia, varia placita recensentur, n.*7. *Sed resolvitur, n.*8.

*Capellania cum cura, etiamsi tantùm duo, aut tres sint vicini, aut sint parvi valoris, obligat ad residentiam, n.*9.

In Capellaniis simplicibus obligantibus ad residentiam, facilè dispensat Episcopus, vel consuetudo id facit, n. 10.

*Capellani cum cura, aut curati possunt per duos menses abesse, nu.*11. *Sed est quæstio, an tunc requiratur licentia Episcopi. Prima sententia affirmat, numer.* 12. *Secunda negat, numero* 13. *Tertia asserit standum consuetudini, num.* 14.

Resolvitur negativè, à n. 15. *Explicatur Trid.* sess.23. de Reform. cap.1. *n.*17. *& seqq.*

Capellania etiam simplex obligat ad residentiam, quando id præceperit fundator, n. 21. *An si dicat fundator,* Missas celebret, *obliget ad residendum, referuntur sententiæ, & resolvitur affirmativè, à n.*22.

Ob non residentiam potest Capellanus privari, nisi sit causativa, num. 24. *Nec privatio ex abrupto est facienda, sed prævia causæ cognitione, & citatione facta, & quomodo facienda, à n.*25.

*Poterit tamen Episcopus per censuras, & sequestrum procedere, & ad privationem fructuum, n.*27.

*Sed an Episcopus possit statim procedere ad privationem, relictis aliis remediis. Prima sententia affirmativè respondet, n.*28. *Secunda tenet contrarium, n.* 29. *Resolvitur, à num.* 30.

Explicatur cap. 11. §. Contrà, de Clericis non resident. *& Tridentinum* sess.23. c.1. *à n.*31.

*Sed quid in Capellaniis, & Beneficiis simplicibus, à n.*35. *Idem resolvitur, n.*37.

Hæ pœnæ intelliguntur, nisi adsit justa causa absentiæ, & quæ sint causæ, à num. 38. *& explicatur, numer.* 40. *&* 41. *Observatur ad obligationem residentiæ requiri, ut sit expressa obligatio in fundatione, aut aliquid præcipiat ad quod ea requiratur.*

1 De jure enim communi loquendo omnia Beneficia, quantumvis simplicia, residentiam requirunt, *c. fin. de præscript. in* 6. de generali tamen consuetudine illud est receptum, ut minimè Beneficia simplicia residentiam habeant, unde etiam Capellaniæ, quæ simplices sunt, in eadem consuetudine comprehenduntur, Lara *de Capell. lib.*2.*c.*8. *à n.*2. Leon *de offic. Capell. q.*4. *praxi* 1. *n.*10. Garcia *de Benef.* 3. *p. c.*2. *à n.*1. Layman *in Summa, lib.*4. *tit.*2. *c.*6. *n.*3. idque in dubio observandum, ut nisi fundator expressè residentiam Capellani præcipiat, ad illam non teneatur, Rota apud Farin. 2.*sem. decis.*101. Thom. Hurt. *de resident. t.*1. *l.*6. *resol.*4.

2 Si tamen Capellaniæ simplices non sint, sed habeant curam animarum, & illius exercitium, proculdubio Capellanus residere tenetur; nam ut benè considerat Tondutus 1.*p. quæst. Benef. c.* 42. *n.*3. Residentia non solum est dependens à cura animarum, verum annexa, & inseparabilis, Gonzalez *ad reg.*8. *glos.*24. *num.* 139. Riccius *in praxi for. decis.*395. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 6. *num.* 5. Bollo *in œcon. can.* 2. *clas. cap.*2. §. 3. Palao *tom.* 2. *tract.* 13. *de Benef. disp.* 5. *punct.*1. *n.*2.

3 Est verò dubium, an in Capellaniis, aut Beneficiis curam animarum habentibus, residentia sit de jure naturali & divino, an tantùm de jure positivo? Prima sententia dicit, tantùm esse de jure positivo; nam Prælaturæ, & cætera Beneficia curam animarum habentia, instituta sunt, & distributa à Pontificibus ex dispositione sui juris. Ergo residentia est

de

de jure positivo. Cæterùm nullus est textus, qui clarè probet residentiam esse de jure divino in his Beneficiis, ut existimemus jus divinum ad illam obligare; quin potiùs Summus Pontifex quotidie in ea dispensat. Ergo non est de jure naturali, nec divino, ut latè prosequitur Catherinus *in Apolog. contra Sot. & Mirand.* Barbatia *de præstantia Card. q.*1. Selva *de benef.* 1.*part. q.*2. *&* 4. Ojeda *de incomp.* 1. *part. cap.*3.*n.*6. Gitonda *de Episc. lib.*2. *disp.*1. *cap.*4. *n.*12.

4 Secunda sententia tenet contrarium ex nonnullis Scripturæ locis. Proverb. *cap.*27. ibi: *Cognosce vultum pecoris tui, & greges tuos diligenter.* Et *Ecclesiast. cap.*7. dicitur: *Pecora tibi sunt, attende illis.* Similiter *Actor. Apost. cap.*20. præcipitur: *Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit.* Paulus 2. *ad Timot. cap.*4. *vers.* 5. ait: *Tu verò evigila.* Deinde ex illo *Ioan.* 20. *Pasce oves meas:* ubi considerandum, quod propriè pascere fit à residente, prospiciente oves eundo, & redeundo ad illas, pastus, & mapalia quærendo. Unde Baptista Mantuanus:

Omnem operam gregibus pastorem impendere oportet,
Ire, redire, lupos arcere, mapalia sæpe
Visere, mercare paleas, & pabula, victum
Quærere, nihil superest loci.

Est denique locus Tridentini *de Reformat. sess.*23. *cap.*1. id exprimens, ibi: *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, &c.* Unde constat residentiam hanc esse de jure divino, & ratione probatur; nam Prælati, & alii habentes curam animarum, non sunt domini, ut possint pro libito administrationem, & curam aliis relinquere, sed dispensatores, & ministri: ergo ad residentiam tenentur, ut personaliter administrent. Diez *in praxi, cap.*52. ubi Salcedo, Lessius *de justit. lib.*2. *cap.*34. *dub.*29. *num.*153. Trullench *in Decalog. lib.*4. *cap.*1. *dub.*8. *n.*1. Palao *d. disp.*5. *punct.*1. *à n.*2. Garcia *d.*3. *part. cap.*2. *n.*16. Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *part. allegat.*53. *n.*2. *& de jur. Paroch.* 1. *part. cap.*8. *à num.*1. Araojo *de stat. Ecclesiast. tract.*3. *quæst.*32. *diff.*5. *num.*32.

5 Hæc sententia admittenda est, & asserendum, in Beneficiis curam animarum habentibus, de jure divino naturali & positivo residentiam inditam esse, idque faciliter ex scripturæ testimoniis suprà recensitis depromitur, in quibus graviter Pastoribus præcipitur, ut curent de grege sibi commisso, tanquam de eo redditui rationem, quod nequit fieri nisi residendo: quapropter per necessariam consequentiam ibidem residentia præcipitur. Cajetanus 2. 2. *qu.*185. *art.*5. Covarr. *lib.*3. *variar. cap.*13. *n.*9. Vasquez *in opuscul. de benef. cap.*4. §.2. *dub.*1. ita ut nullo modo propter aliquod commodum temporale valeat Pastor oves deserere, etiam cum vitæ periculo, ut cum D. Th. & Cajet. notat Layman *d. lib.*4. *tract.*2. *cap.*6. *n.*3. *vers. Bene autem.* Lotterius *de re benef. lib.*3. *qu.*27. *n.*35. Capponi *discept.*123. *num.*22.

6 Illud verò, quod à Pontificibus ex jure proprio factum est, nihil est aliud, nisi disponere modum, ut meliùs hæc cura, & residentia fiat, prout fecerunt distribuendo Episcopatus, Parochias, & alia Beneficia, ut absque confusione quilibet Pastor curaret de suis ovibus, & resideret, prout à Domino erat præceptum; & pœnas similiter statuerunt, ut contrarium facientes compescerentur, de qua re plura sunt decreta *in* 71. *dist. &* 7. *qu.*1. *& tot. tit. de Clericis non resid. l. Generaliter* 4. *C. de Episcop. & Cleric. Novell. Iust.*6. 58. *&* 123. Concilium Arelatense I. *can.*13. Arelatense II. *can.* 13. Uvormatiense *can.*19. Valentinum Hisp. *can.*5. Frisingense *can.*6. celebratum anno 1442. Petrus Gregorius *de re benef. cap.*7. Lotterius *d. qu.*27. D. Salcedo *de leg. polit. lib.*2. *c.*17. Solorzanus *de jur. Ind. tom.*2. *lib.*2. *cap.*25. *num.*9.

7 Sed contrà adest argumentum grave, quomodo Pontifex valeat dispensare in residentia Beneficiorum curam animarum habentium, siquidem est de jure divino per necessariam consequentiam, & reductivè, prout scripsimus, & explicat D. Gonzalez *in cap. Relatum* 4. *de Cleric. non resident. à n.*6. In hac difficultate sunt varii explicandi modi: plures inquiunt, præceptum hoc divinum epikeiam suscipere, nempe quando Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, vel Reipublicæ utilitas adsit; tunc enim præceptum illud non obligat: quas causas recensuit Concilium *sess.*23. *cap.*21. quapropter quando Pontifex dispensat, declarat ob causam cessare obligationem divinam residendi. Barbosa *de offic. Paroch.* 1. *part. cap.*8. *num.*2. D. Gonzalez *d. cap.*4. *n.*8. Alteri dicunt obligationem illam procedere à voluntate obligantis; nam in collatione ex contractu obligatur Prælatus, aut beneficiatus ad residentiam; in quo quidem excepta est semper voluntas superioris: quare poterit Pontifex in residentia dispensare. Pontius *de matrim. lib.*8. *cap.*2. Suarez *de legib. lib.*2. *cap.*14. *num.*12. Diana 10. *part. tract.*14. *resolut.* 66. Alii verò dicunt, quando adest causa gravis, Pontificem non tollere residentiam, nec illius obligationem; sed tantùm suspendit, donec illa causa durat. Palao *d. tract.*13. *disp.*5. *punct.*1. *n.*4. Fagnan. *in cap. Ex parte, de Cleric. non resident. à num.*57.

Ast credo Pontificem alio diverso modo facere similes 8
dispensationes non residendi, nempe causa existente, transferendo animarum curam ad Vicarios, & substitutos: quod rectè valet efficere, & quotidie facit, quando habenti Parochialem Ecclesiam concedit Vicarium perpetuum, per quem cura exerceatur; tunc enim proprietarius ad residentiam non tenetur. Gonzalez *in regul.*8. *gloss.*6. *num.*99. Barbosa *dict.* 3. *part. allegat.*53. *num.*78. hac enim cura translata, obligatio residendi non astringit de jure divino, nec aliquo jure: & ratio est clara, nam ut diximus *n.*5. *&* 6. hæc obligatio juris divini procedit ab ipsa cura animarum: ergo ad alium est translata, & per consequens cessabit obligatio illa divina residendi.

Capellani enim qui vicem Rectorum exercent, & curam 9
animarum, etiamsi duos, aut tres habeant Parochianos, ad residentiam tenentur. Barbosa *d. cap.*8. *n.*4. *& d. allegat.*53. *num.*72. quod idem dicendum etiamsi Capellania, aut Beneficium sit parvi valoris, quia dum retinetur, ad residentiam obligat, *cap. Conquerente* 6. *de Cleric. non resident.* Rebuff. *in tract. de nominat. qu.*9. *n.*27. Barbosa *d. cap.*8. *n.*4. *& dict. allegat.*53. *n.*70. Palao *d. punct.*1. *num.*5.

In Capellaniis tamen simplicibus modici valoris, quæ ex 10
fundatione requirunt residentiam, facillimè dispensat Episcopus ob causam Congruam non habendi. Garcia *in Sum. tract.*3. *dub.*9. *punct.* 6. *num.* 14. Cevallos *commun. tom.*5. *quæst.*3. *num.*356. Sed jam consuetudo obtinuit, ut in similibus Capellaniis modici valoris, absque aliqua dispensatione Capellani residere non teneantur, nec ab Ordinariis compellantur, & contra rationem esset, si ob parvum stipendium tanto onere Capellani gravarentur. Hurt. *de resident. tom.*1. *lib.*6. *resol.*4. D. Gonzalez *in dict. cap. Conquerente, num.*2.

Concessum est tamen Parochis, Capellanis, aut aliis cu- 11
ram animarum habentibus (nisi consuetudo adsit in contrarium) ut quotannis per duos menses abesse possint. Trident. *de Reformat. cap.*1. *sess.*23. Garcia *de benef. dict.* 3. *part. cap.*2. *n.*176. Palao *d. disput.*5. *punct.*5. *n.*1. Layman *d. lib.*4. *tract.*2. *cap.*6. *num.*7.

Sed est quæstio, an bimestre propria authoritate, & abs- 12
que licentia Episcopi possit à Capellano curam animarum habente, vel à Parocho suscipi. Prima sententia asserit, esse necessariam Episcopi licentiam, ex Tridentino *sess.*23. *cap.*1. ubi quoties Parochi absentiam à Parochia facturi sunt, necessaria est licentia Episcopi, causa prius examinata: Ergo etiam ad bimestre absentiæ erit necessaria talis licentia. Cæterùm id relinquere ad arbitrium Parochorum, vel Capellanorum curam animarum habentium, occasio fuisset, ut per bimestre à suis Ecclesiis abfuissent, absque ulla causa legitima, etiam levi: sed quilibet in re sua judex esse nequit, ut *ex rubr. C. ne quis in sua causa, l. Qui jurisdictione, ff. de jurisdict. omnium judic.* Amicis *de jur. emphyt. quæst.*76. *num.*4. Surdus *cons.*50. *num.*9. Ergo minimè est eis concedendum, ut absque Episcopi licentia, etiam per bimestre, se ab Ecclesiis absentent. Ugolinus *de offic. Episcop. cap.*15. §.5. *num.*2. Possevinus *de offic. curat. cap.*1. *num.*11. Trullench *dict. lib.*4. *cap.*1. *dub.*8. *n.*9. Capponi *d. discept.*123. *n.*4. Santarel. *variar. resolut. quæst.*4. *n.*12. Garcia *de beneficiis, dict.* 3. *part. cap.*2. *n.*26. Barbosa *d. allegat.*53. *à num.*116. *& ad Concilium in dict. sess.*23. *cap.*1. plures refert *n.*67. Thom. Hurtad. *dict. tom.*1. *resol.*10. *à n.*11. Fagnan. *in cap. Relatum, de Cleric. non resident. num.*20.

Secunda sententia contrarium tenet, nam ante Conci- 13
lium Tridentinum Parochis, vel aliis Beneficiatis erat concessum, ut ex legitima, quæ illis videretur causa, per bimestre abesse possent, quapropter *in cap. Præsentium* 3. 7. *qu.*1. præcipitur Ecclesiam restitui illi qui per bimestre se ab Ecclesia absentavit: quod quidem non immutavit Concilium, nam ut benè animadvertit Navarrus *in Man. cap.*25. *n.*121. Concilium non clarè loquitur, ut antiquatum videatur jus commune: ergo minimè ad absentiam bimestris erit necef-

necessaria talis licentia. Cæterùm Concilium quidquid in Episcopis disponit, idem decernit in Parochis: Sed Episcopi possunt abesse per duos, vel tres menses, ex causa quæ sibi videatur legitima: ergo idem est dicendum in Parochis, aut in Capellanis habentibus curam animarum. Denique bimestre tempus breve consideratur in jure; qui enim per tempus breve abest, residere videtur. Sanchez *de matrim. lib.3. disput.31. n.11.* Barbosa *dict. allegat.53. n.92.* Ergo ad similem absentiam non erit necessaria licentia Episcopi. Zerola *in praxi Episcop. verbo Privatio*, §.4. Navarrus *dict. n.121.* Azotius *Instit. Moral. 2. part. lib.7. cap.40. q.10.* Ludovicus à San Juan *resid. de Curas, art.1. num.17.* Palao *d. disp.5. punct.1. n.3.* Salcedo *ad Bern. cap.52. lit. C*, Cevallos *commun. qu.585. n.6.* Sanchez *select. disp.47. n.5.*

14 Tertia sententia asserit standum esse consuetudini, quæ si in bimestris absentia observet petere licentiam ab Episcopo, id erit observandum, secus si è contrario. Layman *d. lib.4. tract.2. cap.6. num.7.* sed quid in praxi observetur, incertum; nam Cevallos *dict. quæst.585. num.6.* asserit in praxi observari licentiam petere. Lessius *de justit. lib. 2. cap.34. dub.29. num.159.* scripsit usu non esse receptum, ut talis licentia petatur.

15 In hoc dubio assero animarum curam gravem requirere non solùm materialem, sed formalem residentiam: quapropter Clericos huic oneri anneaos dicunt Concil. Nicænum II. *can.15.* Carthag. I. *can.15.* ut indicarent quandam, & assiduam residentiam, unde etiam mansionarii dicebantur propter mansionem, quam in suis Ecclesiis facere obligabantur. Lantm. *de vet. Cleric. victu, lib.2. cap.106.* Gonzalez *in dict. cap. Relatum 4. de Cleric. non resident, num.12,*

16 Verùm Jura Canonica, quæ omnia religiosè, & piè decrevere, non quasi in compedibus similes Clericos conjiciunt, sed illis aliquas absentias permittunt, relicto idoneo Vicario, ita ut minimè animæ aliquod damnum ea absentia Pastoris perciperent. Ludov. à San Juan *d. art.1. num.1.* Barbosa *d. 1. part. cap.8. n.11.* De jure enim communi bimestre concessum erat, nec tamen constat licentiam fuisse necessariam, verùm totum religioni ipsius Clerici relinquebatur, *d. cap. Præsentium 3. 7. qu.1.* idque ex aliqua causa sufficienti, prout patet ex contextura illius textus; nam si sine causa etiam per tres hebdomadas absens fuisset, triennio suspendebatur, ut decrevit Concilium Agathense *in cap. Si quis in Clero 29. 7. qu.1.* ut ibidem notat Barbosa. Palao *d. disp.5. punct.5. n.3. ad med.*

17 Postea Concilium Trident. *dict. sess.23. cap.1.* bimestre Parochis, & aliis curam animarum habentibus in inferioribus Beneficiis concessit. Santarellus *variar. quæst.4. n.17.* Verùm quoad licentiam Superioris hæc protulit verba: *Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedant: ultra bimestre, nisi ex causa gravi, non obtineant.* Præstiterunt enim ansam disputationi hæc verba; dicunt enim DD. primæ sententiæ, Concilium ad absentiam Parochorum, vel aliorum curam animarum habentium, supponere semper licentiam esse necessariam; verùm in eo esse distinctionem, ut intra bimestre sufficiat causa minùs gravis; & ultrà, causa requiratur gravis, & necessaria ab Episcopo cognita. Expendit Vasquez *in opuscul. de Beneficiis, cap.4. §. 2. dub. 3. num.149.*

18 Sed tamen Concilium ibidem tantùm dicit, quod ultra bimestre Parochus, seu alius habens Beneficium cum cura, minimè se absentet absque licentia Episcopi, causa gravi existente, & ab Episcopo cognita: quod autem sit intra bimestre necessaria licentia cum causa minùs gravi, non tam supponit Concilium, quàm ab illis Doctoribus supponitur. Ergo dicendum, minimè esse necessariam similem licentiam, idque confirmo; nam Concilium, & alia jura, licèt petant assiduam residentiam in cura animarum, non tamen eo modo, ut servituti Clericos mancipent, quæ quidem est à loco non discedere, *l. Titio centum, §. Titio centum, ff. de condit. & demonstrat. l.2. ff. de lib. homin. exhib. leg. Gaius 13. §. ult. ff. de aliment. legat. l. penult. Cod. de operibus publicis.* Costa *Select. lib.1. cap.8.* Solorzan. *de jur. Indiar. tom.2. lib.1. cap.4. num.44.* Si enim Parochi, & alii curam animarum habentes, non possent etiam per bimestre absque licentia abesse, nulla libertas eis relinqueretur, cùm absque proprio arbitrio quoad absentiam remanerent tanquam servi, semper pendentes ab obsequio Domini, quod à mente Sacrorum Canonum dissonum est: Ergo dicendum, intra bimestre id reliquisse arbitrio Parochorum, & aliorum habentium curam animarum, ut absque licentia, sed ex causa, abesse possent.

Prorsus Sacri Canones de Rectoribus Ecclesiarum, & de 19
aliis habentibus curam animarum, multa confidunt, utpote administrationem Sacramentorum, prædicationem, doctrinam animarum, & alia quamplurima: Ergo etiam confidunt, ut ad absentiam tam brevis temporis cum causa minùs gravi possint suo arbitrio abesse, absque Episcopi dependentia. Quod valet confirmari, nam non solùm quandiu Fideles vivunt, Parochis præstant curam, verùm etiam si fuerint defuncti, veluti eorum funera, exequiarum & Anniversariorum adimplementa: & quando alibi sepeliuntur, tenentur ad quartas Parochiales, *cap.1. cap. de his 4. cap. Certificari 9. de sepulturis, cap. Cum quis 2. de sepult. in 6. Clement. Dudum 2. §. Verùm, de sepulturis,* Tridentinum *sess. 25. de Reformat. cap.13.* tanquam personalem mercedem ob laborem administrationis, ut decidit Pontifex *in cap.1. de sepultur.* Rota *1. part. recent. decis.376. num.1.* Mantica *decis. 294.* Cavalerius *decis.201. n.1.* Barbosa *de offic. Paroch. 3. par. cap.25. num.19.* Trullench *de jur. Paroch. cap.13. dub.2.* Et in hoc magno Archiepiscopatu, ubi tam insignes Cardinales, & Ecclesiæ Eminentissimi Principes Primatum gerunt, multa de suis Parochis confidunt, & meritò quidem; cùm, me excepto, omnes quidem alii Ecclesiastici litteris, & morum gravitate minores non sint, ne dicam præstantiores.

Quapropter Catholici nostri Reges ex eis quotidie ad 20
Episcopatus, & Abbatias assumunt: non reticebo nunc præstantissimos viros D. D. Antonium de Ibarra, Episcopum Almeriensem, sapientissimum Doctorem, non solùm in Sacra Theologia, verùm litterarum Encyclopediam, prudentia eximium, & Pastoralis officii vigilantissimum: similiter D. D. Melchiorem de Liñan, Archiepiscopum Limensem, & illius Peruensis Orbis Vice-Regem, doctrina, sanctitate, & erga pauperes liberalitate egregium, in politicis negotiis agendis strenuum; necnon affetam D. D. Emmanuelem Josephum de Molinedo, Cuzquensem Episcopum, Sacræ Theologiæ subtilissimum Doctorem, Prælatum præstantissimum, quos quia ab omnibus noti, referre non vereor, aliis quamplurimis relictis, ne paginas impleamus. Ergo nihil mirum, si intra bimestre arbitrio Parochorum, & aliorum curam animarum habentium, ad absentiam causam examinare Concilium relinquat, nec licentia indigeant,

De Capellanis curam animarum habentibus hæc dicta 21
sufficiant: de simplicibus verò jam dictum est, ex consuetudine non obligare ad residentiam: excipienda est tamen hæc sententia, quando similis obligatio à fundatore ponetur, & ad id congruam necessariam reliquerit; hæc enim conditio in primis valida est, & adimplenda, quia juri conformis, præcipienti in omnibus beneficiis residentiam, *cap. Ad hæc 13. de Præbend. cap. Quia nonnulli 3. de Clericis non resident. cap. Pervenit 28. de appellat.* quapropter si à fundatore Capellaniæ petatur, & congruam habuerit Capellanus, ad residendum tenebitur. Leon *de offic. Capellan. qu.4. praxi 1. num.120.* Lara *dict. lib.2. cap.8. num.1.* Cevallos *de cognit. per viam viol. 2. part. quæst.3. num.21.* Spino *de testament. gloss.2. num.72.* Thomas Hurtad. *dict. lib.6. resolut.7.* ut sunt Capellaniæ fundatæ in Cathedralibus, & Collegiatis ad inserviendum. Fagnanus *in cap. Abbates, de ætat. & qualit. à num.81.*

Est tamen dubium, an quando fundator dicat, *Capella-* 22
nus Missas celebret, videatur ei onus residentiæ imponere? Et negant plures, nam ex solis illis verbis Capellanus per se non tenetur celebrare, quin potiùs sufficiet si per alium celebret, de Lugo *resolut. Moral. lib.5. dub.26. à num.5.* Lotterius *de re benef. lib.3. quæst.27. num.13.* & alii quamplurimi relati *lib.3. cap.5. num.8.* Ergo ex sola illa clausula residentia non inducitur. Lapus *allegat.3.* Mandosius *in addit. illius, allegat.35. & 116.* Lara *dict. cap.8. num.42.* Leon *dict. quæst.4. praxi 1. num.103.* Riccius *in praxi forens. 1. edit. decis.399.* Fagnan. *in cap. Abbates, de ætat. & qualit. num.75.*

Alteri qui dicunt, ex illis verbis induci obligationem 23
per se celebrandi, & non per alium, quorum sententiam sequuti sumus *d. cap.5. à n.9.* necessariò debent fateri, teneri ad residentiam, prout nos etiam fatemur. In contraria verò sententia observes, quod si verba dirigantur in personam, ad residentiam Capellanus obligabitur, Lara *d. cap.8. num.72.*

*num.*72. prout etiam ultra Missarum celebrationem onus Capellano imponeretur interessendi Horis Canonicis, ut distributiones percipiat; ex illa enim necessitate lucrandi illas inducitur obligatio personalis residentiæ. Leon *d.qu.*4. *praxi* 1. *à n.*97. quod idem est dicendum, si expressa voluntate, aut conjecturata testatoris perciperetur. Gonzalez *ad regul.*8. *gloss.*5. *n.*100. Barbosa *de univers. jur. lib.*3. *cap.*5. *num.*19. *in fin.*

24 Idque ita certum, ut si Capellanus, aut alius Beneficiatus non resideat, Capellania debeat privari, quia cùm detur propter officium, si tamen absens sit, & non adimpleat, justè titulo illius privabitur. Lara *dict. cap.*8. *à n.*14. Quod quidem admittere oportet quoties Capellania requirit residentiam præcisam, qualiter requiritur in Canonicatibus, & Parochialibus; secus verò si causativè, veluti quando residentia imponeretur sub privatione fructuum, non autem sub privatione tituli; nam tunc tantùm illa pœna committetur. Rota 2. *part. recent. decis.*489. *à n.*1. Gratianus *disceptat. forens. cap.*137. *n.*25. Tondutus *quæst. benef.* 1. *par. cap.*12. *n.*3. de Lugo *d. lib.*5. *dub.*26. *num.*8. Fagnanus *in cap. Abbates, de ætat. & qualit. num.*68.

25 Hæc verò privatio non ex abrupto facienda est, sed prævia causæ cognitione, *cap.*2. *cap. Relatum* 4. *de Cleric. non resident.* ita ut absens audiatur, & alleget justas causas absentiæ, an sint rationabiles, necne; & si scitur in quo loco Capellanus commoretur, erit personaliter citandus, *cap. Ex parte* 8. *de Cleric. non resident. l.*1. *§. Denuntiari, ff. de vent. inspiciend.* nec proclama sufficiet. Rota apud Farinacium *in posthum. tom.*1. *decis.*139. & apud Seraphinum *decis.*1346. *num.*5. *& decis.*290. *num.*4. Caputaquensis 2. *part. decis.* 375. *num.*3. Barbosa *lib.*3. *vot.*97. *à num.*3. Frasso *de Patronat. Ind. cap.*9. *à num.*29. Fagnan. *in cap. Ex tua, de Cleric. non resid. à num.*3.

26 Si verò ignoretur ubi adsit, per proclama est vocandus, *cap. Ex tua devotionis* 11. *de Clericis non residentibus*; idque per trinam citationem, & post ultimum edictum expectandus est per sex menses, ut colligitur *ex d. cap. Tua*, Zerola *verb. Privatio*, §.3. *&* 4. Garcia *dict.* 3. *part. cap.*2. *n.*154. Marescotus *variarum lib.*2. *cap.*35. *num.*89. Rota apud Farinacium 2. *part. decis.*593. Sufficiet tamen aliquando unum proclama, etiam extrajudicialiter, si personaliter citetur; si verò impersonaliter, trina est necessaria monitio. Garcia *d. cap.*2. *n.*151. Barbosa *de offic. Paroch.* 1. *part. cap.*8. *n.*75. Palao *d. disput.*5. *punct.*3. *num.*11. Tondutus *tom.*1. *cap.*42. *num.*7.

27 Poterit etiam Episcopus per censuras, & sequestrum procedere, & ad privationem fructuum, ut est decretum Concilii *d. sess.*23. *cap.*1. ibi: *Quod si per Edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras Ecclesiasticas, & sequestrum, & subtractionem fructuum, etiam usque ad privationem compellere.*

28 Est tamen dubium, an liberum sit Episcopis ob non residentiam procedere immediatè ad privationem tituli; an necessarium sit primùm per censuras, sequestrum, & fructuum subtractionem, & postea ad privationem Beneficii, seu Capellaniæ devenire. Prima sententia asserit, liberum esse Episcopo statim procedere ad privationem, idque procedere asserit ex allegatis verbis dicti Decreti, & declaravit Sacra Congregatio: *Compellere arbitrii est Episcopi, quanto, & quo remedio ex his uti velit contra non redeuntes.* Quam refert, & sequitur Garcia *dict. cap.*2. *num.*139. Thom. Hurtado *de resid. tom.*1. *lib.*4. *resolut.*2. *num.*18. Capra *regul.*91. *ex num.*42. Lotterius *de re benef. lib.*3. *quæst.*27. *num.*118. Barbosa *ad Concil. in dict. cap.*1. *num.*74. dicit probabilius Palao *dict. disput.*5. *punct.*3. *num.*10. Fagnanus *in d. cap. Ex tua, num.*18.

29 Secunda sententia tenet contrarium, asserens teneri priùs procedere per censuras, sequestrum & fructuum privationem, & subtractionem, quàm ad tituli privationem deveniat. Ducitur ex dicto Decreto demonstrante ad ultimum perveniendum, ut absens titulo privetur: non ergo Episcopo liberum erit statim, omissis aliis remediis, procedere ad privationem. Rota apud Seraphin. *decis.*27. Ugolinus *de offic. Episcop. cap.*15. §.4. *n.*4. Genuensis *in praxi, cap.*122. Barbosa *de offic. Episc.* 3. *part. allegat.*53. *num.*105.

30 In hac difficultate ut clarè procedamus, investigandum est dubium, quando Capellania, seu Beneficium habet animarum curam, & quando non. In primo enim casu dicendum videtur, posse statim procedere ad privationem. Sic decidit Rota apud Manticam *decis.*67. *num.*6. Flaminius *de resignat. lib.*1. *qu.*10. *num.*61. qui de stylo testatur. Barbosa *de offic. Paroch. dict.* 1. *part. cap.*8. *à num.*71.

Sed non admitto hanc sententiam ex decisione textus *in* 31
cap. Ex tua 11. *§. Contra, de Cleric. non resid.* ubi contra absentes dicitur esse procedendum per suspensionem, & excommunicationem, & postea addit: *Quod si nec sic eorum malitia poterit emolliri, Cas. B. Sanctæ Susannæ Presbyter Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, à spiritualium administratione removeat.* Quæ quidem verba apertè denotant, priùs procedendum per alias pœnas & censuras, quàm deveniatur ad privationem, ad quam non est deveniendum, nisi quando malitia emolliri non possit illius, qui à Beneficio abest. Tondutus *d. cap.*42. *num.*6.

Sed dices, decisionem illam antiquatam esse per Decre- 32
tum Concilii, prout ibidem tenet cum Mantica Barbosa *num.*4. & ratione probo; nam pœnæ positæ in dicto Concilio copulantur per dictionem *Etiam*, quæ est implicativa etiam majorum dispositionum, ut cum Geminiano, & Tuscho notat Barbosa *dict.*112. *n.*6. Ergo pœna privationis tituli ob non residentiam, cum primis pœnis implicatur, ita ut sicut liberum est Episcopo illas imponere pro arbitrio, similiter pœnam privationis.

Sed respondetur in dicto Decreto adesse duas dictiones, 33
Etiam usque ad privationem, quæ quidem aliquando sunt exclusivæ, & aliquando inclusivæ. Barbosa *dict. Dict.*112. *& Dict.*437. Mens igitur Concilii est, ut pœna privationis ponatur tanquam ultimum extremum, ad quod est perveniendum, ut demonstrat illa dictione *usque*: quapropter pœna privationis exclusivè consideratur, ita ut liberum sit Episcopo alias antecedentes pœnas ponere pro arbitrio, non verò privationis, quia ponitur tanquam exclusa ab aliis. Immola *cons.*10. *in princip.* Tuschus *lit. D, conclus.*291. *num.*10.

Admitterem tamen primam sententiam in aliquo casu 34
irregulari, nempe quando ex absentia Rectoris, & Capellani gravissimum damnum irrogaretur, ac spirituale pabulum deficeret, nec idoneus Vicarius inveniretur, qui interim deserviret: quare ob hanc causam necessarium fuerit novum Rectorem, seu Capellanum eligere; tunc enim necessitudo ipsa petit, ut omissis aliis pœnis, ad privationem procedatur.

In Capellaniis, & Beneficiis simplicibus similis est con- 35
certatio; asserunt enim aliqui, posse pro arbitrio Episcopum statim procedere ad privationem, *ex cap. fin. de Cleric. non resident.* ubi asseritur, in Beneficiis simplicibus, si monitione præmissa beneficiati absentes, & non residentes contumaces fuerint, posse Episcopum eos beneficiis spoliare, unde cognoscitur. in similibus beneficiis posse Episcopum, aliis omissis pœnis, ad privationem procedere. Petrus Gregorius *de re beneficiar. cap.*7. *num.*7. Garcia *dict. cap.*2. *num.*116.

Sed textus ille non rectè probat doctrinam horum Do- 36
ctorum, quia intelligendus est, posse Episcopum procedere ad privationem, quando jam antecedenter aliis remediis usus fuerit, secundùm juris ordinem, *in d. cap. Ex tua* 11. *§. Contra, de Clericis non resident.* prout etiam intelligenda sunt jura *in cap. Ex parte* 8. *cap. Inter quatuor* 10. *de Cleric. non resident.* Ergo non benè probat assumptum illorum Doctorum.

Quamobrem contrarium teneo cum Lara *d. lib.*2. *cap.*8. 37
*num.*41. nempe in his Capellaniis, & beneficiis simplicibus, propter non residentiam, non statim esse procedendum ad privationem, sed postquam præmissa fuerint alia remedia, nempe censuræ, sequestrum, & fructuum substractio, prout in meliori sententia decrevit Concilium. Idque à nobis præcisè suscipiendum; nam idem suscipimus in Capellaniis, & beneficiis curatis, quæ urgentiorem residentiam requirunt. Bollo *dict. classe* 2. §.3. Lantmeter. *de vet. Cleric. dict.* 2. *part. lib.*2. *cap.*106. ergo à fortiori idem est dicendum in Capellaniis, aut beneficiis simplicibus, quorum residentia non tantùm urget; nam argumentum à majoritate rationis validissimum est, *l. In suis, in fin. ff. de liber. & posthum. l. Nec in ea* 22. *ff. de adult.* Surdus *cons.*383. *n.*14. Anton. Monachus *Lucensi decis.*64. *n.*35. Argellus *de legit. contradict. quæst.*2. *num.*204.

Hæ tamen pœnæ intelliguntur, nisi adsint justæ causæ 38
absentiæ, quæ in dicto Decreto continentur. Prima est *Christiana charitas*, utpote quando quis abest ad adjuvan-

dam aliquam privatam Ecclesiam, tum ad dirimendas aliquas lites, & odia, dummodo ex tali absentia propriæ Ecclesiæ non sequatur notabile detrimentum. Secunda est *urgens necessitas*, ut cùm quis ad tempus abest ob morbum curandum, bellum, hostium incursus, pestem sævientem, aeris intemperiem fugiendam, vel ob inimicitias, odium, vel ad declinandam populi, vel Principis offensionem; dum tamen non immineat ovium grave nocumentum.

39 Tertia, *debita obedientia*, veluti quando quem legitimo superiori, putà Papæ, vel Episcopo parere necessum est, ut ad aliquod obsequium præstandum, quale esset ad visitandam Provinciam, Diœcesim, vel ad pacem componendam. Quarta *evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*, utpote quando quis vocatus fuerit ad Concilium generale, Provinciale, vel Diœcesanum, aut pro recipienda reformatione, ut variis casibus explicant latè Azorius 2. *part. Institut. Moral. lib.*7. *cap.*4. Palao *d. disp.*5. *punct.*4. Bollo *dict. classe*, §.4. Vasquez *in opusc. de benef. cap.*4. §.2. *art.*1. *dub.*2. Lantmeter *d. cap.*106. *vers. Causa legitima*, Layman *d. lib.*4. *tract.*2. *cap.*6. *n.*4. Lotterius *d. lib.*3. *quæst.*27. Barbosa *de offic. Paroch.* 1. *part. cap.*8. *à n.*46. Capponi *tom.*3. *discept.*143. *à num.*6.

40 Illud tamen animadvertas, quod quando quis ultra bimestre vult excusari à residentia, duo sunt necessaria, justa causa, & licentia, nec una sine altera est sufficiens: ratio est, nam licentia absque causa redderetur injusta, & tota bonitas licentiæ absque causa absorbetur; justa enim causa absque licentia, temeritas fuisset, quia includit contemptum superioris, & justificatione evacuatur. Rota apud Seraphinum *decis.*1131. *n.*2. Lotterius *d. quæst.*27. *à n.*122.

41 Denique in hoc capite adverto, in Capellaniis, & aliis fundationibus, ad residentiam non solùm esse necessarium, ut expressa sit obligatio residentiæ, verùm sufficere, ut aliquid percipiatur, ad cujus exequutionem illa requiratur, veluti si dicat fundator, *Capellanus administret Sacramenta, Parochiæ inserviat in excipiendis confessionibus, celebret per se*; aut, ut diximus suprà, dicat simpliciter, *Celebret Missam*; vel si ei præcipiatur, ut intersit Horis Canonicis, & distributiones percipiat, aut alia verba ponat fundator, unde cognoscatur velle obligare ad residentiam, ut cum Rota tradit Leoo *de offic. Capellan. quæst.*4. *praxi* 1. *n.*103. Lara *d. cap.*8. *num.*43. Fagnanus *in cap. Ut Abbates, de ætat. & qualit. num.*88.

CAPUT XII.

De incompatibilitate Capellaniarum.

SUMMARIUM.

*Incompatibilitas rectè introducta, & ad eam varia pœna, à num.*1.

*Duæ Capellaniæ cum cura, aut residentia sunt incompatibiles, num.*3. *Quod extenditur, etiamsi Capellaniæ fuerint tenues, sed in simplicibus consuetudo dispensat, n.*4. *Explicatur, num.*5.

*Capellania cum onere Missarum, & ut Parochum adjuvet, est incompatibilis cum Curato, num.*6.

*An Capellania sit incompatibilis cum alio Beneficio, ita ut ipso jure vacet per assequutionem alterius, quando simplex est. Prima sententia negat, n.*7. *Secunda affirmat, num.*8. *Defenditur, num.*9.

*An duæ Capellaniæ, seu Beneficia simplicia sub eodem tecto sint incompatibilia? Aliqui negant, n.*10. *Alteri affirmant, n.*11. *Resolvitur affirmativè, à num.*12.

*An valeat consuetudo, ut quis sub eodem tecto habeat duas Capellanias? Prima sententia negat, n.*16. *Secunda affirmat, n.*17. *Resolvitur, à num.*18.

*An Episcopus possit dispensare, ut quis sub eodem tecto habeat duas Capellanias difformes, contra aliquos respondetur affirmativè, si non sunt sufficientes, num.*19.

*Si quis sub eodem tecto ex collatione Episcopi tres Capellanias per annum retinuerit, omnibus privatur, num.*20. *Capellaniæ duæ in eodem Altari cum onere Missarum nequeunt ab uno obtineri absque Apostolica dispensatione, ibidem.*

*Capellaniæ, seu Beneficia simplicia, quæ non sunt sub eodem tecto, incompatibilia non sunt, si qualibet earum non est sufficiens ad sustentationem, num.*21.

*An valeat consuetudo habendi plures Capellanias, aut Beneficia simplicia in diversis Ecclesiis. Prima sententia negat, num.*22. *Secunda affirmat, num.*23. *Resolvitur, à num.*24.

INcompatibilitas Beneficiorum rectissimo jure introducta est in Ecclesia, ne Clerici plura Beneficia coacervarent, ac proinde in avaritiam declinarent; daretur enim causa divagationis, & non residendi, unde plurima damna in Clericis, & Ecclesiis orirentur. Thierrius *de Benef. sect.* 31. *à n.*1. quapropter diversis temporibus varia decreta facta sunt, ne quis plura haberet Beneficia: ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. duæ Dignitates, duo Beneficia curata, vel alia Beneficia residentiam petentia, ita erant incompatibilia, ut per assequutionem alterius ipso jure non vacaret primum, verùm electio dabatur, ut quod obtinenti placuerit dimitteret, *cap. Referente* 7. *cap. Præterea* 14. *de Præbend.* Deinde in ipso Concilio Lateranensi sub Alexandro IV. non concedebatur electio ista, sed si obtento secundo Beneficio primum obtinens non dimitteret, secundo privabatur, *cap. Quia nonnulli* 3. *de Cleric. non resident.* Verumtamen succedente tempore, Innocent. III. *in cap. de multa* 28. *de Præbend.* statuit, obtinentes dignitates, officia, personatus, aut alia quæcumque Beneficia curata, primùm teneri statim dimittere, quia ipso jure vacat, & si utrumque retinere procuraverit, per sententiam etiam secundo privetur Beneficiatus, & idem si in eadem Ecclesia plures dignitates, aut personatus habere præsumpserit, *cap. Litteras* 9. *de concess. Præbend. cap. Consuetudinem* 1. *de consuet. in* 6. *Clement. fin. de Præb.* 1

Postea Joannes XXII. *in Extrav. Execrabilis*, §. *Qui tamen*, & §. *Quia vero, de Præbend.* decrevit (postquam Innocentii III. dispositionem confirmavit) ut si obtinens utrumque Beneficium retinere præsumpserit, etiam secundo privetur. Tandem Concilium Tridentinum *sess.*7. *de Reformat. cap.*4. & *cap. De multa* 28. *de Præbend.* observandum decrevit præsentis Canonis rigorem in quibuscumque Beneficiis incompatibilibus. Salcedo *ad Bernard. cap.*49. Passerinus *ad textum in cap.*1. *de consuetud. in* 6. *art.*4. *à n.*41. Garcia *de beneficiis, part.*11. *cap.*5. Capponi *discept. forens.* 108. *à num.*13. Rojas *de incompatibilit.* 7. *part. à cap.*1. Ojeda *integr. tract. de incompatibilit.* Azorius *Institut. Moral.* 2. *part. lib.*6. *cap.*13. *cum seq.* Palao *tom.*2. *oper. Moral. tract.* 13. *disput.*6. *punct.*2. §.6. 2

Unde desumitur, ad nostram materiam Capellaniarum duas Capellanias, aut Beneficia habentia curam animarum incompatibilia esse, nec simul posse retineri: quod idem est dicendum, si ambæ Capellaniæ requirant residentiam, licèt non habeant animarum curam; cùm quis nequeat in eodem tempore duabus in partibus residere, unde nec servitium impendere cum diminutione divini cultus, intrantque omnes rationes incompatibilitatis. Divus Thom. *quodlibet.*9. *art.*5. Passerinus *in d. cap. Consuetudinem, art.*1. *num.* 339. Vasquez *in opusc. de benefic. cap.*4. §.2. *art.*2. Layman *lib.*4. *Summ. tract.*2. *cap.*8. *num.*1. 3

Quod extendunt Doctores etiam ad Capellanias, seu Beneficia simplicia insufficientia ad congruam sustentationem, si personalem residentiam requirant, *cap.*3. *cap. Conquerente* 6. *de Clericis non resident. l.*3. *tit.*16. *part.*1. Tridentinum *sess.*24. *de Reformat. cap.*17. ibi: *Dummodo utrumque personalem residentiam non requirat*: & cum pluribus Rojas *de incompatibil.* 7. *part. cap.*2. *n.*6. Thom. Hurtado *de resident. tom.*1. *lib.*6. *resol.*5. Valenzuela *cons.*135. *num.*99. Sed hæc incompatibilitas in Beneficiis simplicibus, & Capellaniis facilè tollitur per Episcopi dispensationem, qui potest dispensare in residentia simplicis beneficii non habentis congruam: aut jam consuetudo dispensavit, ut diximus capite antecedenti, *num.*10. 4

Illud verò observandum, hanc incompatibilitatem Capellaniarum residentiam requirentium, vel beneficiorum simplicium, non admitti quoties residentia est tantùm causativa ratione amissionis fructuum, non verò obligatoria ratione tituli; quia si non resideat, titulum valet retinere, idcircò incompatibilis non est. Idem dices, si residentia non est continua, sed ad tempus; quia nequit dari incompatibilitas, nisi quando eodem tempore concurreret residentia alterius Capellaniæ, seu beneficii. Gonzalez *ad regul.*8. *gloss.*15. *à n.*16. Garcia *d.* 11. *part. cap.*5. *n.*86. Layman *d. cap.*8. *n.*6. *vers. Et alii.* Riccius *in praxi* 4. *part. decis.*226. *num.*10. 5

Rur-

6 Rursus est incompatibilis cum Curato Capellania habens onus Missarum, & ut adjuvet curatum in administratione Sacramentorum. Barbosa *ad Concilium*, *d. sect.* 24. *cap.* 17. *num.* 45.

7 Est dubium, an quando Capellania simplex habetur cum alio Beneficio, vacet ipso jure Capellania priùs acquisita? Aliqui asserunt, minimè vacare ipso jure, quia Tridentinum *dict. sess.* 6. *cap.* 4. minimè loquitur expressè de Capellaniis, aut aliis beneficiis simplicibus, sed tantùm de curatis, dignitatibus, & personatibus contentis *in d. cap. De multa*: unde quoad beneficia, & simplices Capellanias standum est juri communi danti electionem obtinenti, ut dimittat quod voluerit, *dict. cap. Referente* 7. *de Præbend.* non verò primum vocabit ipso jure. Navarrus *cons.* 17. *de Præbend.* Piasecius *in praxi Episcopali*, *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 26. Mena *variar. lib.* 1. *qu.* 13. *n.* 5. dat plures Riccius *in praxi for.* 1. *edit. decis.* 401. *num.* 3.

8 Alteri tenent contrarium, quia Concilium non solùm loquitur de Præbendis, dignitatibus, personatibus, & Curatis contentis *in d. cap. De multa*, sed de beneficiis simplicibus quomodocumque incompatilibus: ergo etiam Capellanias simplices comprehendet, & ipso jure vacabunt per assequutionem alterius beneficii incompatibilis, ut declaravit Sacra Coagregatio, quam refert, & sequitur Garcia *d. cap.* 5. *à num.* 84. Lessius *de justit. lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 27. *n.* 145. Palao *d. disp.* 6. *punct.* 2. §. 6. *à n.* 2. Gratian. *disceptat. forens. cap.* 133. *num.* 28.

9 Hanc sententiam admittendam censeo, quia textus Concilii satis clarus est, ibi: *Quicumque de cætero plura curata, aut aliàs incompatibilia Beneficia Ecclesiastica.* Unde Riccius *in praxi Archiepiscop.* 4. *part. decis.* 226. *à num.* 6. benè percipit in illis verbis etiam beneficia simplicia includi, quoad vacationem ipso jure: *&* *num.* 10. colligit idem esse dicendum in Capellaniis, quæ ex fundatione, aut consuetudine requirunt præcisam residentiam, prout sunt Rotæ decisiones, quas ibidem adducit Tondutus 2. *part. tom.* 1. *quæst. benef. cap.* 5. §. 6. *num.* 18.

10 Cæterùm dubitatur, an duæ Capellaniæ, vel beneficia simplicia sub eodem tecto, seu Ecclesia, incompatibilia sint? Aliqui censuerunt, incompatibilia non esse, præcipuè si conformia sint; quia cùm non possint inter se servitia impedire, & rectè Capellanus inservire, non est ratio, ut sint incompatibilia: tenent Navarrus, Zecbius, & alii apud Riccium *in praxi for.* 1. *edit. decis.* 301. Zerola *in praxi, verb. Beneficium*, §. 7. *n.* 6. & consentire videtur Lara *de Anniversf. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 7.

11 Contrarium tenent alteri *ex cap. Litteras* 9. *de concess. Præbend. Clement. fin. de Præbend.* nam ex eo, quod sub eodem tecto sunt, uniformes censentur Capellaniæ illæ, & servitii ejusdem: tum quia in eadem Ecclesia nequit quis diversas personas repræsentare: sunt ad id duæ decisiones Rotæ, quas refert Garcia *d. cap.* 5. *à n.* 222. Prosper Fagnan. *in cap. Cum jam, de concess. Præbend. n.* 34. *&* 45. Riccius *d. decis.* 301. & in terminis Capellaniarum Passerinus *in d. cap. Consuetudinem*, *n.* 380. Lara *d. cap.* 7. *n.* 11.

12 In hoc dubio animadvertendum, sub eodem tecto posse considerari Capellanias, seu beneficia simplicia uniformia, & difformia. Uniformia dicuntur, non quæ uno nomine nuncupantur, sed quæ ad unum, eundemque finem sunt instituta, & quæ idem officium, atque onus habent. Difformia, quæ dissimile habent officium, alio, seu diverso, & non eodem tempore explendum. Capponi *discept.* 108. *num.* 19.

13 Beneficia, seu Capellanias uniformes sub eodem tecto incompatibiles esse dubitandum non est, cùm ex natura officiorum sint incompatibilia, nec eodem tempore possint adimpleri. Tota erit concertatio in difformibus; multi enim sunt asserentes incompatibiles non esse, etiamsi sint sub eodem tecto; nam nulla est ratio ipsius incompatibilitatis, si quidem diversis temporibus officia illa possunt expleri. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 10. *num.* 34. Gratianus *disceptat. for. cap.* 133. *num.* 20. Lara *dict. cap.* 7. *num.* 7. *&* 24. Moez *in cap.* 1. *de consuet. in* 6. *n.* 17. Tondut. *quæst. benef. tom.* 1. 2. *part. cap.* 5. §. 6. *n.* 6. dicit veriorem Garcia *d. cap.* 5. *num.* 237.

14 Sed teneo contrarium; nam una est incompatibilitas, quæ procedit ex natura officiorum, quæ nequeunt sufficienter impleri, prout est in Capellaniis, & beneficiis uniformibus, quæ quidem cessat in his difformibus: sed est alia, quæ inducitur ex eo solùm, quod sint sub eodem tecto. Ratio est, quia ut docet Tridentinum *sess.* 24. *de Reformat. cap.* 17. singula beneficia singulis sunt concedenda, ne coacervatio fiat beneficiorum: si tamen unum non sufficiat, duplex obtinens habere poterit, ut congruam suscipiat sustentationem: quæ quidem dispositio majorem habet rationem, si beneficia, aut Capellaniæ sint sub eodem tecto, quia indecorum fuisset in eadem Ecclesia quemque plura habere beneficia, & ne singulis distribuerentur, ibidem plures personas repræsentare.

15 Cæterùm ratio contrariorum parvi ponderis est, quia desiderat Concilium in regendis Ecclesiis debitam disciplinam observare, ut singula singulis distribuantur. Tum ut alii pauperes Clerici sustentationem in eadem Ecclesia percipiant, & ibidem inserviant excellentiori cultu plurimorum Ministrorum. Ergo dicendum, duo beneficia simplicia, aut Capellanias difformes sub eodem tecto incompatibiles esse. Dueñas *regul.* 71. *num.* 5. Puteus *lib.* 3. *decis.* 189. Achilles *decis.* 169. Azorius *Institut. Moral.* 2. *part. lib.* 3. *cap.* 50. *quæst.* 6. *& lib.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 4. Palao *dict. tract.* 13. *disp.* 4. *punct.* 2. *num.* 6. estque declaratio apud Garciam *dict. cap.* 5. *num.* 243.

16 Unde resolvenda est alia quæstio, an consuetudo valeat, ut quis sub eodem tecto habeat duas Capellanias, aut beneficia simplicia. Prima sententia negat valere, quia includit deformitatem contra jus naturale, *cap. fin. de consuetudin.* tum ex text. *in cap. Consuetudinem* 1. *de consuetud. in* 6. ubi consuetudo habendi duo officia sub eodem tecto reprobatur. Ergo similiter consuetudo habendi Capellanias duas, aut beneficia simplicia. Caputaquensis 2. *part. decis.* 356. *numer.* 4. *&* 5. Gratianus *decis. March.* 155. *num.* 17. & in Capellaniis Passerinus *in dict. cap.* 1. *art.* 2. *num.* 380.

17 Secunda sententia tenet contrarium, quia incompatibilitas ista non est contra jus naturale, quin tantùm orta de jure positivo: quapropter contra eam prævalet consuetudo, itaque valebit. Navarrus *cons.* 22. *de Præbend.* & alii apud Garciam *d. cap.* 5. *n.* 225. Barbosa *ad Concil. decis.* 22. *cap.* 17. *n.* 13. Capponi *d. discept.* 108. *n.* 17. qui asserit id posse fieri per statutum.

18 In hoc dubio sub distinctione procedendum; nam quando Capellania, aut beneficia simplicia sub eodem tecto sunt uniformia, minimè consuetudo potest prævalere; de natura enim impossibile est, ut quis eodem tempore duobus diversis servitiis satisfaciat, quamobrem includit deformitatem contra naturam, quæ destruit consuetudinem. Garcia *dict. cap.* 5. *n.* 128. Si verò Capellaniæ, aut beneficia sint difformia sub eodem tecto, tunc consuetudo valet, dummodo sit quadragenaria. Rota 1. *part. recent. decis.* 524. *n.* 3. Ojeda *de incomp.* 1. *part. cap.* 11. *n.* 4. Ratio, nam incompatibilitas istorum beneficiorum simplicium difformium, tota est de jure positivo, nec includit aliquam difformitatem contra jus naturale: ergo adversùs illud rectè prævalet consuetudo, dummodo sit præscripta per tempus quadraginta annorum. Gratianus *decis.* 155. *n.* 17. Tondutus *dict. cap.* 5. §. 6. *num.* 13.

19 Est dubium, an Episcopus possit dispensare, ut quis habeat duas Capellanias difformes, aut beneficia sub eodem tecto? Ernegarunt Azorius *dict. cap.* 13. *quæst.* 4. Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *part. allegat.* 62. *num.* 12. Sed contrarium tenent alteri apud Garciam *dict. cap.* 5. *num.* 235. quorum doctrinam admitterem, si quodlibet beneficium per se non sit sufficiens ad sustentationem provisi, ut declaravit Sac. Congregatio 11. *Jun.* 1594. cujus verba transcripsit Garcia *dict. cap.* 5. *num.* 377. Leo *in Thesaur. forens. Eccles. cap.* 18. *n.* 21. Molfesius *in Sum. tract.* 6. *cap.* 9. *n.* 46. Capponi *d. discep.* 108. *num.* 17. Thierrius *sect.* 31. *vers. Cæterùm*.

20 Qui tres Capellanias sub eodem tecto ex collatione Episcopi per annum retinuerit, omnibus privatur ipso jure, dummodo uniformes fuerint, ut decisum refert Barbosa *ad Concilium*, *dict. cap.* 17. *num.* 16. Capellaniæ verò in eodem Altari institutæ cum onere Missarum, nequeunt ab uno obtineri absque dispensatione Apostolica, ut cum ea decisione tenet ipse Barbosa *d. cap.* 17. *num.* 15.

21 Capellaniæ verò, seu beneficia simplicia, quæ non sunt sub eodem tecto, & quælibet per se insufficientia ad sustentationem, incompatibilia non sunt, possuntque ab uno retineri. Garcia *dict. cap.* 5. *n.* 262. Tondutus *d.* §. 6. *num.* 4. Lara *dict. cap.* 7. *num.* 12. Si tamen una Capellania sim-

simplex, aut unicum Beneficium sufficiat ad congruam, incompatibile est cum aliis Beneficiis, licèt quodlibet per se non sit sufficiens ad sustentationem, nec simul haberi posset; nam compatibilitas tolletur ex eo, quod teneat unam Capellaniam, aut Beneficium sufficiens ad congruam, *cap. Dudum* 54. §. *Licet, in fin. de elect.* Gonzalez *dict. reg.* 8. *gloss.* 15. *à num.* 39. Barbosa *dict.* 3. *part. allegat.* 62. *à num.* 1. Salgado *de Reg. protect.* 3. *part. cap.* 7. *à num.* 78. Rojas *de incompat.* 7. *part. cap.* 3. *à num.* 1. Capponi *dict. discept.* 108. *num.* 20.

22 Est verò quæstio, an quis possit habere plura beneficia simplicia, vel Capellanias residentiam non requirentes in diversis Ecclesiis, quando id in consuetudine fuerit, absque aliqua dispensatione. Prima sententia negat, quia consuetudo ista non valet: & ducitur, nam habet repugnantiam cum jure divino & naturali, quatenus per hanc pluralitatem Beneficiorum simplicium minuitur divinus cultus, & redditus Ecclesiastici malè expenduntur ditando unum, & relinquendo alios pauperes Clericos absque alimentis, ut benè considerat Azorius 2. *part. lib.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 5. Layman *dict. lib.* 4. *cap.* 8. *tract.* 2. *num.* 2. Ergo talis consuetudo nequit sustineri. Cæterùm Concilium Tridentinum *dict. sess.* 7. *cap.* 4. *& sess.* 24. *cap.* 17. improbat consuetudinem habendi plura Beneficia, ut antè reprobaverat textus *in cap.* 1. *de consuetud. in* 6. vocando eam corruptelam, & contra bonos mores Ecclesiasticos: qui quidem textus non distinguit, an Beneficia sint simplicia, vel Capellaniæ non requirentes residentiam: ergo nequit sustineri talis consuetudo, nec quis vi illius plures Capellanias, aut Beneficia simplicia etiam absque residentia retinere. Ojeda *de incompatibilit.* 1. *part. cap.* 9. *num.* 1. Salcedo *ad Bernardum, cap.* 47. *lit. C,* Passerinus *in dict. cap.* 1. *de consuetud. in* 6. *art.* 3. *num.* 411. Barbosa *dict. allegat.* 62. *num.* 8. *& de univers. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 108.

23 Secunda sententia tenet contrarium, quia valet talis consuetudo, prout in Hispania ad praxim adducta est. Ratio est, nam in his Capellaniis, ac Beneficiis simplicibus non requirentibus residentiam, nulla potest considerari difformitas contra jus divinum, sed tantùm contra jus positivum, prohibens habere plura beneficia, adversus quod valet consuetudo legitimè præscripta, *cap. fin. de consuetud. l.* 2. *Cod. quæ sit longa consuetud.* Rursus in Hispania receptum non est Decretum Tridentini *dict. sess.* 22. *cap.* 17. quoad beneficia simplicia, vel Capellanias residentiam non requirentes, licèt una sufficiat ad sustentationem: quare absque dispensatione, ex vi hujus consuetudinis possunt ista beneficia, aut Capellaniæ retineri, ut tenent Lapus, Innocentius, Cardinalis, & alii apud Garciam *dict. cap.* 5. *à num.* 263. Sotus *de justit. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 3. *conclus.* 4. Salgado *de retent. Bull.* 1. *part. cap.* 2. *num.* 134. Thomas Hurtado *tom.* 1. *de resident. lib.* 6. *subres.* 10. *à num.* 1.

24 Verùm in hoc dubio animadvertenda est coacervatio nimia beneficiorùm, aut Capellaniarum simplicium; si enim exorbitans fuerit, nequit consuetudo ista sustineri: includit enim gravissimam deformitatem, non solùm per diminutionem divini cultus, sed per subtractionem alimentorum pauperum Clericorum, & per avaritiam, maximè in Ecclesiasticis reprobandam. Si tamen harum Capellaniarum, aut Beneficiorum coacervatio aliquantulum à sufficienti congrua excesserit, condemnanda non est hæc consuetudo; non enim Dominus quando dat, miser, sed liberalis largitor est. Vasquez *in opusc. de benef. dict. cap.* 4. §. 2. *art.* 2. *dub.* 8. Garcia *d. cap.* 5. *à num.* 172.

25 Qui *num.* 277. arbitrio boni viri relinquit, quando dicatur magna coacervatio: quod inspecto valore Capellaniarum, & dignitate personæ, inspiciendum est. Prospiciant verò Prælati, quid respondebunt coram Deo, qui tot beneficiis simplicibus idiotas, & ridiculas personas honorant, non solùm ad congruam, verùm ad satietatem. Est etiam incompatibilitas Capellaniarum, si fundator dicat, *Conferatur non habenti aliud Beneficium:* quod est observandum, si Capellania congruam habuerit. Lara *dict. lib.* 2. *cap.* 7. *à num.* 1. Barbosa *lib.* 3. *vot.* 122. *per totum.*

CAPUT XIII.

De collatione, & institutione Capellaniarum.

SVMMARIVM.

Collatio quid sit, & quomodo distinguatur ab institutione, n. 1. *Olim Pontifices omnia Beneficia conferebant, ast hodie quatuor modis ad illos pertinent, num.* 2.

Beneficia majora intra tres menses sunt conferenda: minora intra sex. Beneficia juris Patronatus post præsentationem instituuntur, num. 3.

Capellania laicalis nequit ab Episcopo conferri, sed datur à Patronis, aut ab heredibus, num. 4.

Ecclesiastica Capellania libera confertur ab Episcopo, non tamen ab ejus Vicario absque speciali mandato, num. 5.

An Vicarius possit instituere absque speciali mandato: Prima sententia negat, num. 6. *Secunda affirmat, & expenditur caput* 3. de instit. *num.* 7. *Defenditur, & explicatur, num.* 8. *Fit instantia, & dissolvitur, num.* 9.

Episcopus nequit Capellanias juris patronatus instituere absque præsentatione Patroni, & si præsentatum non instituerit, datur recursus ad superiorem, num. 10. *Idem si Patronus sit tantum in quasi possessione, num.* 11.

An institutio facta spreto Patrono, sit ipso jure nulla? Prima sententia negat, num. 12. *Secunda affirmat, num.* 13. *Tertia dicit esse nullam conditionaliter, num.* 14. *quarta asserit esse in pendenti, num.* 15.

Explicantur textus in cap. 32. 26. quæst. 7. cap. 8. de jurepatr. *num.* 16. *Resolvitur, à num.* 17.

Sunt tamen aliqui casus, in quibus absque Patrono Episcopus confert, nempe quando Patronus intra tempus non præsentaverit, nisi fuerit legitimè impeditus, à num. 18. *&* 19.

Est dubium, an tempus præsentandi currat à die notitiæ, aut vacationis. Prima sententia asserit, à die vacationis curreret, num. 20. *Secunda dicit à die scientiæ. Explicatur textus* in cap. 22. de jurepatron. *à num.* 22. *Resolvitur, num.* 24.

Alter est casus, quando quis esset in quasi possessione præsentandi, & ex fundatione appareret esse liberam collationem; tunc enim rectè confert Episcopus absque Patrono, n. 25. *& idem si Ordinarius esset in ultimo statu libere conferendi, num.* 26.

Deinde quando Patronus Ecclesiasticus aliquem indignum præsentaverit, secus si laicus sit, num. 27. *&* 28.

Cæterum si Episcopus motu proprio Capellaniam contulerit Patrono, tenet collatio, num. 29.

Est dubium, an si præsente Patrono Episcopus Capellaniam, aut Beneficium contulerit, sit valida collatio? negant aliqui, num. 30. *Affirmant alteri, n.* 31. *Resolvitur, & latè discutitur, num.* 32.

Alius est etiam casus quando Patronus plures præsentaverit, ex iis enim eliget Episcopus quem maluerit, num. 36. *& explicatur, num.* 37.

Est alter casus quando Ecclesia est conventualis, quia valet electio absque Patrono, n. 38. *Explicatur caput* 4. 18. quæst. 2. *num.* 39.

Denique quando Patronus, si vocaretur, frustra expectatur, vel si amitteret jus præsentandi, num. 40.

Vacante Capellania, per edicta vocantur interesse habentes, quæ debent poni in valvis Ecclesiæ, & vulgari lingua proponi; non tamen est necessarium legere inter Missarum solemnia, num. 41.

Idem facere debent patroni, si vocentur consanguinei, vel aliæ personæ; valet enim præsentatio absque edicto, secus institutio, num. 42.

In edictis apponendus est terminus ad comparendum, & quis terminus, num. 43. *&* 44.

Notarius qui edictum affixerit, det fidem de affixione, n. 45.

Capellaniam liberam extra Diœcesim rectè Episcopus confert, num. 46. *Sed an instituere possit, aliqui negant, alteri affirmant, num.* 47. *Resolvitur, num.* 48.

Collatio absque scriptura sustinetur, num. 49.

COllatio est *Beneficii à superiore gratuita facta concessio*: quæ quidem diffinitio includit omnes modos providendi Beneficia, quia gratuita Beneficii concessio poterit 1
fieri

fieri aliquando per institutionem, electionem, translationem, vel postulationem, ut considerat Barbosa *de univers. jur. lib.3. cap.13. à n.1.* Layman *lib.4. Sum. tract.2. cap.10. n.1.* Ast magis in specie loquendo, collatio dicitur, quando liberè Beneficium, aut Capellania confertur ab Ordinario, absque aliorum dependentia: verùm si à patronis priùs fiat præsentatio, non collatio dicitur, sed institutio, quæ ab Episcopo fit. Azorius *Instit. Moral. 2. part. lib.6. cap.25. in princip.* Barbosa *d. cap.13. n.4.* Garcia *de Benef. 4. par. cap.1. n.4.* Frasso *de Patron. Indiar. cap.11. n.34.* qui *n.36.* scripsit, aliquando impropriè loquendo, collationem, & institutionem promiscuè sumi.

2 Olim omnia Beneficia Diœcesis ad Ordinarii collationem pertinebant, *cap. Conquerente 16. de offic. Ordin. cap. fin. de supplend. neglig. Prælat.* sed adhuc illis temporibus semper salva remanebat auctoritas Summi Pontificis, qui tanquam Ordinarius totius orbis liberè Beneficia conferebat, *cap. Si à Sede 31. de Præbend. in 6. Clement. 1. ut lit. pendent.* quapropter Pontifices variè collationes Beneficiorum sibi adrogare consueverunt. Barbosa *dict. cap. 13. à num. 15.* Ast hodie collationes quatuor modis ad Pontificem pertinent, ratione reservationis, affectionis, præventionis, aut devolutionis, de quibus Riccius *in praxi for. decis.394.* Vivianus *in praxi jurispatronat. lib.14. cap.1. num.54.* Leon *de offic. Capell. quæst.3. sect.7. à num.104.* Barbosa *dict. cap.13. num.18.*

3 Beneficia majora intra tres menses sunt conferenda, *cap. Postquam 11. dist.50. cap. Ne pro defectu 41. de elect.* inferiora verò intra sex, *cap. fin. de supplend. negl. Prælat.* quod quidem tempus currit absque aliqua necessitate requirendi Prælatum, quin potiùs his transactis, devolutio fit ad Superiorem; quia quando tempus est designatum, pro homine interpellat. Petrus Gregorius *syntag. lib.17. cap.9. n.22.* Garcia *de benef. 10. part. cap.2. num.5.* Barbosa *de offic. Episc. 3. part. allegat.126. num.39.* Thierrius *de Benef. sect.33. à num.1.* In Beneficiis juris patronatus, postquam Patronus præsentaverit, Spino *de testam. gloss.4. num.95.* asseruit intra duos menses debere Episcopum instituere præsentatum, quod quidem incertum est, cùm à jure non designetur. Attamen si negligens fuerit, poterit à Superiore designeri, quo elapso, si non instituerit, per devolutionem Superior instituet. Lara *de Capell. lib.2. cap.10. num.15.* Sez ex constitutione Pii V. Spini sententia admittitur. Salgado *de Reg. Protect. 3. part. cap.10. à num.108.* Frasso *1. part. de Patr. Ind. cap.32. à num.14.*

4 His ad majorem lucem præmissis, inquiramus quæ Capellaniæ ad collationem Episcopi pertineant? Et quidem Capellaniæ laicales non pertinent, quia collatione non indigent, nec in titulum conferuntur, sed Capellani nominantur à patronis, vel ab hæredibus: quod similiter asserendum, etiamsi nominatio pertineret ad aliquem Ecclesiasticum inferiorem Episcopo, quia etiamsi ab isto fiat, non dantur in titulum. Rebuffus *de pacific. possess. ampliat.17. n.105.* Riccius *in praxi forensi, decis.406.*

5 Capellania verò, quæ fundatur in titulum, est Beneficium Ecclesiasticum: quod si libera sit, absque patronorum dependentia, ab Episcopo est conferenda, *cap. Ex frequentibus 3. de inst. cap. Beneficium, de reg. jur. in 6.* Vicarius tamen Episcopi nequit has liberas Capellanias conferre, nisi habeat speciale mandatum, cùm sint propriè Beneficia, *cap. ult. de offic. Vicar. in 6.* Gonzalez *in reg.8. §.4. proœm. n.24.* Sbrozius *de offic. Vicarii, lib.1. quæst.7.* nam est collatio gratuita donatio, quæ non venit in generali mandato, *l. filiusfamilias, ff. de donat. l. Contra juris, §. Si filius, ff. de pact.* nisi specialiter concedatur, Azorius *2. part Instit. Moral. lib.3. cap.44. quæst.1.* Palao *d. tract.13. disp.2. punct.30. n.3.* Garcia *de Benef. 5. part. cap.8. n.8.* quod intellige si Vicarius generalis sit. Barbosa *d. 3. part. allegat.54. n.60.*

6 Est quæstio, an Vicarius absque speciali mandato possit instituere Capellaniam, aut Beneficium, quando aliquis à patrono præsentatur. Prima sententia negat id fieri posse à Vicario; nam institutio etiam collatio est, ut notant Scribentes *in rub. Ut Ecclesiastica Benef. &c.* Ergo cùm Vicarius absque speciali mandato nequeat conferre, nec poterit instituere. Cæterùm, nam si institueret, ageret contra mandatum, quod jure prohibitum est, *cap. Dilecta 22. de rescript.* Ergo nequit absque speciali mandato instituere. Id explicatur, quia in generali mandato non veniunt illa, quæ verisimiliter non conceduntur, *reg. In generali, de regul. jur. in 6.* Institutio enim Capellaniarum, vel Beneficiorum res gravissima est, nec verisimiliter in generali mandato concedenda, ut observatur in resignationibus, quæ nequeunt admitti à Vicario absque speciali mandato, nec potest Clericum Beneficio privare. Riccius *in praxi, part.1. resolut. 471.* Sbrozius *de Vicar. Episcop. lib.2. quæst.130.* Flaminius *de resign. lib.7. quæst.24. num.3.* Barbosa *dict. allegat.54. num.66.* Ergo nec absque speciali mandato instituere Capellanum præsentatum à patrono. Rolandus à Valle *vol.1. cons.47. num.45.* Rebuffus *in praxi Benefic. tit. de form. Vicarii, num.126.*

7 Secunda sententia tenet contrarium ex decisione textus *in cap. Ex frequentibus 3. de instit.* Sed textus ille efficaciter assumptum non probat, quia licèt dicat Officiales Episcopi instituere posse, valet intelligi cum speciali mandato, ut illum intelligit Rebuffus ubi proximè, *num.127.* Sed ratione ducitur, quia quando proceditur ad instituendum præsentatum, non est ex gratia, sed ex justitia, & necessitate jurisdictionis: cùm ergo in generali mandato veniant quæ sunt necessariæ jurisdictionis, inde est, ut absque speciali possit præsentatum instituere. Azorius *2. part. lib.3. cap.44. quæst.4.* Layman *lib.4. tract.2. cap.10. num.6.* Rota apud Garciam *8. part. cap.4. num.50.* Paz *in praxi, tom.2. prælud.3. num.7.* Garcia *de Benefic. 5. part. cap.7. num.84.* Barbosa *dict. allegat.54. num.70.* Tondutus *tom.1. quæst.118. num.35.*

8 Hanc sententiam admitto, & ut magis explicetur, observo diversam esse collationem liberam à collatione coarctata; licèt enim institutio sit collatio, non est tamen libera, sed coarctata ad consensum patronorum, & necessariò facienda est in persona præsentata, si idonea reperiatur, *cap. Monasterium 33. 16. quæst.7.* Tridentinum *sess.24. de Reform. cap.18.* Salgado *de Reg. Protect. 3. part. cap.10. num.5.* Diana *8. part. tract.4. resol.25.* unde dicitur actus justitiæ, & ad illam faciendam Ordinarius poterit compelli, ut cum aliquibus docet Frasso *de Patr. Ind. cap.11. à n.44.* quapropter poterit à Vicario expediri ex generali mandato, utpote res necessariæ jurisdictionis in illo contentæ. Et confirmatur, nam Capitulum Sede vacante, licèt non possit conferre Beneficia, quæ pertinent ad liberam collationem Episcopi, potest tamen instituere præsentatos à patronis, quia id pertinet ad necessitatem justitiæ, *cap.1. de instit. in 6.* Gonzalez *ad regul.8. §.4. proœm. n.35.* Garcia *5. part. cap.7. n.51. & 54.* Rota apud Farinac. *in posth. 1. part. decis.166. à n.5.* Frasso *d. cap.11. à n.32.* Ergo similiter Vicarius Episcopi, quia in generali mandato continentur omnia quæ sunt necessariæ jurisdictionis, & justitiæ.

9 Dices: Ergo Vicarius ex vi mandati generalis nequibit instituere, quando patronus plures præsentaverit. Probatur, nam tunc ad liberam electionem Episcopi pertinet ex præsentatis quem maluerit eligere: Ergo ex vi illius mandati saltem in hoc casu non poterit instituere. Sed respondet Palao *dict. tract.13. disput.2. punct.30. num.4.* adhuc in hoc casu ex generali mandato posse instituere quem magis idoneum cognoscat; nam adhuc collatio coarctata remanet, quatenus Episcopus tenetur eligere unum ex præsentatis: quamobrem Vicarius ex generali mandato poterit instituere.

10 Rursus Episcopus, licèt possit Capellanias liberas, seu Beneficia conferre, si tamen fuerint juris patronatus, nequit illa conferre absque præsentatione patronorum, nec aliquo modo instituere, *cap. Decernimus 32. 16. quæst.7. cap. Ex insinuatione 14. de jur. patronat.* Quin potiùs si præsentatum idoneum instituere renuerit, dabitur recursus ad superiorem. Lara *de Capell. lib.2. cap.10. num.25.* Barbosa *de univ. jur. lib.3. cap.12. numer.206.* Salgado *de Reg. Protect. 3. par. cap.10. n.131.* Frasso *de Patron. Ind. cap.11. & 31. part.1.*

11 Quod non solùm intelligas quando patronus proprietarius, & possessor est; verùm etiam si tantùm sit in possessione præsentandi, vel quasi, *c. Consultationibus 19. de jur. patr. cap. Cum Bertholdus 18. de sent. & re judic. l.9. tit.15. part.1.* Ratio est, quia jus præsentandi consideratur ut fructus, qui pertinent ad habentem quasi possessionem percipiendi; unde sequitur Episcopum absque præsentatione quasi possidentis, non posse Capellaniam, aut Beneficium conferre. Rota *decis.14. de jure patron.* Gregorius *in d. l.9. verb. Tuviesse*, Gonzal. *in reg.8. gloss.45. §.2. n.6.* Salgado *d. 3. part. cap.10. n.3.* Marescotus *variar. lib.1. cap.55. n.12.* Barbosa

d. lib. 3. cap. 12. n. 187. Rota 2. part. divers. decis. 167. num. 7. Fraffo de Patron. Ind. cap. 5. num. 18. Capponi tom. 3. difcept. 393. à num. 18.

12 Eft verò dubium, an fi Epifcopus conferat Capellaniam, aut Beneficium, fpreto patrono, collatio fit ipfo jure nulla. Prima fententia afferit, non effe ipfo jure nullam, fed irritandam, ex cap. Illud 8. de jur. Patronat. ibi: Irritanda. Quod verbum eft futuri temporis, denotatque actum non effe ipfo jure nullum, ut docet Tiraquellus in l. Si unquam, C. de revocand. donat. Tenent hanc fententiam Caffadorus decif. 2. de locat. n. 4. Gomez in regul. de Triennali, quaft. 61. Valenzuela conf. 135. num. 67.

13 Secunda fententia tenet contrarium, ex d. cap. Decernimus 32. 16. quaft. 7. d. cap. Cùm Bertholdus 18. de fent. & re judicat. ubi fimilis collatio irrita decernitur per verba præfentis temporis, quæ denotant irritationem ipfo facto. Abbas in d. cap. Cùm Bertholdus, n. 17. Flaminius de refign. lib. 2. q. 4. n. 3. Mohedanus decif. 6. de jur. Patron. Moneta de commut. ult. volunt. cap. 10. num. 361. Salgado de Reg. Protect. 3. part. cap. 9. n. 131. & de libert. Benefic. art. 3. à num. 1. Jul. Capponi difcept. 19. num. 3.

14 Tertia fententia eft Spini de teftament. gloff. 4. n. 99. afferentis collationem iftam irritam effe ipfo jure, fed conditionaliter, nempe fi patronus annullare voluerit; nam ut fcripfit Rota apud Caffadorum decif. 3. de locat. num. 3. quando annullatio fit in favorem alicujus, & in odium alterius, femper includit illam conditionem, fi annullare voluerit, prout quando fit collatio fpreto patrono; quia annullatur favore patroni, & in odium conferrentis. Ergo annullatio fit ipfo jure fub ea conditione, fi patronus anoullare voluerit. In qua quidem fententia refident Riccius in praxi for. 1. edit. decif. 171. verf. Idem dicebam, Salgado d. cap. 9. num. 133.

15 Quarta fententia afferit, collationem iftam effe in pendenti, ita ut fi patroous voluerit illam annullare, annulletur, aut fi confentiat, utique valida erit. Garcia d. 5. part. cap. 9. n. 240. Moneta d. cap. 10. num. 356.

16 In hoc dubio animadvertendum, textum in d. cap. Decernimus, & textum in d. cap. Illud 8. de jure patronat. qui pugnantes inter fe videntur, non clarè hanc difficultatem diffolvere; accipiunt enim interpretamenta, inter quæ illud aptius eft, ut collatio fpreto patrono facta irrita fit, non quia fit ipfo jure irrita & nulla, fed quia ftatim à jure fpernitur, nifi poftea patronorum accedat confenfus: quo in fenfu intelligendus eft textus in d. cap. Decernimus, & alia jura loquentia verbis præfentis temporis, ut explicat Barbofa in d. cap. Illud, num. 9. & alii DD. afferentes, iftam collationem effe nullam, quorum aliqoos refert Barbofa ibidem, D. Gonzalez in d. cap. Illud, litt. C. Fraffo de Patronat. Ind. cap. 32. à num. 32.

17 Unde dicendum, collationem iftam validam effe ipfo jure, verùm in pendenti remanere, ut dicunt DD. quartæ fententiæ: idque ex communi doctrina probatur afferente, quod fi huic collationi factæ contempto patrono accedat confenfus illius, vel fciens intra tempus præfentandi non contradixerit, collationem valere. Lara d. cap. 10. num. 29. Fraffo dict. cap. 32. num. 33. Moneta dict. cap. 10. num. 365. Barbofa dict. cap. 12. à num. 163. & de offic. Epifcop. 3. part. allegat. 72. num. 171. Capponi tom. 3. difcept. 126. quod oon poterat facere confenfus, feu contradictionis omiffio, fi à principio irrita effet, repugnante juris regula, quod à principio vitiofum eft, oullo temporis lapfo convalefcere, reg. Quod ab initio, ff. de reg. jur. Cæterùm, nam ut confiderat Lara dict. cap. 10. num. 29. collatio fpreto patrono habet fobftantiam, quippe fi adfit confenfus illius, aut non contradicit, fuftinetur: Ergo valida eft ipfo jure, licèt adveniente contradictione irrita fit, ut expendit Garcia d. cap. 9. num. 240.

18 Sunt tamen aliqui cafus in quibus Epifcopus validè Capellaniam, aut Beneficium confert abfque patronis. Primus, quando patronus iotra tempus ad præfentandum nullum præfentaverit, quod quidem in patrono laico eft quadrimeftre, in Ecclefiaftico femeftre, cap. unic. de jur. patronat. in 6. quare quia negligeos eft, collatio devolvitur ad Epifcopum à diæ notitiæ independenter à patrono. Abbas in cap. Ex parte, de conceff. Prabenda, n. 13. Spino de teftam. gloff. 4. n. 20. Lara d. cap. 16. n. 26. Petrus Gregorius fyntag. lib. 17. cap. 9. n. 26. Garcia d. part. 10. cap. 2. n. 6. Fraffo cap. 32. n. 46. Capponi tom. 2. difcept. 74.

19 Eft tamen limitandum, fi patronus fit legitimè impeditus ad præfentandum intra illud tempus, veluti fi abfens fit causâ Reipublicæ, vel injuftè carceribus mancipatus, vel non habet tutum acceffum ob perhorrefcentiam alicujus inimici. Rebuffus de pacificis num. 304. Palao dict. tract. 13. difp. 2. punct. 5. n. 4. Mena variar. lib. 1. qu. 3. n. 4. qui num. 5. afferit, in dubio præfumi patronum abfentem, & impeditum. Menoch. lib. 6. præfumpt. 73. n. 14. Salgado de Reg. Protect. 3. part. cap. 9. num. 43.

20 Verùm adeft difficilis quæftio, an tempus iftud currat à die notitiæ, an à die vacationis, ut poffit liberè Epifcopus per devolutionem conferre Capellaniam, feu Beneficium, ex cap. 2. de fupplend. negl. Prælat. cap. fin. de jur. Patron. Et aliqui tenent currere à die vacationis, per textum in c. Eam te 22. de jur. Patron. ubi affirmatur tempus currere ad præfentandum à die vacationis. Idem defumunt DD. ex cap. Cùm pater 27. de jur. Patronat. Cæterùm ratione probatur; nam tempus patronis conceffum eft favore Ecclefiarum, ne per multum temporis Paftore careant: tempus verò appofitum favore Ecclefiarum, currit à die vacationis. Abbas in cap. Quia diverfitatem, de conceff. Præb. not. 5. Ergo tempus datum ad præfentandum currit à die vacationis. Denique tempus à lege præfinitum in dubio continuum exiftimatur, l. Nunquam, §. 1. ff. de ufucap. Salcedo de Bernard. cap. 68. lit. A. Cùm ergo tempus ad præfentandum fit à lege præfinitum in d. cap. unic. de jur. Patron. in 6. eft cenfendum continuum à die vacationis. Lambertinus de jur. Patron. 2. par. lib. 2. qu. 1. art. 8. Mena d. quæft. 3. à n. 20. Rota in antiquis, decif. 1. de jur. Patronat.

21 Plurimi verò tenent à die fcientiæ currere; nam in provifione Beneficiorum tempus computatur à die fcientiæ ipfius conferentis, cap. 3. de fupplend. negl. Prælat. ubi Scribentes, Mantica decif. 260. num. 2. & 3. Addit. ad Burattum decif. 18. num. 12. in fin. Ergo idem dicendum eft de tempore ad præfentandum, cùm etiam patroni tendant ad finem conferendi Capellaniam, feu Beneficium. Præterea devolutio fit ob negligentiam patroni, quæ quidem culpa nequit confiderari, quando patronus ignorat vacatiooem: Ergo debet currere à die fcientiæ. Rota 2. part. recent. decif. 173. n. 1. & decif. 168. fub n. 1. Rota apud Seraphinum decif. 300. n. 1. Lara de Capell. lib. 2. cap. 9. num. 35. Garcia de benef. 10. part. cap. 2. n. 34. Marinis refolut. lib. 1. cap. 300. n. 6. Barbofa 3. par. allegat. 27. n. 134. Fraffo d. cap. 32. n. 45. Lotterius de re Benefic. lib. 2. quæft. 6. n. 23. Azorius 2. par. lib. 6. cap. 2. quæft. 11. Leffius de juftit. lib. 2. cap. 34. n. 19. Salgado de Protect. Reg. 3. part. cap. 9. à num. 42.

22 In hoc dubio illud in primis obfervandum, textus quos affert prima fententia, illam non probare, quia caput Eam te 22. de jur. Patron. non loquitur in fpecie, fed quando controverfia orta fuerit ob jus patronatus, fi intra fex menfes non fuerit fopita poftquam Ecclefia vacaverit: quo quidem cafu licitum eft Epifcopo de perfona idonea ordinare, idque fi controverfia fuerit inter patronum, & Epifcopum, non per veram inftitutionem faciet, fed nominando œconomum, ut regat, & adminiftret, l. 11. tit. 15. part. 1. qui evicto patronatu, à vero patrono removetur. Si verò fit controverfia inter ipfos patrooos, & præfentaverit is qui erat in quafi poffeffione, femper ifte fuftinetur, fi booa fide præfentaverit, fecus fi mala, cap. Confultationibus 19. de jur. Patron. fi verò oullus præfentaverit, & inter patronos laicos quadrimeftre fuerit tranfactum, vel femeftre inter Ecclefiafticos, Clericum inftituet, qui non eft revocandus, fed repræfentandus à vero patrono, cap. Si vero 12. de jur. Patronat. Spino de teftam. gloff. 4. n. 24. Lara d. lib. 2. cap. 9. à n. 37. Vivianus in praxi jurifpatronat. 2. part. lib. 7. cap. 3. n. 7. Rota 4. part. diverf. decif. 568. n. 2. Barbofa de univerf. jur. lib. 3. cap. 9. à n. 171. in quo quidem fenfo intelligitur textus in cap. Quoniam 3. cap. Cùm propter 27. de jur. patron. Lotterius d. quæft. 6. n. 37. Marefcotus lib. 1. var. cap. 84. Salgado d. 3. part. cap. 11. à num. 67.

23 Unde cognofcitur, decifionem illius textus noo agere, an tempus præfentandi numerandum fit à die vacationis, vel à die fcientiæ: fed tamen Mena dict. quæft. 3. à num. 20. ad probandum computum effe faciendum à die vacationis, expendit illa verba, Poftquam vacaverit, ut animadvertit ibidem Barbofa n. 2. Sed refpondetur, textum illum tantùm afferere, fex menfes effe confiderandos poft vacationem Beneficii, non anteà: verùm non affirmat, currere contra patronum à die vacationis, illo ignorante: quod erat neceffarium,

sarium, ut difficultatem sopiret. Erit ergo sensus, currere sex menses postquam Beneficium vacaverit, si vacationem scierit patronus, secus aliàs.

24 Unde assero admittendam esse secundam sententiam: ratio est, quia tempus præsentandi non currit impedito, ut diximus n.19. Spino d.gloss.4.n.23. Palao d.disp.2.punct.5.n.3. ergo nec ignoranti, quod majus impedimentum valet considerari, quàm vacationem nescire. Erit cum Lara observandum dict.cap.9. à num. 30. hæc tempora ad præsentandum posse prorogari à fundatore in fundatione, cum Episcopi consensu.

25 Secundus casus est quando aliquis esset in quasi possessione præsentandi, verùm ex fundatione appareret Capellaniam, seu Beneficium esse liberum; tunc enim rectè Episcopus confert spreto patrono, quia cùm ex fundatione constet Capellaniam esse liberam, non est ubi formetur quasi possessio præsentandi, ut latè explicat Josephus Ludovisius decis. 381. per tot. Tondutus tom.1. q.118. n.39. Sicut è contrario, si constaret esse juris patronatus ex fundatione, & Episcopus esset in quasi possessione liberè conferendi. Maresc.var.lib.1. cap.55. n.65. latè prosequitur Salgado de libert. Benef. art.3. per tot. Quod idem dicendum, etiamsi quis prætendat habere possessionem immemorialem, quia per immemorialem præsumitur Capellaniam à principio esse jurispatronatus, & repugnat eodem tempore esse liberam. Lotterius de re Benef.lib.2. q.7. à n.31. Salgado d.art.3. à n.30.

26 Idem affirmandum, quando in ultimo statu collatio liberè facta fuisset ab Ordinario, licèt aliquis antecedenter probet quasi possessionem præsentandi; nam in jurepatronatus ultimus status consideratur, & qui in ultimo statu invenitur, in eodem manutenetur. Posthius de manut. observ.71. à n.50. Julius Capponi discept. 262. n.3. Barbosa lib.3.vot.112. n.17. Itaque cùm in ultimo statu Ordinarius liberè contulit independenter à patrono, poterit similiter conferre, nisi ultra quasi possessionem jus patronatus probetur, ut censuit Sacra Congregatio relata, & sequuta à Rota apud Posthum. de manut. decis.443. n.2. Marescotus variar.lib.1. c.55. n.42. Salgado de libert. Benef. art.7. à n.1.

27 Tertius casus est, quando patronus Ecclesiasticus aliquem indignum præsentaverit, cap. Sicut 2. in fin. de suppiend. negligent. cap. Ad audientiam 3. de Ecclesiis ædificand. Ratio est, nam patronus Ecclesiasticus præsentando indignum, pro illa vice privatur jure præsentandi, idcircò liberè valet Episcopus Capellaniam, seu Beneficium conferre, cap. Cum vos 4. de offic. Ordin. ubi Glossa verb. Minùs idonea. Grat. discept. c.8. n.11. Lotterius de re Benef.lib.2. q.6. à n.29. qui num. 30. cum Rota scripsit, quod si aliquis ex patronis indignum præsentaverit, aliis non nocet, quo minùs intra tempus possint alium præsentare; quia jus illius aliis consolidatur per jus decrescendi.

28 Si verò patronus fuerit laicus, & indignum præsentaverit, non privatur pro illa vice jure præsentandi, quia id dispositum non est: quapropter poterit intra tempus alium præsentare, necessariò ab Ordinario instituendum. Spino d. gloss.4. à n.87. Barbosa dict.lib.3. cap.12. num.176. Palao dict.disp.2. punct.7. n.6. & 7.

29 Quartus casus est, quando Ordinarius motu proprio conferat Capellaniam, aut Beneficium ipsimet patrono; tunc enim absque aliqua præsentatione tenet collatio, quia sufficit, ut ipse acceptet, & consentiat. Felinus in cap. Cum Bertholdus, de sent. & re judic. n.11. Moneta de commut.ult.volun. c.10. n.364. Sanchez cons.lib.2. c.3. dub.74. n.6.

30 Est tamen dubium difficile, an si Episcopus præsente patrono collationem fecerit Capellaniæ, seu Beneficii, valida sit, necne. Et Cardinalis, quem sequitur Felinus in dict. cap. Cum Bertoldus, n.12. dicunt invalidam, quorum doctrina fundari valet, quia taciturnitas alicujus, quoties necessarius est ejus consensus, non præstat eum, quando agitur de damno illius, tollendo nimirum jus præsentandi sibi competens, l. Invitum, ff. de servit. urb. l. In eo, §. penult. ff. de usucap. Gratianus discept. forens. 271. n.65. Cyriacus controv. 629. n.2. Ergo cùm taciturnitas patroni sit in damnum illius, consensum non præstat, nec sustinetur collatio. Cæterùm licèt ille fuisset præsens, adhuc intra tempus præsentandi poterat reclamare; qui enim tacet sciens habere tempus ad reclamandum, non consentit, nec sibi præjudicat, l. Sicut 8. §. Non videtur, ff. quibus mod. pig. vel hypot. solv. Surdus decis. 302. n.13. Cyriacus controvers. 441. n.51. Rota apud Seraphinum decis.254. n.11. Ergo nequit sustineri collatio facta ab Episcopo, præsente patrono.

31 Contrarium tenent Abbas relatus à Felino d.n.12. Corrasius de Beneficiis, 4.part. cap.ult. n. 28. Moneta d. cap.10. nu. 365. Garcia de Beneficiis, 5.part. cap.9. n.134. Covarr. pract. cap.15. n.5. vers. Quod si. Mancinus de jur. sacr. dissert. 9. cap.4. Ducuntur, quia collatio non valet, quæ fit spreto patrono. Ast ista collatio non fit illo spreto, sed præsente, & consentiente. Ergo debet sustineri. Rursus, nam in hac collatione, licèt videatur res agi in damnum patroni, revera tamen non est, nisi in commodum Ecclesiæ, ne careat pastore; & taciturnitas in causa pia, & religionis habetur pro consensu expresso, cap. si Servus sciente, dist.50. Authent. de Sanct. Episcop. §. Si servus, Tiraquellus de caus.piis, privil. 131. Mascard. de probat.concl.1176. n.72. Genuensis in prax. q.236. Ergo ista collatio erit valida.

32 In hoc dubio considerandum, ad valorem institutionis Capellaniæ, aut Beneficii juris patronatus, requiri præcisè assensum patroni intra tempus præsentandi præstandum, nec sufficiet illum non spernere, ut est textus in cap. Ex insinuatione 14. de jur. Patron. ibi, Sine ipsius assensu, ubi plures accersivit Barbosa n.1. cap. Decernimus 32. 16. quæst. 7. Itaque in præsentiarum tota erit difficultas in discutiendo, an ex sola præsentia præstiterit consensum ad illam collationem faciendam.

33 Qua in re dico primò quod si patronus vocatus fuerit ad collationem, ut illi auctoritatem præstet, præsensque habeatur, nec aliquo modo contradixerit, ex sola taciturnitate consensum præstat, & valida erit collatio, ut explicat Felin. in d. cap. Cum Bertholdus, n. 12. nam ex facto ipso veniendi absque aliqua contradictione ad auctorizandam collationem, constat tacendo consensum præstitisse. Rota apud Seraphinum decis.708. n.5.

34 Dico secundò, quod si casu præsens fuerit Patronus, & cognoscat collationem Capellaniæ fieri pertinentis ad ejus patronatum, & contradicere potuerit, verùm non contradixit, consensum præstare videtur, & collatio erit valida. Ratio, nam taciturnitas etiam in rebus grave incommodum ingerentibus, præstat consensum, si potuit pars contradicere, & non contradixit, leg. Si servus communis, ff. de don. quam benè expendit Menochius lib.6. præsumpt.99. num.15. Gratianus Discept. Forens. cap.141. num.18. Ergo si quando contradicere potuit, non contradixit, consensum præstitit, & consequenter valet collatio. Tempero tamen, si ob magnam auctoritatem Prælati non contradixit, ut benè notat Felinus d.n.12. Carotius sing.420.

35 Tertiò dico, quod si dubium sit, an potuisset contradicere, necne, nec ex animadversionibus factis capiatur consensum præstitisse, existimo præstitisse illum, & valere collationem. Ducor, nam in præsentiarum consideratur favor Ecclesiæ, quatenus de pastore providetur Capellania de Capellano ad munera sacra obeunda; & in dubio creditur taciturnitatem consensum præstitisse, ex l. 2. ff. ad municipalem, ubi favore Reipublicæ Decurione carentis ad ejus regimen, taciturnitas patris in electione filii pro consensu habetur: quod idem observandum favore Ecclesiæ, vel causæ piæ. Mascardus de probat. conclus.1153. n.59. Menochius d. q.99. à n.29. quapropter in dubio existimandum, patronum præstitisse consensum ex taciturnitate, & validam esse collationem. Rursus in præsentiarum nullum incommodum, aut parvum patrono infertur: ratio est, nam licèt non præsentet vera, & reali præsentatione; attamen præsentat, quia præstat consensum ad collationem gerentem vicem præsentationis; quando enim nullum, aut parvum incommodum infertur tacenti, taciturnitas præstat consensum, reg. Qui tacet, ff. de reg.jur. l. Si sine 5. C. ad Vellean. Ricc. collect. 1040. part.4. Amatus decis.47. n.13. Novarius quæst.for.lib.1. q. 82. n. 5. Ergo in præsentiarum patronus præstat consensum, & valida erit collatio.

36 Quintus casus est, quando patronus plures præsentaverit idoneos, tunc enim Episcopus poterit instituere ex eis quem maluerit, cap. Cum autem 24. cap. Pastoralis 29. de jur. Patronat. Quod intelligas in patrono laico, qui potest variare, & plures præsentare: secus in Ecclesiastico variare interdicto, cap. Publicato 58. de elect. Barbosa de offic. Episcopi, 3. part. allegat. 72. n.154. Tondutus tom.1. cap.118. à num.20. Ratio enim est, quia præsentatio Ecclesiastici habet vim electionis, quapropter nequit variatio admitti, sed necessariò est insti-

instituendus ab Episcopo. Poterit tamen pro unica vice plures commutativè præsentare, quia ista non est variatio, *Clement.* 2. *de jur. Patronat.* Gregorius *in l. 6. tit. 15. part. 1. verb. Dos, ò tres.* Sanchez *consl. lib. 2. cap. 3. dub. 65. n. 4.* & in hoc casu liberè poterit Episcopus instituere quem maluerit, *ex d. cap. Cùm autem.*

37 Patronus verò laicus valet unica vice plures præsentare, tum facta præsentatione variare, & alios præsentare, *d. cap. Cùm autem;* quia ejus præsentatio non est electio, sed tantùm est nominare, & præsentare personam cum jure ad rem, ut ab Episcopo instituatur. Guttierrez *de juram. 3. part. cap. 13. num. 4. & 5.* Lara *dict. cap. 9. n. 18.* Garcia *de Benef. 5. part. cap. 9. num. 214.* Idque extendendum ad plures variationes, dummodo sint commutativæ, non recedendo à primis præsentationibus. Palao *d. tract. 13. disp. 2. punct. 6. n. 37.* ex his enim omnibus variationibus Episcopus quem maluerit eliget, *ex d. cap. Cùm autem 24. de jur. Patronat.* ubi plures Barbosa *n. 8.* Sanchez *d. dub. 65. n. 10.* Palao *d. punct. 6. n. 2.* Moneta *de commut. cap. 10. n. 375.* Tondutus *d. cap. 118. n. 22.* Barbosa *d. lib. 3. cap. 12. n. 178.* qui *d. allegat. 72. n. 199.* asserit idem esse dicendum, quando duo sunt patroni, & duo æqualiter præsentaverint; quia tunc ex eis Episcopus eliget quem maluerit.

38 Sextus casus est, quando Ecclesia est Conventualis, & juris patronatus, tunc enim absque patrono valet electio Prælati; quia in similibus Ecclesiis, licèt requiratur ejus consensus, est tantùm ut laudet, & approbet electionem, non verò ad valorem institutionis. Cavallerius *decis. 321. n. 5. & decis. 441.* Barbosa *d. cap. 12. n. 180.*

39 Sed obstare videtur textus *in cap. Abbatem 4. 18. quæst. 2.* ubi datur forma eligendi Abbatem, & patroni assensus requiritur: ergo non valebit institutio absque consensu patroni. Ex dictis facilè respondetur, dicendo assensum illum non esse de substantia Institutionis ad ipsius valorem, sed tantùm ad decentiam, & extrinsecam approbationem, & laudem; aliquando tamen erit de essentia, scilicet si id disponeretur in fundatione. Barbosa *d. cap. 12. n. 181.* qui *n. 182.* scripsit id tantùm intelligendum in ipsa Ecclesia Conventuali, secus in Præbendis, & Capellis illius.

40 Denique quando patronus, etiamsi vocaretur, aut expectetur, non potuisset præsentare, tunc absque eo rectè confert Episcopus, quia frustra speraretur præsentatio. Felinus *in d. cap. Cùm Bertoldus, n. 12. limit. 6.* Moneta *dict. cap. 10. n. 372.* Idem si patronus amitteret jus præsentandi, veluti si Ecclesia dotem, seu redditus amiserit, nec iterum à patrono donentur, aut quando erigeretur in Collegiatam, aut Monasterio conferretur absque reservatione juris patronatus, aut propter alias causas, de quibus Vivianus *in praxi juris patron. lib. 15. à cap. 1.* Frasso *de Patron. Ind. cap. 30. num. 2.* Barbosa *d. cap. 12. à n. 254.* Moneta *d. cap. 10. n. 377.* quia tunc non est patronata Ecclesia, sed remanet libera. Barbosa *d. 3. part. alleg. 72. n. 171. & d. cap. 12. n. 184.*

41 Præterea quando Episcopus scit, Capellaniam vacasse, aut facta, vel non facta præsentatione, per edicta interesse putantes citat, ut observatur in alio quolibet Beneficio, *cap. fin. de elect. in 6.* Caputaquensis *2. part. decis. 95.* quæ apponenda sunt in valvis Ecclesiæ, ubi adest Capellania. Riccius *in praxi for. decis. 427. n. 2.* Lara *dict. lib. 2. cap. 10. à num. 33.* Debent enim scribi in vulgari lingua, *leg. Sed etsi pupillus, §. De quo palam, vers. Præscribere, ff. de inst. act.* ut ab omnibus intelligantur, & insimul omnibus pateant, *Auth. qui semel, Cod. quomod. & quando judex*, Lara *dict. lib. 2. cap. 10. nu. 36.* qui animadvertit quod in hoc Archiepiscopatu ultra quod in valvis Ecclesiæ edicta proponuntur, inter Missarum solemnia etiam leguntur: quod quidem ad melius esse observare oportet, non tamen hoc est præcisè necessarium. Massobrius *in prax. requisit. 2. dub. 7.* Garcia *7. part. cap. 2. num. 45.*

42 Patroni quoties ad Capellaniam sunt vocati consanguinei, & alii quorum interest, edicta etiam apponunt eos vocantes, ut sua jura demonstrent, nisi consuetudo sit in contrarium. Lotterius *de re Benef. lib. 2. quæst. 16. à n. 20.* Tondutus *tom. 1. q. 118. n. 40.* Ast illa est differentia, ut præsentatio facta à Patrono absque edicto sustineatur. Geminianus *in cap. fin. de elect. in 6. n. 8.* non tamen institutio, quæ absque edicto est nulla, *ex d. cap. fin.* Lara *dict. cap. 10. à n. 39.* etiamsi detur discordia, aut concordia patronorum. Francus *in d. cap. fin. n. 9.* Vivianus *in praxi jurispatr. lib. 9. cap. 1. n. 9.* Massobrius *in praxi habend. concurs. prælud. 7. dub. 21. num. 122.* Sufficiet verò, ut edicta sint generalia, nisi sit specialis persona habens interesse, quia personaliter est citanda. Lara *d. cap. 10. n. 43.*

43 In edictis terminus competens dandus est, ut ad notitiam interesse habentium citatio possit pervenire: idque in Capellaniis, & Beneficiis simplicibus arbitrio judicantis relinquitur, dummodo sufficiens sit, habita ratione locorum, & personarum. Glossa *in d. c. fin. verb. Competentem,* aliàs institutio inficiabitur. Massobrius *d. dub. 21. n. 127.* Si tamen Capellania fuerit cum cura, aut Beneficium, decem dies poterant in edicto apponi, verùm ex constitutione Pii V. ad viginti extenduntur, & non ultrà. Riccius *in praxi for. decis. 427.* & ex causa poterit Ordinarius breviare. Barbosa *d. 3. part. allegat. 64. n. 45.* Palao *d. tract. 13. disput. 3. punct. 2. §. 1. n. 6.* Salgado *de Reg. Protect. 3. part. cap. 9. à num. 49.* Riccius *4. part. collect. 738*

44 Illud verò observandum, quod si tempus edicti fuerit minùs breve, aut statim affictus tollitur, ne ad notitiam interesse habentium perveniat, institutio, seu collatio erit, nulla, quia finis illuditur. Lara *d. c. 10. n. 44.* qui *n. 46.* increpat Episcopos edicta tempore nimis brevi claudentes, ut quibus voluerint Beneficia, seu Capellanias concedant.

45 Notarius qui edictum affixit, fidem faciet, quod illud affixerit tali loco, licèt non dicat quanto tempore steterit, & insimul ponet diem affixionis. Massobrius *in praxi, requisit. 2. dub. 10.* Garcia *9. part. c. 2. n. 43.* Ast per quod tempus debeat esse affixum, arbitrio concedentis relinquitur. Cevallos *com. q. 898. n. 36.* Garcia *d. c. 2. n. 42.*

46 Cæterùm si collatio Capellaniæ sit libera, fieri valet ab Episcopo, non solùm in Diœcesi, verùm extra, cùm sit voluntariæ jurisdictionis, *c. Statutum 3. de rescript. in 6.* ubi Scribentes, quod ad Vicarios extenditur, si ad id habeant speciale mandatum. Covarr. *lib. 3. variar. c. 20. n. 8.* Flamin. *de resign. lib. 7. q. 24. n. 32.* Lara *d. c. 10. n. 60. & 67.*

47 Est tamen difficultas, an possit Episcopus extra Diœcesim facere institutionem, quando Capellania, seu Beneficium est juris patronatus? Aliqui negant, quia est necessaria cognitio causæ, quæ nequit fieri extra territorium. Cardinalis *in cap. Novit, de offic. Delegat. num. 5.* & consentire videtur Lara *d. c. 10. n. 60.* Alteri tenent contrarium, quia institutio est collatio, & consequenter voluntariæ jurisdictionis, quæ extra territorium valet exerceri. Sbrozius, Ugolinus, & alii apud Garciam *5. part. cap. 10. n. 6.* qui Dominici concordiam refert.

48 In hoc dubio duo casus sunt considerandi. In primis quando adest controversia in ordine ad institutionem, adestque contradictor: tunc enim lis illa nequit extra territorium disceptari; nam est actus contentiosæ jurisdictionis, qui nequit fieri extra territorium, *leg. fi. ff. de jurisd. omnium judicum* cum vulgatis. Si tamen lis sit sopita, aut per sententiam, vel per transactionem, ita ut tantùm restet institutio, absque aliqua lite fieri poterit institutio extra Diœcesim, quia libera est, & absque strepitu judiciali. Secundus casus est, quando patronus jam præsentavit, nec aliqua est quæstio, seu contradictor, verùm aliqua sit tantùm extrajudicialis cognitio, tunc extra territorium poterit Episcopus instituere; nam licèt id pertineat ad necessariam jurisdictionem, non tamen ad contentiosam, quapropter poterit facere institutionem. Gonzalez *ad regul. 8. gloss. 62. numer. 8.* Sanchez *de Matrimon. lib. 3. disput. 8. num. 6.* Garcia *d. cap. 8. n. 142.*

49 Formulam verò collationis refert Baio *in praxi Ecclesiast. lib. 5. cap. 4.* Ad hanc verò institutionem scriptura non requiritur; est tamen necessaria ad probationem, quæ si deperdatur, testibus valet probari. Lara *d. cap. 10. à num. 84.* qui *num. 73.* idem dicit, si collatio facta fuerit à Papa. Attamen ad probationem gratiæ, per regulam de non judicando, introductæ fuerunt Bullæ, quibus non extantibus non creditur adesse Principis mandatum. Nec juxta Bullam Julii III. ex sola signatura gratiæ potest quis apprehendere possessionem Beneficii, seu Capellaniæ, nec facere fructus suos, nisi Papa dixerit, quod sola signatura sufficiat, ut latè ipse comprobat.

CA-

CAPUT XIV.

De appellatione in causis Capellaniarum, ac de earum fructuum divisione.

SUMMARIUM.

In causis Capellaniarum dupliciter interponitur appellatio, scilicet quando extrajudicialiter confertur, & tunc appellatio non conceditur, n.1. Alio modo quando de ea judicialiter disceptatur, & tunc aliqui negant appellationi deferendum, num.2.

Eorum fundamenta rejiciuntur, n.3. & ita contrarium admittitur, à n.4.

Limitant aliqui, quando consuetudo esset in contrarium: quod explicatur, & discutitur, à n.6.

Sed an id fieri possit per statutum, aut constitutionem synodalem, aliqui affirmant cum assensu Apostolico, aut communi assensu Cleri, n.9. Alii absque eo n.10. Sed rejiciuntur, num. 11.

Similiter non admittitur appellatio, si illam fundator interdixerit, num.13.

Iudex semper remittit causam ad judicem à quo, ut collationem faciat, licet revocet illius sententiam, n.14.

Divisio fructuum inter primum Capellanum, & illius successorem fit, n.15. Sed quomodo. Prima sententia asserit fructus pendentes pertinere ad successorem, secus perceptos, n.16. Secunda sententia asserit pro rata dividendos, n.17. Resolvitur, à n.18. & seqq.

Expensas factas in domibus, & prædiis Capellaniæ, si magna sint, repetet Capellanus; secus si parva, n. 22. & similiter deteriorationes solvet, n.23.

1 IN Hoc capite ut clariori modo procedamus animadvertendum, dupliciter appellationem in causis Capellaniarum apponi posse: in primis quando Capellania, seu Beneficium, etiam simplex, confertur, seu instituitur extrajudicialiter, & absque aliquo contradictore, præmissis necessariis diligentiis: & tunc appellatio, si postea ab aliquo interponatur, non suspendit exequutionem, quin potiùs institutio, seu collatio statim exequutioni mandatur. Quod idem dicendum si ab aliquibus articulis incidentibus interponatur, quando extrajudicialiter proceditur, quia recipiunt naturam principalis Salgado *de Reg. Protect. 2. part. cap.* 13. *n.* 187. Frasso 1. *part. de Patron. Ind. c.* 31. *à n.* 32.

2 Secundo modo quando de Capellania, aut de Beneficio disceptatur, & in contradictorio judicio sententia dicitur, à qua appellatum est. Et in hoc casu aliqui Doctores asseruere, non obstante appellatione exequutioni esse mandandam, nec appellationi esse deferendum, nisi quoad effectum devolutivum. Ducuntur *ex cap. Constitutis* 46. *de appell.* Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 18. ubi decernitur, in collationibus, aut institutionibus Beneficiorum non admitti appellationem, nisi quoad effectum devolutivum. Cevallos 2. *part. de cognit. per viam violent. q.* 24. Salgado *de Protect.* 2. *part. c.* 13. Tondut. *lib.* 1. *qq. can. cap.* 7. Ergo idem est dicendum in Capellaniis, cùm verè Ecclesiastica sint Beneficia: & confirmatur, nam in Beneficiis curatis non admittitur appellatio ab institutione, seu collatione, ne diutiùs careant Pastore cum animarum dispendio: quæ ratio militat in Capellaniis etiam simplicibus, cùm necessariò debeant à Capellano adimpleri onera Missarum, ac alia munera sacra sibi imposita: ergo sicut in illis non admittitur appellatio, nisi quoad effectum devolutivum, similiter nec in istis. Lambertinus *de jur. Patron.* 2. *p. lib.* 2. *q.* 11. *art.* 5. *n.* 2. Cevallos *qu.* 693. *n.* 29. *& qu.* 830. *n.* 44. Baio *in praxi Ecclesiast. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 2.

3 Sed horum Doctorum sententia solida non est, quia Lambertinus non loquitur quando adest sententia diffinitiva, sed tantùm interlocutoria, à qua non appellatur, nisi gravamen irreparabile contineat, aut habeat vim diffinitivæ. Trid. *sess.* 13. *de Reform. c.* 1. *& sess.* 24. *c.* 20. qua in re est optima declaratio Cardinalium, quam refert Riccius *in praxi for. decis.* 504. & explicat *decis.* 505. Rota *in novis. decis.* 58. *de appellat.* latè Salgado *de Protect.* 2. *part. cap.* 4. Vela *dissert.* 22. *à n.* 1. nos verò loquimur de sententia diffinitiva. Cevallos loquitur secundùm consuetudinem Concilii Toletani, quæ non defert appellationi in causis Capellaniarum, nisi quoad effectum devolutivum, ut patet *n.* 37.

4 Nec solidum est fundamentum arguendo à Beneficiis curatis, in quibus ex constitutione Pii V. appellationi non defertur. Massobrius *in praxi, requisit.* 5. *dub.* 4. Marescotus *var. lib.* 2. *cap.* 52. *n.* 22. nisi Episcopus dolosè, & irrationabiliter processerit. Campanillus *in divers. jur. can. rub.* 11. *c.* 13. *n.* 199. Salgado *d.* 2. *part. cap.* 13. *n.* 193. quod quidem diversum est à Beneficiis, & Capellaniis simplicibus, in quibus non est tam urgens necessitas, ut Pastore non careant, verùm interim onera possunt per substitutum adimpleri.

5 Quapropter dicendum, in Capellaniis, aut Beneficiis simplicibus, appellationem in utroque effectu esse deferendam, ut per plures decisiones censuit Rota, quas refert, & sequitur Garcia 9. *part. c.* 4. *n.* 19. Lara *de Capel. lib.* 2. *c.* 11. *à n.* 1. aliàs ut attentatum revocabitur. Lancellottus *de attent.* 2. *part. c.* 4. *n.* 614. Azevedus *in Cur. Pisana, lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 14. & ad revocanda attentata, & ut appellationi deferatur, ad Senatum Regium per viam violentiæ recurri posse scripsit Salgado *d. cap.* 13. *n.* 191. *& de libert. benef. art.* 1. *n.* 1. Sillo tamen, quia remedium animabus periculosissimum dare nolo, nec nisi in aliquo raro casu admittendum, quidquid alii tam facilè admittant, de quo strictissimam rationem Deo daturi sunt.

6 Hujus verò doctrinæ limitationem adducunt aliqui, quando in tribunali illo esset consuetudo exequendi sententias in causis Capellaniarum, non obstante appellatione. Verùm res est, quæ indiget explicatione, cùm aliquando in tribunalibus superioribus præcipitur appellationem admittere, non repugnante illa consuetudine; aliquando verò non ut considerat Cevallos *d. quæst.* 693. *n.* 32.

7 In re tamen animadverto, incertam esse hanc consuetudinem in aliquibus tribunalibus: quapropter de ea curandum non est, nisi certa sit, & concludenter probetur: idque faciendum deponentibus Officialibus ipsius tribunalis, quorum depositio plurimùm valet ad probandam consuetudinem, aut stylum illius. Gratianus *Discept. Forens. cap.* 308. *n.* 16. *&* 17. vel aliis testibus, *cap. Abbate* 25. *de verb. sign.* Salgado *de libert. Benef. art.* 1. *à n.* 8. *& art.* 2. *n.* 1.

8 Supposita igitur certitudine consuetudinis in his tribunalibus ubi viget, rectè appellatio denegatur; quia licèt appellatio tolli non possit, nisi à Principe, *l.* 1. *§. Interdum, ff. quib. appellar. licet, cap. Pastoralis* 53. *de appell.* consuetudo tamen legitimè præscripta idem facit, quod fieri valet à Principe, *leg. De quibus* 32. *ff. de legibus, l.* 2. *C. quæ sit longa consuet.* cùm habeat vim legis: Ergo rectè sustinetur denegatio appellationis, hac existente consuetudine. Cæterùm consuetudo ista laudabilis, & rationabilis est, quia multùm deservit, ut celeriter Capellaniæ de Capellano provideantur, & adimpleantur onera illarum, ut cum Lancellotto docet Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 9. *in annot. n.* 212. quapropter debet sustineri, & consequenter rectè denegatur appellatio in causis Capellaniarum, ut tenet ipse Gonzalez *à n.* 211. Rota 3. *part. diversorum, decis.* 1155. apud Ant. Augustinum *decis.* 9. Lara *de Capell. d. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 13. Garcia 9. *part. cap.* 4. *n.* 29. Salgado *d. art.* 1. *à n.* 8.

9 Quod idem fieri valet per constitutionem synodalem, sive per statutum, & id non per se solum, sed cum consensu Apostolico, ut vult Gonzalez *n.* 213. aut cum consensu omnium Ecclesiasticorum; quia per hunc consensum renuntiant juri appellandi ipsis competenti de jure communi, ut tenet Cevallos *com. quæst.* 897. *à n.* 853.

10 Sed in specie nec consensum Apostolicum, nec omnium Ecclesiasticorum requiri ad valorem Synodalis, aut Statuti, scripserunt Garcia *d. cap.* 4. *n.* 31. *ad fin.* Salgado *d. art.* 1. *n.* 14. nam si adsit causa necessaria, veluti adimplendi Capellanias, & ultimas voluntates fundatorum, jam est rationabilis Synodalis, aut Statutum: tum juri non opponitur, quia in specie non datur jus concedens appellationes in causis Capellaniarum, cui Synodalis, seu Statutum opponatur: Ergo debent sustineri.

11 Verùm horum Doctorum non admitto sententiam, quia appellatio cuilibet conceditur, & in quibuscumque causis, nisi specialiter interdicatur. Gloss. recepta *in leg. Qui rectè tueri, ff. de rei vindic.* Maranta *de Ordin. jud. part.* 6. *tit. de appellat. n.* 235. Jul. Capponi *discept.* 261. *n.* 62. Salgado *de Reg. Protect.* 1. *part. cap.* 2. *n.* 86. Solorzano *de Iur. Indiar. tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 10. *n.* 55. Ergo quælibet Synodalis, aut statutum denegans appellationem opponitur juri facultatem concedenti appellandi in qualibet causa. Cæterùm removere appellationem à jure concessam nequit fieri, nisi à Supremo Principe, in quo est potestas abrogandi jura. Valle *cons.* 29. *n.* 15. Marchesanus *de commiss.* 1. *part. cap.* 8. *n.* 12. Quod amplian-

dum

dum etiam in inferioribus Principibus non recognoscentibus superiorem. Barbosa *de Clausulis, claus.9. n.2.* Episcopi verò facientes Synodales, vel Statuta, sunt inferiores, & semper recognoscentes Romanum Pontificem: ergo nequeunt facere Synodalem, aut Statutum tollens appellationes in qualibet causa, quapropter semper erit necessarius consensus Apostolicus, aut consensus omnium Ecclesiasticorum illius Diœcesis, renunciantium juri appellandi in causis Capellaniarum.

12 Fundamentum illorum leve est, quia Capellaniæ durante lite per substitutum adimplentur, nec est causa sufficiens, ut lædat jus partis Synodalis illa, auferendo parti defensionem propriam, læsis concessam in appellatione, *leg.1. ff. de appell. cap. Romana, eod. tit.*

13 Similiter appellationi non defertur in causis Capellaniarum, si fundator illam denegaverit, disposueritque, ut remota appellatione, collatio, seu institutio exequatur. Gonzalez *d. gloss.9. n.219.* Lancellotus *de attent. 2. part. cap. 12. limit. 8. n.7.* quod intelligendum quando clara sunt verba, vel æquipollentia certitudini, utputà si dicat, *Denegetur audientia in agendo, & defendendo*, vel quod sit remota omnis contradictio, seu querela; vel si dicat, *Executioni mandetur*. Gratian. *Discept. Forens. cap.41. n.9.* Gonzalez *d. gloss.9. n.218.* Garcia *d. cap.4. n.31.*

14 Si judex delegatus sententiam tulerit, etiamsi ab Ordinario antea malè fuerit judicatum, illi remittitur collatio, & ab eo est facienda: quod idem observandum dicit Lara *d. c. 11. n.18.* etiamsi judex Apostolicus Delegatus, cui causa commissa est à Reverendissimo Nuntio, revocaverit sententiam Ordinarii. Collatione verò, vel institutione facta, acquirit Capellanus jus in re, etiamsi possessionem non apprehenderit. Covarr. *lib.3. var. cap.16. n. 1.* Mohedanus *decis. 22. ut lit. pendent.* verùm collatione, seu institutione facta, possessionem nanciscatur, cujus formulam scripsit Baio *in praxi Ecclesiast. lib.5. cap.4. n.3.*

15 Denique transeamus ad divisionem fructuum Capellaniarum, inter Capellanum novum, & veterem, aut inter ejus hæredes, quando Capellania vacavit anno incepto, aut si facienda est cum Ecclesia, aut aliis personis. Valenzuela *cons.47. à n.1.*

16 Modus autem faciendi hanc divisionem difficilis valdè est ob maximam varietatem opinionum. Prima sententia dicit, faciendam esse hanc divisionem ad modum usufructuarii, ad quem pertinent fructus percepti, pendentes verò ad proprietarium, in quo solidatur ususfructus, *ex l. Defuncta 65. ff. de usufruct. §. Is vero, Inst. de usufruct.* Ratio est, nam Capellania Ecclesiastica est Beneficium, & illud tenens usufructuario comparatur. Afflictus *decis. 108. n. 2.* Ergo divisio fructuum facienda est sicut facit usufructuarius. Cæterùm argumento majoratus comprobatur, in quo fructus pendentes pertinent ad successorem, secus percepti. Gomez *in l. 40. Tauri, n.74.* Gamma *decis.356.* Garcia *de expensis, c.16. n.6.* Mieres *de majorat. lib.4. quæst.24. num.2.* Quod idem dicendum in causis Capellaniæ, aut Beneficii. Rota relata à Garcia *de Beneficiis, 2. part. cap.1. n.95.* Cavalcanus *decis.44. n.1.* Thes. *decis. Pedem.143.* Moneta *de distribut. part.3. q.4. concl. 3.* Leon *de offic. Capellan. q.5. sect.6. n.72.*

17 Secunda sententia asserit fructus pro rata esse dividendos, *ex leg. Divortio 8. ff. solut. matrim.* ubi dotis fructus dividuntur pro rata inter maritum, & hæredes oxoris: & confirmatur, quia Capellania, & Beneficium dantur propter officium, *cap. fin. de rescript. in 6.* quapropter pro rata temporis servitu fructus sunt dividendi: quod idem in majoratibus observari scripserunt Burgos de Paz *in proœm. ll. Tauri, n.74.* Covarr. *lib.1. variarum, c.15. n.14.* Castillo *controvers. lib. 3. cap. 80. n.1.* Ergo idem dicendum in Capellaniis & Beneficiis, & sic de observantia in Hispania. Lara *lib.2. de Capell. cap. ult. nu. 21.* Molina *de justit. tract.2. disp.635. n.7.* Genuensis *in praxi Arch. cap. 53. in not. num.11.* Garcia *de Benefic. 2. part. cap.1. n.97.* Castillo *controvers. lib.1. cap. 79.* & similiter in Gallia observari tradit Tondut. *quæst. benef. tom.2. cap. 164. n. 3.*

18 Hæ sunt opiniones magis considerabiles in hac difficultate, & in ea dico, quod si Capellania sit laicalis, hanc sententiam admittendam esse, idcircò pro rata sunt fructus dividendi. Ratio est, nam fructus isti in Capellania laicali sunt salaria oneris: quare sicut onus pro rata temporis dividitur, ita fructus. Barbosa *in d. leg. Divortio 8. n.13. ad fin.* Garcia *d. cap.1. n.38. ad fin.*

19 Si verò Capellania sit Ecclesiastica, quæ est Beneficium, adest Constitutio Julii III. asserens fructus inexactos ad successorem pertinere, & perceptos ad defunctum, seu antecessorem, ut censuit Rota, cujus verba transcripsit Barbosa *de univers. jur. lib.3. c.17. n.80.* & consentit Tondutus *d. c.164. n.15.* Valenz. *cons.196. à n.37.*

20 Sed Hispania hanc Constuutionem non suscepit, ut tenent plures Rotæ decisiones, quas affert ipse Barbosa *n. 79.* Garcia *d. c.1. n. 101.* & revera non observatur, idcircò non est admittenda, quidquid resistat Barbosa *d. c.17. n.80.* dicens per non usum derogatam non esse talem constitutionem, cùm sit publicata, & habeat decretum irritans. Sed habet responsum, quia in Hispania non solùm est non usus, sed contraria consuetudo ab omnibus recepta, & approbata, quare nequit admitti.

21 Unde illa Constitutione non admissa, uti probabiliorem, & usu receptam admitto secundam sententiam, propter rationes, quas rectè expendit Covarruvias *d. c.15. n.4.* Sperellus *decis.82. n.26.* In decimis, annuis pensionibus, & in locationibus domorum, facilis est divisio ratæ. In prædiis Capellaniarum, quorum pensiones nisi per biennium non percipiuntur, pro toto illo tempore facienda est rata. Escobar *de ratiociniis, comput.22. n.24.* Parladorus *diff.120. à n. 1.* Faria *ad Covar. in d. c.15. n.57.* Tondutus *tom.1. cap.22. n. 7.*

22 Tandem si Capellanus expensas fecerit in domibus, aut prædiis Capellaniæ, si tamen parvæ sint, non repetet, quia istud est onus ei competens, tanquam personæ fructus percipienti, *l. Omnino, ff. de impens. in reb. dot. fact. l. Hactenus, ff. de usufr.* Verùm si magnæ fuerint, & melioramenta effecisset, repetet, dum tamen necessaria, & utilia fuerint, *l. Qui exceptionem, §. Si pars, ff. de condict. indebit.* Barb. *in d. leg. Divortio, §. fin. 1. part. n.36.* Marescotus *lib.2. var. cap.109.* Barb. *in cap.45. de elect. n.5.* D. Olea *de cess. tit.4. q.7. n. 34.*

23 Econtrà verò defunctus Capellanus, seu antecessor, tenetur solvere deteriorationes bonorum Capellaniæ sua culpa, vel negligentia contingentes. Molina *de primog. lib.1. cap.27. n.2. & 3.* ubi *n.4.* asserit levem culpam sufficere. Sed id admitterem quando fructus ampliores fuerint, si verò parvi, solùm oneri correspondentes, erit necessaria lata culpa: & ratio est, quia tunc cura bonorum de gratia tantùm fit, quare lata culpa desideratur, *l. Si ut certo, §. Nunc videndum, ff. commodat.* Molina *d. cap.27. n.4.* Lara *d. cap.11. à n.27.* Illud tamen observandum, pro recuperatione illorum bonorum, quæ damnum receperunt, hypothecam competere, ad quorum damna sont obligata bona deteriorantis Capellani; nam licèt in jure expressa non sit tacita hypotheca in bonis illius qui administrat Ecclesiarum res, vel Capellaniarum; attamen ex identitate rationis cum uxorum dote id est receptum, ut refert decisum Escobar *de ratiocin. cap.39. num.13.* Mantica *de tacit. lib.11. tit. 16. n. 21.* Rodriguez *de concurs. 1. part. art.5. à n. 9.* quapropter pro recuperatione deteriorationis bonorum Capellaniæ hypothecaria competet.

LIBER QUARTUS.

DE CAUSIS PIIS IN SPECIE.

De Diversis Causis Piis.

CAPUT PRIMUM.

De relictis Deo, Sanctis, Imaginibus, & Ecclesiis.

SUMMARIUM.

Quando aliquid relinquitur Deo, aut Christo Domino absolute, Ecclesiæ Parochiali legantis debetur, num. 1. Itaque si quis Deum, aut Christum Dominum heredem instituat, intelligitur Ecclesia Parochialis instituta, num. 2.

Si aliquid relinquatur alicui Sancto, ejus Ecclesiæ debetur; si non adsit, debetur Ecclesiæ ubi ejus sunt Reliquiæ, num. 3.

Si aliquid Sancto legatur, & sunt duæ Ecclesiæ, una illi dicata, altera ubi ejus Reliquiæ servantur, cui debeatur? Et communis est opinio, Ecclesiæ dedicationis deberi, n. 3. & 4. Explicatur Afflictis num. 5. & resolvitur, n. 6. & 7.

Si alicui Sancto legetur, cujus Ecclesia est in Civitate, aut in territorio, ei debetur: Si non adsit, aliqui dicunt Ecclesiæ Cathedrali deberi, n. 8. Sed dandum Parochiali, n. 9. ut ibi dicitur.

Sed quid dicendum de oblationibus, quæ fiunt Imaginibus? Inspicienda mens offerentium, & consuetudo, numero 10.

Laicus habens domi Imaginem, nequit oblationes percipere, num. 11.

Si non constet de mente offerentium, nec de consuetudine, dubitatur an oblationes ad Episcopum, vel ad Parochum pertineant? Aliqui ad Episcopum dicunt pertinere, num. 12. alteri ad Parochum, n. 13. Resolvitur, & explicatur, à n. 14.

Si Imago sit in aliqua domo privata, sed intra Parochiam, dubitatur ad quem pertineat: aliqui ad Episcopum pertinere dicunt, num. 15. Sed ad Parochum attinere asseritur, num. 16.

Explicantur capita 5. & 7. 10. quæst. 10. *n. 17.*

Oblationes, quæ tempore Iubilæi fiunt in Ecclesia Cathedrali, non ad Episcopum, sed ad Archipresbyterum pertinent, à num. 18.

Oblationes factæ in Parochia, ad Rectorem pertinent, etiamsi ibidem sint alia Beneficia, n. 20.

Legatum relictum fabricæ Ecclesiæ, ad materialem reparationem videtur relictum, n. 21.

Sed dubitatur, an expendi valeat pro ornamentis? Aliqui negant, n. 22. Explicantur caput 24. de consecrat. dist. 1. *& caput finalem* de testam. *à num. 23. Sed contrarium tenetur, num. 25.*

Si aliquid relinquitur pro fabrica & ornamentis, & Ecclesia non indigeat, Episcopus ad aliud convertet, num. 26.

Legatum relictum Ecclesiæ, an sit perpetuum, affirmant plures, num. 26. in fine, quod explicatur, num. 27.

Usufructus legatus Ecclesiæ durat per centum annos, num. 28. Sed quid si legaretur in perpetuum? Plures idem affirmant, num. 29. Sed contrarium defenditur, à num. 30.

Legatum annuum relictum Ecclesiæ, perpetuum est, num. 32. Usufructus relictus Ecclesiæ, ea certiorata, per centum annos eo si non utatur, extinguitur, secus in annuis legatis, n. 33. Sed si non sit certiorata, ex capite ignorantiæ restituetur, num. 34.

Legatum relictum Ecclesiæ etiam destructæ debetur, secus si servitoribus illius legaretur, n. 35.

Legatum si relinquatur Ecclesiæ post certum tempus construendæ, fructus medii temporis ad illam pertinent, n. 36. Contrarium defenditur, num. 37. Fit instantia, & explicatur caput 3. de sentent. & re jud. in 6. *à num. 38.*

Si aliquis promiserit facere Ecclesiam, ad id tenetur, num. 40.

Sed an Dominus Castri possit obligare vicinos ad molendum in certo molendino, ad reparandam Ecclesiam, explicatur, & resolvitur à n. 41.

Si Ecclesiæ legentur decem jugera fundi habentis triginta, & per alluvionem diminuatur, an legatum Ecclesiæ diminutionem percipiat, respondetur negative, & late explicatur, à num. 43.

An legatum relictum Ecclesiis alicujus Civitatis, intelligatur de construendis? Sunt duæ sententiæ contrariæ, à num. 47. Resolvitur à num. 50. Explicatur caput 22. de privil. *num. 52.*

Quando aliquid legatur certæ Ecclesiæ pro sepultura, & postea testator alibi illam eligit, cui debeatur. Prima sententia asserit primæ deberi, n. 54. Secunda tenet deberi secundæ, n. 55. Resolvitur, n. 56. & 57.

De legato Ecclesiæ relicto nihil percipient Episcopus, Parochus, aut Canonici, n. 58.

An quando aliquid relinquitur Episcopo, seu Rectori Ecclesiæ, illi, an illis debeatur, explicatur quæstio, & resolvitur à num. 59.

An quando aliquid legatur Canonicis, Ecclesiæ debeatur? Prima sententia affirmat, num. 62. Contrarium defenditur, ibid. & n. 63. Secunda negat, num. 64. Resolvitur, à n. 65.

Legatum relictum Canonicis, an intelligatur prout singulis, n. 68. Prima sententia asserit relinqui ut singulis, n. 69. Secunda negat, n. 70. Conciliantur, n. 71.

IN hoc libro de diversis causis piis totus erit sermo: & in 1
primis à gravioribus incipiendo, quærimus de his quæ Deo, aut Christo Domino relinquuntur? & dicimus, quod si aliquid Deo, aut Christo Domino relinquitur absolutè, & absque aliqua distinctione, debetur ejus Ecclesiæ Parochiali, qui legatum relinquit, idque ex mente relinquentis, dum aliud non expresserit. Padilla *in leg. Cum quidam* 24. *ff. de legation.* 1. *num.* 9. Cancer. *variar.* 3. *part. cap.* 20. *numer.* 22. Valdes *de eleemosyna*, 3. *part. fol.* 8. *versic. Quintò quæritur*, Thoro *privileg.* 254.

Unde si aliquis Deum, aut Christum Dominum hære- 2
dem instituat, Ecclesia Parochialis illius domicilii instituta videtur, *l. fin. Cod. de Sacros. Eccles. Auth. de Eccles. tit. §. Si quis in nomine*, tanquam mater pauperum, quæ reservatis necessariis, cætera in alimoniam eorum convertit. Mantica *conject. lib.* 8. *tit.* 6. *n.* 1. Leoncillus *de privil. paup.* 2. *part. privil.* 81. *n.* 4.

Si tamen alicui Sancto aliquid relinquatur, ejus Eccle- 3
siæ debetur, si modò adsit; si verò non, debetur loco ubi ejus Reliquiæ custodiuntur, prout facile ex mente relinquentis conjectatur. Afflictis *decis.* 244. Sed est dubium aliquod, si legatum relinquatur, v.g. D. Petro, adsitque ejus Ecclesia, & insimul altera, in qua ejus Reliquiæ adservantur, cui debeatur? Et affirmandum videtur deberi illi Ecclesiæ,

clesiæ, ubi Reliquiæ venerantur; nam majori veneratione dignæ sunt, quàm vocatio Ecclesiæ, *Clement. unic. de vener. Sanct.*

4 Sed contrarium tenuerunt Afflictis *d. decis.* 244. Molfesius *in Sum. 2.tom.tract.*13. *cap.* 5. *n.*165. Thoro *in Sum. privil.*115. *circa medium:* & rationem dant, quia ex communi usu loquendi, quando alicui Sancto legatum relinquitur, intelligitur dedicatio Ecclesiæ, non verò ubi Reliquiæ adservantur. Consentit Rubeus *practic.resol.*68. *n.*1.

5 Hæc verò decisio dubia est, quia decisio Afflictis, quam citaot ad id DD. non satis clarè loquitur; agit enim quando legatum relictum fuit Ecclesiæ S. Januarii, & aliis Sanctis Patronis Urbis Neapolitanæ, unde capit interpretamentum, Ecclesiis aliorum Sanctorum simile legatum fuisse relictum, non verò ubi erant Reliquiæ, non quia dedicatio intelligitur, sed quia dictio illa, *& aliis*, est repetitiva similium, *leg. Quidam relegatus*, & ibi Bart. *ff. de rebus credit.* Bertazol. *de clauf. instrum. clauf.*4. *gloss.* 4. Rota apud Seraphin. *decis.* 587. *num.*2. Gutierrez *Can. qq. lib.*2. *cap.*15. *num.* 88. & sicut in primis erat legatum Ecclesiæ S. Januarii, ita intelligitur factum fuisse legatum Ecclesiis aliorum Sanctorum Patronorum ejusdem Urbis.

6 Casus difficultatis non est iste, sed quando aliquid relinquitur D. Petro, & adsunt duæ Ecclesiæ, una cujus dedicatio est D. Petri, altera ubi sunt ejus reliquiæ: in quo quidem distinguendum censeo, quando Reliquiæ sunt alicujus brachii, aut alterius partis corporis Sancti, quæ in aliqua Ecclesia adservantur; & tunc legatum existimo non pertinere ad illam Ecclesiam, sed ad alteram illi Sancto dicatam; quia credendum non est, voluisse legatum relinquere speciali Reliquiæ, quando aderat Ecclesia dicata Sancto illi cui legavit.

7 Secus verò si totum corpus adservaretur insigni devotione, prout in Complutensi Cœnobio D. Francisci adservatur corpus Sancti Didaci, tunc enim Ecclesiæ illi deberetur: nam ut scripsit Rubeus *practic. d.cap.*68. *n.*64. legatum relictum Sancto, intelligitur factum Ecclesiæ ejusdem dedicationis, nisi adsit causa existimandi, voluisse testatorem alteri Ecclesiæ legare: In præsentiarum adest gravissima, nempe insignis Reliquia totius corporis: tum grandis devotio, & veneratio: ergo credendum est, voluisse legare Ecclesiæ, ubi est corpus illius Sancti, non verò illi tali Sancto dicatæ.

8 Si legatum relinquatur alicui Sancto, cujus Ecclesia est in Civitate, illi debetur; si verò noo sit, sed intra territorium, ei dabitur. Quando autem nulla reperitur, nec in Civitate, nec in territorio, dicunt DD. præstandum esse Ecclesiæ Cathedrali, *Auth. de Eccles. tit.* §. *Si quis in nomine*, Lapus *alleg.* 87. *n.*6. Rubeus *practic. d.cap.*68. *n.*61.

9 Sed non est dandum Ecclesiæ Cathedrali, sed Parochiali, ubi testator habebat domicilium, prout decrevit textus *in d.* §. *Si quis in nomine*, qui nihil dicit de Cathedrali, sed de Ecclesia, ubi habebat domicilium, quæ est Parochialis. Trullench *in Decalog. lib.*7. *c.*18. *dub.*12. *n.* 13. Leoncillus *de privil. paup.* 2. *part. privil.*99. *n.* 1. Sed observandum, non omne legatum convertendum in utilitatem Ecclesiæ Parochialis, verùm pars illius expendetur ad cultum & venerationem illius Sancti, cui legatum factum est.

10 Quid verò de eleemosynis & oblationibus factis Imaginibus Christi Domini, B. Mariæ, aut aliorum Sanctorum, quibus sint dandæ. Et in primis maxima consideratione inspicienda est mens offerentis, aut relinquentis; nam si in capsam projiciat, quæ pro fabrica Ecclesiæ, aut pro Missis dicendis apponitur, ad fabricam, vel ad Missas dicendas attinebit. Quod idem est dicendum si consuetudo est, ut tales eleemosynæ, seu oblationes, ad certam causam erogentur, ut in hoc Archiepiscopatu oblationes, & eleemosynæ istæ Sanctis factæ, ad ornatum illius Imaginis, & ejus Altaris pertinent. Rebuffus *de decimis, quæst.*1. *n.*29. *&* 30. Aufrerius *ad decis. Tolos.*483. Riccius 4. *part. decis.* 170. *n.*1. Barb. *de offic. Paroch.* 3. *part. cap.*25. *num.* 30. Maresc. *variar. lib.* 2. *cap.*42. *n.*1. *&* 2.

11 Laico domi habente Imaginem cui aliquæ fiunt oblationes, seu eleemosynæ, ad illum non pertinent, quia nequit habere jura spiritualia. Marescotus *dict. cap.* 42. *num.* 4. Si verò aliqua Confraternitas illam habeat, potest illas percipere, & convertere in pios usus, de quibus est consuetudo in illa Confraternitate. Marescotus *dict. cap.*42. *num.* 11. Riccius *dict. decis.*170. *num.*11. Thoro *ad Tiraquel. de privileg. cauf. piar. in præfat. versic. Nota quod legatum.* Fagnan. *in cap. Pastoralis*, *de his quæ fiunt, num.*22.

12 Est dubium, si de consuetudine non constet, nec de mente offerentium, ad quos pertineant similes oblationes, & eleemosynæ, an ad Episcopum, vel ad Parochum, in cujus Ecclesia est Imago? Et aliqui dixerunt, ad Episcopum pertinere, cui dispositio, & administratio rerum Ecclesiasticarum pertinet. Ita Malvetius *de oblat. dub.*4. *n.* 14. Petrus de Ubaldis *de can. port. cap.*4. *q.* 16. & alii apud Genuensem *in praxi, tricen.* 8. *q.*230. *n.*1.

13 Sed communior est contraria sententia, si imago sit in Parochia, aut intra limites illius; nam Parochi habent in illa suam intentionem fundatam super omnibus obventionibus, & oblationibus, decimis, & aliis juribus ibi obvenientibus, *cap. Pastoralis* 9. *de his quæ fiunt à major. part. Capit. cap. Dudum* 31. *cap. Quoniam* 13. *de decim. cap. Dilectus* 18. *de offic. Ordin.* quapropter eleemosynæ, seu oblationes ad Parochum pertinebunt, non ad Episcopum. Decianus *vol.*2. *conf.* 16. *per tot.* Marescotus *d.cap.*42. *à n.*5. Lotterius *de re benef. lib.*1. *quæst.*30. *num.*28. Guttierrez *Canon. quæst. lib.*2. *cap.*21. *n.*162. Riccius *dict. decis.*170. *n.*6. Barbosa *d.* 1. *part. cap.* 24. *n.*29. idem Barbosa *de univ. jur. lib.*3. *cap.* 23. *n.* 29. Capponi *tom.*2. *discept.*77. *n.*9.

14 In hoc dubio, si Imago sit in Parochia, hæc secunda sententia admittendo est, ob ejus solidissimum fundamentum: idem dicendum si sit in aliqua Capella ipsius Ecclesiæ; nam intuitu illius, eleemosynæ, seu oblationes factæ intelliguntur. Felinus *in cap. Dilectus, de offic. Ord. n.*1. Genuensis *in praxi Archiep. cap.*72. *n.*14. Marescotus *dict. cap.*42. *num.* 9. Riccius *dict. decis.*170. *n.*9. Barbosa *dict. lib.*3. *cap.*23. *num.* 22. Quapropter imagines istæ, quæ sunt in Parochia, vel oblationes illis factæ non possunt ab Episcopis ad alium locum transferri absque Rectorum consensu, ob præjudicium quod illis fit. Marescotus *d.cap.*42. *num.*10. Riccius *d. decis.* 170. *num.* 10.

15 Similiter dicendum, si Imago sit in aliquo Eremitorio intra limites Parochiæ; nam ut accessoria Ecclesiæ Parochialis censetur, quapropter oblationes illius ad Rectorem pertinent: si verò sit in aliqua domo privata, licet intra Parochiæ ditionem, aliqui dicunt ad Episcopum oblationes illas pertinere; nam quando Imago est io aliqua domo privata, intuitu Parochiæ factæ non censentur, quare nec ad Parochum possunt pertinere, sed ad distributionem Episcopi, *cap. Quacumque* 5. *cap. De his* 7. 10. *q.* 1. Cæterùm, nam quando Imago est in domo privata, intentio offerentium est, ut illæ ad ornatum illius Imaginis deserviant, oon verò ad Parochi obventionem: ergo ad Episcopum pertinebunt, ut tenent DD. recensiti *n.*12. Genuensis *d. quæst.*230. *n.* 4. Lotterius *d. q.*30. *n.*32.

16 Sed adhuc in hoc casu amplector secundam sententiam, nisi constet intentionem offerentium esse, ut munera illa deserviant ad illius Imaginis ornatum, & relinquantur in puro esse oblationis; nam post divisionem Parochiarum factam à Dionysio Pontifice, *cap.*1. 16. *quæst.* 1. licèt Episcopus sit totius Diœcesis Parochus, respectu tamen cujuslibet Parochiæ, Rector est particularis, & specialis Parochus, cui de jure competont oblationes, decimæ, & quælibet emolumenta, quæ non solùm in Parochia, verùm intra limites illius offeruntur, habetque in eis suam intentionem fundatam. Rota apud Seraph. *decis.*802. *n.*1. *&* 2. Rota apud Posth. *de manut. decis.*157. *n.*2. Riccius *in praxi*, 4. *part. resol.* 294. *n.* 1. unde licèt Imago sit in privata domo, dummodo sit intra limites Parochiæ, oblationes istæ ad Parochum pertinebunt.

17 Nec contrà sunt textus *in d. cap. Quacumque*, *cap. De his*; quia intelligendi sunt ante divisionem Parochiarum, postea verò cura Episcopi respectu cujuscumque Parochiæ habetur ratione jurisdictionis, oon verò acquisitionis oblationum, & aliarum obventionum; quia id ad Parochum pertinet, ut benè considerat Decianus *d. conf.*16. Genuensis *d. quæst.* 230. *n.* 3. Ergo semper similes oblationes ad Parochum pertinebunt. Trullench *in Decalog. lib.* 3. *cap.* 3. *dub.* 13. *num.*8.

18 Unde oblationes, quæ fiunt tempore Jubilæi in Ecclesia Cathedrali, non ad Episcopum pertinent, sed ad Archipresbyterum curam animarum gerentem, quia revera Parochus est. Abbas *in cap. Quoniam, de decim. notab.*1. Malvetius *de oblat. dub.*4. *num.*401. Belletus *disquis.*1. *Cleric.* 1. *part. tit. de bonis Clericor.* §. 5. *n.*49. Ferretus *conf.*143. *num.*4.

Barbosa

Barbosa *d.lib.3.c.23.n.27.* Trullench *dict.cap.3.dub.13.n.6.* Capponi *d.discept.77.n.10.*

19 Ast illud animadvertas cum Barbosa *d.c.23.n.30.* quoties hæ oblationes ad specialem usum conceduntur à Fidelibus, non posse Parochum ad proprios divertere, sed ad illum ad quem Fideles destinarunt; verùm administratio ad illum pertinebit jure Parochialitatis: nam cùm ad illum pertinerent, nisi ad certum usum darentur, inde est, ut ab eo debeant administrari. Capponi *d.discept.77.n.15.&* 16. Tond. *tom.1.c.63.n.11.*

20 Jam diximus, oblationes factas Imaginibus, quæ sunt in Eremitoriis, vel Oratoriis intra limites Parochiæ, ad Parochum pertinere. Rota 1. *part. recent. decis.* 256. Capponi *dict. discept.77.num.*44. Addo verò id intelligendum, etiamsi ibidem sint aliqua Beneficia, ut cum aliquibus docet Barbosa *dict. lib.3.cap.* 23. *à num.*24. cujus sententiam admittes, nisi qui ibidem præest, sit capax percipiendi oblationes; nam ad illum pertinebunt. Lotterius *dict.quæst.*30. *num.*33. Todutus *d.c.63.n.8.*

21 Rursus transeamus ad legata, quæ fiunt Ecclesiis: de quo plura sunt dicta, quando libro primo egimus de donationibus, & legatis piis: veruntamen hic alia subnectemus. Et in primis quod relinquitur fabricæ alicujus Ecclesiæ, pertinet ad materialem reparationem illius, & ad alias expensas, quæ ad illam pertinent, *cap. Fabrica 24. de consecr. dist.* 1. ubi Scribentes.

22 Unde est dubium, an quod relinquitur fabricæ Ecclesiæ, possit expendi pro ornamentis, aut aliis necessariis ad divinum cultum? Et aliqui dixerunt, minimè id fieri posse; nam fabrica tantùm intelligitur materialis reparatio Ecclesiæ, *ex dict. cap. Fabrica*, tum ex decisione textus *in cap.fin. de testament.* ubi fabrica Ecclesiæ distinguitur ab ornamentis, & ab aliis expensis ad cultum necessariis. Ergo legatum relictum fabricæ, minimè valet expendi in ornamentis, aut in aliis necessariis ad cultum divinum. Abbas *in cap. fin. de testament. num.* 2. Gregorius *in l.* 11. *tit.* 10. *part.* 1. *verb. Que son dados*, & *in l.24. tit.32. part.3. vers. Reparar*, quibus consentire videtur Ancharranus *in dict. cap. fin. num.* 2.

23 Jura verò ista assumptum non probant; nam textus *in d. cap. Fabrica*, præcisè intelligendus est de materiali fabrica Ecclesiæ; erat enim disputatio quando fabrica diruta fuerit, an nova consecratio sit necessaria? Et respondetur, quod si de novo tota reficitur, nova est necessaria, secus si pars illius tantùm reficeretur; nam per accessionem consecrata videtur. Azorius *Instit. Moral. 1. part. lib. 9. cap. 4. quæst.* 6. Miranda *in Manual. Prælat. tom. 2. quæst.39. art. 4. concl.* 2. Alterius *de censur. tom.2. disp.3. cap.1. vers. Sexta conclusio:* quare in illa specie fabrica pro materiali tantùm reparatione sumitur.

24 Prout in textu *in cap.fin.de testament.* ubi asseritur, quod si aliquid legatum fuerit locis piis pro ornamentis, fabrica, luminaribus, vel Anniversariis, vel alia ad perpetuum cultum, quarta Episcopalis non solvitur. Barbosa *de offic. Episcop. 3. part. allegat.86. n.* 21. non tamen ex eo quod fabrica aliquando pro materiali reparatione sumatur, necessariò sequitur, ut semper in simili significatione sit illud verbum suscipiendum: illa juridica significatio est, ut sub nomine fabricæ non solùm reparatio materialis intelligatur, verùm etiam ornamenta, & alia ad cultum necessaria, quæ ex bonis illius solvuntur. Salgado *de Reg. protect. 3. part. cap.5. n.7.*

25 Unde sequitur, quod si legatum fabricæ relinquatur, non intelligendo specialiter de reparatione materiali Ecclesiæ, poterit expendi pro ornamentis, & aliis necessariis ad cultum divinum, quia sub nomine fabricæ comprehenduntur. Altamiranus *de visit. §. Sed Episcopus*, *n.* 11. Sanchez *cons. lib.4. cap.2. dub.*14. Diana *4. part. tr.4. resol.*140. *vers. Nota* 2. Trull. *in Decalog. lib.7. cap.18. dub.*12. *n.*15. de Lugo *de justit. disp.24. sect.*13. *n.*304.

26 Unde dissolvenda est alia difficultas, an quando aliquid legatur fabricæ Ecclesiæ, aut pro ornamentis, possit ad aliud converti, quando nec fabrica reparatione, nec ornamentis Ecclesia indigeat? Et Genuensis *in praxi*, *tricen.* 8. *quæst.* 2. *num.* 13. pro utraque parte fundamenta injecit: verùm concludendum, arbitrio Episcopi fieri posse, ut est aptissimus textus *in cap. 3. de testam.* ubi ex illo communiter desumitur, quod si aliquid piè relinquatur, quod nequit adimpleri, ex placito Episcopi in aliud converti poterit. Covarr. *in dict. cap. 3. num.* 9. Cùm ergo in specie nec reparatio Ecclesiæ, nec ornamenta sint necessaria, arbitrio Episcopi poterit ad aliud præcisum converti, idque non contra voluntatem legantis, sed secundum eam, qui si prospexisset reparatione, & ornamentis Ecclesiam non indigere, sed aliis necessariis, ad ea legatum applicasset. Molina *de justit. tract. 2. disput.* 249. *num.*6. Sanchez *cons. lib.4. cap. 2. dub.* 9. Trullench *lib.7. cap.18. dub.*12. *n.* 30. Barbosa *de univ. jur. lib.3. c.27. n.*54. Tondutus *tom.2. quæst. benefic. cap.* 175. *num.*9.

Si verò legatum Ecclesiæ relinquatur, v.g. centum, an sit perpetuum, dubitarunt plurimi: & nonnulli affirmarunt. Ducuntur, nam Ecclesia perpetua est, quapropter legatum perpetuum censebitur. Genuensis *tricen.* 8. *q.* 225. Parisius *lib.2. cons.7. n.24.* Menochius *lib.4. præsumpt.*132. *n.*3. Castillo *de aliment. lib.8. c.8. n.17.*

Ut rem tamen resolvamus, animadverto duobus modis legari posse in perpetuum. Primò, quando dicitur, *Lego centum Ecclesiæ, ut illa habeat in perpetuum*; & hoc modo certum est, quod si aliquid relinquatur Ecclesiæ, nec ad tempus fiat, legatum erit in perpetuum. Secundò, quando in perpetuum non legaretur, sed quod centum Ecclesiæ darentur: quo quidem casu (nisi adessent conjecturæ probantes voluisse fundatorem quotannis centum à suis hæredibus concedi,) minimè nisi unica vice concedenda sunt. Ratio, nam regulariter loquendo, legatum pro unica vice intelligitur. Menochius *d.præsumpt.*132. *n.* 1. nec illa conjectura, quod Ecclesia sit perpetua, est sufficiens, ut perpetuum sit legatum; est enim necessarium quod sit conjectura reiterabilis, ita ut ex ea quotannis esse concedenda probetur, de quibus Menochius *dict. præsumpt.* 132. quod non fit ex perpetuitate Ecclesiæ: quapropter in hac specie pro unica vice adimpletur legatum. Lara *de Anniversar. lib. 1. cap. 3. n.9.* Barbosa *in leg. Divortio 8. §. In annos, ff. solut. matrim. n.16.* Castillo *dict. lib.8. cap.42. n.17.* Pasqualigius *de Sacrif. Miss. quæst.*105. *num.*1. Berti *de legatis, tit. de ann. legatis, in princ. fol.*450. 27

Quid verò dicendum, si ususfructus legaretur Ecclesiæ? Et in hoc eventu ususfructus per centum annos durabit; nam aliàs si perpetuò duraret, proprietas inutilis redderetur, prout observatur quando municipibus ususfructus relinquitur, *leg. An ususfructus 56. ff. de usufruct. leg. Si ususfructus* 8. *ff. de usufr. legat.* Quapropter illa perpetuitas ad centum annos restringitur. Genuensis *in praxi*, *tricen.* 11. *q.*328. Covarr. *lib.3. variar. c.9. num.*10. Castillo *lib.1. controv. c.61. n.19.* 28

Quod idem dicunt, si legatum ususfructus Ecclesiæ in perpetuum relinqueretur: & ratio est, nam dictio *perpetuò*, seu *in perpetuum*, ex subjecta materia intelligitur. Barbosa *d.* 254. *num.* 1. Idcircò ad centum annos restringitur, id enim in jure decisum est, ut duret ususfructus Ecclesiæ, aut Reipublicæ relictus. Bart. *in leg. Si ususfructus*, *ff. de usufructu*, Natta *tom.4. cons.67. n.31.* Covarr. *d. lib.3. cap. 9. n.10.* Barbosa *d. dict.*254. *n.*10. 29

Vereor, quando legatum in perpetuum fit Ecclesiæ, aliud voluisse testatorem, quàm ut tantùm per centum annos duret, prout dicimus quando simpliciter legatur; nam legatum hoc fit animæ favore: quare credendum, non absque mysterio illud verbum *perpetuum*, addidisse. Potest enim testator non solùm ad unum centenarium usumfructuum constituere, sed ad plures alios annos, prout sibi placuerit; sicut quando non solùm legat usumfructum uni, verùm & ejus hæredibus, qui quidem morte primi legatarii non finitur, *leg. Antiquitas 14. Cod. de usufruct.* Castillo *dict. lib. 1. c.11.* Gomez *2. tom. cap.*11. *n.* 14. Ergo cùm constet, amplius voluisse fundatorem, quàm centum annos à jure decretos, non assentior doctrinæ Bartoli, & aliorum. 30

Quare dico, tunc usufructu in perpetuum legato Ecclesiæ, durare quousque diruatur, etiamsi tempus centum annorum excedat, idque ex mente legantis; nam cùm velit in perpetuum durare, videtur excedere voluisse illos centum annos à jure decretos: ergo voluit alio modo finiri usumfructum, nempe quando Ecclesia diruatur: idque comprobo, nam ultra centum annos finitur alio modo ususfructus relictus Reipublicæ, nempe si hostili aratro extinguatur, ut Numantia, & Saguntus, *l. Si ususfructus 21. ff. quib. mod. usufr. amit. l.23. tit.31. part.3* Petr. Greg. *Syntag. lib.4. c.5. à n.5.* Pichard. *in §. Finitur, Inst. de usufr. n.7.* Ergo cùm testator favore suæ animæ legat Ecclesiæ usumfructum in perpe- 31

perpetuum, videtur folùm voluiffe, ut finiretur quando Ecclefia tantùm dirueretur, non per lapfum centum annorum. Cæterùm ratio illa formalis, ne proprietas reddatur inutilis, efficax eft, quando aliud non conftat ex voluntate conftituentis ufumfructum; fi enim conftat, ficut poteft legare proprietatem cum ufufructu, ita poteft illam reddere inutilem, aut per paucum, aut per multum temporis. Hanc fententiam tenere videtur, licèt confusè, Covarr. *d.cap.9.n.10.* Caftillo *d.lib.1.controv.c.61.n.20.*

32 Illud verò citra dubium admittendum eft, quod fi annuum legatum relinquatur Ecclefiæ ultra centum annos, durabit, contra Barbatiam & aliquos, quos recenfet Delbene *de immun.tom.1.cap.8.dub.21.fect.21.* Covarr. *d.cap.9.n.10.* qui rationem difparitatis dat, quando legatur ufusfructus, aut annuum legatum; nam legato ufufructu, ultra centum annos non progreditur legatum, ne proprietas inutilis reddatur: fi verò Ecclefiæ annuum legatum relinquatur, perpetuum eft, abfque temporis præfinitione, quia proprietas utilis remanet. Riminald.*conf.*219.*à n.*11. Pancirol. *conf.* 20.*art.*135. Covarr. *d.c.9.n.10.* Caftillo *d.c.*61.*à n.*20. Peregrin. *de fideicommiff. art.30.n.11.* Grat. *Difcept. Forenf.cap.* 131.*n.*1. Maranta 4.*part.refp.97.n.20.*

33 Itaque adnotandum, quod fi Ecclefiæ ufusfructus relictus fuerit, & ipfa certiorata per centum annos eo non utatur, illum amittit, quia per illud tempus extinguitur, ut cum aliquibus advertit Caftillo *d.lib.1.c.67.n.20.* Secus verò quando annuum legatum ei fuerit relictum, & annuæ præftationes; quia etiam peractis centum annis, futuras decurfas percipiet. Capponi *Difcept.Forenf.tom.2.difcept.81.num.17.* & quæ fcripfi *lib.2.c.11.à n.59.*

34 Si verò certiorata non fuerit, ex capite ignorantiæ reftituetur, in meliori fententia; nam cùm fit mutatio Prælatorum, facilè præfumitur legatum ignoraffe, ut cum Chaffaneo, Sfort.& aliis tenet Marin.*t.tom. decif.83.n.5.*

35 Legata enim, quæ fiunt Ecclefiis, etiamfi fuerint deftructæ, non ad hæredes perveniunt, nifi in cafu ufusfructus, de quo diximus *fuprà, n.*30. id enim relictum Deo eft, qui mortalis non eft; quapropter ad fuperiores devolvetur, aut ad Ecclefiam Romanam, ut aliarum caput. Peregr. *de fideic. art.10.n.64.* Grat.*Difcept.For.tom.1.cap.131.à n.20.* qui *nu.21.* fcripfit fecus effe, fi alimenta Ecclefiæ relinquerentur; nam pro fervientibus illi relicta funt, quare ceffante fervitio, quia deftructa eft, amplius non debentur. Sordus *de alim. tit.5.quæft.6.n.25.* Thoro *in Sum. privil.*229. Rubeus *pract. cap.79.n.454.*

36 Eft tamen aliquod dubium, quando teftator prædium reliquerit Ecclefiæ poft certum tempus conftruendæ, v.g.poft feptem annos, an fructus medii temporis ufquedum conftruatur, ad hæredem pertineant, an ad Ecclefiam? Et afferendum videtur ad hæredem pertinere, nam tempus appofitum videtur favore hæredis, *leg.Cum tempus, ff.de regulis juris,* Cancerius *variarum* 3.*part.cap.*20.*n.*28.& quoties tempus ponitur illius favore, fructus medii temporis pertinent ad hæredem, prout pertinerent ad legatarium, fi ipfius favore reponeretur, *l.Si ita relictum* 43.§.*Pegafus, ff.de legat.2.l. In fideicom.* §.*Cum Pollidius, ff.de ufur.* Molina *de juft. tract. 2.difput.94.n.*11. Ergo, &c.

37 Sed tamen contrarium tenendum eft; nam licèt in dubio tempus favore hæredis pofitum cenfeatur, fallit tamen quando favore Ecclefiæ legatum fit; videtur enim, quod fi Ecclefia conftruenda jam effet ædificata, ftatim legatum ad illam tranfiret: quamobrem fructus medii temporis ad illam pertinent, ita ut illa ædificata, omnes illos percipiat. Abbas *in cap. Nos quidem* 3. *de teftam. num.7.* Gratian. *difcept.cap.* 368. *num.*15. & *cap.*400. *num.*35. Genuenf. *in praxi, tricen. 9.quæft.*247. Tond.2.*tom.qq.benef.*3.*part.cap.*144.*n.7.* Thoro *privil.*163.

38 Sed dices: Legatum hoc nequit fuftineri: ergo fructus medii temporis ad hæredem pertinent. Et probatur, nam donatio Ecclefiæ conftruendæ nequit fuftineri, *cap. Abbati 3.de fent.& re judic in* 6. Ergo nec legatum. Sed communiter refpondetur, diftinctionem effe, quando donatio, aut quando legatum fit Ecclefiæ conftruendæ; donatio enim non fuftinetur, quia non eft perfona cum qua contrahatur: fecus verò in legato, qua ficut fieri valet pofthumo nafcituro, fimiliter Ecclefiæ conftruendæ, *cap. Nos quidem* 3.*de teftam. l. Servos* 17.*ff.de alim.& cib.legat.* Angel. *conf.*135. Genuenfis *in praxi, tric.9.q.*246. Barbofa *in d.cap.Abbati, n.6.* Gonzalez *in regul.8.gloff.5.* §.7.*n.*72.

Sed tamen afferendum, nullam diftinctionem faciendam inter legatum, & donationem factam Ecclefiæ conftruendæ, verùm validam effe; nam textus *in d. cap. Abbate*, dans anfam contrariæ doctrinæ, minimè illam probat: nam quando afferit donationem factam Ecclefiæ conftruendæ nullam effe, non eft decifio Pontificis, fed partis allegatio, quæ minimè jus facit, fed eft facti, aut allegati narratio. Jaf. *in l.1. ff. de offic. civ. num.*38. Felin.*in cap.* 1.*de conft.n.*18. Tiraquel. *in l.Si unquam, C.de revoc. donat.verb.Libertis, n.*37. quare ad rem nihil probat. Cæterùm quando Ecclefiæ etiam conftruendæ donatur, Deo principaliter fit donatio, qui femper præfens eft, & acceptar. Tiraquellus *privileg.* 115. *in princip.* Ergo dicendum non eft, non effe perfonam cum qua contrahatur. Denique etiam confiderata Ecclefia conftruenda, præfens eft, & perfona, licèt non vera, faltem ficta; nam ficut pofthumi in favorabilibus nati cenfentur, *l.Qui in utero 7.& 26.ff.de ftat.hom.l.3.tit.23.part.4.* Pinell.*in rubr. Cod.de bon.mater.2.part. n.*31. *in fin.* fimiliter Ecclefia conftruenda pro conftructa habetur in his quæ ad ejus favorem pertinent: unde teneo, valere donationem Ecclefiæ conftruendæ, ficut legatum, quia adeft perfona cum qua contrahatur, ut cum Socino, Felin.& aliis docet Grat. *difcept.for. tom.2.cap.* 358.*à n.*34. Gonzalez *dict.*§.7.*n.*101. Thoro *privil.*189. Marant.4.*part.refp.*18.*n.*34. 39

Unde fi aliquis promiferit facere, & conftruere Ecclefiam, etiamfi adhuc non fit, obligatur ad illam conftruendam; nam favore illius quafi conftructa cenfetur, ut quis obligetur, & nomine ipfius Diœcefano, quod non folùm intelligas fi jam cœpta fuerit, verùm etiam fi non, ut alia etiam ratione probatur, quia hæc promiffio eft pia, & caufam involvit: quapropter pollicitatio illa etiam de Jure civili fuftinebitur, ut cum Lambert. tenet Moneta *de comm.ult.volunt. cap.10.n.*227. Carolus Maranta 3.*part.refp.*89.*num* 31. Jul. Capponi *tom.* 1. *difcept.* 22. *n.* 14. Epifcopus verò ex officio poterit procedere ad compellendum promittentem, vel quilibet de populo petere, cùm id concedatur in qualibet caufa pia. Moneta *d.c.10. n.*227. 40

Prorfus examinanda doctrina Genoenfis *in praxi, tric.* 9. *q.*448. ubi fcripfit, Dominum Caftri poffe obligare vicinos ad molendum in certo molendino, aut panem ex certo furno fufcipiendum, quoties neceffaria funt emolumenta illa ad conftruendam, vel reparandam Ecclefiam; nam licèt de jure id interdicatur, *l.Quominus* 2.*ff.de Flum'n.* ubi Scribentes, regula tamen ifta ceffat quoties caufa publica contrarium petierit; publica enim caufa eft conftructio, feu reparatio Ecclefiæ: Ergo, &c. 41

Hanc doctrinam admitto quando vicini fuiffent obligati ad Ecclefiam conftruendam, feu reparandam propriis expenfis; hoc enim primum pertinet ad bona ipfius Ecclefiæ, ad fructus, vel decimas illius, nec ad expenfas vicinorum pervenitur, nifi in fubfidium. Bobadilla *in polit.lib.2.cap.*18. *n.*135. & *lib.3.cap.5.* Genuenf. *dict.q.*248. *num.*3. Salgado *de Reg.protect.3.part.cap.5.per tot.* Tondutus 1.*part. qq. benef. cap.*38.& 39. quare nifi in cafu quo conftructio, vel reparatio Ecclefiæ vicinos attingat, à Dom. Caftri illo modo nequeunt cogi, aliàs abfque caufa cogerentur. 42

Nec oblivifcenda eft alia difquifitio, an quando legantur Ecclefiæ decem jugera fundi, triginta v. g. habentis, fi per alluvionem fuerit deterioratus, legatum Ecclefiæ pro rata diminutionem patiatur? Et affirmandum videtur *ex l. in ratione* 30. §. *Rurfus diligenter, ff. ad leg. Falcid.* ubi re poft mortem teftatoris perempta, licèt in parte, diminuitur Falcidia: quod idem afferunt DD.de legitima filiorum; nam fi patrimonium patris diminuatur, etiam legitimæ pro parte minuuntur, quia quælibet legitima eft in qualibet parte hæreditatis. Peregr. *de fideicom.art.* 36. *n.*33. Ergo idem dicendum eft in legato decem jugerum facto Ecclefiæ. 43

Sed contrarium tenet Tondut. 1.*part.qq.benefic.cap.*100. *num.*10. afferens legatum minimè diminuendum, fed integra decem jugera Ecclefiæ deberi; duæ enim, inquit, differentiæ faciendæ funt in hujufmodi legatis. Prima, quando fpecies certa legatur integrè, & tunc fi diminuatur, id totum ad legatarium pertinet, §.*Si res legata, Inftit. de legat.* Mant. *conject.lib.* 9. *tit.* 12. *num.*7. quod idem dicendum quando legatur genus refpectu certæ fpeciei; nam perempta re, nihil ab hæredе debetur, *l.Quidam in teftamento* 99. §. *Si tibi, ff. de legat.* 1. nifi aliquid fuperfit, quia illud legatario debebitur. Gomez *tom.* 1. *variar. cap.*12.*n.*31. 44

Molla

Morla *in Empor. tit.* 8. *qu.* 11. Gratianus *discept. forens. cap.* 62. *num.* 4. Facbineus *controv. lib.* 1. *cap.* 72. Larr. *decis. Granat.* 14. *num.* 9. licèt aliqui teneant contrarium apud eundem Larr. *decis.* 18. *num.* 19.

45 Secunda differentia est, quando legatur incertum de certis; tunc enim re tota perempta, extinguitur legatum, veluti in casu proposito, ubi legantur decem jugera incerta de certis aliis, quæ habebat fundus: si tamen pars illius remanserit, in ea sustinetur legatum. Bart. *in l. Quod se, de rebus credit. num.* 8. quapropter cùm in fundo decem jugera post alluvionem remanserint, Ecclesiæ debentur.

46 Hanc sententiam Tonduti admitto ex illius solido fundamento: tum quia, nam ut suprà scripsimus, legata pia nunquam diminutionem patiuntur; est enim mens testatoris ita gravare hæredem, ut semper bonum suæ animæ salvum remaneat, & sustineatur. Genuens. *tricent.* 11. *qu.* 329. quare cùm decem jugera in fundo remanserint, illa Ecclesiæ debebuntur; si tamen totum perierit, nihil debebitur, nisi ex culpa hæredis damnum acciderit, quia tunc interesse præstabit Ecclesiæ, prout quando morosus fuerit, & res legata ex mora perierit. Menoch. *lib.* 3. *præs.* 138. Pichard. *de mora, à num.* 45. Garcia *de expens. cap.* 23. *num.* 48. Fachineus *lib.* 8. *controv. cap.* 100. Hermos. *in l.* 8. *tit.* 1. *par.* 5. *gloss.* 3.

47 Rursus disquirere oportet, quando legatum relinquitur Ecclesiis alicujus civitatis, aut Diœcesis, an intelligatur solùm de constructis, an verò intelligantur construendæ? Et Jason *in l. Qui filiabus* 17. *ff. de legat.* 1. *num.* 12. & 13. scripsit, etiam deberi construendis; nam si privilegium conceditur alicui Ecclesiæ, ne decimas solvat Episcopales, extenditur ad possessiones posteà acquirendas, *cap. Quia circa* 22. *de privileg.* tum indultum immunitatis aliquibus Ecclesiis concessum, ad postea construendas extenditur, *cap. Ex parte* 10. *junct. cap. penult. de decim.* quod cum ita observetur in privilegiis, quæ strictè interpretantur, *l. fin. ff. de const.* ubi Gloss. *cap. Olim, de verb. signific.* multò magis in his legatis piis, quæ benignam interpretationem suscipiunt, *cap. Cum dilecti* 6. *de donat.*

48 Hanc sententiam Jasonis admittit Genuensis *in praxi, tricen.* 14. *quæst.* 397. *ad fin.* temperat tamen si legatum multum gravaverit hæredes, *ex cap. Quanto* 16. *de censib.* ubi dispositio testatoris, ut procurationes donentur Monachis cujusdam Monasterii, non extenditur ad Monachos noviter augmentatos, nisi multùm crescerent redditus Monasterii concedentis; nam tunc parum præjudicii inferretur præstanti: Ergo si magnum, non darentur: nec legatum dabitur Ecclesiis noviter constructis, si hæredibus grave nocumentum sequeretur.

49 Sed absolutè contrarium tenent Bald. Immol. Alexand. *in d. l. Qui filiabus*, Mantica *de conject. lib.* 8. *tit.* 6. *n.* 9. Thor. *privileg.* 116. *ex cap. Cum Capella* 16. *de privil.* & ibi adnotatis, ubi privilegium concessum Monasterio, & ejus Capellis, non extenditur ad Capellas de novo constructas: ergo similiter legatum factum Ecclesiis, non extendetur ad noviter factas. Expenditur etiam textus *in Clement. Literas, de rescript.* ubi literæ Apostolicæ ad Beneficio vacaturo, non extenduntur ad Beneficium creatum post literarum datam: ergo similiter in nostra specie dicendum.

50 Hæc difficultas consistit in disquirenda voluntate legantis, an senserit testator tantùm de præsentibus Ecclesiis, an de futuris; quia si de futuris senserit, proculdubio illis debetur. Mantica *d. tit.* 6. *n.* 11. quapropter consideranda sunt verba, si nihil expresserit, an sint universalia, an particularia; si enim universalia sunt, quibus legatum reliquerit, non solùm comprehendent præsentes Ecclesias, sed futuras, veluti si dicat, *Lego omnibus Ecclesiis hujus civitatis, aut Diœcesis*: si verò testator utatur verbis particularibus, utpotè; *Lego Ecclesiis hujus civitatis, aut Diœcesis*, tunc non comprehendet futuras. Ratio, nam verba universalia respiciunt non solùm tempus præsens, sed etiam futurum: secus particularia, quæ tantùm præsens. Bart. *in l. Qui Roma, §. Duo fratres, de verb. oblig. num.* 18. Ripa *ibid. num.* 74. Barbosa *in l. Si cum dotem, in princ. ff. solut. matrim. num.* 40. Ergo ex modico loquendi per verba universalia, aut particularia cognoscetur, quando legatum dandum sit futuris Ecclesiis, quando tantùm præsentibus.

51 Discursum confirmo; nam si aliquis reliquerit Clericis alicujus Ecclesiæ certam pensionem pro Anniversario, & id faciat verbis universalibus augmentatis, debetur, secùs si particularibus, & indefinitis. Alvarad. *de conject. ment. defunct. lib.* 2. *cap.* 2. §. 1. *nu.* 38. Lara *de Anniversf. lib.* 1. *cap.* 16. *per tot.* qui *n.* 13. idem intelligit si relinquatur Clericis alicujus loci: Ergo similiter est dicendum, quando similibus verbis legasset Ecclesiis alicujus civitatis, ut diœcesis.

52 Sed huic doctrinæ objicitur textus *in cap. Quia circa* 21. *de privil.* ubi concessio decimarum facta fuit ab Episcopo verbis particularibus, & indefinitis; & tamen non solùm comprehendit præsentes, sed etiam futuras: ergo distinctio nostra nequit sustineri. Textus verò iste recipit plura interpretamenta, ut videre est apud Hentic. *ibid. n.* 3. Butr. *n.* 7. Cabed. 2. *par. decis.* 22. *à num.* 5. Mesa *variar. lib.* 3. *cap.* 13. Barbosa *ibid. à nu.* 5. Verùm illud facilè percipitur interpretamentum ex verbis illius textus, ibi: *Cum nihil exceperit, & potuerit excepisse*; concessio enim decimarum, quæ ibidem facta fuit Monasterio, largè tanquam Beneficium interpretatur, *l.* 1. *ff. de constitut.* quare cùm nihil exceperit, videtur in illa concessione non solùm comprehendisse præsentes decimas, sed etiam futuras, prout ibidem scripsit D. Gonzalez *in dict. cap. Quia circa, n.* 2. *ad fin.* Cæterùm alia est etiam interpretatio; nam licèt ibidem concessio fieret verbis indefinitis prospicientibus tempus præsens, cùm tamen eadem sit ratio quoad decimas præsentes, & futuras, verba indefinita æquipollent universalibus. Dueñas *regul.* 73. Covarr. *lib.* 1. *variar. cap.* 13. *num.* 10. Riccius 2. *part. collectan.* 365. Lara *dict. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 26. Castillo *lib.* 6. *controv. cap.* 14. *num.* 35. Ergo ibidem potuit comprehendere non solùm præsentes, sed etiam futuras decimas.

53 Quare textus ille nobis non refragatur, & distinctio nostra sustinetur, quidquid Mantica *dict. tit.* 6. *num.* 9 scripserit, quod si legatum omnibus Ecclesiis relinquatur alicujus civitatis, de novo constructas non comprehendat, quod quidem incautè positum censeo.

54 Præterea est alia difficultas, an quando aliquid certæ Ecclesiæ legatur pro sepultura, & condito testamento, postea in alia Ecclesia sepulturam testator elegerit, cuinam debeatur? Prima sententia asserit, primæ Ecclesiæ legatum deberi, etiamsi postea alibi sepulturam eligat; nam in legatis piis quælibet causa non consideratur finalis, sed impulsiva, quia principaliter Deo legatur. Abbas *in cap. Verùm, de condit. appos. n.* 3. Covarr. *d. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 6. Cancer. 3. *par. cap.* 20. *n.* 148. quare licèt alibi postea eligat sepulturam, primæ Ecclesiæ debebitur legatum; causa enim sepulturæ ut impulsiva censetur: sic censuit Senatus Neapolitanus, prout refert, & sequitur Carol. Mar. 1. *part. resp.* 9. *per tot.*

55 Secunda sententia contrarium tenet, nempe deberi legatum alteri Ecclesiæ, ubi postea elegit sepulturam. Ratio est, nam legatum relictum Ecclesiæ pro sepultura, pro onere illius relinquitur: quapropter onere ad aliam translato, & legatum transfertur, *l. Alumnæ, §. Seia, l. Filio, §. Matri, ff. de adim. leg.* idque ex voluntate testatoris, quæ licèt non verbis demonstretur, facto tamen ipso ostenditur. Mant. *conject. lib.* 12. *tit.* 2. *num.* 27. Lara *de Anniv. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 28. Rubeus *pract. cap.* 69. *num.* 144.

56 In re dico, duobus modis accidere valere, ut quis non sepeliatur in Ecclesia, cui legatum reliquit pro sepultura. Primò quando non stat pro Ecclesia quominus in ea non sepeliatur, veluti si excommunicatus decedat, & sepultura privaretur, *cap. Sacris* 12. *de sepultur.* aut quando in Hospitali decederet, & ibi ab Administratoribus sepeliatur; & in hoc casu etiamsi onus non adimpleatur, legatum Ecclesiæ debetur; quia impedimentum causatum ab eo qui vult excusare, nihil operatur, *l. Miles* 11. §. *fin. ff. ad leg. Iul. de adult.* Tum etiam in his, & similibus casibus non est unde perpendatur, voluisse testatorem revocare legatum, quin in eadem voluntate permansisse. Ergo Ecclesiæ legatum debebitur. Tenent Dinus, Bart. & alii sequuti à Menochio *lib.* 4. *præs.* 183. *n.* 43. Spino *de testam. gloss.* 2. *nu.* 34. Medicis *de sepult.* 1. *par. qu.* 25. Prætis *de interpr. ult. vol. lib.* 4. *interpr.* 3. *dub.* 3. *n.* 11. qui id extendunt etiamsi testator dicat, quod si ibidem non sepeliatur, legatum non valeat. Rub. *d. cap.* 69. *à num.* 134. Lara *d. cap.* 11. *per tot.*

57 Secundo modo, si ipse testator voluntariè mutat sepulturam, & illam elegit in alia Ecclesia: & in hoc casu, si legatum relinquitur pro sepultura, causa finalis est onus illius: quapropter nequit prima Ecclesia illud percipere, sed propter eandem causam ad aliã transfertur, ubi onus trãsfertur. Socinus *in l. Qua conditio, §. Cum ita, ff. de condit. & demonst. nu.* 5. Mantica *de conject. lib.* 8. *tit.* 6. *n.* 13. *in fin.* Secus verò si

legatum relinquat Ecclesiæ, in qua sepulturam elegit, & postea alibi elegisset; tunc enim cùm non sit pro onere, debetur primæ Ecclesiæ, ob rationem quàm præstitit Catol. Maranta *dict. respons.* 9. Thoro *privileg.* 213.

58 Quando aliquid relinquitur Ecclesiæ, illi debetur, nec Episcopus, nec Rector illius aliquid habebit: nec si Ecclesiæ Cathedrali relinquatur, Canonici legatum, aut partem illius percipient, *cap. Pacificus* 12. *quæst.* 7. *cap. Requisisti* 15. *de testament. Auth. ut de Eccles. tit.* §. *Interdicimus*. Quod est accipiendum etiamsi Episcopus, Rector, aut Canonici nominarentur; non enim ex illorum nominatione, seu appellatione, ipsorum contemplatione legatum factum videtur, sed Ecclesiæ, ut multis decisionibus tenet Rub. *pract. cap.* 70. *à num.* 1.

59 Est verò dubium, quando aliquid relinquitur Episcopo, seu Rectori alicujus Ecclesiæ, an ipsis, an illi relictum videatur? Et ut hanc quæstionem percipiamus, præmitto quod si hoc legatum expressè pro anima relinquatur, non Episcopo, nec Rectori debebitur, sed Ecclesiæ; nam cùm testator favorem animæ prospexerit, contemplatione Ecclesiæ relictum videtur, utpote magis illi favorabile. Socinus *in l.* 2. *ff. de rebus dub. num.* 14. Mant. *conject. lib.* 8. *tit.* 9. *n.* 19. *vers. Cæterum*, Menoch. *lib.* 4. *præs.* 112. *num.* 7.

60 Stabit ergo dubium, quando nulla causa fuerit expressa, nec aliquis pateat favor animæ; & tunc aliqui recensiti à Mantica *lib.* 6. *conjectur. tit.* 6. *num.* 17. asserunt legatum Ecclesiæ deberi, quia summa ratio est, quæ facit pro Religione, *l. Sunt personæ, ff. de Relig. & sumpt. fun.*

61 Sed distinctione resolvenda est hæc quæstio, quam adduxit Pontifex *in cap. Requisisti* 15. *de testament.* ut si in Episcopo, aut Rectore adsit aliqua conjectura, unde perpendamus, quod contemplatione personæ relictum fuerit legatum, utpote si consanguineus fuerit testatoris, valdè amicus, aut benemeritus; tunc legatum non ad Ecclesiam, sed ad Rectorem pertinebit: si verò nulla adsit ratio id existimandi, ad Ecclesiam spectabit. Ratio est, nam licèt relinquatur Episcopo, seu Rectori, intelligitur tanquam administratoribus illius, non verò ut personis, ut latè docet Mant. *dict. tit.* 6. *à num.* 17. Covarr. *in dict. cap. Requisisti, num.* 11. Mascard. *conclus.* 968. *à num.* 1. Surdus *de alim. lib.* 1. *cap.* 1. *& tit.* 5. *quæst.* 6. *num.* 9. Menochius *dict. præs.* 112. *per tot.* Cevallos *qu.* 599.

62 Huic enim consequens est alia difficultas, an quando aliquid legatur Canonicis, illi, an vero Ecclesiæ relictum videatur? Prima sententia asserit, Ecclesiæ deberi, *ex l. Annua* 20. §. *A Titia, ff. de ann. legat.* ubi relictum libertis Ecclesiæ, ipsi templo legatum censentur: quod idem dicendum in legato facto Canonicis, prout ibidem deducit Gothofr. *lit. G.* Sed textus ille assumptum non probat, quia ibi legatum intelligitur factum templo, non autem libertis, quatenus testatrix ministerium libertorum templo faciendum prospexit, & ita illi factum legatum videtur, ut rectè considerat Scævola.

63 Cæterùm adducitur textus *in leg. Civibus* 2. *de rebus dubiis*, ubi civibus relictum, civitati relictum asseritur: sed nec textus iste aliquid probat, quia per cives repræsentatur congregatio civium, quæ est ipsa civitas; unde nihil mirum, si legatum civitati factum censeatur: tenent hanc sententiam Bart. *in dict. l.* 2. *ff. de rebus dubiis*, Perusius *de quarta, cap.* 4. *versic. Tertio simpliciter*. Barbatia *vol.* 4. *cons.* 11. *col.* 6. & alii sequuti à Genuensi *in praxi, tricen.* 14. *quæst.* 399. *num.* 1. Franc. Steph. *decis.* 29. *num.* 4.

64 Secunda sententia tenet contrarium, *ex l. Pater filium* 38. §. *Fideicommissis* 6. *ff. de legat.* 3. ubi relictum Collegio Templi, non Templo, sed Collegio relictum videtur; quod dicendum de legato relicto Canonicis, ut ipsis debeatur, non verò Ecclesiæ. Ratione probatur, nam aliud est Ecclesia, aliud Canonicorum Capitulum, *cap. Per exceptionem* 7. *de privilegiis in* 6 quapropter quod legatur Canonicis, eorum Capitulo legatum censetur, non verò Ecclesiæ. Covarr. *in d. cap. Requisisti*, *num.* 18. Mantica *dict. lib.* 8. *tit.* 6. *n.* 22. Cenedo *pract. lib.* 1. *quæst.* 20. *in princip.* Bonac. *de contract. disp.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 8. §. 4. *num.* 4. Vasquez *in opuscul. de testament. cap* 8. § 5. *dub.* 2. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18 *dub.* 12. *num.* 7. Gratianus *discept. tom.* 3. *cap.* 533. *num.* 5. Menochius *lib.* 4 *præsumpt.* 112. *num.* 6.

65 In hoc dubio maximè consideratione procedendum, semper prospiciendo quando contemplatione Canonicorum relinquatur, aut Ecclesiæ; si enim alicui Canonico in particulari legatum relinquatur, contemplatione personæ factum præsumitur, nec ad Ecclesiam pertinebit. Mantica *dict. tit.* 6. *num.* 22. Menochius *d. præsumpt.* 112. *nu.* 3. Quod idem dicendum quando Canonicis relinquetur, propriis nominibus expressis; nam personarum contemplatione relictum censebitur. Menochius *ubi proximè*, *num.* 4.

66 Contrarium dicendum quando conjectarentur, contemplatione Ecclesiæ factum fuisse legatum, veluti si legasset Calicem, aut Ornamenta Sacra Canonicis, tum ad Ecclesiam pertinebit, quia ex qualitate materiæ, Ecclesiæ contemplatione legasse testatorem satis cognoscitur. Mantica *dict. tit.* 6. *num.* 19. *versic. Cæterum*, Mascardus *conclus.* 968. *num.* 11.

67 Si tamen dubium sit, ita ut minimè discernatur, an contemplatione Ecclesiæ, aut Canonicorum legatum relictum fuerit, tunc Capitulo Canonicorum relictum videtur, uti probat textus *in dict. cap. Requisisti* 15. *ad fin. de testament.* Verbum enim *Canonicis*, indefinitè prolatum, Capitulum, & Collegium eorum designat, *cap. Cùm omnes* 6. *cap. Cùm accessissent* 8. *de Const.* Ergo ad illud pertinebit legatum. Denique Canonici non repræsentant Ecclesiam, sed sunt pars illius: itaque si legatum illis relinquatur, non Ecclesiæ, sed illius ut particularibus debetur, Thoro *in Summa, privileg.* 176. Barbosa *de Canonicis, cap.* 42. *num.* 16. *vers. Cum sit mentio*.

68 Unde necessariò est disquirenda alia quæstio, an tunc legatum relictum Canonicis, id sit ut singulis, vel pro universo Capitulo, seu Collegio? Hæc enim disquisitio est valdè utilis, tam ratione distributionis, quàm numeri. Ratione enim distributionis, si legatur universis, distributio non fit æqualiter, sed inspecta majori dignitate, antiquitate, aut alia causa, unde major distributio percipiatur. Ratione numeri est alta contemplanda distinctio, quia si legatur ut singulis, cantùm illis Canonicis debetur, qui erant tempore testamenti, non verò postea recovatis: si verò ut universo Capitulo, etiam aliis debetur, cùm semper sit eadem communitas. Covarr. *in dict. cap. Requisisti, num. fin.* Menochius *dict. præs.* 112. *num.* 11. Trullench *d. dub.* 12. *num.* 7.

69 Hoc ergo supposito, prima sententia asserit, legatum relictum Canonicis, ut singulis factum censeri: adducit ad id Concilium Ferreti 10. asserentis legatum factum Fratribus alicujus Monasterii, factum videri ut singulis, non autem Monasterio. Sed hæc doctrina nullius est ponderis; Fratribus enim proprium habere non valentibus, nequit ut singulis legatum relinqui, sed totum ad Monasterium pertinebit. Mascardus *d. concl.* 968. *nu.* 25, Gratianus *dict. cap.* 533. *num.* 15. *ad fin.* Cæterùm ratione probatur; nam quando legatur Canonicis, contemplatione personarum relictum videtur: Ergo ut singulis relictum intelligendum erit. Felinus *in cap. Auditis* 15. *de præsumpt. num.* 24. Barbatia *in cap. Requisisti, de testament. col.* 40. Burgasius *in cap. Cum omnes* 6. *de const. num.* 325. Socinus *in l.* 2. *de rebus dub. num.* 13. Menochius *d. præsumpt.* 112. *num.* 11. *ad fin.*

70 Secunda sententia tenet contrarium, *ex l. Pater filium* 38. §. 6. *de legat.* 3. ubi clarè ostenditur, legatum hoc ad Collegium dirigi, prout est communitas, itaque non ut singulis factum considerandum; nam ut benè considerat Rubeus *practicar. cap.* 70. *n.* 159. contemplanda est mens testatoris, ad quid dirigatur: quare cùm in præsentiarum dirigatur in Collegium, & Capitulum Canonicorum, non ut singulis factum est considerandum. Covarr. *in dict. cap. Requisisti, num. fin.* Genuensis *in praxi Neapolit. cap.* 72. *num.* 7. *ad fin.* Gratianus *d. cap.* 533. *num.* 16. Thoro *d. privileg.* 176. *ad med.* Cevallos *comm. quæst.* 278. *ad med.*

71 Hæ verò sententiæ facilè conciliantur; prima enim intelligenda est quoties aliquæ adessent conjecturæ probantes, voluisse testatorem Canonicis ut singulis legare, velut si Canonici fuissent benemeriti illius, quia testatorem à gravi malo liberaruot, aut aliter benefactores fuissent: quo quidem casu, ut singulis legatum censetur, ut intelligunt Genuensis *in praxi, quæst.* 399. *num.* 2. *ad finem*, Mantica *dict. tit.* 6. *num.* 24. Gratianus *dict. cap.* 533. *num.* 19. Secus verò si nulla adsit conjectura; tunc enim sequenda secunda sententia, quam dicit veriorem Vasquez *dict.* §. 5. *dub.* 2. *num.* 100. Barbosa *de Canonicis, cap.* 42. *num.* 19. Valenzuela *cons.* 190. *num.* 39.

C A-

CAPUT II.

De relictis Monasteriis, & Monachis.

SVMMARIVM.

Legare Monasteriis pium, etiam pro construendis, etiamsi locus non sit designatus: vel si testator designaverit, & nequit ibidem Monasterium ædificari, sustinetur legatum, num. 1.

Quando legatum relinquitur Monasterio ad onus Missarum, quod ex regula, aut constitutionibus nequit acceptare, an sit caducum? Ponitur ratio dubitandi, & explicatur lex 58. ff. de condict. indeb. *num.* 2. *&* 3.

Sed contrarium tenendum, num. 4.

An legatum relinqui possit Monasterio ea conditione, ut Monialem recipiat. Prima sententia negat, num. 5. *Secunda admittit, si Monasterium sit pauper, num.* 6. *Tertia affirmat, num.* 7. *Resolvitur, à num.* 8. *ubi late disceptatur, an sit simonia aliquid recipere pro ingressu Religionis, à num.* 8. *ad* 17.

An quando Religiosus ante professionem legatum reliquerit Monasterio, ut illo contentus, amplius non petat, si post professionem mater decedat, possit legitimam petere, discutitur, & respondetur affirmative, num. 18. *& sequen.*

An quando Religiosus transit ad aliam Religionem, secum ferat bona tradita primæ Religioni? Distinguitur; & si post professionem transierit, aliqui negant, à num. 22. *&* 23. *Alteri affirmant, n.* 24. *Resolvitur, à num.* 25. *Sed primum Monasterium tenetur Religioso præstare alimenta, num.* 27.

Quidquid acquirit Religiosus post professionem in alia Religione, illi acquirit, num. 28. *Expulsus non repetit bona Monasterio tradita, ast potest necessaria sibi acquirere, num.* 29.

Si heres legatum indebitè solvat, legatum Ecclesiæ, seu Monasterio non repetit, num. 30. *Sed explicatur, & distinguitur à num.* 31.

An quando pater ignorabat habere filium, legatum factum Monasterio, aut Ecclesiæ, valeat, num. 36. *Prima sententia negat, num.* 37. *Secunda affirmat, num.* 38. *Tertia distinguit, num.* 39. *Resolvitur, & distinguitur, à num.* 40.

Solutio legati facti Monasterio, seu Ecclesiæ, ex bonis ibi existentibus facienda est, num. 43.

1 MOnasteriis legare, ac alia relinquere, quàm piissimum sit opus; pro comperto habetur, & non solum legare constructo, verùm etiam pro construendo: quod si simpliciter relinquatur, non designato loco, ubi debeat ædificari, sustinetur legatum, nec quidem censetur incertum, quia arbitrio Episcopi relictum est ubinam sit construendum, aut si exequutores designaverit, eorum placito designandus est locus. Abbas *in cap. Nos quidem* 3. *de testam. n.*2. Bart. *in l. Servus, ff. de aliment. legat. n.* 4. Rubeus *pract. c.* 84. *à n.* 151. Quod idem dicendum quando testator Monasterium construendum certo loco designaverit, ubi ædificari nequit; tunc enim validum remanet legatum, & arbitrio Episcopi, & hæredum in alio construitur loco, *ex l. Legatum* 16. *ff. de usufruct. legat.* Covarr. *in d. cap. Quia nos, de testam. nu.* 3. Moneta *de commut. ult. volunt. cap.* 3. *num.* 78. Tondutus *tom.* 1. *cap.* 83. *à num.* 5.

2 Quid verò dicendum, quando legatum relinquitur Monasterio ad onus Missarum, quod ex Regula, aut Constitutionibus nequit ab eo teneri, ut asseritur de Carmelitis Discalceatis, quæritur an caducum fiat, necne? Et caducum fieri videtur ex decisione textus *in l. Manumisso* 58. *ff. de condict. indebiti*, ubi quando testator apponit conditionem impossibilem, quam possibilem existimabat, fideicommissum sub illa relictum non valet, veluti quando apponeret conditionem servo, ut libertatem ex testamento consequeretur, cùm tamen jam manumissus fuerit, aut originem repetiisset. Quod idem est dicendum, si legatum relinqueretur Monasterio ad onus Missarum, quod licèt possibile existimaretur à testatore, impossibile erat respectu Regulæ, aut Constitutionum.

3 Sed textus ille, quia non loquitur in causa pia, ad rem non est; solùm enim ibidem fideicommissum redditur caducum, nam erat relictum sub illa conditione, si ex testamento manumitteretur servus: verùm si originem repetierit, tunc si aliquid susceperit, ad restitutionem compellitur, *l.* 1. *C. de ingen. manum. l. fin. in princip. C. qui ad lib. proclam.* nam est quædam ingratitudo libertatem per originem repetere, quando testator illam apposuit conditionem, ut ex testamēto manumitteretur, uti scripsit Sarmiēto *Select. l.* 2. *c.* 1. *n.* 27.

4 Quare contrarium est tenendum, ut minimè legatum caducum fiat, quin potiùs ad Monasterium pertinebit, ut in aliud opus pium convertatur: idque ex illa communi doctrina, quod quando legatum pium nequit exequi, arbitrio superioris valet ad aliud pium converti magis conforme voluntati testatoris. Cæterùm, nam quando in legatis piis ponitur conditio de jure impossibilis, vitiatur conditio, & remanet validum legatum, *l. Cum ita datur, ff. de condit. & demonstrat.* Rom. *in l. Impossibiles, de verb. oblig. nu.* 14. Itaque cùm onus illud sit impossibile de jure in his Monasteriis, validum remanet, sed est convertendum in aliud opus pium. Tiraquellus *privileg.* 75. Joan. Andr. Georgius *allegat.* 31. *num.* 31. Lara *de Anniversf. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 23. Tondutus *tom.* 2. *quæst. Benefic.* 3 *p. cap.* 175. *per tot.* Pasqualig. *de Sacrif. Miss. qu.* 1079. *num.* 5.

5 Cæterùm disquirendum, an legatum relinqui possit Monasterio ea conditione, aut monialem recipiat, aut quotannis unam, aut duas moniales: qua in difficultate tres sunt sententiæ. Prima asserit id minimè fieri posse, quia tale legatum est simoniacum, cùm detur temporale pro spirituali ingressu monialis, *cap. Non satis* 8. *de simon.* tum quia est pactum, & conventio rei temporalis pro spirituali, quod est simoniacum, *cap. fin. de pact.* Sanch. *de matrim. lib.* 1. *disp.* 39. *à num.* 1. Ergo minimè est sustinendum tale legatum. Bart. *in l. Titio centum, §. Titio centum* 1. *ff. de condit. & demonstrat. num. unic.* Campegius *de dot.* 1. *p. q.* 42. Crassus *de success. §. legatum, qu.* 55. *in fin.*

6 Secunda sententia inquit, haud esse admittendam, verùm temperandam, quando Monasterium pauper sit, quia tunc legatum illud non suscipitur pro ingressu monialis, sed pro alimentis illius, quæ sunt pretio æstimabilia. Baldus *in l. fin. C. de sponsalibus.* Beroius *lib.* 7. *cons.* 28. *num.* 9. Gregorius *in l.* 12. *tit.* 7. *p.* 1. *verbo Porque.* Bertrandus *lib.* 3. *cons.* 135. *n.* 6. Leoncillus 2. *par. privileg.* 272. *n.* 3.

7 Tertia sententia dicit validum esse legatum, & conditionem illam, utpote licitam, adimplendam esse; quia si Monasterium pauper est, rectè pro alimentis conceditur; si pro dives, non pro ingressu accipitur, sed pro onere suscipiendi, & alendi monialem: tum etiam, quia licèt locuples sit Monasterium, plurimas habet expensas, nempe monialium alimenta, divinum cultum, Monasterii reparationem, Syndicorum, & Capellaniarum salaria; unde ad tantas impensas ditiora Monasteria sufficientiam non habent, quapropter pro his rectè legatum percipiet. Benedictus *in cap. Raynutius, de testament. verb. Cuidam Petro, nu.* 13. Surdus *vol.* 2. *cons.* 295. *n.* 2. Galganetus *de condit. & demonstrat.* 2. *par. cap.* 5. *q.* 9. *à n.* 1. Guttierr. *can. lib.* 1. *cap.* 32. *n.* 61. Cevallos *com. qu.* 439. Gratianus *discept. for. cap.* 254. *num.* 29. Cyriacus *tom.* 3. *controv.* 504. *à num.* 16.

8 Hæc difficultas dependet ab alia, an sit simonia aliquid recipere pro ingressu Religionis? Qua in re illud est certum, quod si aliquid temporale detur pro ipso ingressu præcisè, simoniam committi, cùm detur temporale pro spirituali, *cap. Non satis* 8. *cap. de Regularibus* 25. *de Simon.* Cenedo *ad Decret. collect.* 16. *n.* 1. Bollo *in Oeconom. Can. class.* 3. *c.* 4. *§.* 14. Fuscus *de visit. lib.* 2. *cap.* 18. *nu.* 23. Rodrig. *quæst. Reg. tom.* 2. *q.* 48. *art.* 1. Si tamen pro ipso ingressu non detur, sed pro alimentis, rectè à simonia excusatur, cùm temporale detur pro re habente expensas temporales, & in effectu non datur pro spirituali. S. Thom. 2. 2. *qu.* 100. *art.* 3. *ad* 4. Azorius *Instit. Mor.* 2. *p. lib.* 12. *cap.* 16. *q.* 1. Surdus *de alim. tit.* 9. *q.* 27. *num.* 2. Merlinus *de legitima, tit.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 14. *num.* 6. Barbosa *in dict. cap. Non satis, num.* 2. *ad fin.*

9 Unde colligunt DD. quod si Monasterium pauper sit, rectè recipiet dotem, seu legatum pro onere sustentationis monialis, non pro ingressu, & ad id posse apponi quaslibet conditiones. Navarr. *cons.* 86. *de simon.* Lata *de Anniversf. lib.* 1. *cap.* 21. *nu.* 91. Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 11. Villalobos *in Summa,* 2. *part. tract.* 37. *diff.* 13. *num.* 4.

10 Erit ergo disceptatio, quando locuples Monasterium fuerit? Et aliqui acriter tenent, tunc nec legatum, nec aliquam dotem recipi posse; nam per professionem monialis habet jus spirituale se alendi de bonis Monasterii, quare si aliquod temporale perciperet pro illo jure, non quomodolibet simonia cōmitteretur, sed de jure divino, ut ratiocinatur Suar. *d.*

legatum relinquat Ecclefiæ, in qua fepulturam elegit, & poftea alibi elegiffet; tunc enim cùm non fit pro onere, debetur primæ Ecclefiæ, ob rationem quàm præftitit Carol. Maranta *dict. refponf.* 9. Thoro *privileg.* 213.

58 Quando aliquid relinquitur Ecclefiæ, illi debetur, nec Epifcopus, nec Rector illius aliquid habebit: nec fi Ecclefiæ Cathedrali relinquatur, Canonici legatum, aut partem illius percipient, *cap. Pacificus* 12. *quaft.* 7. *cap. Requififti* 15. *de teftament. Auth. ut de Eccleſ. tit.* 6. *Interdicimus.* Quod eft accipiendum etiamfi Epifcopus, Rector, aut Canonici nominarentur; non enim ex illorum nominatione, feu appellatione, ipforum contemplatione legatum factum videtur, fed Ecclefiæ, ut multis decifionibus tenet Rub. *pract. cap.* 70. *à num.* 1.

59 Eft verò dubium, quando aliquid relinquitur Epifcopo, feu Rectori alicujus Ecclefiæ, an ipfis, an illi relictum videatur? Et ut hanc quæftionem percipiamus, præmitto quod fi hoc legatum expreſsè pro anima relinquatur, non Epifcopo, nec Rectori debebitur, fed Ecclefiæ; nam cùm teftator favorem animæ profpexerit, contemplatione Ecclefiæ relictum videtur, utpote magis illi favorabile. Socinus *in l.* 2. *ff. de rebus dub. num.* 14. Mant. *conject. lib.* 8. *tit.* 9. *n.* 19. *verf. Cæterum,* Menoch. *lib.* 4. *praf.* 112. *num.* 7.

60 Stabit ergo dubium, quando nulla caufa fuerit expreffa, nec aliquis pateat favor animæ; & tunc aliqui recenfiti à Mantica *lib.* 6. *conjectur. tit.* 6. *num.* 17. afferunt legatum Ecclefiæ deberi, quia fumma ratio eft, quæ facit pro Religione, *l. Sunt perfona, ff. de Relig. & fumpt. fun.*

61 Sed diftinctione refolvenda eft hæc quæftio, quam adduxit Pontifex *in cap. Requififti* 15. *de teftament.* ut fi in Epifcopo, aut Rectore adfit aliqua conjectura, unde perpendamus, quod contemplatione perfonæ relictum fuerit legatum, utpote fi confanguineus fuerit teftatoris, valdè amicus, aut benemeritus; tunc legatum non ad Ecclefiam, fed ad Rectorem pertinebit: fi verò nulla adfit ratio id exiftimandi, ad Ecclefiam fpectabit. Ratio eft, nam licèt relinquatur Epifcopo, feu Rectori, intelligitur tanquam administratoribus illius, non verò ut perfonis, ut latè docet Mant. *dict. tit.* 6. *à num.* 17. Covarr. *in dict. cap. Requififti, num.* 11. Mafcard. *concluf.* 968. *à num.* 1. Surdus *de alim. lib.* 1. *cap.* 1. *& tit.* 5. *quaft.* 6. *num.* 9. Menochius *dict. praf.* 115. *per tot.* Cevallos *qu.* 599.

62 Huic enim confequens eft alia difficultas, an quando aliquid legatur Canonicis, illi, an vero Ecclefiæ relictum videatur? Prima fententia afferit, Ecclefiæ deberi, *ex l. Annua* 20. §. *A Titia, ff. de ann. legat.* ubi relictum libertis Ecclefiæ, ipfi templo legatum cenfentur: quod idem dicendum in legato facto Canonicis, prout ibidem deducit Gothofr. *lit. G.* Sed textus ille affumptum non probat, quia ibi legatum intelligitur factum templo, non autem libertis, quatenus teftatrix minifterium libertorum templo faciendum profpexit, & ita illi factum legatum videtur, ut rectè confiderat Scævola.

63 Cæterùm adducitur textus *in leg. Civibus* 2. *de rebus dubiis,* ubi civibus relictum, civitati relictum afferitur: fed nec textus ifte aliquid probat, quia per cives repræfentatur congregatio civium, quæ eft ipfa civitas; unde nihil mirum, fi legatum civitati factum cenfeatur: tenent hanc fententiam Bart. *in dict. l.* 2. *ff. de rebus dubiis,* Perufius *de quarta, cap.* 4. *verfic. Tertio fimpliciter.* Barbatia *vol.* 4. *conf.* 11. *col.* 6. & alii fequuti à Genuenfi *in praxi, tricen.* 14. *quaft.* 399. *num.* 1. Franc. Steph. *decif.* 29. *num.* 4.

64 Secunda fententia tenet contrarium, *ex l. Pater filium* 38. §. *Fideicommiffis* 6. *ff. de legat.* 3. ubi relictum Collegio Templi, non Templo, fed Collegio relictum videtur: quod dicendum de legato relicto Canonici, ut ipfis debeatur, non verò Ecclefiæ. Ratione probatur, nam aliud eft Ecclefia, aliud Canonicorum Capitulum, *cap. Per exceptionem* ... *de privilegiis in* 6 quapropter quod legatur Canonicis, eorum Capitulo legatum cenfetur, non verò Ecclefiæ. Covarr. *in d. cap. Requififti, num.* 18. Mantica *dict. lib.* 8. *tit.* 6. *n.* 22. Gutierrez *pract. lib.* 1. *quaft.* 20. *in princip.* Bonac. *de contract. difp.* 3. *quaft.* 17. *punct.* 8. §. 4. *num.* 4. Vafquez *in opufcul. de teftament. cap* 8. §. 5. *dub.* 2. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 12. *num.* 7. Gratianus *difcept. tom.* 3. *cap.* 533. *num.* 5. Menochius *lib.* 4. *præfumpt.* 112. *num.* 6.

65 In hoc dubio maximè confideratione procedendum, femper profpiciendo quando contemplatione Canonicorum relinquatur, aut Ecclefiæ; fi enim alicui Canonico in particulari legatum relinquatur, contemplatione perfonæ factum præfumitur, nec ad Ecclefiam pertinebit. Mantica *dict. tit.* 6. *num.* 22. Menochius *d. præfumpt.* 112. *nu.* 3. Quod idem dicendum quando Canonicis relinqueretur, propriis nominibus expreffis; nam perfonarum contemplatione relictum cenfebitur. Menochius *ubi proximè, num.* 4.

66 Contrarium dicendum quando conjectaretur, contemplatione Ecclefiæ factum fuiffe legatum, veluti fi legaffet Calicem, aut Ornamenta Sacra Canonicis, tum ad Ecclefiam pertinebit, quia ex qualitate materiæ, Ecclefiæ contemplatione legaffe teftatorem fatis cognofcitur. Mantica *dict. tit.* 6. *num.* 19. *verfic. Cæterum,* Mafcardus *conclus.* 968. *num.* 11.

67 Si tamen dubium fit, ita ut minimè difcernatur, an contemplatione Ecclefiæ, aut Canonicorum legatum relictum fuerit, tunc Capitulo Canonicorum relictum videtur, uti probat textus *in dict. cap. Requififti* 15. *ad fin. de teftament.* Verbum enim *Canonicis,* indefinitè prolatum, Capitulum, & Collegium eorum defignat, *cap. Cùm omnes* 6. *cap. Cùm acceffiffent* 8. *de Conft.* Ergo ad illud pertinebit legatum. Denique Canonici non repræfentant Ecclefiam, fed funt pars illius: itaque fi legatum illis relinquatur, non Ecclefiæ, fed illius ut particularibus debetur, Thoro *in Summa, privileg.* 176. Barbofa *de Canonicis, cap.* 42. *num.* 16. *verf. Cùm fit mentio.*

68 Unde neceffariò eft difquirenda alia quæftio, an tunc legatum relictum Canonicis, id fit ut fingulis, vel pro univerfo Capitulo, feu Collegio? Hæc enim difquifitio eft valdè utilis, tam ratione diftributionis, quàm numeri. Ratione enim diftributionis, fi legatur univerfis, diftributio nō fit æqualiter, fed infpecta majori dignitate, antiquitate, aut alia caufa, unde major diftributio percipiatur. Ratione numeri eft alia contemplanda diftinctio, quia fi legatur ut fingulis, tantùm illis Canonicis debetur, qui erant tempore teftamenti, non verò poftea renovatis: fi verò ut univerfo Capitulo, etiam aliis debetur, cùm femper fit eadem communitas. Covarr. *in dict. cap. Requififti, num. fin.* Menochius *dict. præf.* 112. *num.* 11. Trullench *d. dub.* 12. *num.* 7.

69 Hoc ergo fuppofito, prima fententia afferit, legatum relictum Canonicis, ut fingulis factum cenfert: adducit ad id Concilium Ferreti 10. afferentis legatum factum Fratribus alicujus Monafterii, factum videri ut fingulis, non autem Monafterio. Sed hæc doctrina nullius eft ponderis; Fratribus enim proprium habere non valentibus, nequit ut fingulis legatum relinqui, fed totum ad Monafterium pertinebit. Mafcardus *d. concl.* 968. *nu.* 25. Gratianus *dict. cap.* 533. *num.* 15. *ad fin.* Cæterùm ratione probatur; nam quando legatur Canonicis, contemplatione perfonarum relictum videtur: Ergo ut fingulis relictum intelligendum erit. Felinus *in cap. Auditis* 15. *de præfumpt. num.* 24. Barbatia *in cap. Requififti, de teftament. col.* 40. Burgafius *in cap. Cùm omnes* 6. *de conft. num.* 325. Socinus *in l.* 2. *de rebus dub. num.* 13. Menochius *d. præfumpt.* 112. *num.* 11. *ad fin.*

70 Secunda fententia tenet contrarium, *ex l. Pater filium* 38. §. 6. *de legat.* 3. ubi clarè oftenditur, legatum hoc ad Collegium dirigi, prout eft communitas, itaque non ut fingulis factum confiderandum; nam ut benè confiderat Rubeus *practicar. cap.* 70. *n.* 159. contemplanda eft mens teftatoris, ad quid dirigatur: quare cùm in præfentiarum dirigatur in Collegium, & Capitulum Canonicorum, non ut fingulis factum eft confiderandum. Covarr. *in dict. cap. Requififti, num. fin.* Genuenfis *in praxi Neapolit. cap.* 72. *num.* 7. *ad fin.* Gratianus *d. cap.* 533. *num.* 16. Thoro *d. privileg.* 176. *ad med.* Cevallos *comm. quaft.* 278. *ad med.*

71 Hæ verò fententiæ facilè conciliantur; prima enim intelligenda eft quoties aliquæ adeffent conjecturæ probantes, voluiffe teftatorem Canonicis ut fingulis legare, veluti fi Canonici fuiffent benemeriti illius, quia teftatorem à gravi malo liberarunt, aut aliter benefactores fuiffent: quo quidem cafu, ut fingulis legatum cenfetur, ut intelligunt Genuenfis *in praxi, quaft.* 399. *num.* 2. *ad finem,* Mantica *dict. tit.* 6. *num.* 24. Gratianus *dict. cap.* 533. *num.* 19. Secus verò fi nulla adfit conjectura; tunc enim fequenda fecunda fententia, quam dicit veriorem Vafquez *dict.* §. 5. *dub.* 2. *num.* 100. Barbofa *de Canonicis, cap.* 42. *num.* 19. Valenzuela *conf.* 190. *num.* 39.

CAPUT II.

De relictis Monasteriis, & Monachis.

SVMMARIVM.

Legare Monasteriis pium, etiam pro construendis, etiamsi locus non sit designatus: vel si testator designaverit, & nequit ibidem Monasterium ædificari, sustinetur legatum, num. 1.

Quando legatum relinquitur Monasterio ad onus Missarum, quod ex regula, aut constitutionibus nequit acceptare, an sit caducum? Ponitur ratio dubitandi, & explicatur lex 58. ff. de condict. indeb. *num.* 2. *&* 3.

*Sed contrarium tenendum, num.*4.

An legatum relinqui possit Monasterio ea conditione, ut Monialem recipiat. Prima sententia negat, num. 5. *Secunda admittit, si Monasterium sit pauper, num.*6. *Tertia affirmat, num.* 7. *Resolvitur, à num.* 8. *ubi latè disceptatur, an sit simonia aliquid recipere pro ingressu Religionis, à num.*8. *ad* 17.

An quando Religiosus ante professionem legatum reliquerit Monasterio, ut illo contentus, amplius non petat, si post professionem mater decedat, possit legitimam petere, discutitur, & respondetur affirmativè, num. 18. *& sequen.*

*An quando Religiosus transit ad aliam Religionem, secum ferat bona tradita primæ Religioni? Distinguitur; & si post professionem transierit, aliqui negant, à num.*22. *&* 23. *Alteri affirmant, n.* 24. *Resolvitur, à num.* 25. *Sed primum Monasterium tenetur Religioso præstare alimenta, num.*27.

Quidquid acquirit Religiosus post professionem in alia Religione, illi acquirit, num. 28. *Expulsus non repetit bona Monasterio tradita, ast potest necessaria sibi acquirere, num.*29.

Si hæres legatum indebitè solvat, legatum Ecclesiæ, seu Monasterio non repetit, num. 30. *Sed explicatur, & distinguitur à num.*31.

An quando pater ignorabat habere filium, legatum factum Monasterio, aut Ecclesiæ, valeat, num. 36. *Prima sententia negat, num.* 37. *Secunda affirmat, num.* 38. *Tertia distinguit, num.* 39. *Resolvitur, & distinguitur, à num.*40.

*Solutio legati facti Monasterio, seu Ecclesiæ, ex bonis ibi existentibus facienda est, num.*43.

1 MOnasteriis legare, ac alia relinquere, quàm plissimum sit opus; pro comperto habetur, & non solùm legare constructo, verùm etiam pro construendo: quod si simpliciter relinquatur, non designato loco, ubi debeat ædificari, sustinetur legatum, nec quidem censetur incertum, quia arbitrio Episcopi relictum est ubinam sit construendum, aut si exequutores designaverit, eorum placito designandus est locus Abbas *in cap. Nos quidem* 3. *de testam. n.*2. Bart. *in l. Servus, ff. de aliment. legat. n.* 4. Rubeus *pract. c.* 84. *à n.* 151. Quod idem dicendum quando testator Monasterium construendum certo loco designaverit, ubi ædificari nequit; tunc enim validum remanet legatum, & arbitrio Episcopi, & hæredum in alio construitur loco, *ex l. Legatum* 16. *ff. de usufruct. legat.* Covarr. *in d. cap. Quia nos, de testam. nu.*3. Moneta *de commut. ult. volunt. cap.* 3. *num.* 78. Tondutus *tom.*1. *cap.*83. *à num.*5.

2 Quid verò dicendum, quando legatum relinquitur Monasterio ad onus Missarum, quod ex Regula, aut Constitutionibus nequit ab eo teneri, ut asseritur de Carmelitis Discalceatis, quæritur an caducum fiat, necne? Et caducum fieri videtur ex decisione textus *in l. Manumisso* 58. *ff. de condict. indebiti*, ubi quando testator apponit conditionem impossibilem, quam possibilem existimabat, fideicommissum sub illa relictum non valet, veluti quando apponeret conditionem servo, ut libertatem ex testamento consequeretur, cùm tamen jam manumissus fuerit, aut originem repetiisset. Quod idem est dicendum, si legatum relinqueretur Monasterio ad onus Missarum, quod licèt possibile existimaretur à testatore, impossibile erat respectu Regulæ, aut Constitutionum.

3 Sed textus ille, quia non loquitur in causa pia, ad rem non est; solùm enim ibidem fideicommissum redditur caducum, nam erat relictum sub illa conditione, si ex testamento manumitteretur servus: verùm si originem repetierit, tunc si aliquid susceperit, ad restitutionem compellitur, *l.* 1. *C. de ingen. manum. l. fin. in princip. C. qui ad lib. proclam.* nam est quædam ingratitudo libertatem per originem repetere, quando testator illam apposuit conditionem, ut ex testamẽto manumitteretur, uti scripsit Sarmiẽto *Select. l.*2. *c.*1. *n.*27.

4 Quare contrarium est tenendum, ut minimè legatum caducum fiat, quin potiùs ad Monasterium pertinebit, ut in aliud opus pium convertatur: idque ex illa communi doctrina, quod quando legatum pium nequit exequi, arbitrio superioris valet ad aliud pium converti magis conforme voluntati testatoris. Cæterùm, nam quando in legatis piis ponitur conditio de jure impossibilis, vitiatur conditio, & remanet validum legatum, *l. Cum ita datur, ff. de condit. & demonstrat.* Rom. *in l. Impossibiles, de verb. oblig. nu.*14. Itaque cùm onus illud sit impossibile de jure in his Monasteriis, validum remanet, sed est convertendum in aliud opus pium. Tiraquellus *privileg.* 75. Joan. Andr. Georgius *allegat.* 31. *num.*31. Lara *de Anniverſ. lib.*1. *cap.*14. *num.*23. Tondutus *tom.* 2. *quæst. Benefic.* 3 *p. cap.* 175. *per tot.* Pasqualig. *de Sacrif. Miss. qu.*1079. *num.* 5.

5 Cæterùm disquirendum, an legatum relinqui possit Monasterio ea conditione, aut monialem recipiat, aut quotannis unam, aut duas moniales: qua in difficultate tres sunt sententiæ. Prima asserit id minimè fieri posse, quia tale legatum est simoniacum, cùm detur temporale pro spirituali ingressu monialis, *cap. Non satis* 8. *de simon.* tum quia est pactum, & conventio rei temporalis pro spirituali, quod est simoniacum, *cap. fin. de pact.* Sanch. *de matrim. lib.* 1. *disp.* 39. *à num.* 1. Ergo minimè est sustinendum tale legatum. Bart. *in l. Titio centum, §. Titio centum* 1. *ff. de condit. & demonstrat. num. unic.* Campegius *de dot.* 1. *p. q.* 42. Crassus *de success. §. legatum, qu.*55. *in fin.*

6 Secunda sententia inquit, haud esse admittendam, verùm temperandam, quando Monasterium pauper sit, quia tunc legatum illud non suscipitur pro ingressu monialis, sed pro alimentis illius, quæ sunt pretio æstimabilia. Baldus *in l. fin. C. de sponsalibus.* Beroius *lib.* 7. *cons.* 28. *num.* 9. Gregorius *in l.*12. *tit.*7. *p.*1. *verbo Porque.* Bertrandus *lib.*3. *cons.* 135. *n.*6. Leoncillus 2. *par. privileg.* 272. *n.*3.

7 Tertia sententia dicit validum esse legatum, & conditionem illam, utpote licitam, adimplendam esse; quia si Monasterium pauper est, rectè pro alimentis conceditur; si pro dives, non pro ingressu accipitur, sed pro onere suscipiendi, & alendi monialem: tum etiam, quia licèt locuples sit Monasterium, plurimas habet expensas, nempe monialium alimenta, divinum cultum, Monasterii reparationem, Syndicorum, & Capellaniarum salaria; unde ad tantas impensas ditiora Monasteria sufficientiam non habent, quapropter pro his rectè legatum percipiet. Benedictus *in cap. Raynutius, de testament. verb. Cuidam Petro, nu.*13. Surdus *vol.*2. *cons.*295. *n.*2. Galganetus *de condit. & demonstrat.* 2. *par. cap.* 5. *q.*9. *à n.*1. Guttierr. *can. lib.*1. *cap.*32. *n.*61. Cevallos *com. qu.* 439. Gratianus *discept. for. cap.* 254. *num.*29. Cyriacus *tom.* 3. *controv.* 504. *à num.*16.

8 Hæc difficultas dependet ab alia, an sit simonia aliquid recipere pro ingressu Religionis? Qua in re illud est certum, quod si aliquid temporale detur pro ipso ingressu præcisè, simoniam committi, cùm detur temporale pro spirituali, *cap. Non satis* 8. *cap. de Regularibus* 25. *de Simon.* Cenedo *ad Decret. collect.*16. *n.*1. Bollo *in Oeconom. Can. class.* 3. *c.*4. *§.*14. Fuscus *de visit. lib.*2. *cap.*18. *nu.* 23. Rodrig. *quæst. Reg. tom.*2. *q.*48. *art.* 1. Si tamen pro ipso ingressu non detur, sed pro alimentis, rectè à simonia excusatur, cùm temporale detur pro re habente expensas temporales, & in effectu non datur pro spirituali. S. Thom. 2. 2. *qu.*100. *art.*3. *ad* 4. Azorius *Instit. Mor.* 2. *p. lib.*12. *cap.*16. *q.*1. Surdus *de alim. tit.*9. *q.*27. *num.*2. Merlinus *de legitima, tit.*1. *lib.*2. *quæst.*14. *num.* 6. Barbosa *in dict. cap. Non satis, num.* 2. *ad fin.*

9 Unde colligunt DD. quod si Monasterium pauper sit, rectè recipiet dotem, seu legatum pro onere sustentationis monialis, non pro ingressu, & ad id posse apponi quaslibet conditiones. Navarr. *cons.* 86. *de simon.* Lara *de Anniverſ. lib.*1. *cap.*21. *nu.*91. Suarez *de Relig. tom.*1. *lib.*4. *cap.*17. *num.* 11. Villalobos *in Summa*, 2. *part. tract.* 37. *diff.*13. *num.*4.

10 Erit ergo disceptatio, quando locuples Monasterium fuerit? Et aliqui acriter tenent, tunc nec legatum, nec aliquam dotem recipi posse; nam per professionem monialis habet jus spirituale se alendi de bonis Monasterii, quare si aliquod temporale perciperet pro illo jure, non quomodolibet simonia cõmitteretur, sed de jure divino, ut ratiocinatur Suar. *d.*

*cap.*17.*n.*10. Cæterùm et it simonia saltem de jure positivo, ut decisum est *in Extravag.* 1. *vers. Nec tamen, de simon.* Trident. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 16. Præterea ratione probatur, nam quando Monasterium dives est, & habet omnia necessaria, etiam ad monialium alimenta, nullus restat titulus suscipiendi dotem, aut legatum, nisi pro ingressu: ergo erit simonia, nec licitè recipietur. Sylvester *de simon. q.* 5. Toletus *in Summa, lib.* 5. *cap.* 89. Lessius *de justit. lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 12. *n.*68. Laymao *in Summa, lib.*4. *tr.* 10. *cap. ult.* §. 4. *nu.* 39. Renatus à Valle *de Religioso negotiatore*, §. 9. *n.* 140.

11 Alii verò contrarium tenent, nam etiamsi Monasteria locupletiora sint, multis indigent; & quantò magis sunt ditiora, majori splendore expensarum sustentantur: quapropter rectè poterunt petere dotem, seu legatum titulo illarum expensarum. Cæterùm quando aliquid datur pro sustentatione, nihil datur pro re spirituali, sed pro ipsa sustentatione, quæ corporalis est: ergo nequit aliqua committi simonia, verùm licitè fit legatum, & dos pro moniali recipienda. Villalobos *d. diff.* 13. *n.* 5. Hieronym. Rodriquez *in compend. qu. Regul. resol.* 54. *n.* 3. Diana 8. *p. tract.* 7. *resol.* 29.

12 Nec defuere alteri asserentes hanc non esse propriè, & verè simoniam, sed præsumptam, ex eo quod detur occasione ingressus Monasterii, quod spirituale est: & ad id adducunt textum *in cap. Quoniam* 40. *de sim. cap. Veniens* 18. *eod. tit.* & alia jura, quæ congessit Palao *oper. mor. tom.* 3. *tract.* 17. *disp.* 2. *punct.* 9. *n.* 6. itaque ratione illius præsumptæ simoniæ in receptione monialium, nequit nec legatum, nec dos percipi. Sotus *lib.* 9. *de justit. q.* 62. *art.* 2. Ledesma *in Summ.* 2. *tom. tract.* 12. *concl.* 18.

13 In hac difficultate assero, ex juribus citatis pro omnibus istis sententiis minimè ad rem aliquid probari, quod certum sit; nam tantùm probant, pro ingressu Religionis nihil esse recipiendum, si detur pro ingressu; non verò id prohibent, si pro sustentatione daretur: tum & alia recipiunt plurima interpretamenta, ut videre est apud Suarez *de legibus, lib.* 4. *c.* 17. Palao *dict. punct.* 9. *à num.* 3. Cevallos *q.* 435. *à n.* 5. D. Gonzalez *in cap. Veniens* 18. *de simonia, num.* 6. Barbosa *in cap. Quoniam* 40. *de sim. num.* 4.

14 Secundò dico, aliquid dare pro ingressu Religionis, semper esse simoniam de jure divino, quapropter Pontifices id summè execrantur, *cap. Audivimus* 41. *de simon.* quamvis aliquoties sub variis prætextibus peteretur, ut *in d. cap. Quoniam* 40. *eod. tit.* Sed tamen cùm revera prætextus illi non fuissent sufficientes, verùm pro ingressu reciperetur, variis pœnis delinquentes coercebantur, ut videre est in allegatis juribus: erit ergo totum dubium, quando immediatè daretur pro sustentatione, & Monasterium sit locuples.

15 Qua in re animadverto, duobus modis istud esse considerandum, nempe quando Monasterium est locuples, & dives, habetque sufficientem numerum mobilium, & alia supernumeraria suscipitur; tunc enim credo rectè pro sustentatione legatum, aut dotem peti posse, & percipi: ratio est, nam licèt Monasterium sit dives, onera tamen majora suscipit sustentanda, & ad id Monasterium obligatur: tum quia si illud non receperit, valet minui integra sustentatio monialium, quibus titulis rectè Monasterium dotem, seu legatum percipit. Palao *d. punct.* 9. *n.* 4. *vers. Respondeo.*

16 Aliter considerari valet dives Monasterium, quando habet certum numerum monialium, nec valet alias extra illum recipere, sed mortua una, alia subrogatur; nec enim suscipit majora onera, nec minui valet sustentatio aliarum, quia ut supponimus, dives est Monasterium: quo quidem casu videtur titulo sustentationis nihil percipere valere, sive sit legatum, aut dos. Verùm existimo adhuc recipere posse, si præcisè detur pro sustentatione; nam sustentatio præcisas habet expensas, quæ sunt temporales: Ergo quidquid pro eis detur, non erit simonia, nec aliquid illicitum continebit: idque consuetudine Ecclesiæ confirmatur, quæ permittit, ut in omnibus Monasteriis monialium dotes dentur pro alimento Religiosæ: quod minimè permitteret, si aliqua simonia, aut res illicita involveretur, ut benè considerat Palao *d. punct.* 9. *n.* 4. Denique id maximè conveniens est his, & similibus Monasteriis monialium, in quibus regimen bonorum committitur vario mulierum judicio claustro conclusarum, quod necessariò per œconomos fit magno Monasterii præjudicio: quare tam facilè quotidie vidimus similia Monasteria depauperari, & quamvis tantas dotes percipiant, opes non crescunt, sed decrescunt: quare ut se indemne Monasterium servet, etiamsi locuples sit, & numerum certum habeat monialium, rectè dotes, aut legata percipiet, idque in praxi observari Layman *d. cap. ult.* §. 4. *n.* 39. Lara *d. lib.* 1. *cap.* 21. *n.* 91. scripserunt.

Unde cognoscitur legatum rectè Monasterio relinqui ea conditione, ut unam, aut duas moniales recipiat: verùm ut controversia opinionum evitetur, monet Sanchez *in Decal. lib.* 7. *c.* 26. *à nu.* 4. ut semper testator dicat, legatum relinquere pro alimentis illarum monialium, quod in nostra sententia sufficiens est cautela. 17

Rursus est disquirendum, an quando Monachus ante professionem legatum reliquerit Monasterio, ut illo contentum, de suis bonis ampliùs non petat, si post professionem mater sua moriatur, legitima filii professi pertineat ad ipsum Monasterium. 18

Et asserendum videtur, ad illud minimè pertinere; nam legatum illud fuit factum animo compensandi cum omnibus bonis Novitii, ita ut illo legato Monasterium contentum amplius non peteret. Marta *de clausulis*, 1. *par. cap.* 330. Ergo nequit hæreditatem maternam petere: & confirmatur, nam bona matris, quatenus in eis filius habet necessariam successionem, radicata in illo censentur: quapropter si vivo patre, aut matre Monachus moriatur, adhuc hæreditas ad Monasterium pertinet. Joan. Faber *in l. fin. C. de Sacrosanct. Ecclesiis, num. ult.* Benedictus *in cap. Raynutius, de testam. verb. Mortuo, el.* 2. *num.* 103. & alii relati à Speculatore *tit. de stat. Monach.* §. *unic. q.* 10. *nu.* 4. Itaque cùm hæc bona jam fuerint in Novitio radicata, quando legatum fecit, nequit Monasterium hæreditatem matris petere, quia compensata videtur cum legato. 19

Sed contrarium tenendum cum Tonduto *tom.* 2. *quæst. Benefic. cap.* 197. *nu.* 9. quia legatum illud nequit compensari cum bonis matris, quia non erant in dominio Novitii quando legatum fecit: itaque si legatum fiat debitori, nequit compensari cum debito, quod sub conditione, aut in idem debetur. Menochius *lib.* 4. *præsumpt.* 109. *n.* 57. nec renunciatio intelligitur, nisi de bonis de præsenti habitis, non verò de his, quæ in futurum, aut in diem habenda sunt. Peregrinus *de fideicommiss. art.* 52. *n.* 10. Gratianus *March. decis.* 3. *num.* 9. Cyriacus *controvers.* 292. *num.* 8. Cancerius *variar.* 3. *part. cap.* 15. *à num.* 132. Ergo Monasterium matris hæreditatem suscipiet, non obstante legato, quo fuit contentus de bonis Novitii. 20

Nec contra Tondutum est fundamentum contrarium, quia bona matris, aut patris viventis non erant radicata in Novitio, sed tantùm spes succedendi: nec doctrina confirmationis est admittenda; nam si Monachus moriatur parentibus viventibus, hæreditas illorum ad Monasterium non pertinet, cùm in illo tantùm remaneret spes. Baldus *in Auth. rogati, C. ad Trebell. n.* 5. Decius *in cap. In præsentia, de probat. n.* 290. Parlador. *diff.* 147. §. 1. *n.* 17. Sanchez *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 7. unde firma relinquitur sententia Tonduti. 21

Quando enim Religiosus sua bona Monasterio tradiderit, acquisieritque, & postea ad aliam Religionem strictiorem transierit, *ex cap. Licet* 18. *de Regul.* Araujo *de stat. tom.* 1. *q.* 7. *nu.* 12. quæritur an hæc bona ad secundum Monasterium transeant? Et ut res clara fiat, quæ à nonnullis Doctoribus involvitur, præmitto id accidere posse duobus modis, nempe ante professionem, & post professionem. Ante professionem quidem, si Novitius bona sua concesserit Monasterio, & postea ad aliam Religionem transierit, secum fert bona illa, quia est quasi donatio causa mortis, quæ morte non sequuta, non sustinetur. Itaque si in Religione illa non profitetur, sed in alia, non committitur donatio, & ad aliã transibunt bona. Azorius *Instit. Moral.* 1. *p. l.* 12. *c.* 15. *q.* 3. 22

Secundo etiam modo id accidere valet post professionem, & in hoc casu duæ sunt sententiæ. Prima asserit, bona acquisita à primo Monasterio, minimè cum Religioso transire ad aliud Monasterium; nam revera rectè sunt acquisita à primo, nec voluntas Religiosi se transferendi ad strictiorem vitam, est causa, ut secum ferat bona jam à primo Monasterio rectè acquisita. Cæterùm Religiosus, & Monasterium secundum sibi imputent, cùm voluntariè ipse se transferat, & Monasterium susceperit. Fatetur tamen hæc sententia, secundum Monasterium acquisiturum bona, quæ Religiosus post secundam professionem acquisierit. Socinus *vol.* 4. *cons.* 52. Navarr. *in comment.* 4. *de regul. n.* 24. *vers. Undecimo*, Covarr. *in cap.* 1. *de testam. num.* 20. *vers. Hactenus*, Azorius *d. cap.* 15. *q.* 3. *vers. Mihi prima opinio*, Capyc. Latro *tom.* 2. *decis.* 193. Fontanella *tom.* 2. *dec.* 227. 23

Secunda opinio tenet contrarium, nempe cum illo hæc 24

bona

bona transire: & ratio est, nam prima donatio fuit facta, ea nempe tacita conditione, rebus sic extantibus: quæ cùm non extent, mutatio fit primæ acquisitionis, & bona transeunt cum Religioso ad aliam Religionem. Et probatur etiã ex defectu causæ finalis, quæ fuit illi Monasterio bona concedere, ob quod in illo erat permansurus, ut onera illius portaret. Cùm ergo jam ad aliam Religionem transeat, simul bona ad eadem onera sufferenda cum eo transibunt. Sic tenent plures Canonistæ recensiti ab Azorio *d.qu.3.* & à Covarr. *d.n.20.* Immola *in cap. Quod à te, de Clericis conjugat. n.3.* Sanfelicius *dec.322. n.8.* Staiban. *cent. 2. resol. 125. per tot.* & distinguit *resol.126.* Capponi *tom.1. discept.64.nu.23.*

25 In hoc dubio dicendum, quod si Religiosus ad aliam transierit Religionem absque licentia, & justa causa, aut contra juris dispositionem, minimè bona ad aliam Religionem transire; quia cùm non sit valida professio secunda, nequeunt bona ad aliam Religionem transire, sed permaneor in primo Monasterio, ut benè notant Azorius, & Navarrus recensiti. Si verò propter crimen in arctiorem Religionem detrudatur, proprietas remanet in primo Monasterio, verùm ex fructibus danda ei sunt necessaria, *c. de lapsis 26. q. 6.* ubi Gloss. Navarr. *in d. vers. 11.* & Azorius *d.q.3. ad medium*.

26 Quando verò ex justa causa, & recto animo, & cum omnibus circumstantiis juris ad aliam Religionem transit, quidquid praxis in contrarium receperit aliquando, de qua Azor. *d. q. 3. versic.* mihi *Prima sententia*, dico proprietatem remanere debere penes primum Monasterium, idque ex decisione textus *in cap. Statutum 1. 18. q. 1.* ubi asseritur, quod si Monachus creatus fuerit Episcopus, quidquid antea acquisierit, ad Monasterium pertinebit, & quod postea acquiret, ad Ecclesiam in qua præficitur, transibit: unde constat bona acquisita à primo Monasterio non sequi personam, sed illius permanere, ubi priùs fuerunt acquisita: & ratio est, nam bona ista legitimè alienata, & ab alio acquisita, nequeunt recuperari, ut multis comprobat, & in casu tenet Sylvester *verb. Religio 4. qu. 10. per tot.* Rosella *ad verb.4.n.11.* Cæterùm est textus de Jure Civili id probans *in Auth. de Monachis, §. Si vero, coll. 1.* ibi: *Si verò relinquens Monasterium, in quo conversationem habuerit, ad aliud transeat, etiamsi quidem ejus substantia maneat, & vindicetur à priori Monasterio, ubi abrenuntians hanc reliquit*. Tenent hanc sententiam Sylvester, & Rosella allegati. Germonius *de Sacros. Ecclesiæ ministeriis, l.3.cap.4.nu. 37.* Spino *de testam gloss.12. princip. n. 23. & 24.* Tapia *in Auth. Ingressi, C. de Sacros. Ecclesiis, verbo Sua, cap.6.n.7.* Ranchinus *part.1. decis. 160.* Reinoso *pract. observat. 12. ex num. 11.* Sanchez *Decalog: lib.7. cap.32. à num.8.*

27 Quoad verò usumfructum, isti DD. apertè dicunt etiam ad prius Monasterium pertinere, quod negant aliqui apud Sanchez *d.cap.32. n.7.* & alii apud Capponi *tom. 4. discept. 178.n.18.* Ast credo utrumque ad prius Monasterium pertinere: verùm quamvis resistat Sanchez *d. n. 8.* admitto primum Monasterium secundo alimoniam Religiosi debere præstare; nam quando bona illa data sunt à Religioso, eo animo dedit sublevandi Monasterium ab onere illum alendi, & quasi cum ipsa conditione: quapropter cùm ad aliud transierit, & insimul onus illud, dicendum est deberi alii à primo Monasterio. Hieronymus Rodriquez *in compend. Reg. resol.123. n.82.* Suarez *de Religione, tom.4. lib.3. cap.14.* Diana *3.par. tract.2. resolut.114.* qui id admittit præsertim si secundùm Monasterium sit inops. Menoch. *vol. 8. cons. 293. n.12.* Tondutus *tom.1. cap.63. à num.14.*

28 Denique in re citra dubium admittendum, quod quidquid acquirat Religiosus post professionem secundam, secundo Monasterio acquirit, sive sit hæreditas, sive legatum sub conditione relictum, quæ post professionem adimpletur. Diana *d. resolut. 114. in fin.* non verò quod acquisierit antea, etiam in Novitiatu secundæ Religionis, quia id ad primum pertinet. Sanchez *d. cap.32. num.9.*

29 Expulsi verò quia incorrigibiles, sua bona, quæ Religioni tradiderunt, secum non portant, cùm adhuc voto paupertatis adstringantur: possunt verò ad sui necessaria comparare. Navarrus *comment. 2. de Regularibus, num.35.* Azorius *d.1.p. lib.12. cap.16. q.4.* Rota apud Rubeum *lib. 1. decis.109. num.4. & 5.*

30 Præterea si legatum indebitè solvatur Monasterio, seu Ecclesiæ, non repetitur *ex §. fin. Institut. de obligat. quæ ex quasi contract. Auth. de non alienand. §. Nos igitur, coll.2.* estque ad id textus *in l. Cùm quis 32. §. Si in ea opinione, ff. de condict. indebit.* ubi mulier credens se esse obligatam, non repetit quidquid dotis nomine dederit, *leg.35. tit.15. par. 5.* nam licèt per errorem dederit, adhuc durat causa pietatis. Tiraquellus *de causis piis, privileg. 125.* Piiens *q. 6. n.4.* Genuensis *in praxi, tricen. 17. q.482.* Petrus Gregorius *syntag. lib.21. ca.15. n.1.* Marta *vot.111. n.6.* Barbosa *de univers. jur. lib.3. cap.27. n.89.* Muta *decis. Sicil. 28. n.10. & 11.*

31 Hæc verò propositio non ab omnibus pariformiter recipitur; aliqui enim tantùm eam suscipiunt, quando legatum Monasterio, aut Ecclesiæ deberetur jure naturæ, licèt non jure civili; nam tunc solutum non repetitur, *leg. 2. l. Si veritas, C. de fideic. leg. fin. ff. de rebus eorum*. Sic censent nonnulli Doctorum, ut refert Marta *de jurisdict. 4. p. cent.2. casu 170. n.3.* Menchaca *de success. creat. lib.3. §.21. num.6.*

32 Hoc verò certum est, non solùm quando solutio fit causæ piæ, verùm etiam si fiat profanæ. Quare alteri dicunt, intelligendam illam propositionem, quando quis hæres existimaretur, & revera non fuisset, & legatum relictum Monasterio, aut Ecclesiæ solveret; tunc enim nequit repetere, quia licèt per errorem solveret, cùm revera accipit Monasterium, seu Ecclesia quod sibi debetur, favore causæ piæ ab ea non repetitur, sed solvens condicit à vero hærede, ut explicat Pichardus *in d.§.fin. Instit. de obligat. quæ ex quasi contract. num.8.*

33 Si verò Monasterium, seu Ecclesia acceperit quod nec jure naturali, nec civili debetur, semper ab ea, seu ab eo repetitur; tunc enim nullus datur recursus solventi, & in damno remanet, quare non est ratio, ut non repetat, & Ecclesia, quæ est cultrix justitiæ, prætextu Religionis nullum suis bonis exspoliat. Pichard. *d.§.fin. n.9.* Sed contrarium tenent Gloss. *in l. Eum qui, C. de jur. & fact. ign.* Gomez *in §. de maleficiis, Instit. de act. n. 36.* Marta *d. casu 170. n.5.* Novarius *q. for. cent.2. q.59.* & illam rationem præstant, quia durat causa pietatis, ut *in d.§. Si in ea opinione*, scripsit Consultus, Mysingerus *in d. §. fin. Instit. de obligat. quæ ex quasi contract. num. fin.*

34 In re dico, quod si aliquis causa pietatis aliquid solverit Monasterio, seu Ecclesiæ indebitè, taliter ut si sciret illud non debere, non solvisset, tunc rectè in foro poli repetet: quod idem in foro fori admitto, si protestetur se animo illo solvere, si debet, secus aliàs; tunc enim liquet animus solventis, quia protestatio est illius declarativa, *l. Et si quis 14. §. Plerique, ff. de Relig. & sumpt. fun.* Iranzo *de potest. c.1. n.91.* & nequit Ecclesia retinere, verùm solvens repetet. Menochius *lib. 3. præsumpt. 31. num. 14.*

35 Si verò hunc animum repetendi non demonstraverit, in foro fori non repetet; nam jura ista denegantia repetitionem, quando causæ piæ indebitè solvitur, præsumunt ob bonum animæ, etiamsi sciret non debere, soluturum, idque eo animo fecisse. Et quamvis aliqui dicant favore Ecclesiæ, aut Monasterii existente, donationem non præsumi, ut cum Alciato advertit Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 88. n.7.* res tamen est incerta, quippe crebrior opinio contrarium tenet Genuensis *in praxi, tricenar.5. q.143.* Mantica *de tacit. lib.3. tit.9. n.34.* Vivianus *in praxi jurispatronat. lib.2. cap.5. n.58.* D. Olea *de cess. tit.1. qu.4. n.32.* quapropter in foro fori non repetet, ob hanc juris præsumptionem.

36 Quid verò si Monasterio, aut Ecclesiæ legatum fuerit relictum à Patre ignorante filium habere, vel quia existimabat mortuum, aut non sciebat posthumum habere; an subsistat, necne? Et ut hanc rem benè disquiramus, animadverto Justinianum *in Auth. ex causa, Cod. de lib. præterit.* decrevisse, quod quando pater filium habens in sua potestate, illum prætereierit, aut absque causa exhæredaverit, irritum esse testamentum quoad institutionem, & legata, seu fideicommissa valere: est verù dubium, an quando pater ignoraverit filium habere, sint valida legata? In quo aliqui affirmant, alteri verò negant. Parisius *lib.2. cons.60. num.13.* Leoncillus *de privileg. 2. part. privileg. 11. num.1.*

37 In negante sententia quærimus, an in hac specie validum remaneat legatum factum Monasterio, seu Ecclesiæ relictum? Prima sententia negat, nam cùm pater ignoraverit filium habere, illud reliquit, quod si agnovisset, minimè in præjudicium illius legasset: ergo nequit sustineri. Et confirmatur; nam cùm cesset præsuppositũ, cessat dispositum; *l. Mancipia, C. de servis fugit.* ubi Gloss. Ludovisius *decis. 208. n.2.* Rota apud Merlinum *decis. 589. nu. 6.* Cùm ergo pater supponeret non habere filium, cessante suppositione,

tione, cùm jam constet habuisse, inde est, ut debeat cessare legatum. Bart. *in l. Habere, C. de Sacrosanct. Ecclesiis, nu.* 59. Menochius *lib.4. præs.*189. *n.* 126. Tiraquell. *in l. Si unquam, C. de revocand. donat. verb. Liberis, num.* 81. Vivius *decis.*422. Cancer. *variar.* 1. *part. cap.*4. *num.* 49.

38 Secunda sententia tenet contrarium, nam verisimile est, quod legasset Monasterio, seu Ecclesiæ, etiamsi scisset filium habere; causa enim animæ potior est, quàm causa filiorum, *l. Sancitum* 17. *C. de Sacrosanct. Ecclesiis*: tum etiam, quia causa hujus legati non habuit originem in errore existimandi non habere filium, sed in prospicienda animæ salute: quapropter semper simile legatum sustinebitur, ut cum Angelo, & Immola tenet Tiraquellus *privileg.* 68. Cotta *in memorabilibus, verb. Anima*. Menochius *de præsumpt. lib.*4. *præs.* 32. *n.* 23. Riccius *collect.* 215. *vers. Quintum privilegium*. Pasqualig. *de Sacrif. Miss. qu.* 992. *num.*9.

39 Tertia sententia distinguit, quando legata relinquuntur pro malè ablatis: & tunc inquiunt valere, quia tunc potiùs restituitur, quàm datur: secus in aliis legatis piis, veluti si Ecclesiæ, aut Monasterio legaretur. Baldus *in leg.* 1. *Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis*, Aretinus *cons.* 92. Menchaca *de success. lib.* 1. §.8. *num.* 61. Genuensis *in praxi, tricen.* 17. *q.*483. Leoncill. *d. privil.* 111. *à num.*2.

40 In re animadverto, legatum pro malè ablatis non semper considerari tanquam restitutionem, sed tantùm quando aliunde probetur; tunc enim debitum est, & minuit filiorum legitimam. Rolandus *de lucr. dotal. quæst.*80. *num.* 7. Purpuratus *vol.* 2. *cons.* 461. Peregrinus *de fideicommiss. art.* 4. *sub n.* 14. Capponi *tom.* 3. *discept.* 186. *n.*24. & in hoc casu semper similia legata valebunt, etiamsi pater ignoraverit filium habere, quia sunt propriè debita. Alio enim modo, quando pro malè ablatis legatur Ecclesiæ, seu Monasterio, licèt magis favorabile sit, tamen ut causa pia existimatur, nec legitimam minuit. Gratianus *discept. forens. cap.* 329. *n.*14. Rubeus *pract. cap.* 21. *num.* 156. Ergo ut cætera legata pia in præsentiarum libet illud considerare.

41 Itaque dicendum, quod si pater ignoraverit habere filium, & aliqua pia legata fecerit in testamento, quæ legitimam illius non attingant, verùm integra remaneat, esse sustinenda; nam quando filius integram legitimam percipit, quoad alia bona tanquam extraneus consideratur. Ergo licèt pater sciverit, sive ignoraverit filium habere, semper illa legata sustinentur. Cæterùm præteritio illius non irritat nisi institutionem, §. 1. *Instit. de exhered. lib. l.* 10. *tit.* 7. *l.* 1. *tit.*8. *part.*6. *d. Auth. Ex causa*. Ergo non est unde hæc legata infirmentur. Quod majori ratione admittendum, si legata sint ad celebrandas Missas. Pasqual. *d. q.* 992. *num.* 7.

42 Temperarem tamen doctrinam istam, si legitima parva fuerit, ita ut filius in necessitate relinqueretur; tunc enim verisimile est, quod si pater scisset habere filium, & necessitate oppressum, legata illa etiam Monasterio, aut Ecclesiæ non reliquisset, prout quando legata fuissent magnæ quantitatis, tenet Menochius *dict. lib.*4. *præsumpt.* 32. *num.*24.

43 Prorsus si legatum relinquitur Monasterio, seu Ecclesiæ, ubi sunt aliqua bona testatoris, verùm major pars alibi, solutio facienda est ubi adest Monasterium, seu Ecclesia, ex decisione textus *in leg. Sed et si* 52. §. *Sed et si proponas* 2. *ff. de judiciis*, ubi ex qualitate personæ cognoscitur si nobilis sit, ubi facienda est solutio: itaque si clarissimis viris legatum, seu fideicommissum relictum fuerit Romæ, ubi aliqua sunt bona testatoris, licèt in Provincia sit major pars, ibi facienda est solutio. Quod idem dicendum quando Monasterio, aut Ecclesiæ legatum relinquitur; sunt enim personæ nobilissimæ, utpote Dei domus: quare ibidem solutionem facere oportet. Genuensis *in praxi, tricen.* 14. *q.*415.

CAPUT III.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

Monasterium potest hæres institui, aut ipsi Religiosi in communi, vel in particulari, num. 1.

An quando Religiosus heres instituitur, aut ei legatur sub conditione, ne Monasterio acquirat, sustineatur institutio, seu legatum: & triplex fit investigatio. Prima quando dicit testator, Acquiratur à Monacho, & non à Monasterio; *& tunc sustinetur eo modo, ut ibi explicatur, à num.* 2.

Secunda investigatio, quando testator dicat, Dominium non transeat ad Monasterium, sed remaneat penes Monachum; *& tunc dicunt aliqui non sustineri, num.* 5. *Sed contrarium defenditur, n.*6. *Sed explicatur, à num.*7.

Explicatur textus in cap. 6. in fin. de stat. Monach. *à n.* 9.

Tertia investigatio est, quando dicat testator, Bona pertineant ad Monachum, aliàs transeant ad extraneum; *& tunc aliqui dicunt hanc pœnam esse rejiciendam, num.* 14. *Sed explicatur, à num.*15.

*Monasterium, seu Religiosi possunt institui heredes, si sunt capaces bonorum, secus si non sint, ut Minoritæ, & Capuccini, n.*17. *Nec legitimas patrum possunt accipere, n.* 18. *nisi Novitii sint: nec fideicommissum universale, n.*19.

An quando Monasteria, vel Fratres ipsi instituuntur heredes, validum sit testamentum? Affirmant aliqui, num. 20. *Sed contrarium tenendum de jure communi: de jure verò Castellæ sustinetur tale testamentum, à num.* 21.

Sed an tunc heredes ab intestato, vel substitutus possint in conscientia hereditatem retinere? Negant aliqui, n. 24. *Affirmant alteri, n.* 25. *Verùm tertia sententia aliter tenet, num.*26. *Resolvitur, num.* 27.

An Minoritæ possint institui, ut hereditatem vendant, & ex pretio emant necessaria? Aliqui affirmant, num. 28. *Alii negant, num.*29.

Validè quis instituitur, ut vendat hereditatem, & pretium det Minoritis, aut id fiat per exequutores, num. 30.

Prima sententia improbabilis non est, & quomodo intelligenda, num. 31.

*An Ecclesia Minorum possint institui heredes? Affirmant aliqui, num.*33. *Alteri negant, num.*34. *Resolvitur, nu.*35.

Frater Minor nequit institui hæres, licet ad restituendam hereditatem, n. 36.

*An legata fieri possint Minoritis, aut Capuccinis, aliqui negant, n.*37. *Affirmant alteri, n.*38. *Resolvitur, n.*39. *&* 40.

Si legetur prædium Minoritis dummodo retineant, & colant, *an rejecto modo sustineatur legatum? Prima sententia affirmat, num.* 41. *Secunda negat, num.* 42. *Tertia distinguit, num.*43. *Resolvitur, num.*44.

*Quando Fratribus Minoritis absolutè immobile legatur, aliqui dicunt non valere, num.*45. *Sed contrarium defenditur, nu.*46. *Ponitur instantia, & resolvitur, num.* 47.

Sunt tamen aliqua legata in re ipsa sustinenda, ut si Minoritis legaretur domus ad habitandum, aut ad ibidem construendam Ecclesiam, vel si hortus legetur, aut domus contigua ad conventum ampliandum, num. 48.

Libri rectè eis legantur, gallinæ, porci, arietes, &c. num. 49.

*An Minoritæ possint habere annuos redditus, si legentur ad vendendum, non dubitatur, num.*50. *Si ut retineant, prima sententia negant, num.*51. *Secunda affirmant, n.* 52. *Tertia ad modicum tempus concedit, num.*53. *Quarta etiam istud negat, num.*55. *Resolvitur, num.*56. *& defenditur eleemosyna villarum, num.*57.

An annui redditus possint legari pro fabrica Monasterii, pro divino cultu, & ornamentis? Negarunt plures, & alteri affirmarunt, n. 59. *Resolvitur, num.* 60.

*Istinc ad libros possunt legari, non ad alimenta Fratrum studentium, num.*61.

Verùm de hoc ultimo gravis est quæstio. Prima sententia affirmat, num. 62. *Secunda negat, num.*63. *Tertia distinguit, num.*64. *Resolvitur, à num.*65.

Sed an Minoritæ possint habere Anniversaria, aliqui affirmant, nu. 69. *Alteri negant, n.* 70. *Resolvitur, num.*71.

*An quando legatum Minoritis relinquitur, quod nequeunt percipere, sit in aliud opus pium convertendum. Prima sententia affirmat, n.*72. *Secunda negat, num.*73. *Resolvitur, à num.*74.

*Ipsi Fratres non possunt petere legata sibi relicta, num.*76. *Sed sunt remedia, scilicet ut petat oppidum, ubi est Monasterium, quilibet de populo, aut Syndicus, à num.* 76. *Poterunt Fratres instare Syndicum, ut id faciat, num.*79.

Monasteria possunt hæredes institui: quod idem dicendum de Religiosis, vel totam Communitatem instituendo, aut aliquem, vel aliquos Religiosos in particulari, *l. fin.* §. *Hoc etiam, C. de Episcop. & Cler.* ubi filios Religiosos potuit pater hæredes instituere, unde argumentũ sumitur, posse ab aliis etiã non patribus fieri, dũmodo Monasteria 1

steria capacia sint bonorum, quibus hæreditates, & legata acquiruntur. Cæterùm id non repugnat voto paupertatis, cùm Religiosi sibi ipsis non acquirant, sed Monasteriis *l. 2. tit. 3. part. 6.* Molina *de justit. tract. 2. disp. 140. n. 19.* Clarus *verb. Testamentum, quæst. 29.* Spino *de testament. gloss. 12. nu. 17.* Rodriquez *qu. Regul. tom. 2. q. 77. art. 1.* Barbosa *de univ. jur. lib. 3. cap. 27. num. 75.* Farinacius *in Repertor. ultim. volunt. quæst. 66. à num. 1.*

2 Disquirere tamen libet difficillimam quæstionem, an quando Monachus hæres instituereтur, aut legatum ei relinqueretur, ut minimè ad Monasterium pertineat, sed ad ipsum Monachum, valida sit institutio, seu legatum? In hac disquisitione triplex investigatio facienda est. Prima, quando simpliciter dicat testator: *Hæreditas, seu legatum non acquiratur Monasterio, sed Monacho*; & in hoc dubio aliqui senserunt, validam esse institutionem, seu legatum, & adhuc acquirere Monasterium; quia illa conditio, *acquiratur Monacho, & non Monasterio*, turpis est; nam opponitur voto paupertatis, quamobrem rejicitur, *l. Conditiones 9. l. Si filius 15. ff. de condit. & demonstrat.* & pura relinquitur institutio, seu legatum, idcircò Monasterium plenè hæreditatem, aut legatum acquiret. Tuschus *litt. M, conclus. 317.* Galganet. *de condit. & demonstrat. 2. part. cap. 1. qu. 52.* Farinacius *dict. q. 66. n. 33.* & alii relati à Sanchez *lib. 7. Decalog. cap. 17. num. 2.*

3 Hæc verò sententia non placet, sed aliter res ista concipienda, nempe ut proprietas pertineat ad Monasterium, usus verò ex licentia Prælati ad Monachum, sive hæredem, sive legatarium. Ratio est, nam quando voluntas testatoris nequit directè adimpleri, per indirectum est adimplenda, etiamsi necessarium fuerit verba impropriare, *l. Quoties 8. ff. de verb. obligat.* ubi Jason *n. 2. cap. Abbate, de verb. signific.* Menochius *lib. 6. præs. 4. n. 34.* Mantica *conject. lib. 3. tit. 5. n. 1.* Barbosa *lib. 2. vot. 40. n. 16.* unde institutio, seu legatum ita est intelligendum, ut proprietas pertineat ad Monasterium, usus verò ex placito Prælati ad Monachum, quo adimpletur voluntas testatoris. Cæterùm verborum perplexitas sumitur interpretationem à mente fundatoris, seu testatoris, *l. Qui quadraginta 88. in princip. ff. ad leg. Falcid.* Mens enim illius est, ut ita intelligatur, ut habeat effectum secundùm qualitatem personæ, *l. Plenum 12. §. Equitio 4. de usu, & habit.* Ergo cum Monachus nequeat habere, nisi usum ex consensu Prælati, etiamsi dixerit testator, quod illi acquiratur, tantùm id habebit, & proprietas ad Monasterium transibit. Lambertinus *de jur. Patronat. 1. part. lib. 2. q. 7. art. 10. n. 12.* Surdus *de aliment. privil. 79. n. 4.* Azorius *Instit. Mor. 1. part. lib. 12. c. 10. q. 3.* Molina *de justit. tract. 2. disp. 140. n. 20.* Palao *oper. mor. tom. 3. tract. 15. disp. 3. punct. 6. n. 3.* Tondutus *qu. Benefic. tom. 1. cap. 96. num. 35.* Jul. Capponi *discept. 197. cap. 1. num. 5.* Iranzo *de potest. cap. 33. à n. 25.* Riccius *7. part. collect. 3027.*

4 Quod similiter suscipiendum etiamsi testator dicat: *Monasterium nihil juris habeat*; quia id tantùm intelligendum quoad usum. Azorius *d. qu. 3.* Prætis *de interpret. ultim. volunt. lib. 2. interpret. 2. dub. 2. sol. 17. n. 13.* Sanchez *d. lib. 7. cap. 17. n. 5.* qui *n. 6.* dicit idem habendum, etiamsi testator diceret, ut acquiratur à Monacho, non aliter, nec alio modo; & quod evanescet legatum, si Prælatus licentiam non concedat, ut Monachus usum habeat, ex non adimpleta conditione. Molina *dict. disp. 140. num. 20.* Sanchez *dict. cap. 17. nu. 7.* Iranzo *d. cap. 33. num. 30.* Delbene *de immun. tom. 1. cap. 8. dub. 21. sect. 24. num. 9.* Diana *3. par. tract. 2. resolut. 34.* Leoncillus *2. part. privileg. 210. nu. 1.* Riccius *dict. collect. 3027. vers. Bene.*

5 Secunda investigatio facienda est, quando testator diceret ita legare, aut instituere Monachum hæredem, ut dominium non transeat ad Monasterium, sed remaneat penes Monachum: & in hoc casu communis est DD. sententia, simile legatum corruere, sive institutionem: quia cùm mens testatoris regat dispositionem, & ejus mens sit, ut Monasterium dominium non acquirat, nec ipse Monachus valeat acquirere, necessariò corruere debet. Palao *dict. punct. 6. num. 1.* Layman *in Summa, lib. 4. tract. 5. cap. 7. nu. 71.* Delbene *d. sect. 24. num. 11. & 13.*

6 Sed contrarium tenent Sanchez *dict. cap. 17. num. 11.* Tondutus *dict. cap. 96. num. 36.* Iranzo *dict. cap. 33. num. 33.* Bordon. *de profess. Regular. cap. 13. n. 124. tom. 5.* Riccius *dict. collect. 3027. vers. Sed ego*; quia illa conditio tanquam turpis rejicitur, & legatum, seu institutio pura remanet, *l. Si quis ita*, cum aliis, *ff. de condit. & demonstrat. l. 3. tit. 4. part. 6.* Amaya *observat. lib. 2. cap. 11. n. 7.* Larreategui *lib. 7. Select. cap. 2. n. 2.* quapropter legatum, seu hæreditas ad Monasterium pertinebit.

7 In hac difficultate mens testatoris maxima consideratione est prospicienda; nam si ea est, ut dominium nullo modo transferatur ad Monasterium, idque demonstret dicendo: *Lego Monacho, ut dominium sibi acquirat, & non aliter, vel alio modo*; ita ut velit aliter caducum fieri legatum, tunc quidem corruet, ut dicit prima sententia; nam voluntas ejus clara est, ut dominium non transeat ad Monasterium, sed remaneat penes hæredem, si nequit à Monacho consequi: explorati enim juris est, ut voluntas testatoris omnem dispositionem regat, *leg. In conditionibus, ff. de condit. & demonstrat. l. Si Titius, ff. de condit. inst.* Ergo, &c.

8 Si verò nulla sint verba, unde perpendatur voluisse testatorem excludere Monasterium, ita ut ad illud non transiret dominium, admitto secundam sententiam; nam ex eo quod non excludit Monasterium à dominio hæreditatis, seu rei legatæ, videtur voluisse testatorem, quod casu quo Monachus illud non acquirat, prout nequit acquirere, *cap. Cum non dicatis 12. qu. 1. cap. Cum ad Monasterium 6. de stat. Monach. Auth. Ingressi, Cod. de Sacros. Ecclesiis*, dominium ad Monasterium transeat.

9 Alter investigatio ista valet expediri, nempe voluisse testatorem in hoc casu valere legatum, & hæredis institutionem, si dispensatio obtineatur à Summo Præsule, ut ipse Monachus habeat illarum rerum proprietatem, & dominium simul cum usu ipsarum: id valet fundari, nam licèt aliqui negent, posse Summum Præsulem dispensare in voto paupertatis Religiosi, ex decisione textus *in d. cap. Cum ad Monasterium 6. in fine, de stat. Monach.* ubi asseritur, Summum Pontificem non posse dispensare in voto castitatis, sicut nec in voto paupertatis, quia sunt essentialia status Religionis, à quo nequit Religiosus avelli, utpote consecratus, latè D. Thomas *2. 2. qu. 88. art. 7.* & alii relati à Lessio *de justit. lib. 2. cap. 40. dub. 19. num. 140.* Attamen certius est posse, ut tenet ipse Lessius *d. dub. 19. n. 142.* Azorius *tom. 1. Inst. Mor. lib. 12. cap. 7. qu. 2.* Diana *8. part. tract. 3. resol. 100.* Chopinus *de Sacra Polit. lib. 2. tit. 3. num. 22.* Albertinus *de agnoscend. qu. 23.* Itaque quando legatum fit, aut hæreditas relinquitur Monacho, ut quoad proprietatem, seu usum sibi habeat, videtur reliquisse ea conditione, ut dispensationem impetret à Summo Pontifice, ut sibi retineat.

10 Sed dices, minimè id intelligi valere, quia Summus Pontifex, si aliquando in voto paupertatis, aut castitatis dispensat, est per mutationem status, utpote quando dat licentiam Monacho uxorem ducendi. Menochius *de arbitr. lib. 2. casu 421. num. 10.* Araujo *tract. 1. quæst. Moral. qu. 19. per tot.* Prado *tom. 2. Theolog. Moral. cap. 31. qu. 14. §. 3.* Spenec. *lib. 5. de vot. contin. cap. 5.* ita ut nequeat dispensare cum eo in eodem statu permanente, Pontius *de marr. lib. 7. cap. 10. n. 8.* quo in sensu suscipit textum *in d. cap. Cùm ad Monasterium.* Ergo cùm hoc legatum, seu hæredis institutio fiat, ut Monachus habeat dominium, & usum durante Monachatu, nequit Pōtifex dispensare, idcircò nec habebit locum illa dispositio, etiam sub conditione, ut à Papa dispensetur.

11 Ut huic objectioni respondeamus, dico textum *in d. cap. Cùm ad Monasterium*, plura admittere interpretamenta. Aliqui dicunt ibidem non negari, posse Pontificem dispensare in voto paupertatis, aut castitatis Religiosorum, sed tãtùm asseritur, *non indulgere*, id est, non consuevisse dispensare, nisi rarissimè, & ex gravissima causa. Alteri dicunt, non loqui textum illum de Pontificibus supremis, id est Papa, sed de Episcopis, qui quidem Summi etiam Pontifices dicuntur. Mendoza *ad Concilium Illiberit. lib. 2. cap. 30.* & plurimis comprobat Basilius *de matrim. lib. 7. cap. 10. à num. 6.* unde nihil certum ex illo textu desumi valet

12 Prorsus dico, votum paupertatis non esse tam intrinsecum Religioni, prout votum castitatis. Sotus *lib. 10. de just. qu. 5. art. 7.* quin potiùs primis temporibus Religiones tantùm cum votis obedientiæ, & castitatis constituebantur, ut ex Hieronymo, & Basilio tradit Stephanus Durantius *qu. 8.* qui asserit votum paupertatis, & abdicationis honorum à tempore Basilii floruisse, licèt aliqui ab Urbano illud ortũ habuisse dicant: sed agnoscimus tēpore Justiniani id non fuisse observatum, *ex l. Deo nobis, l. Generaliter, C. de Sacros. Eccl. l. Si quis, C. de Episcopis, & Clericis*, Basilius Pōtius

dict. lib. 7. *cap.* 13. & cum Vvadingo tenet Diana *dict.* 8. *part. tract.* 3. *resol.* 100. *vers. Dices primò*. Barbosa *in dict. cap. Cùm ad Monasterium, num.* 11. *in fin.* latè ipse Pontius 1. *part. quæst.* 3. *Scholastica*. Ergo cùm tantis temporibus Monachi dominium, & proprietatem haberent, rectè consideratur dare veram Religionem absque abdicatione dominii, ut dicunt allegati.

13 Ergo rectè stat, ut Summus Pontifex possit dispensare, ut Religiosus habeat dominium hæreditatis, aut legati, etiamsi permaneat in eodem statu Religiosi; non enim votum abdicandi dominii ita intrinsecum est Religioni, ut necessaria sit mutatio status, ut possit Pontifex dispensare in voto paupertatis, & abdicationis dominii, si causa gravis, & sufficiens intercedat; unde in præsentiarum valet intelligi illud legatum sub illa conditione, si Papa dispensaverit. Farinacius *in Repert. ultim. vol. quæst.* 66. *n.* 22.

14 Tertia investigatio facienda, quando testator dicat: *Legatum, seu hæreditas pertineat ad Monachum, aliàs concedatur extraneo, vel alteri personæ*: in quo quidem casu aliqui dicunt, pœnam illam rejiciendam esse, utpotè adjectam actui illicito, qui revera est, ut Monachus acquirat dominium, argumento textus *in l. unic. in fine, C. de his, quæ pœnæ nomine relinquunt*. Galganet. *de condit. & demonstrat.* 2. *par. cap.* 5. *quæsit.* 11. *consl.* 7. Rodriquez *quæst. Reg. tom.* 2. *qu.* 125. *art.* 3. Tapia *in Auth. Ingressi, verbo Ipso ingressu, cap.* 3. *num. ult.* Tondutus *d. cap.* 96. *num.* 36.

15 Hanc verò sententiam admittere non possumus, quando legatum illud ita accipimus, ut proprietas ad Monasterium pertineat, & usus cum licentia Prælati ad Monachum: quare dicendum hanc pœnam habere locum, quando Superior nolet ad usum concedere legatum, seu hæreditatem Religioso, ut explicant Sanchez *dict. cap.* 17. *num.* 16. Palao *dict. punct.* 6. *num.* 4. Si verò testator dicat, *Nisi dominium ad Monachum transeat, legatum ad tertiam personam pertineat*, tunc admittendum erit contrariorum placitum. Sanchez *ubi proximè, num.* 17. Riccius *dict. collect.* 3027. *vers. Sed verius est*.

16 Sunt verò duæ cautelæ, ut similia legata, seu hæredis institutiones valeant, nempe si testator dicat, *Hoc legatum, seu hæreditas convertatur ad studium Monachi, vel ad emendos libros, vel ad alios usus Religioso permissos*. Galganet. Caldas, & Gigas relati, & sequuti à Tonduto *dict. cap.* 96. *num.* 37. Altera cautela est, si legetur quousque Superior Religioso usum permittat: quam licèt aliqui non admittant, rectè illam vindicat Sanchez *d. cap.* 17. *nu.* 18. Farinac. *in repert. ultimarum voluntatum, quæst.* 66. *nu.* 34. Riccius *dict. collect.* 3017. *vers. Verùm ad.*

17 Cæterùm licèt Monasteria, & Monachi hæredes instituti valeant, ac legata percipere, excipiuntur tamen Monasteria, & Fratres Sancti Francisci, tum & Capuccini, qui quidem ex regula sunt Mendicantes, nec proprium habere possunt in communi, nec in particulari. Trident. *sess.* 25. *de regul. cap.* 3. Farinac. *dict. quæst.* 66. *nu.* 1. quamobrem nequeunt ipsam hæreditatem acquirere, si hæredes instituantur, nec illius pretium, propter eandem incapacitatem. Gabriel *in tit. de hæredib. instit. conclus.* 1. *à num.* 1. *lib.* 4. Dueñas *regul.* 381. *num.* 3. Miranda *in exposit. Regul. S. Francisci, cap.* 86. Sanchez *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 25. *num.* 4. Castillo *lib.* 8. *controv. cap.* 5. *num.* 13. estque decisum *in Clement. Exivi*, §. *Quia ergo, de verbor. significat.* & *in Clementin. Exivi*, *eod. tit.* Rojas *de incompat. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 24.

18 Unde audiendi non sunt Aretinus, & Angelus, quos rejicit Sanchez *d. cap.* 25. *num.* 4. asserentes Fratres Minores, licèt non possint hæredes institui, posse tamen accipere legitimas patrum suorum, cùm eorum incapacitas ad id non se extendat: verùm si professi sint, non est admittenda eorum opinio, cùm cujuslibet successionis incapaces sint, etiam ab intestato. Dueñas *dict. reg.* 381. *in* 3. & 8. *ampliat.* Farinac. *dict. quæst.* 66. *num.* 8. Rojas *dict. cap.* 5. *num.* 27. Si verò non professi, sed adhuc novitii sint, legitimas, aut alias quaslibet institutiones, seu legata percipient, ut cum aliquibus notat Sanchez *d. cap.* 25. *num.* 4.

19 Si verò Fideicommissum universale eis relinquatur, nec sustinebitur, quia universalis substitutus hæres est, *l. Qui quadraginta* 2. *ff. ad Trebell.* quare sicut nec Monasteria, nec Fratres Minores hæredes institui valent, similiter nec fideicommissarii universales fieri possunt. Tuschus *lit. F, conclus.* 467. *num.* 9. Dueñas *reg.* 381. *ampliat.* 1. Farinac. *d. qu.* 66. *n.* 5. Sanch. *d. cap.* 25. *n.* 5. qui id extendit etiamsi clausula apponatur, *Si non valet ut testamentum, pro codicillo habeatur*; quia revera remanet fideicommissum universale, cujus incapaces sunt Monasteria, & Fratres Minores, & insimul Capuccini. Castillo *d. cap.* 5. *n.* 14. Rojas *d. cap.* 7. *n.* 24.

20 Sed quid dicendum, an testamentum, in quo similia Monasteria, & Fratres instituti sunt hæredes, irritum sit, necne? Et Rodriquez *tom.* 2. *quæstionum Regul. qu.* 78. *art.* 5. validum dicit; nam licèt nec ipsa Monasteria, nec Minorum Fratres bona illa possint acquirere ob incapacitatem, remanet instituta Ecclesia Romana, quæ capax est bonorum, & ad quam pertinent. Ergo sustinebitur testamentum.

21 Fundamentum illud solidum non est; nam quando Ecclesia Romana acquirit dominium rerum relictarum Monasteriis, aut Fratribus Minoribus, tantùm id evenit in his quæ rectè legantur eisdem, & institutio eo modo fit, ut sustineatur. Delbene *de immunit. tom.* 1. *cap.* 8. *dub.* 21. *sect.* 25. *à n.* 3. Cùm ergo in præsentiarum non sit valida institutio, Ecclesia Romana nihil acquirit.

22 Unde consequenter de jure communi irritum erit testamentum, ut colligitur *ex dict. Clement. Exivi, versic. Quia igitur, de verbor. significat.* Ratio est, nam quoties incapax instituitur hæres, cui nec cohæres, nec substitutus datus est, irritatur testamentum, *l. Si in metallum* 3. *ff. de his quæ pro non script. habent. l.* 1. *C. de hæredib. instit.* Absque enim institutione, ejusdem juris dispositione testamentum irritum est. De jure nostro Regio contrarium, dicendum, cùm ad valorem testamenti non sit necessaria institutio: quare si Fratres Minores, aut eorum Monasteria instituantur, quoad alia sustinebitur testamentum, ut latè prosequuntur Delbene *d. sect.* 25. *à n.* 2. Spino *de testam. gloss.* 12. *n.* 15. Camill. Borell. *cons.* 17. *à n.* 13. Castillo *d. cap.* 5. *nu.* 17. Sanchez *dict. cap.* 25. *num.* 6.

23 Qui omnes rectè animadvertunt, tunc ad hæredes ab intestato hæreditatem pertinere. Castillo *d. cap.* 5. *n.* 17. Sanchez *n.* 17. ita ut Fratres ipsi nec in foro conscientiæ valeant bona illa retinere, sed præcisè ad hæredes illos debent pervenire. Dueñas *d. regul.* 381. *ampliat.* 5. Farinac. *d. quæst.* 66. *num.* 9. Rojas *d. cap.* 5. *num.* 28.

24 Est verò dubium, an hæredes ab intestato, vel substitutus, vel cohæres in conscientia possint hæreditatem retinere? Aliqui negarunt, nam ex eo quod Fratribus Minoribus relinquitur hæreditas, testator voluit, ut id valeret prout posset: quare videtur ita disposuisse, ut ipsi hæreditatem venderent, & pro necessariis Fratribus Minoribus pretium impenderetur. Ergo in conscientia non benè hæreditatem retinebunt. Ancharran. *in regul. Possessor, de reg. jur. in* 6. Batt. *in tract. Minoritarum, lib.* 1. *dist.* 1. *cap.* 3. *num.* 7.

25 Sed contrarium tenendum quamplures dicunt; nam ex *d. Clementina*, Fratres isti nequeunt institui hæredes, nec hæreditatis sunt capaces: quæ quidem lex, cùm justa sit, nec aliqua nitatur præsumptione, ut conscientia valet observari: ergo in conscientia rectè hæredes ab intestato, vel cohæredes retinebunt hæreditatem. Cæterùm *d. Clementina Exivi*, asserit Minores *nullatenus esse capaces*, quæ quidem incapacitas non solùm consideranda est respectu bonorum, sed illorum pretii, & æstimationis, dictio enim *nullatenus*, actum nullum dicit ipso jure, ita ut non facilè præsumendum sit, ut alio modo existimetur valere. Gigas *de pens. cap.* 10. *n.* 10. Sanchez *de matrim. lib.* 6. *disp.* 31. *n.* 7. quia habet vim Decreti irritantis. Barbosa *d.* 226. *n.* 5. unde semper irrita erit institutio, & hæredes ab intestato, seu cohæredes rectè in conscientia hæreditatem retinebunt. Baldus *in Auth. Ingressi, Cod. de Sacros. Eccles.* Spino *d. gloss.* 12. *n.* 16. Dueñas *Regul.* 381. *n.* 5. Castillo *d. cap.* 5. *n.* 17. Sanchez *dict. cap.* 25. *num.* 8. Quesada *divers. quæst. cap.* 22. *num.* 26.

26 Est etiam aliud tertium placitum asserentium, non solùm hæredes non valere hæreditatem retinere, verùm quod cogi possint à Judice executore testamenti, ut per viam eleemosynæ Fratribus Minoribus illud quod illis in testamento relinquebatur concedant, idque ex officio procedendo, vel quando ab aliquo de populo petatur: quod ita decisum in Regno Aragoniæ. Rodriquez *Regul. quæst. tom.* 2. *quæst.* 70. *art.* 1. Portel. *verb. Hæreditas, num.* 3. Villalobos *in Summa*, 2. *part. tract.* 30. *diff.* 9. *num.* 8.

27 In hoc dubio admitto sententiam eorum asserentium irritam esse institutionem, hæreditatemque ad hæredes ab intestato pertinere. Ratio est, nam quoties institutio directè fit Fratrum Minorum: aut illorum Monasteriis, nequit

fieri

fieri præsumptio, voluisse testatorem, ut per indirectum valeret, ita ut cohæredes, aut hæredes ab intestato venientes teneantur vendere hæreditatem, & per modum eleemosynę illis concedere; hoc enim necessarium est, ut expresè fiat, ita ut singulariter à testatore præciperetur. Angel. *cons.* 224. Genuensis *in praxi*, *tricen.* 15. *quæst.* 439. *num.* 2. aut saltem ex aliis verbis conciperetur, veluti si diceret, *Si directa ista institutio non valeat; valeat eo modo, & meliori quo valere possit*: aut si dicat, *Agatur de hæreditate eo modo, ut cum effectu ea bona ad Fratres Minores perveniant*. In his ergo casibus nec in foro conscientiæ hæredes retinebunt hæreditatem, quin potiùs ex officio Judicis, aut quando actione populari peteretur, Minoritæ percipient per modum eleemosynæ. Genuensis *dict. quæst.* 439. *a n.* 3. alter verò contrarium dicendum.

28 Rursus alia erit disquirenda difficultas, nempe si Patres Minoritæ instituantur hæredes, ut bona vendant, & illorum pretium ad sua necessaria cedat, valeat, necne institutio? Prima sententia asserit validam esse institutionem, & sustinendam, quia in hac institutione duæ sunt partes: prima institutio directa, & hæc non valet: secunda, ut vendatur hæreditas, & pretium in rebus necessariis Minoritarum concedatur; & hæc secunda pars valida est, quare cùm una ab altera valeat separari, non est unde ultima non sustineatur. Bart. *in tract. Minor. lib.* 1. *dist.* 5. *cap.* 2. *nu.* 39. Guido Papæ *decis.* 375. aliàs 46. *de testam.* Villalobos *lit. L, n.* 36. Rodriguez *tom.* 2. *q. Regul.* 78. *art.* 4.

29 Secunda sententia tenet contrarium: nam Fratres Minores incapaces sunt alicujus dominii acquisiti per institutionem, quare nequeunt per illam bona illa acquirere, ut postea vendant, & pretium in necessariis expendant. Cæterùm quia si id possent facere, quælibet institutio illorum etiam directa valeret, dum tamen statim venderent ad expensas necessarias, quod non est admittendum, *ex dict. Clement. Exivi*, §. *Quia*, *&* §. *sequenti*. Ergo nec istud. Dueñas *regul.* 381. *ampl.* 8. Tusch. *lit. F*, *conclus.* 467. *nu.* 18. Castillo *dict. cap.* 5. *num.* 18. Farinac. *d. quæst.* 66. *n.* 14. Sanchez *dict. cap.* 25. *num.* 11. Layman *in Sum. lib.* 3. *tract.* 5. *sect.* 5. *cap.* 5. *num.* 2.

30 In re illa est indubitabilis doctrina, ut si aliquis instituatur hæres ea conditione, ut bona vendat, & pretium det Minoritis per modum eleemosynæ, valida sit similis institutio, quia tunc Fratres non succedunt in aliquo defuncti jure: quod idem dicendum, si testator dicat, ut exequutores vendant, & Minoritis per elemosynam concedatur ad suas necessitates: nam nihil nisi eleemosynam percipiunt. Rodriguez *tom.* 2. *quest.* 78. *art.* 4. Lessius *de just. lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 5. *n.* 54. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 18. *dub.* 6. *n.* 2. Villalobos *dict. diff.* 12. *n.* 8. Delbene *cap.* 8. *dub.* 21. *sect.* 25. *nu.* 6. Castillo *dict. cap.* 5. *n.* 19.

31 Deinde dico primam sententiam improbabilem non esse; nam cùm hæ institutiones piæ sint, si adsunt aliqua verba unde valeant rectè interpretari, secundùm interpretationem sustinentur, prout suprà expendimus de legato facto Monacho, ut sibi acquirat: in hoc verò casu, quando Fratres Minores instituuntur, ut bona illa vendant, & pro necessariis suis expendant, non est necessarium, ut dominium ad illos transeat, ut vendant, sed vendere possunt tanquam exequutores testamenti, ut postea pretium in necessariis suis expendatur eo modo quo prohibitum non est, quo modo resoluta institutione propria, in nominatione exequutorum rectè procedit dispositio, prout procederet si aliquis Guardianum Sancti Francisci Commissarium fecerit, ut eligat pauperes, inter quos hæreditas distribuatur per eleemosynam; nam poterit distribuere etiam inter Fratres ipsos Minoritas, ut tenet Thoro *privil.* 113. *ad med.* Ergo similiter poterunt eligi exequutores ad vendenda bona hæreditatis, ut pretium ad sua necessaria divertant per modum eleemosynæ, nullo translato dominio antequam vendatur.

32 Prorsus si exequutores nominaverit, poterit id fieri per ipsos, aut per hæredes ab intestato, ita ut pretium semper ad necessaria Minoritarum perveniat, & institutio deserviat solùm ad designationem Fratrum, quatenus personarum, ad quas illa eleemosyna debeat pervenire.

33 Quid verò de Ecclesiis Fratrum Minorum, an possint hæredes institui? Et nonnulli asseruerunt, validam esse institutionem; nam ipsæ sunt Ecclesiæ Romanæ, Ecclesia verò Romana capax est institutionis: Ergo similiter Ecclesiæ Minoritarum. Abbas *lib.* 2. *cons.* 63. *n.* 4. Rodriguez *quæst. Regular. tom.* 2. *quæst.* 78. *art.* 5. Tuschus *dict. conclus.* 467. *num.* 52. Pottel. *verbo Hæreditas*, *num.* 5. Navarrus *cons.* 9. *&* 13. *de testament.* Villalobos *in Summa*, 2. *par. tract.* 25. *diffic.* 33. *n.* 6.

Contrarium tenent alii; nam Ecclesia Romana acquirit tantùm ea, quorum capaces sunt Fratres Minores, non verò si incapaces, quia deficit medium, ut ad illam dominium perveniat. Cùm verò Ecclesiæ Minoritarum sint incapaces acquirendi dominium, nec Ecclesia Romana acquiret. Baldus *in Auth. Ingressi*, *Cod. de Sacros. Ecclesiis*, *num.* 55. Gabriel *lib.* 5. *comm. opin. tit. de hæredib. instituend. concl.* 1. *n.* 2. Sanchez *dict. cap.* 25. *n.* 14. Quesada *d. cap.* 22. *nu.* 19. Castillo *dict. cap.* 5. *n.* 20. 34

Hanc sententiam veriorem dicunt Sanchez, & Castillo nuperrimè allegati: unde supponunt alteram habere probabilitatem, & probatur; nam ut scripsit Navarrus *d. cons.* 13. *Clement. Exivi*, interdicit Fratribus Minoribus ne ad se, vel ad sua Collegia, seu Conventus acquirant, non verò ut illorum Ecclesiæ acquirant ad sua necessaria; hoc enim distinctum est ab ipsis Fratribus, Collegiis, & Conventibus. Ergo cùm Ecclesiæ, aut Oratoria eorum incapaces non sint acquirendi, rectè possunt ad necessaria institui hæredes. Villalobos *d. diff.* 33. *num.* 6. qui animadvertit hoc in usu non esse, quapropter melius, & consultius fuisset, ut hoc relinqueretur per modum eleemosynæ. 35

Est tamen sciendum, quod si Frater Minor hæres instituatur, ut totam hæreditatem restituat fideicommissario, ita ut nihil apud eum remaneat, adhuc institutio non sustineatur; nam licèt contrarium dicatur quoties incapax instituitur, *l. Quoties* 16. §. *Si quis solidum*, *ff. ad Trebell. leg. Nam quod* 14. §. *Qui compulsus*, *ff. eod. tit.* Attamen cùm Fratres Minores mortuis comparentur, perinde est ac si mortuus fuisset institutus, & ideò non sustinetur, ut cum Baldo, Quesada, & aliis notat Sanchez *dict. cap.* 25. *numer.* 19. 36

Cùm de institutione dixerimus, transeamus ad legata, & inquiramus an fieri possint Fratribus Minoribus, aut Capuccinis? Et nonnulli asseruere, absolutè loquendo, minimè sustineri posse; nam cùm ipsi incapaces sint institutionis, consequenter erunt incapaces legati, §. *Legari*, *Instit. de legat. l.* 1. *titul.* 9. *par.* 6. eadem enim incapacitas, quæ repugnat institutioni, legato etiam repugnat. Cæterùm per legatum acquiritur dominium, quod nequeunt acquirere Fratres Minores: ergo legatum non sustinebitur illis factum. Crassus §. *Hæreditas*, *quæst.* 7. *& quæst.* 9. *n.* 3. qui dicit nec æstimationem deberi. Tuschus *d. conclus.* 467. *n.* 21. Peregr. *de jur. Fisci lib.* 3. *tit.* 14. *n.* 2. 37

Contrarium tenent alii ex decisione textus *in cap. Exiit*, §. *Ad hæc*, *de verbor. significat.* Cæterùm ratione probant: nam textus *in dict.* §. *Legari*, intelligitur de his qui jure communi nequeunt percipere ex testamento, secus de his qui paupertatis voto non capiunt; nam licèt incapaces remaneant acquirendi, non verò ita ut incapacitas ista extendatur ad necessaria vitæ. Azorius *Instit. Moral.* 1. *par. lib.* 12. *cap.* 2. *q.* 9. Genuensis *in prax. tricen.* 15. *quæst.* 439. *num.* 3. Sanchez *lib.* 7. *Decalog. cap.* 26. *n.* 9. qui id extenditur ad Monasteria Minorum. Castillo *dict. cap.* 5. *num.* 22. 38

Sed dicendum, absolutè loquendo Fratres Minores esse incapaces legati, non verò secundùm quid, idque facilè probatur *in d. cap. Exiit*, § *Ad hæc*, ubi decretum est, quod si aliquid Fratribus Minoribus legetur, ita ut ex natura legati dicat acquisitionem dominii cum retentione, ut colant, vel locent, tunc inutile erit legatum; repugnat enim Regulæ talis dispositio. Tuschus *dict. conclus.* 467. *nu.* 21. Sanchez *dict. cap.* 26. *num.* 17. Franciscus Barry *de success. testat. & intestat. lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 9. Barbosa *de univ. lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 76. Rojas *de incompat. lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 14. 39

Secundum quid verò sustinetur legatum, nempe si dicat testator, *Vendatur*, *& pretium Fratribus Minoribus pro necessariis conferatur*; tunc enim nihil aliud legatum continet, nisi quandam eleemosynam, quæ alimentis eorum conceditur, quam rectissimè suscipiunt, prout benè decernitur *in d.* §. *Ad hæc*, Peregr. *d. tit.* 14. *num.* 1. Ayllon *ad Gomez*, *tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 49. Castillo *d. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 24. Starban. *cent.* 2. *resol.* 163. 40

Est verò difficultas, si testator dicat, *Lego fundum Fratribus Minoribus*, *dummodo illum retinent*, *& colant*, an apposito modo illo valeat legatum? Prima sententia inquit, sperto modo, validum remanere; nam cùm Fratres capaces 41

sint

sint percipiendi pretium, ut in necessariis expendant, modus ille repugnans Regulæ, pro non scripto habetur, *l. Obtinuit 3. de condit. & demonstrat. l. Reprehendenda 5. C. de inst. & substit.* Ergo remanet validum legatum. Cæterùm, nam ut diximus, quoties legatum pium nequit suo modo adimpleri, alio modo sustinetur, *l. Legatum 16. ff. de usufr.* Ergo cùm legatum illud nequeat adimpleri, modo illo adimpleto, necessariò rejicitur, ut validum remaneat. Menochius *vol. 11. cons. 1014. à n. 29.*

42 Secunda sententia tenet contrarium, nam quando modus intrat substantiam legati, rejecto modo destruitur legatum, & ex defectu substantiæ nequit sustineri. Modus enim ut valeat legatum relictum Fratribus Minoribus, pernecesse est ut immobile vendatur, & pretium in necessariis expendatur: ergo rejecto illo modo per testatorem, præcipiendo ne vendatur, sed retineatur, & colatur, corruet legatum, nec æstimatio debebitur. Baldus *in Auth. Ingressi, Cod. de Sacros. Ecclesiis, num. 58. & 59. in novis.* Federicus de Senis *cons. 175.* Castillo *dict. lib. 8. cap. 5. n. 22. ad fin.* Sanchez *d. cap. 26. num. 18.*

43 Tertia sententia distinguit, ita ut Minores Fratres, qui non receperunt privilegium Martini IV. de Syndico simile legatum recipere nequeant, secus verò si Syndicum habeant; nam illud privilegium continet, Syndicum recipere posse legata, & ad pecuniam redigere, & in Fratrum necessariis expendere: quare cùm id fieri possit à Syndico ipso, sustinebitur legatum, licèt retinere præcipiat, & colere. Corduba *ad Reg. S. Francisci, cap. 6. quæst. 11. punct. 1. ad fin.*

44 Hæc verò sententia meritò displicuit Patri Sanchez, nec ullo pacto admittenda est: Syndicus enim ille valet vendere legata valida, & pro necessariis Fratrum expendere; non enim datus est ut vendat invalida, & quæ ex voluntate testatoris repugnat ut vendantur. Igitur secundam sententiam admitto ob solidum fundamentum illius: tum etiam quia si semper rejiceretur modus ille repugnans regulæ, valerent omnes institutiones & legata, quæ illis fierent, & per indirectum capaces fuissent omnis institutionis, & legati, quod dicendum non est. Farinacius *dict. quæst. 66. numer. 14.*

45 Hinc consequens est alia difficultas, an quando legatum rei immobilis relinquitur simpliciter Fratribus Minoribus, nihil dicendo de venditione illius, sustinendum sit, necne? Et plures dicunt minimè valere, ita ut nec æstimatio debeatur; nam quando relinquitur simpliciter legatum deportato, ipso jure nullum est, ita ut nec ratione alimentorum valeat illud percipere, *l. Si deportati 7. ff. de legat. 3. l. Si in metallum 3. ff. de his quæ pro non script. habentur.* Ergo similiter dicendum de Fratribus Minoribus, qui legati incapaces sunt, prout deportatus incapax est suscipiendi legatum. Bart. *in leg. unic. Cod. de conductoribus, lib. 11.* ubi etiam Platea *in fin.* Rebuffus *ibidem, num. 4.* Guaidensis *de art. testand. tit. 1. conclus. 12. nu. 2.* Prætis *cons. 83. nu. 20.* Gabriel *lib. 4. tit. de legatis, conclus. 1. n. 2.* Azorius *Instit. Moral. 1. part. lib. 12. cap. 23. quæst. 11.*

46 Sed contrarium decisum est *in dict. cap. Exiit, §. Ad hæc quia de Fratribus*; quia in legatis simpliciter relictis semper intelligitur, ut immobile vendatur, & pretium pro necessariis Fratrum expendatur, idque optimo jure; nam ut scripsit Cancerius *3. part. variar. cap. 20. nu. 79.* quoties testator aliud non expresserit, semper intelligitur eo modo legasse, ut valeat legatum: Ergo dum Minoritis legatum simpliciter relinquitur, tacitè recipit modum, ut vendatur, & pretium in necessariis eorum expendatur. Cæterùm fundamentum contrariorum arguendo à deportato solidum non est; nam deportati incapaces relinquuntur alicujus legati, taliter ut nisi ratione alimentorum aliquid eis relinqui non valeat, nec ullo modo illud possint acquirere, aliàs si acquirerent, à Fisco auferretur, *dict. leg. Si in metallum, l. 1. C. de hæredib. instit.* Pichard. *in §. Sires, Institut. de legat. n. 63.* Quod aliter dicendum in Minoritis, qui non ob culpam sunt puniti, sed incapaces fiunt ob voluntariam paupertatem: quapropter favore alimentorum eorum hic modus tacitè intelligitur, ut legatum sustineatur. Ananias *cons. 30. n. 70.* Spino *de testam. gloss. 12. princip. nu. 39.* Genuensis *d. quæst. 439. n. 5.* Castillo *d. cap. 5. nu. 25. versic. Alii verò,* Sanchez *d. cap. 26. n. 28.* Rojas *d. cap. 5. n. 19.*

47 Sed dices, ex his, quæ scripsimus *n. 27.* directam institutionem factam Fratribus Minoribus nequire per indirectum sustineri, illo scilicet modo ut vendatur, & æstimatio pro necessariis eorum expendatur: Ergo idem est dicendum de legato. Sed tamen disparitatis ratio in obscuro non est, nam legata ut plurimùm immoderata non sunt, prout hæreditates, quare in his modus iste intelligitur, non verò in hæreditatibus. Si tamen legatum immoderatum fuerit, prout solent esse hæreditates, tunc legatum non sustinetur, etiam illo modo intellecto; esset enim hæreditatem sub nomine legati relinquere. Sanchez *dict. cap. 26. num. 11.* Castillo *d. cap. 5. num. 11. vers. Nunc vero*: verùm in parte sustinebitur, veluti in illa quæ est Fratribus necessaria, non in alia quæ thesaurizare sapiat: quod quidem arbitrio Minostrorum relinquendum. Sanchez *dict. cap. 26. nu. 13.* Delbene *d. sect. 25. n. 10.*

48 Non tamen omnia legata immobilium facta Fratribus Minoribus inutilia sunt, quia si domus eis legaretur ad habitandum, vel ut ibidem Ecclesiam construant, si verè ea indigeant, validum est. Idem dicendum si hortus eis legaretur ad usum illorum, aut vinea ad uvas edendas; nam hæc tantùm ad usum percipiunt ex causa necessitatis. Castillo *d. cap. 5. n. 23.* Sanchez *dict. cap. 26. nu. 19. & 20.* Similiter admittes, si domus contigua eis legetur ad ampliandam, vel reficiendam propriam domum, ex necessitatis causa: si verò sejuncta fuerit, nequit eis relinqui, non enim illius capaces sunt, *cap. 1. §. Confirmatos, de Relig. dom. in 6. cap. unic. de excess. Prælat. in 6.* Delbene *d. sect. 25. n. 14.*

49 Possunt etiam eis libri legari ad Fratrum usum, & etiam aliud quodlibet mobile ad servitia illorum, vel ut vendatur, & pretium pro necessariis expendatur, ut est decisum *in d. cap. Exiit, §. Quia verò libros,* Tuschus *dict. conclus. 467. n. 29.* Thoro *in Sum. privileg. 30.* Barbosa *de univers. jur. lib. 3. cap. 27. n. 76.* Arietes, porcos, gallinas absque dubio eis legare concessum est, cùm hæc ad alimenta pertineant; sed tamen ut habeant, & nutriant, hoc non licet, nisi ex causa necessitatis. Sanchez *d. cap. 26. n. 20.*

50 Sed tamen dubium est, an Fratres Minores possint habere annuos redditus? Et ut rem rectè capiamus, prænitto duobus modis posse annuos redditus eis relinqui. Primò, ut vendantur, & pretium eorum pro necessariis expendatur ipsorum Fratrum, quo quidem casu rectè legatum sustinetur: non enim Minoritæ incapaces sunt similium legatorum. Farinac. *dict. quæst. 66. n. 21.* Sanchez *d. cap. 26. n. 33.* Castillo *dict. cap. 5. n. 27.*

51 Secundo modo annui redditus valent relinqui eisdem Fratribus, nempe ut retineant. Prima sententia dicit, minimè tale legatum sustinendum, quia in Jure annuorum redditutum retentio ipsis Fratribus interdicitur, *Clement. Exivi, §. Cum annuus redditus, de verbor. significat.* Et ratio est, nam negari non valet, quod si annuos redditus retinerent, illorum haberent proprietatem, quam nec in communi, nec in particulari acquirere valent. Tuschus *dict. conclus. 367. nu. 26.* Quesada *variar. quæst. cap. 22. num. 29.* Corduba *in Reg. Sancti Francisci, quæst. 11. punct. 3.* & cum aliquibus Villalobos *in Summa, 2. part. tract. 35. diff. 33. n. 2.* Delbene *dict. sect. 25. n. 15.* Rojas *d. cap. 5. à num. 33.*

52 Secunda sententia tenet contrarium, nam dominium annuorum redditum remanet penes hæredem, & tantùm percipiunt quotannis pensionem per modum eleemosynæ, ut cum aliquibus tenet Redoanus *de spol. quæst. 8. in princ. n. 17.* Crassus *de success. §. Legatum, quæst. 9.*

53 Tertia sententia inquit, annuos redditus habere posse Minoritas ad modicum tempus, non tamen ad longum; nam sicut locatio ad tempus longum æquiparatur alienationi, *Clemens. 1. in fin. de reb. Ecclesiæ alien. vel non, l. 1. §. Qui in perpetuum, ff. si ager vectig. lib. 1. §. Quod autem, ff. de superfic.* Covarruv. *lib. 2. variar. cap. 16. n. 1.* Molina *de primog. lib. 1. cap. 21. à num. 16.* ita hoc legatum ad longum tempus æquipararetur possessioni, & retentioni immobilium, quod nequeunt habere Minoritæ. Ergo nec hoc legatum annuorum reddituum ad longum tempus.

54 Si verò fuerit ad modicum, sustinebitur, quia dominium penes hæredem remanet, & solùm intelligitur eleemosyna illorum annuorum reddituum per modicum tempus: tum nam paupertas eorum per modicum tempus non minuitur: ergo annui illi redditus ad breve tempus, dummodo ad decennium non perveniat, rectè Minoritis legantur, ut cum multis docet Sanchez *dict. cap. 26. num. 36.* Barbosa *dict. cap. 27. num. 79.* Delbene *dict. sect. 25. nu. 17.* Diana *3. part.*

tract.

tract. 2. *resol.* 33. *vers. Nota secundò*, Layman *in Sum. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 5. *cap.* 10. *num.* 4.

55 Quarta sententia negat legatum hoc sustineri posse, etiam ad modicum tempus, cùm revera proprium haberent, etiam ad illud tempus breve, ut tenent Socinus, Rodriguez, & alii apud Sanchez *d. cap.* 26. *n.* 35. Paul. Cremensis *de legat. perpetuis relict. Frat. S. Francisci*, 1. *par.* §. 4. *num.* 4.

56 Hæc difficultas resolvenda est ex modo relinquendi hoc legatum; nam si redditus annuales Fratribus Minoribus relinquantur, ut habeant sicut proprios, & ex illis pensionem percipiant, minimè legatum sustinebitur, nec ad modicum, nec ad longum tempus; repugnat enim hic modus legandi Regulæ illorum, ut constat *ex dicta Clement. Exivi*, §. *Cùm annuus redditus*. Secus verò quando alicui relinquerentur, ut ex ipsis quotannis quædam eleemosynæ dentur Minoritis ad ipsorum necessaria; tunc enim dominium non habent, & id solent protestari ipsi Fratres: verùm qui annui redditus receperunt, tenentur in conscientia illas eleemosynas quotannis concedere, & officio judicis ad eas præstandas cogerentur, vel si petatur ab aliquo de populo, ut ultima voluntas relinquentis exequatur. Thoro *privileg.* 268.

57 Similiter sustinentur quædam eleemosynæ, quæ à villarum, vel civitatum consiliis quotannis Minoritis conceduntur, ut panis, carnis, aut piscatiorum, ut alantur; hæc enim licèt annuatim concedantur, propriè eleemosynæ sunt, & rectè ea percipiunt, ut benè explicat Villalobos *dict. diffic.* 33. *num.* 3. Sanchez *dict. cap.* 26. *à num.* 52. Castillo *dict. cap.* 5. *num.* 27. *vers. Ego sanè*: qui animadvertunt istas eleemosynas non ita esse debere graves, ut habeant necessaria, & à mendicitate Fratres excusentur; sed tantùm ad sublevandam necessitatem, quod religioni recti judicis relinquitur. Delbene *dict. sect.* 25. *n.* 11. Rojas *dict. cap.* 5. *à n.* 33.

58 Possunt verò reservare victualia, cùm timeretur quod sequenti tempore indigentia urgebit, sicut etiam reservare valent triticum, vinum, & similia supra necessitatem, ut postea per ipsorum Syndicum pro necessariis vendantur. Sylvester *verbo Legatum* 2. *q.* 3. Sanchez *dict. cap.* 26. *n.* 14. Delbene *d. sect.* 25. *n.* 12. & 13.

59 Quid verò si annua pensio relinquatur pro fabrica Monasterii Minoritarum, pro cultu divino, ornamentis, lampadibus, & vestimentis eorum? Negarunt id posse fieri Azorius 1. *par. Instit. Moral. lib.* 12. *cap.* 23. *quæst.* 15. Paulus Cremens. *de legat. perpet.* 4. *par.* §. 6. *n.* 19. Sed in contrarium est communis sententia, quia hæc sunt diversa ab ipsis Fratribus: & quamvis redditus annui ad ista destinentur, eorum tamen paupertas, & mendicitas non tollitur. Ergo tale legatum sustinebitur. Tuschus *d. concl.* 467. *n.* 16. Thoro *d. privileg.* 268. Sanchez *d. cap.* 26. *num.* 42. Barbosa *d. lib.* 3. *cap.* 27. *nu.* 80. Castillo *dict. cap.* 5. *nu.* 28. Diana 3. *part. tract.* 2. *resol.* 33. *in princ.* Farinac. *d. quæst.* 66. *num.* 25. Sed non esse in usu ait Rojas *d. cap.* 5. *nu.* 55.

60 Hoc enim probabiliter admittendum: ast cautiùs fiet, si per modum eleemosynæ relinquantur, ut diximus suprà: quoad verò illam partem, ut annui redditus Minoritis legari possint pro vestimentis eorum, non amplector, cum Delbene *dict. sect.* 25. *num.* 16. quis enim negare valet, vestimenta ad Fratres ipsos non pertinere, sicut alimenta ipsa, quorum pars vestimenta sunt, *l. Verbo Victus*, *ff. de verbor. significat.* Itaque sicut nec annui redditus possunt illis legari ad alimenta, ita nec ad vestitum.

61 Unde si redditus isti relinquerentur pro libris emendis, & conservandis ad usum Fratrum Minorum, rectè sustinetur legatum; si tamen ad alimenta studentium relinquantur, nequaquam valebit legatum, ut asserunt Cuch. *Inst. Major. lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 93. Farinac. *dict. quæst.* 66. *nu.* 24. Sanchez *d. cap.* 26. *n.* 46. Layman *d. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 10. *n.* 4. Diana *dict. resol.* 33. Hieronymus Rodriguez *q. Regul.* 88. *n.* 10.

62 Sed illud quod diximus, quoad alimenta studentium requiri majorem indaginem, attentiùs considerandum est; est enim quæstio, an annui redditus relinqui possint Minoritis ad eorum alimenta, vel alia quælibet legata. Prima sententia asserit, relinqui posse: & ratio est, nam alimenta rectè legantur incapacibus, prout servis rectè relinquuntur, *l. Servos* 17. *ff. de alim. & cib. legat.* tum deportato, *l. Legatum*, *ff. de capit. diminut. l. Si in metallum* 3. *ff. de his quæ pro non script. habentur*, & in metallum damnato, *l. Is cui* 11. *ff. de alimentis, & cib. legatis*. Ergo etiam Minoritis poterunt hæc alimenta relinqui. Ratione probatur, nam alimenta sunt juris naturalis, itaque nequeunt tolli aliqua incapacitate proveniente à jure positivo. Cùm ergo hæc incapacitas Minorum Fratrum sit de jure positivo, nequit legata alimentorum eis relictorum adimere. Gabriel *comm. tit. de legat. concl.* 1. *n.* 25. Sesse *dec.* 45. *n.* 5. Peregr. *de fideicom. art.* 11. *n.* 67. Lancellottus Gallia *ad consuet. Alex. verbo Solidos*, *numer.* 48. & 49. Gomez *variarum tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 46. ubi Ayllon.

Secunda sententia tenet contrarium, nam Minorum Regulæ repugnat habere annuos redditus, etiam ad alimenta: tum & habere jus ad alimenta sibi ipsis præstanda, quapropter nequeunt alimentorum legata sustineri. Baldus *in Authent. Ingressi, Cod. de Sacros. Eccles. num.* 9. Surdus *de alim. tit.* 8. *privileg.* 7. *n.* 11. Borrellus *cons.* 17. *n.* 41. Castillo *d. lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 26. *vers. Præterea observo*. 63

Tertia sententia asserit, quod si legatum hoc annuum ad alimenta sit per modicum tempus, sustinebitur; quia simile legatum non tollit mendicitatem ad quam Fratres ipsi adstringuntur, est enim transitorium illud legatum, quare sustinebitur, prout si alimenta relinquerentur pro vita alicujus Fratris, ut cum Layman tenet Diana *d. tract.* 2. *resolut.* 33. aut pro Fratre annoso. Quesada *d. cap.* 22. *num.* 31. Sanchez *d. cap.* 26. *n.* 36. 64

Casus iste intricatus est, ut testatur Castillo *d. num.* 26. *versic. Rursus statuo*. Itaque in primis dico, quod si legatum Minoritis relinquatur ad alimenta pro unica vice, validum esse, veluti si ducenta relinquerentur ad eorum alimenta; hoc enim non opponitur regulæ, sed statim expenditur pro necessariis. Ergo sustinebitur. Abbas *volum.* 2. *cons.* 63. *n.* 7. Dueñas *regul.* 381. *limit.* 1. Castillo *d. n.* 26. *vers. Rursus statuo*, Farinacius *d. q.* 66. *n.* 18. 65

Erit ergo difficultas, quando annua alimenta illis relinquerentur, quæ quidem si fuerint omnia legata quæ eis sunt necessaria, minimè sustinebitur legatum; liberarentur enim à mendicitate, haberentque proprium certum, nempe jus ad alimenta necessaria: Ergo non sustinendum. Si verò non omnia alimenta, sed aliqua tantùm pars relinqueretur eis, veluti quotannis alimenta ad unum mensem, dicunt aliqui simile legatum sustinendum; nam à mendicitate non liberantur. Tuschus *d. conclusione* 467. *à num.* 76. Castillo *dict. cap.* 5. *numer.* 26. *versic. Præterea observo*. 66

Sed tamen in hoc etiam casu, ratione modi sustinebitur legatum, si annui redditus alicui concedantur, eo adjecto, ut alimenta quotannis det Monasterio Sancti Francisci per unicum mensem de eleemosyna, Villalobos *d. diff.* 33. *num.* 7. aliter enim simile legatum non esset sustinendum, quia licèt non liberentur à mendicitate per alimoniam unius mensis, attamen proprium haberent, scilicet alimenta unius mensis. 67

Unde resolvendum, quid dicendum quando alimenta relinquerentur Minoritis studentibus? Et hæc quidem, nisi modo præscripto, nequeunt illis relinqui, licèt annui redditus pro libris, aut aliis ad studia pertinentibus valeant relinqui, ut tenent etiam Abbas *d. cons.* 63. Tuschus *dict. conclus.* 467. *à n.* 7. Menochius *volum.* 11. *cons.* 114. *nu.* 38. Villalobos *d. diff.* 33. *n.* 7. Horat. Lucius *de privileg. Scholarium*, *privileg.* 92. 68

Sed quid dicendum de Anniversariis? Et plurimi habent, rectè Minoritas percipere, nam stipendia illa dantur per modum eleemosynæ pro exequiis, & dicendis Missis, quarum capaces sunt Minoritæ. Ergo rectè Anniversaria illa percipiunt. Cuchus *Major. Instit. lib.* 3. *tit.* 1. *n.* 36. Rodriguez *tom.* 2. *quæstionum Regularium*, *q.* 126. *artic.* 4. Villalobos *d. difficult.* 33. *n.* 5. Rojas *d. cap.* 5. *à n.* 41. 69

Alteri verò tenent contrarium; nam hæc Anniversaria tanquam debita retinentur, quod quidem eis interdictum est: tam cedunt ad alimoniam, & Fratrum vestimenta. Denique contrariorum fundamentum solidum non est; nam Anniversaria propriè eleemosynæ non dicuntur, quin potiùs annui redditus cum onere Missarum, quorum incapaces sunt Minoritæ. Ergo minimè poterunt Anniversaria habere. Sanchez *d. cap.* 26. *nu.* 44. Miranda *in Exposit. Regul. cap.* 63. *diff.* 12. Castillo *d. cap.* 5. *n.* 30. Barbosa *d. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 78. 70

Hæc ultima sententia magis conformis est Regulæ, & 71 tenen-

tenenda, prout declararunt duo Capitula Generalia Ordinis Minoritarum, quæ refert Barbofa *d. n.* 78. fed prima fententia improbabilis non videtur; nam bona remanent penes hæredem, aut Patronum, nec tantùm Minoritæ Patres percipiunt, nifi folidam ftipem Miffarum, aut exequiarum, nec ipfi aliquid habere videntur, nifi ftipendium: quod fi ipfis in modum eleemofynæ relinquatur, non video cur non probabiliter poffint Anniverfaria percipere. Pafqual. *de Sacrif. Miff. quæft.* 1092.

72 Prorfus eft dubium non prætereundum, an quando legatum relinquitur Fratribus Minoribus, eo modo ut incapaces fint illius, ad aliud opus pium debeat converti? Et affirmant nonnulli Doctorum; nam quando Fratribus relinquitur, Deo relictum videtur, quamobrem fi ad illam rem, ad quam legatur, nequeat converti, ad aliud pium converti debet gratum Deo, & magis conforme voluntati teftatoris: ergo legatum Minoritis relictum, cujus funt incapaces, in aliud pium eft convertendum. Cæterùm, nam licèt Minoritæ non obligent hæredem, nec refpectu illorum ad aliquid teneatur; attamen obligatus remanet ratione volontatis teftatoris, cujus mens fuit, ut legatum illud in opere pio expenderetur, nec penes hæredem remaneret: ergo in aliud pium convertendum. Angelus *verb. Legatum, n.* 5. Rodriguez *quæftionum Regul. tom.* 2. *quæft.* 126. *art.* 4. Genuenfis *in praxi, tricen.* 15. *quæft.* 439. Tufchus *d. conclus.* 467. *num.* 80. Caftillo, licèt dubius, *d. cap.* 5. *n. fin.* Delbene *d. fect.* 25. *num. fin.*

73 Alteri tenent contrarium ex decifione textus *in dict. Clement. Exivi*, §. *Cumque annui redditus*, ubi legatum annuorum redituum Minoritis relictum nullum dicitur, nec afferit Pontifex ad aliud opus pium convertendum: ergo femper remanebit penes hæredem, ut diximus de hæreditate, ut cum Bart. Bald. Ancharran. & aliis docet Sanchez *d. cap.* 26. *num.* 49.

74 In hoc dubio diftinguere oportet, quando teftator reliquerit Minoritis legatum cum aliquo onere pio, nempe dicendi Miffas, aut quando fine aliquo onere. Primo cafu, licèt propter Fratrum Minorum incapacitatem non percipiatur, inutile tamen non redditur, fed alio modo adimplendum, ita ut onera illa pia adimpleantur; fuit enim voluntas teftatoris, ut femper onus illud adimpleretur: quare fi à Minoritis nequit adimpleri, alio modo adimplebitur, nec penes hæredem permanebit, ut benè notat Sanchez *d. cap.* 26. *n.* 50. Pafqual. *q.* 1091. *n.* 1.

75 In fecundo verò cafu quando fimpliciter relinqueretur abfque ullo onere, fecunda fententia eft admittenda, quia totum legatum relictum videtur contemplatione Fratrum Minorum: quare fi ipfi incapaces funt, videtur effe voluntatem teftatoris, ut ad hæredem reverteretur, & non in aliud opus pium erit convertendum, *l. unic.* §. *Si autem aliquid fub conditione, Cod. de caducis tollend.* Barbofa *d. cap.* 27. *num.* 81.

76 Denique quando legatum relinquitur Fratribus Minoribus, aut annuæ eleemofynæ, debent, & tenentur hæredes, aut exequutores perfolvere, ut adimpleatur voluntas teftatoris, *l. Cogi, ff. ad Trebel. l. Quoties*, §. *Si duo, ff. de hæredib. inftituend.* Si tamen renuerint, ipfi Fratres non poffunt petere, nec lites agitare; nam non poffunt aliquod jus ad legatum acquirere, *d. Clement. Exivi*, §. *Cupientes, verf. Cumque dicti Ordinis, de verborum fignificatione*, Jul. Capponi *tom.* 5. *difceptat.* 382. *n.* 30.

77 Verùm reftant aliqua remedia, licèt ipfi petere non poffint, fcilicet ut ipfa civitas, vel oppidum, in quo fitum eft Monafterium, ad id inftet, & petat; nam illius jus eft: vel etiam procurator ipfius poterit agere ad recuperanda, & adimplenda quæ pauperibus relinquuntur, *l. Civitatibus, ff. de legat.* 1. Cancerius 3. *p. variar. cap.* 20. *n.* 123. Idem poterit petere quilibet de populo, aut judex ipfe ex officio compellet hæredes, feu exequutores, cùm interfit Reipublicæ fimilia legata adimpleri. Leoncil. 2. *part. provel.* 52. *num.* 5.

78 Aliter etiam Syndicus ipforum Fratrum petet nomine Ecclefiæ Romanæ, cujus eft Commiffarius, ex Conftitutione Gregorii XIII. inftateque poterit apud judicem, ut folutio fiat donec exequatur legatum; quia cùm dominium remaneat apud Ecclefiam Romanam, & ipfe fit illius mandatarius, rectè nomine illius petet, ut fiat folutio. Rodriguez *tom.* 2. *quæft.* 78. *art.* 1. Villalobus *d. diff.* 33. *n.* 7. Sanchez *d. cap.* 26. *à n.* 58. Pafqual. *d. q.* 1091. *à n.* 5.

Poterunt etiam ipfi Fratres per modum monitionis excitare Syndicum ad inftandum apud Judicem pro folutione legati: verùm fi negligens fuerit, poterunt eum corripere, tum & Judici denuntiare, ut ex officio procedat ad folutionem illis faciendam; quia id magis eft fua officia adimplere, quàm aliquid petere. Sanchez *d. cap.* 26. *nu.* 62. Pafqual. *d. quæft.* 1091. *n.* 6. 79

CAPUT IV.

De relictis ad pauperes.

SUMMARIUM.

Legatum relictum pauperibus valet, licèt pauperes non nominentur, quia poffunt ab exequutoribus eligi, vel ab Epifcopo, num. 1.

Idem fi non defignaverit locum ubi distribuendum legatum, in dubio enim inter pauperes domicilii teftatoris diftribuetur, n. 2. *&* 3. *& fi non adfint, diftribuetur inter viciniores, n.* 4. *Explicatur, num.* 5.

Eft dubium quando teftator dixerit, Diftribuatur inter pauperes, quos exequutor elegerit, *an fit diftributio facienda inter pauper domicilii? Prima fententia negat, n.* 6. *Secunda tenet contrarium, n.* 7. *Melius eft ad verba teftatoris attendere, n.* 8. *&* 9.

Inter pauperes alii aliis præferuntur, utpote confanguinei extraneis, fœminæ mafculis, Religiofa Religiofis, nu. 10. *&* 11.

Sed de pauperiores fint anteferendi? Prima fententia negat, n. 12. *Secunda affirmat, n.* 13. *Tertia diftinguit, n.* 14. *Refolvitur, à num.* 15.

Si exequutor tenetur dare pauperioribus, & non faciat, an teneatur ad reftitutionem? Prima fententia negat, n. 20. *Secunda affirmat, num.* 21. *Defenditur, & explicatur, à num.* 22.

Si an diftributionem contentio inter exequutores oriatur, datur recurfus ad Epifcopum, nu. 23. *Sed eft dubium, an quando electio libera committitur exequutori, & moritur, devolutio fiat ad Epifcopum eadem qualitate. Prima fententia negat, ibid. Secunda affirmat, nu.* 24. *Defenditur, n.* 25.

An legatum diftribuendum inter pauperes, poffit uni applicari. Prima fententia affirmat, & explicatur lex 67. §. 5. & 6. ff. de legat. 2. *num.* 26. *Secunda negat, num.* 27. *Tertia dicit inter duos dividi poffe, num.* 28. *Refolvitur, à num.* 29.

An quando legatum relinquitur uni pauperi, poffit exequutor inter duos dividere. Prima fententia affirmat, nu. 30. *Explicatur lex* 67. §. Sed fi fundum, ff. de legat. 2. *nu.* 31. *Secunda fententia eft de Lugo, quæ admittitur, & explicatur, à n.* 33.

An quando electio pauperum committitur exequutori, poffit dare uni pauperi ad tempus, ut poftea alteri reftituat? Affirmant plures, nu. 35. *Negant alteri, num.* 36. *Refolvitur, à num.* 37.

An quando teftator defignavit diem diftributionis, poffit exequutor ante diem diftribuere. Prima fententia negat, num. 39. *Secunda affirmat, num.* 40. *Refolvitur, à numer.* 41.

Diftributio ante tempus facta invalida eft, fi defignati fint incerti pauperes ex certis, nu. 42. *Quid teftator dixerit*, Diftribuatur inter Pauperes, *num.* 43.

Diftributio defignata pro die alicujus fancti, nequit ante tempus fieri, num. 44. *Quid fi defignati fint incerti pauperes ex incertis, n.* 45. *Quid fi ante tempus deberetur diftributio, n.* 46.

Si teftator dicat, Diftribuatur inter pauperes confanguineos, *proximior eft præferendus, n.* 47. *Limita nifi teftator liberam electionem commiferit exequutori, n.* 48.

Si concurrant proximior pauper, & remotior pauperior, quis fit præferendus? Communis fententia proximiorem præfert, n. 49. *Sed explicatur, à n.* 50. *Et quando remotior eft pauperrimus, contrarium defenditur, n.* 51.

Quando concurrunt duæ puellæ confanguineæ, præfertur remotior in legato, fi innupta redderetur: quod contra aliquos defenditur, à n. 52.

Sæpè

1 SÆpè sæpiùs testatoris legata inter pauperes distribuenda piè in suis testamentis relinquunt, tum etiam faciunt ex aliquibus bonis immobilibus fundatione, ut quotannis fructus pauperibus erogentur: quare in hoc capite agemus de his eleemosynis egenis præstandis. In primis igitur illud est certum, similia legata valida esse, etiamsi fundator, seu testator certos pauperes non nominet, verùm simpliciter dicat, *Distribuatur inter pauperes*; quia similis incertitudo tollitur per exequutores testamenti, si eos reliquerit, vel arbitrio Episcopi, qui quidem eligent pauperes ad distribuendum legatum, *l. Id quod 24. Cod. de Sacros. Eccles.* Mantica *de conjectur. lib. 8. tit. 4. ex num.* 3. Barbosa *de univ. jur. lib. 3. cap. 27. n. 70.* Carpio *de execut. test. lib. 1. cap. 16. num.* 42. Paul. Rub. *practicar. cap. 70. nu.* 8. Riccius *1. part. collect.* 126. Illud vero advertes, quod si sint exequutores, neutiquam Episcopus pauperes eliget, nisi quando non sunt. Menoch. *lib. 4. præsumpt.* 125. *nu.* 5. & 6. Castillo *lib. 5. controversiar. cap. 67. n. 40.* Leoncillus *2. p. privil. 144. n. 1.*

2 Idem dicendum, si non constet de quo loco eligendi sunt paupetes, validum enim erit legatum; si enim fuerit persona designata à testatote ad faciendam hanc loci determinationem, illud erit observandum. Barbosa *in dict. leg. Id quod pauperibus, num. 2. in fin.* Molina *de just. tract. 2. disp. 157. num.* 9. de Lugo *eod. tract. disp. 24. sect. 11. n. 279. in fin.*

3 In dubio verò quando ad id nihil disposuerit testator, distribuenda sunt legata illa inter pauperes illius civitatis, vel loci, ubi testator testamentum condiderit, & habet domicilium, *leg. Si quis ad declinandam 37. Cod. de Episcopis, & Clericis, l. 20. tit. 3. part.* 6. nam ipsi existimantur majoris affectionis apud testatorem, quàm alii pauperes, quapropter vocari censentur. Tiraquellus *privileg. causar. piar.* 56. Covarruvias *in cap. Cum tibi, de testam. nu.* 21. Gonzalez *regul. octava, glossa 2. n.* 55. Gomez *in l. 32. Tauri, num.* 4. Menochius *de arbitr. casu* 222. *num.* 4. Valdes *de eleemosyna, 3. par. fol. 80. nu.* 5. Castillo *dict. cap. 67. num.* 39. quidquid alii dicant, ut cum aliquibus tenet R. Moya *2. tom. tract. 6. disp. 6. quæst. 2. §. 7.*

4 Si tamen in loco domicilii non adsint pauperes, vicinioribus concedendum legatum scripsit Barbosa *in dict. leg. Si quis 37. num. 13. in fine*: quod admittendum censeo ob amorem, & affectionem qua prosequuntur homines compatrienses, & viciniores suæ patriæ, quidquid resistat Rubeus *pract. cap. 71. à n.* 199.

5 Temperant tamen Doctores assertum hoc quando ex aliquibus conjecturis appareat, voluisse testatorem pauperibus non domicilii sui concedere, utputà si dicat, *Distributio fiat in die sepulturæ*, & ipse decedat, & sepeliatur extra domicilium; nam tunc mens ejus fuit, ut eleemosyna fieret pauperibus illius loci ubi sepelitur. Idem dicendum quando in priori domicilio diu vixerit, & postea mutato domicilio, in alio statim decessit; videtur enim prioris domicilii pauperibus legasse, ob affectionem magni temporis, quo cum illis vixerit. Mantica *de conjectur. lib. 8. tit. 5. n.* 2. Sanchez *cons. lib. 4. cap. 1. dub. 60. n.* 3. de Lugo *d. disp. 24. n. 179. ad medium.*

6 Est verò dubium, quando testator dixerit, *Executor mei testamenti distribuat legatum inter pauperes, quos elegerit*, an tunc domiciliarii sint necessariò eligendi. Prima sententia negat ex decisione textus *in l. Cum quidam 24. ff. de legat.* 2. ubi hæres rogatus restituere fideicommissum libertis, quibus volet, etiam indignum eligere valet: ex hac enim clausula videtur liberam electionem commisisse: ergo similiter dicendum in nostra specie; nam si libera electio exequutori concedatur, poterit eligere non solùm pauperes domicilii testatoris, sed etiam forenses. Cæterum confirmatur exemplo compromissarii, qui Clericum extraneum eligere valet, *cap. Si compromissarius 37. de elect. in 6.* cùm tamen elector non nisi Clericum ipsius Ecclesiæ eligere possit, *cap. Ne pro defectu 41. de elect.* Quod idem est in executore cui electio committitur, ut liberè extraneos pauperes eligere possit, Capella Tolosana *quæst.* 128. Gregor. *in l. 20. tit. 3. part. 6. verbo De aquel lugar*, Rubeus *practicarum resolutionum dict. cap. 71. num.* 203. Sanchez *dict. dub. 60. n.* 4. Velasco *de privil. pauper. 2. part. quæst. 62. num.* 4.

7 Secunda sententia tenet contrarium; nam ex sola illa clausula, *Exequutor eligat pauperes*, minimè libera facultas commissa videtur; tunc enim decisio illa communi juri refragatur, præcipienti ut inter pauperes domicilii distribuatur. Unde non facilè est admittenda doctrina altera, nisi quando contrarium ex voluntate fundatoris constiterit. Covarr. *in dict. cap. Cum tibi, num.* 21. Menoch. *lib. 4. præs.* 125. *num.* 5. Mathienzo *in l. 14. tit. 4. lib. .. Recop. num.* 10.

8 In hoc dubio maxima consideratione prospicienda sunt verba, quibus committitur electio exequutori, an libera sit, an regulata, nam si libera sit, prout quando diceret, *Committo liberæ electioni exequutoris*, aut si adverbialiter loquatur, ita ut cognoscatur velle liberrimè illius facultati concedere pauperum electionem, de qua re Menochius *de arbitrar. quæst. 8. à num. 47. & quæst. 7. num.* 45. Farinacius *in Repert. judic. quæst. 44. cap. 1. à n.* 5. tunc exequutor rectè poterit eligere pauperes extra domicilium testatoris, quo in sensu intelligendus est textus *in dict. leg. Cum quidam*, ut benè intellexerunt de Lugo *d. disp. 24. sect. 11. num.* 279. Rubeus *dict. cap. 71. num.* 207.

9 Si tamen non ita loquatur testator, seu fundator, sed tantùm dicat, *Eligat exequutor*, aut committat ejus arbitrio, vel dicat, *quibus placeat*, id facere non valet; quia similes clausulæ tantùm dicunt electionem regulatam ad juris dispositionem, nempe ut distribuatur inter pauperes domicilii. Erunt ergo necessaria alia verba ultra hæc, ad denotandum liberum arbitrium, & electionem, ut dicunt Menochius, & Farinac. nuperrimè allegati, Moneta *de commut. ultim. volunt. cap. 7. nu.* 143. Carpio *de exequut. testam. lib. 2. cap. 2. à nu.* 1. Barbosa *de Clausul. claus. 6. &* 11. aliàs semper distributio facienda est inter pauperes domicilii. Gomez *in l. 31. Tauri, num.* 4.

10 Inter ipsos verò pauperes alii aliis sunt præferendi, nempe si consanguinei concurrant cum extraneis; tunc enim consanguinei testatoris sunt præferendi, idque voluisse testatorem ex affectione ad proprium sanguinem facilè percipitur. Padilla *in dict. l. Cum quidam 24. ff. de legat. 2. num.* 8. Mantica *de conject. lib. 8. tit. 5. num.* 3. Sanchez *dict. dub. 60. num.* 5. de Lugo *dict. sect. 11. num.* 280.

11 Inter etiam ipsos pauperes fœminæ sunt præferendæ masculis, cùm isti faciliùs possint necessaria quærere; præcipuè vero illæ anteferendæ, quæ alicui Monasterio, Hospitali, aut carceri mancipantur, quia in his periculosa est paupertas, *cap. 1. de stat. Monach. in* 6. Menochius *dict. præsumpt.* 125. *à num.* 7. Rubeus *pract. resolut. cap. 72. à num.* 46. quod non solùm teneas respectu sæcularium pauperum, sed etiam Religiosarum; quia cæteris paribus, in ratione paupertatis semper Religiosæ sunt præferendæ; cùm viri, etsi Religiosi, convenientiùs possint operari quàm fœminæ, *l. Si quis, vers. Ad filias, Cod. ad l. Jul. de adult.* tenent Baldus *in leg. Cum multa, Cod. de donat. ant. nupt. num.* 3. Mexia *in pragm. Pan. conclus. 5. num.* 42. Diana *10. part. tract. 13. resolut.* 5. Gonzalez *dict. gloss. 2. num.* 59.

12 Sed est dubium, an exequutor testamenti teneatur pauperiores anteferre minùs pauperibus. Prima sententia asserit ad id non teneri; nam Patroni laici non tenentur eligere digniorem, sed sufficit si eligant dignum, etiam in foro poli. Molina *de primog. lib. 2. cap. 5. num.* 50. Garcia *de benef. 7. part. cap. 16. num.* 18. de Lugo *de justit. disp. 32. sect.* 4. Ergo similiter exequutor poterit eligere pauperem, omisso pauperiore, & magis digno. Cæterùm voluntas testatoris est, ut distribuatur inter pauperes, cujus voluntati paritur si pauperibus concedatur: non ergo erit necessarium, ut elargiatur pauperibus. Bart. *in l. Unum ex familia, in fin. ff. de legat.* 2. Gregorius *in l. 3. tit. 16. part. 6. gloss. ult. ad med.* Mathienzo *in l. 14. tit. 4. lib. 5. Recopilat. gloss. 1. num.* 18. Mantica *de conject. lib. 5. num.* 6. Corduba *in Summa, quæst. 22. in fin.* Diana *2. part. tract. 1. Miscell. resolut. 8. in princip. & resol. 39. per tot.* Velasco *de privil. paup. 2. part. quæst. 62. num.* 5. Tapia *lib. 5. quæst. 21. art. 15. num.* 11.

13 Secunda sententia asserit, pauperiores esse præferendos, *ex d. l. Si quis ad declinandam 37. §. 5. Cod. de Episc. & Cleric.* ibi: *Qui pauperior est agnoscitur.* Qui quidem textus ad id planus videtur: tum ratione probatur, nam quando testator aliquid inter pauperes distribuendum relinquit, ejus mens est majori occurrere necessitati. Baldus *lib. 1. cons. 35. vers. Pater filio*, Craveta *cons. 149. n. 10. in fine*: quapropter ex ejus tacita voluntate satis percipitur pauperiores necessariò esse præferendos, utpore majori necessitate oppressos. Feder. de Senis *cons. 95. num.* 2. Decius *cons. 72. nu.* 3.

n. 3. Menochius *dict. præsump.* 125. *nu.* 12. Prætis *de interpret. ultimar. voluntat. interpr.* 1. *dub.* 2. *num.* 94. Azevedo *cons.* 24. *dub.* 4. *à n.* 43.

14 Tertia sententia dicit, quod si legatum tenue sit, semper pauperioribus est concedendum, quia videtur illud majori necessitati præstare; non verò si grande sit, nam facilè cognoscitur voluisse testatorem illa grandi eleemosyna non solùm pauperioribus, verùm etiam pauperibus subvenire. Rubeus *practic. cap.* 72. *à n.* 50.

15 In hac difficultate cum aliqua confusione se gerunt DD. aliqui enim loquuntur quando electio commissa est simpliciter exequutori, quo casu inquiunt non teneri eligere pauperiorem. Alteri loquuntur, si testator tantùm dicat, *Distribuat inter pauperes*. Alii verò in utroque casu.

16 Quare dico in primis, quod si absque aliqua sibi commissa electione, exequutor teneatur distribuere legatum inter pauperes, si testator dixerit inter pauperiores esse distribuendum, necessariò observandum erit; quod idem dices si aliqua verba apposuerit testator, unde percipiatur voluisse testatorem præferre pauperiores, ut tenent communiter Diana *d. tr.* 1. *resolut.* 39. *in fine*. Castillo *dict. lib.* 5. *cap.* 67. *num.* 34.

17 Si verò aliquo modo non demonstret suam voluntatem, in dubio dicendum, pauperiores esse præferendos, non tamen scrupulosè, & rigidè inquirendo de pauperioribus, sed quando de majori necessitate dignosceretur, idque sufficienter indicat textus *in dict. leg. Si quis ad declinandum*, ibi: *Qui pauperior agnoscitur*. Quæ verba indicant apertè, quod si aliquis pauperior absque investigatione scrupulosa agnoscatur, erit præferendus. Cæterùm, quia opus magis pium est majori necessitati opitulari, ideo in dubio credendum, voluisse testatorem pauperiorem præferri, si agnoscatur adesse in majori egentia, & necessitate.

18 Secundò dico, quod si testator dicat, *Eligat exequutor, seu commissarius pauperes*; tunc aliqui Doctorum dicunt, sufficere eligere pauperem; nam ex eo quod ei electionem commiserit, videtur voluisse ei committere, ut gratificaret quos voluerit, dummodo pauperes sint, ut cum Bart. & aliis tenet Mantica *dict. tit.* 5. *num.* 6. Sed tamen distinguendum, quando id committitur arbitrio regulato, aut libero, prout suprà dicebamus; quia si libero, poterit pauperes, omissis pauperioribus, eligere; secus si regulato, quia per illam commissionem nequit à juris regulis discedere, *l. Fideicommissa* 11. §. *Si fideicommissum* 5. *vers. Quamquam, ff. de legat.* 3. Parisius *vol.* 3. *cons.* 45. *nu.* 16. Fagnanus *in cap. Ne innitaris, de const. num.* 238. quæ cùm petant pauperiorem esse præferendum, præferri debet, tantùm concesso arbitrio regulato. Molina *de primogen. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 69. Sanchez *dict. dub.* 60. *num.* 10. de Lugo *dict. sect.* 11. *n.* 284.

19 Non tamen admitterem doctrinam Manticæ *dict. tit.* 5. *num.* 8. asserentis, quod si liberum arbitrium concedatur exequutori, tunc pauperes indignos posse eligere: hoc enim repugnat menti testatoris, qui voluit bonum suæ animæ prospicere, distribuendo eleemosynas inter pauperes dignos, & virtute præditos; noluit tamen vitiosis, & indignis succurrere, quos alere magis est eorum vitia cibare, quàm charitatem exercere. Interim tamen si digni non adsint poterunt eligi, insimul alliciendo eos ad virtutem, ex traditis à Rubeo *dict. cap.* 71. *à num.* 250.

20 Dubitatur verò, an quando exequutor tenetur pauperioribus eleemosynam distribuere, si contrarium fecerit, teneatur ad restitutionem? Prima sententia negat; nam pauperiores non habent jus acquisitum, quapropter licèt exequutor peccet graviter non dans pauperioribus, non tenebitur ad restitutionem, cùm nullius jus læserit. Corduba *in Summa, quæst.* 73. Rodriguez *in Summa, tom.* 1. *cap.* 98. *in fin.* Lopez 1. *part. instruct. conscient. cap.* 136. §. *At hæsitare*, Diana *d. resol.* 39. *in fin.*

21 Secunda contrarium tenet; nam cùm pauperiores, & digniores sunt eligendi, non in gratiam Communitatis, vel Reipublicæ legatum est relictum, sed eligendorum, & ita acquirunt jus ex voluntate relinquentis, prout si legaretur consanguineis, aut Virginibus; nam si extraneis, aut conjugatis daretur, exequutor ad restitutionem teneretur: Ergo similiter si præcisè dandum fuerit pauperioribus. Sanchez *d. dub.* 60. *num.* 13. de Lugo *dict. sect.* 11. *num.* 284.

22 Hæc ultima sententia tenenda, quando legatum relinquitur pauperibus incertis de certis, veluti si dandum est pauperibus alicujus familiæ, vel alicujus oppidi; tunc enim licèt incertæ sint personæ in individuo, certæ tamen sunt quatenus de familia, aut de oppido existunt, quare acquirunt jus ad legatum, quo si priventur ab ipso exequutore, restituere ipse tenebitur. Secus si fuerint pauperes incerti de incertis, qui nullum jus tenent, nisi ab exequutore jam fuerint nominati, & designati ad eleemosynam: quo in sensu hæ duæ opiniones conciliantur.

23 Si verò inter exequutores contentio sit, nec rectè distributionem observent, aut si observent, aliquis tamen dissentiat, dabitur recursus ad Episcopum, qui de jure difficultatem supiet, cum Mexia docet Diana *dict.* 10. *part. tract.* 13. *resol.* 5. Sed est difficultas, an quando liberum arbitrium committeretur exequutori, & ante electionem pauperum decedat, devolutio fiat ad Episcopum, ita ut ipse Episcopus possit quoslibet pauperes eligere, prout poterat ipse exequutor defunctus, si viveret? Et aliqui negarunt, nam liberum arbitrium eligendi pauperes tantùm concessum est personæ exequutoris, de quo fidebat testator: quapropter nequit devolvi electio cum illa qualitate liberi arbitrii, prout defunctus. Cæterùm probatur aliquorum doctrina asserentium, quod si exequutor, cui libera electio commissa est, non eligat, tunc pauperibus domicilii danda est eleemosyna, *Auth. de Ecclesiast. tit.* §. *Si quis autem, collat.* 6. tenet cum Bart. & Castrensi Gomez *in l.* 40. *Tauri, num.* 49. *vers. Unum tamen est*, & *tom.* 1. *variarum, cap.* 12. *numer.* 48. *vers. Item adde*. Ergo cùm defunctus fuerit exequutor, & libero arbitrio usus non fuerit, devolutio non fiet ad Episcopum cum illa qualitate, sed necessariò distributio facienda est ab illo inter pauperes domicilii testatoris. Bart. *in d. l. Cum quidam* 24. *ff. de legat.* 1. *num.* 9. Felinus *in cap. Si quis contra, de for. competent. num.* 2. Jacobus à Canibus *de exequut. ult. volunt.* 3. *par. nu.* 14. Sanch. *cons. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 52. *num.* 2.

24 Alteri verò tenent contrarium, nempè si exequutor negligens sit, aut vita functus, ad Episcopum devolvi distributionem cum qualitate liberè eligendi; nam qualitas illa est pars distributionis, vel saltem requisitum necessarium secundùm voluntatem testatoris ad illam faciendam: quapropter sicut devolvitur ipsa distributio, similiter ipsa qualitas electionis, *ex l. Nulli* 28. *Cod. de Episcop. & Clericis*. Cæterùm illa qualitas electionis concessa est favore pauperum, non verò exequutoris, ut animadvertit Covarruvias *in cap. Nos quidem* 3. *de testament. num.* 11. ergo debet devolvi ad Episcopum, ut favore illo utantur pauperes. Denique voluntas testatoris est, ut pauperes eligendi distributionem eleemosynæ percipiant: ergo necessariò debet qualitas electionis devolvi, ut ejus votum exequatur, ut *in d. cap. Nos quidem*, tenent Ancharanus *num.* 10. Immola *nu.* 14. Covarruv. *num.* 7. Padilla qui alios dat *in dict. l. Cum quidam, num.* 27. Barbosa *de univers. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 45. Diana 8. *par. tract.* 5. *resol.* 61.

25 Hanc ultimam sententiam admitto ex illo principio, quod quoties devolutio fit ad Episcopum, debet fieri cum eisdem qualitatibus, prout fieri debuit ab exequutore, vel patrono; quia devolutio nihil aliud est, nisi in locum exequutoris, vel patroni Episcopum subrogare, qui recipit naturam subrogati, *l.* 1. *ff. de solut. l. Si eum*, §. *Qui injuriarum, ff. Si quis caut.* quare intrant cum eisdem qualitatibus, prout habebat persona, cui fit subrogatio. Lara *de Capell. lib.* 2. *cap.* 10. *nu.* 27. Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *par. allegat.* 126. *nu.* 83. Ergo devolutio fieri debet cum eisdem qualitatibus eligendi liberè pauperes, quibus facienda est distributio. Rursus id procedit ex voluntate testatoris; nam cum sciat, ex negligentia, aut quia exequutor deficere valet, devolutionem faciendam esse ad Episcopum, quia ista est dispositio Juris, quam non præsumitur ignorare, *l. Leges Sacratissimæ* 9. *C. de legibus, l. Constitutiones* 12. *C. de jur. & fact. ignorant.* Surdus *cons.* 349. *num.* 50. & tamen in devolutione non tollit illam electionem exequutoris, videtur eam etiam Episcopo concessisse, nec minùs quàm de exequutore fiduciam habuisse, unde transibit etiam per devolutionem ad Episcopum, & consequenter argumenta contrariorum dilabuntur.

26 Est aliud dubium non prætereundum, an quando legatum distribuendum est inter pauperes, possit uni tantùm applicari. Prima sententia asserit id fieri posse, *ex l. Unum ex familia* 67. §. *Sed si fundum* 5. & §. 6. *ff. de legat.* 2. ubi

cùm

cùm fundus esset relictus fideicummissario hæredi, ut de familia non exeat, licèt in ea plures sint, sufficit uni concedere: Ergo idem dicendum est in hac specie. Sed textus iste assumptum non probat, quia voluntas testatoris tantùm fuit, ne de familia exiret, non autem ut inter multos distribueretur: cui verè paritur, si uni tantùm fundus concedatur. Sed ratione probatur, nam cùm mens testatoris sit ob bonum suæ animæ, & Dei amorem, indigentium necessitati succurrere, totum id consequitur unius pauperis indigentiæ occurrendo: ergo sufficiet uni pauperi concedere eleemosynam illam. Castrensis *in d. l. Vnum ex familia*, §. *Sed si non*, & *in l.* *Cùm quidam* 24. *num.* 4. Alex. *vol.* 7. *cons.* 109. *num.* 7. Gomez *in l.* 40. *Tauri*, *numer.* 48. *in fin.*

27 Secunda sententia asserit, inter plures esse necessariò distribuendum, nec sufficere uni concedere; quia pluralis numerus uno solo contentus non est, *l. Vbi numerus* 13. *ff. de testibus*, *l. ult. ff. ad Trebell.* Mascardus *conclus.* 838. *num.* 12. Escobar *de ratiociniis*, *cap.* 18. *num.* 43. idcircò cùm dicat testator, *Inter pauperes distribuatur*, non uni tantùm pauperi valet concedi. Tum illud verbum *Distribuere*, ostendit ut inter plures distribuatur, ut plurimorum necessitati occurratur: quare non satisfit voluntati legantis, si tantùm uni concedatur. Mantica *dict. lib.* 5. *tit.* 5. *nu.* 18. Gregorius *in l.* 3. *tit.* 10. *par.* 6. *verb. Tuviere por bien.* Mathienzo *in l.* 14. *tit.* 4. *lib.* 5. *recopilat. gloss.* 1. *num.* 13. Azevedus *in l.* 5. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recopilat. nu.* 19. Sanchez *cons. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 60. *nu.* 7. Palao *oper. mor.* 1. *tom. tract.* 6. *disp.* 2. *punct.* 14. *num.* 9. de Lugo *dict. disp.* 24. *sect.* 11. *num.* 285. Barbosa *de offic. Episc.* 3. *part. allegat.* 83. *n.* 19. Martinus à S. Joseph *in Monit. Confess. tom.* 1. *lib.* 2. *tract.* 40. *n.* 3. Tapia *dict. art.* 15. *num.* 11.

28 Tertia sententia est Dianæ 10. *part. tract.* 11. *resol.* 59. ubi asserit inter duos pauperes posse legatum distribui, quia pluralis numerus duorum numero contentus est, *cap. Pluralis loquutio* 40. *de reg. jur. in* 6. *l. Inter alia*, §. *fin. de verb. obligat.* Cenedus *sing.* 80. *n.* 3. Novarius *quæst. For. lib.* 1. *q.* 15. *nu.* 30. quapropter licèt dicat, *Inter pauperes distribuatur*, sufficiet inter duos distribuere.

29 In hoc dubio dicendum existimo, quod si legatum sit magnæ quantitatis, observandam esse secundam sententiam, & tunc nec uni, nec duobus sufficiet distribuere: nam cùm clara sit voluntas testatoris, ut plurimorum necessitatibus occurratur ex illa magna quantitate, nisi inter plures distribuatur, non adimpletur ejus voluntas: secus verò si quantitas legati fuerit tenuis, aut ita mediocris, ut tantùm sufficiat ad sublevandam necessitatem alicujus pauperis: tunc enim sequi poterit prima sententia, dari uni pauperi, quia melius est, ut uni pauperi succurratur, quam multis tam minutissimis eleemosynis, ut omnes in necessitate relinquantur, idque arbitrium boni viri requirit, quod observare tenetur exequutor, ut scripsit Sarmientu *d. l. Cùm quidam*, *num.* 12. quare in legatis parvis id tenere poterit distributor. Menochius *lib.* 4. *præs.* 125. *n.* 25.

30 Hac distinctione resolves quid dicendum in tertia sententia, asserente duobus legatum concedi posse; si enim legatum est magnæ quantitatis, hanc non admittere placet, quia pluralis numerus duobus contentus non est, præsertim si repugnaret voluntati testatoris, *l.* 1. *ff. de opt. legat.* verbi gratia quando quis legasset statuas Apostolorum Domini, quia hæres duas dando non satisfaceret, sed duodecim dare deberet, quia illa fuit mens legantis; nam Apostoli sunt duodecim. Bart. *in l. Titia*, §. *Seie*, *ff. de aur. & argent. legat.* Diana *dict.* 10. *part. tract.* 11. *resol.* 59. *vers. Non obstat dicere.* Ergo quando testator magnam quantitatem reliquerit inter pauperes distribuendam, cùm sit ejus mens ut plurimorum indigentiæ succurratur, pluralis numerus duobus contentus nequit reputari. Aliter verò si parvum fuerit legatum, ut diximus.

31 Huic consequens alia disquisitio, an quando legatum uni pauperi relinquitur, possit inter duos exequutor illud dividere? Et communior est sententia, id posse facere, *ex dict. leg. Vnum ex familia* 67. §. *Sed et si fundum*, *ff. de legat.* 2. ubi si legatum relinquitur uni ex familia, deciditur posse dividi inter duos. Cæterùm ratione ducitur, nam aliquando numerus singularis resolvitur ad pluralem, & duos continet. Romanus *singul.* 454. ut libet videre, quando testator commiserit exequutori, ut unum filium melioret; tunc enim poterit duos meliorare. Gomez *in leg.* 40. *Tauri*, *numer.* 48. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 45. Angulo *de meliorat. l.* 2. *gloss.* 4. *num.* 2. Ergo exequutor rectè poterit legatum uni pauperi dandum inter duos dividere, ut cum Baldo tenet Castrensis *in dict. leg. Cùm quidam*, *num.* 4. Menochius *dict. præsumpt.* 125. *num.* 23. Sanchez *dict. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 60. *n.* 8. Martinus à S. Joseph. *dict. tract.* 40. *num.* 4. Diana *dict. resolut.* 59. *in fine*, Carpio *de execut. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 43.

32 Doctrina ista solidum fundamentum non habet, nam licèt textus *in dict. leg. Vnum ex familia*, §. *Sed si fundum*, ex sensu aliquorum adducatur ad probandum, quod legatum relictum uni de familia possit inter duos dividi, ut suscipiunt Segura *ibidem*, *num.* 56. Padilla *num.* 4. Peralta *num.* 5. Angulo *dict. gloss.* 4. *num.* 2. textus tamen ille illud non probat, quia tantùm differit Consultus, quando fundus relictus est familiæ, quomodo repeti valeat à personis ipsius familiæ, si extraneis concederetur contra voluntatem testatoris? Et inquit omnes de familia petere posse. Si verò concederetur duobus de familia, & extraneo, pro illa parte extraneo concessa repetitio competit; hoc enim assumptum non probat, quia non loquitur, quando uni concedi præcipitur; de hoc enim tantùm loquitur Consultus in principio textus, cujus resolutio longè se habet ab specie, de qua tractamus, ut benè considerat de Lugo *dict. disp.* 24 *sect.* 11. *nu.* 286.

33 Alterum fundamentum, quod numerus singularis in pluralem aliquando resolvatur, valet admitti, si casus petierit, nec repugnet voluntati legantis, prout hic quando expresse jubet uni pauperi concedere,

Quare de Lugo nuperrimè allegatus asserit prospiciendum, an quando uni pauperi legatur, velit, necne testator indivisum legatum remanere, ut magis obligetur; aut quia vult in familia remanere, ne alienetur, aut dividatur, & tunc nequit dividi inter duos, sed necessariò est uni tribuendum: quando verò testator formaliter id non intenderit, sed quod distribuatur inter plures, aut uni concedatur, id poterit observari ab exequutore, tanquam verisimilius; itaque poterit dividere inter duos, aut plures.

34 Cujus sententiam admitto, si grande legatum; aliàs si parvum, necessariò est uni præstandum: nam si magnum, ex præsumpta voluntate testatoris melius est occurrere necessitati duorum, vel plurium, quàm unum ditare: si verò sit parvum, voluit testator unius necessitatem sublevare, non verò inter plures dividere cum nullius commoditate, & sublevatione.

35 Rursus si exequutori commissa sit pauperum electio, poterit alicui pauperi dare eleemosynam ad tempus, ita ut illo transacto, aliis pauperibus restituat. Ratio, nam sicut illi commissa est electio, & distributio in re, ita commissa videtur in tempore, ut cui velit, præstet ad tempus. Castren. *in dict. leg. Cùm quidam*, *ff. de legat.* 2. *num.* 4. Bart. *in l. Vnum ex familia* §. *Sed si fundum*, *eodem tit. num.* 2. ubi Peralta *n.* 18. Segura *num.* 158. Sanchez *dict. dub.* 60. *n.* 15. de Lugo *d. sect.* 11. *n.* 287.

36 Sarmiento verò *in l. Vnum ex familia*, §. *Si de Falcidia*, *num.* 12. contrarium tenet; nam licèt electio exequutori concedatur ad distribuendum inter pauperes, vel illos eligendos, id est tantùm ad concedendum simpliciter, non verò ad mercimonium, gravando recipientem ut postea restituat; quia esset agere contra voluntatem relinquentis.

37 In re dicendum, quod si testator disponat, ut detur die funeris, aut signanter tali die, simpliciter esse dandum absque aliquo gravamine, quia fuit testatoris voluntas, ut simpliciter daretur, de Lugo *dict. sect.* 11. *num.* 287. *in fin.* Si verò diem non designaverit, puto admittendam primam sententiam Sanchez, de Lugo, & aliorum; nam reverà etiam ad tempus cum obligatione aliis pauperibus restituendi distributio fit inter ipsos pauperes, prout præceperat testator, & tantùm prima eleemosyna fit ad usum, seu usumfructum, cum gravamine restituendi: quod concedendum quando prædium pauperibus relinqueretur.

38 Si verò quod legatur, sit pecunia, aut res, quæ usu consumuntur, Sarmienti admitto sententiam; nam cùm res istæ consumendæ sint à paupere, illis consumptis, ipsum gravare ut restituat, nō est sublevare ejus indigentiam, verùm magis gravare: quapropter mens testatoris fuit, ut simpliciter daretur, non verò cum aliquo gravamine restituendi.

Est

39 Est aliud dubium non prætereundum, an si certo tempore, vel die designaverit testator distributionem inter pauperes esse faciendam, possitne hæres, vel exequutor ante illud distribuere? Prima sententia negat, nam suprema voluntas testatoris specificè est observanda, quapropter si certo tempore distributionem fieri præceperit, præcisè in illo est facienda, alias ageretur contra ejus voluntatem. Cæterùm ante tempus nec hæres, nec exequutor habet mandatum ad distributionem: Ergo ex defectu mandati nequit ante tempus fieri distributio. Denique adesset præjudicium tertii, nempe illorum pauperum, qui tunc temporis erant eleemosynam recepturi: quare ante tempus nequit fieri distributio. Bart. *in l. Cùm pater* 79. §. *A filia*, *ff. de legat.* 2. Angel. & Jas. *in l. Post mortem* 12. *C. de fideicom. numer.* 6. Prætis *de interpret. ult. volunt. lib.* 5. *dub.* 2. *interpret.* 1. *num.* 74. & alii relati à Cevallos *quæst.* 684. Carpio *de exequut. lib.* 2. *c.* 19. *num.* 33.

40 Secunda sententia tenet contrarium, *ex l. Si post mortem* 12. *de fideicommiss.* ubi post mortem rogatus restituere hæreditatem, si ante restituat, explorati juris est fiebat posse. Ergo similiter distributionem poterit facere inter pauperes. Idem exemplo majoratus comprobatur; nam si aliquis instituat primogenium, & instituat Petrum, ut ipse post mortem Joanni restituat, rectè ante obitum, si vult, restituet. Molina *de primogeniis*, *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 26. & 27. & ratio est, quia tunc nullum præjudicium fit, nisi ipsi restituenti, quapropter poterit ante tempus restituere: ergo cùm nullum fiat præjudicium, nisi ipsi hæredi, aut exequutori, quatenus privantur facultate eligendi tempore illo adveniente, rectè distributio fiet ante tempus. Denique pauperibus illius temporis nulla fit injuria, quia testator solùm voluit bonum suæ animæ, absque aliqua affectione ad pauperes: ergo rectè ante tempus fiet inter pauperes distributio. Gomez *in leg.* 17. *Taur. num.* 7. Spino *de testament. gloss.* 28. *num.* 71. Gonzalez *de alternativis*, *gloss.* 2. *num.* 48. Thoro *in Summa*, *privileg.* 23. Cevallos *dict. quæst.* 684. *n.* 4. Gratianus *discept. for. tom.* 1. *cap.* 73. *n.* 1. Sanch. *cons. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 12. *a n.* 4. Diana 4. *par. tract.* 4. *resolut.* 140. Lima *ad Molin. dict. lib.* 2. *cap.* 4. *à num.* 22. & 25. *versic. Hoc limitatur.*

41 In hoc dubio dico, quod si pauperes sint certi, & designati à testatore, quibus facienda est distributio, hæc secunda sententia certa est; nam tunc tempus positum est solùm favore hæredis, aut executoris, cui poterit renunciare: quapropter rectè ante tempus distributio fiet, quo in sensu loquitur Thoro *d. privileg.* 23. & in restitutione majoratus consentit Molina *d. cap.* 4. *num.* 26.

42 Si verò incerti sint pauperes ex certis, veluti si dixisset testator, *Distribuatur quotannis in fine anni inter pauperes meæ familiæ*, tunc existimo invalidam esse distributionem ante tempus factam, nam tunc præjudicium inferretur illis pauperibus, qui de familia extarent illo tempore, prout rectè observant in restitutione majoratus Molina *dict. cap.* 4. *num.* 23. Paz *de tenut. cap.* 34. *à nu.* 52. Cartarius *decis.* 35. Mena *variar. lib.* 3. *quæst.* 22. *à n.* 16. Petrus Molina *de justit. tract.* 2. *disp.* 593.

43 Quod idem dicendum videtur, etiamsi dicat, *Distribuatur inter pauperes*; nam clausula ista recipit interpretationem inter pauperes domicilii, ut diximus, quos cùm speciali affectione prosequatur, dicendum non est, voluisse solum bonum suæ animæ, absque aliqua affectione, vel voto ad pauperes: quare prout diximus de pauperibus familiæ, ita dicimus de illis qui sunt domicilii testatoris.

44 Similiter ante tempus nequit fieri distributio, si dicat testator, *Distribuatur die Sancti Ioannis*, aut alterius Sancti; quia id positum videtur ob devotionem illius, & nequit anteponi, ut benè notat Thoro *dict. privil.* 23. Gratianus *dict. cap.* 73. *a num.* 2. Cevallos *dict. quæst.* 684. *num.* 4. Lima *dict. cap.* 4. *n.* 22. & 25. *vers. Hæc limitatio.* Carpio *de exequut. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 6.

45 Admitterem tamen secundam sententiam casu quo legatum relictum fuerit pauperibus, non solùm domicilii, verùm etiam forensibus, ita ut fuissent incerti de incertis, in quibus nulla affectio poterat considerari testatoris respectu pauperum, sed solùm favor hæredis, aut exequutoris, & bonum suæ animæ: quo in casu benè procedunt fundamenta illius sententiæ, quam etiam tenet Ludovicus à Concept. *in Exam. Theolog. Moral. tom.* 1. *tract.* 2. *casu* 26. *n.* 2.

Similiter dico quando ante tempus deberetur distributio, veluti si personis incertis ex certis ad nuptias aliquid eis distribuendum foret certo tempore, verùm an ante matrimonium contraxerunt; tunc enim verè, realiterque deberetur, & solutio similiter facienda foret tempore illo assignato à testatore; & tamen rectè exequutor ante tempus præstabit, si voluerit, quia reverà debetur, & tantùm solutio differtur. 46

Rursus si testator dicat, *Distributio fiat inter pauperes meos consanguineos*, id erit observandum, ita ut semper proximior præferatur: nam quoties testator aliud non expresserit, intelligitur ordine successivo eos vocasse, prout proximiores sunt, *leg. Peto* 69. §. *Fratre*, *ff. de legat.* 2. *l. Si agnatis*, *ff. de rebus dubiis*, ubi Bartol. *num.* 2. Ergo semper proximiores sunt præferendi. Mieres *de majorat.* 1. *part. quæst.* 72. Mantica *de conject. lib.* 8. *tit.* 12. *num.* 15. Guttierrez *practic. lib.* 2. *quæst.* 67. *nu.* 3. Azevedus *cons.* 16. *num.* 19. Lopez 1. *part. instr. conscient. cap.* 138. Sanchez *dict. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 62. *n.* 1. de Lugo *dict. sect.* 11. *num.* 290. 47

Hoc verò limita, quando electio libera exequutori fuerit commissa; tunc enim remotiorem pauperem consanguineum valet eligere, quia id totum ejus arbitrio fuit commissum. Gomez *in l.* 40. *Taur. numer.* 41. *in fin.* Si verò tantùm electio regulata fuerit concessa, id non admittes, verùm proximior præferetur. Spino *de testament. gloss.* 6. *num.* 16. Rojas *in epit. success. cap.* 32. *à num.* 11. 48

Est tamen disquirendum, an si concurrant proximior consanguineus pauper, & pauperior remotior, quisnam sit præferendus? Et communis est sententia, proximiorem, licèt minùs sit pauper, anteponendum; nam testator intelligitur magis dilexisse proximiorem, qui cùm pauper sit, voluit eum præferri, ex causa magis naturali, *l. Si tutor*, §. 1. *ff. de excusat. tut.* Bart. *in l. fin. ff. de offic. Proconsul.* Ant. Eugen. *cons.* 27. *numer.* 8. Menochius *lib.* 4. *præsumpt.* 112. *num.* 5. Cæterùm quoties aliquid relinquitur pauperibus consanguineis, magis relictum videtur contemplatione sanguinis, quàm pietatis. Menochius *dict. nu.* 5. Tiraquellus *de privil. caus. piar. in præfat. num.* 16. idcircò proximior pauper est anteferendus quatenus proximior, licèt alius sit magis pauper. Peralta *in l. Unum ex familia*, §. *Si de Falcidia*, *ff. de legat.* 2. *nu.* 13. Azevedus *cons.* 16. *à numer.* 12. Spino *de testam. gloss.* 6. *nu.* 16. Sanchez *dict. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 62. *num.* 10. 49

Sed hæc fundamenta non convincunt, nam in his distributionibus piis, quæ fiunt pauperibus, etiam consanguineis, intuitu pietatis magis esse censentur, quàm consanguinitatis, seu familiæ. Azevedus *dict. cons.* 16. *à numer.* 16. Mantica *lib.* 12. *conject. tit. ultim. num.* 30. quia principaliter prospicitur animæ bonum, ut per Novarium *de elect. for. quæst* 51. *à nu.* 3. Bossius *de testament. ad pias causas*, *tit.* 12. §. 4. *num.* 247. Unde sequitur, affectionem ex sanguine respectu alterius consanguinei, aut considerationem familiæ non efficere argumentum concludens. 50

Quare si remotior parum sit pauperior, semper est præferendus proximior pauper, quia non est sufficiens causa, ut illa tacita vocatio testatoris per successionis ordinem ad illam distributionem regulariter observanda, *l. Heredes mei*, §. *fin. ff. ad Treb.* Decius *cons.* 1. *à num.* 1. tam facilè omittatur. Si verò remotior pauperrimus sit, vel egestate laboret, rectè meo videri præferetur; quia in his legatis piis, quod principaliter intenditur, est charitas, & pietas; secundariò verò consanguinitas, & minùs principaliter. Thesaurus *lib.* 1. *quæst. forens. quæst.* 44. *num.* 2. Thoro *in Summa*, *privileg.* 175. *ad finem*. Genuensis *tricen.* 20. *quæst.* 473. Gratianus *discept. for. cap.* 605. *num.* 28. quare cùm major sit pietas succurrere pauperrimo consanguineo, licèt remotiori, quàm proximiori pauperi, iste erit præferendus. Præterea, ut jam dictum est, in opere isto est optima interpretatio voluntatis testatoris, ex his quæ verisimiliter ipse fecisset, si casum, & ejus occurrentiam vidisset, *ex l. Tale pactum* 40. §. *Fori*, *ff. de pact.* Mieres *de majorat.* 4. *part. quæst.* 11. *limit.* 1. *num.* 13. 51

num. 13. Mantica *lib.* 3. *de conject. tit.* 3. *num.* 19. Cùm ergo si vidisset testator consanguineum pauperrimum, & egenum, verisimiliter ex pietatis causa illum præferret proximiori pauperi, similiter dicendum id fieri posse à distributore eleemosynæ, ut tenet Rodriguez *in Sum. tom.* 1. *cap.* 6. *n.* 8. *in fin.*

52 Unde resolvendus alius casus in praxi obvius, quando testator reliquerit legatum ad maritandas consanguineas, & una sit in quarto gradu consanguinitatis, altera in quinto, quæ sponsalia contraxerat, & si legatum illi non præstaretur, innupta redderetur, quia pauper, aut annosa est, an præferri debeat proximiori consanguineæ? Et in foro poli affirmant Corduba, & alii relati, & sequuti ab Azevedo *dict. cons.* 16. *num.* 19. *in fin.* negat tamen Sanchez *dict. dub.* 62. *num.* 6.

53 Verùm probabiliter contrarium amplectendum censeo in utroque foro, ex fundamentis relatis *a nu.* 50. Tum quia proximiori in his casibus nullum jus est acquisitum, ut existimabat Sanchez *dict. dub.* 62. *num.* 7. nam iste est casus irregularis, & non comprehensus in generali dispositione testatoris; sed resolvendus ex aliis juris regulis, negantibus jus proximiori ex voluntate interpretativa fundatoris, qui si vidisset necessitatem, & urgentiam remotioris consanguineæ, similiter providisset, ut cum aliquibus tenet Castillo *controvers. lib.* 5. *c.* 113. *n.* 16. quare cùm nullum jus sit acquisitum proximiori, benè ob necessitatem legatum remotiori præstabitur; idque melius ad praxim adducetur, si legatum sit annuum, quia proximior sequenti anno poterit illud legatum percipere, quod dicit probabile Trullench *in Decalog. lib.* 7. *capite* 18. *dub.* 12. *n.* 9.

CAPUT V.

Prosequitur materia antecedens.

SUMMARIUM.

An si exequutor pauper sit, possit sibi aliquam partem eleemosynæ applicare. Prima sententia negat, n. 1. *Secunda affirmat, n.* 2. *Tertia distinguit, n.* 3. *Quarta rejicit distinctionem, n.* 4. *Resolvitur à n.* 5.

Exequutor poterit ad distributionem filios suos pauperes admittere, licèt sint spurii, sicut & familiares, & consanguineos, num. 8.

Filius spurius testatoris, si aliàs alimenta percepit, nequit ad distributionem admitti, n. 9. *Si plures sint exequutores, & unus pauper, iste ab aliis benè admittitur, n.* 10.

An quando Monachus est exequutor, possit aliquid applicare suo Monasterio, tres sunt sententiæ, sed respondetur affirmativè, n. 11. *& sibi etiam applicare poterit, n.* 12.

Sed an id facere possit, quando legatum relictum est Monasterio. Prima sententia negat, num. 13. *Secunda affirmat, n.* 14. *Tertia distinguit, n.* 15. *Resolvitur, a num.* 16. *ubi expenditur lex* 19. §. Qui Marco, ff. de ann. legat. *num. seqq.*

An hoc legatum possit dari pauperibus inimicis testatoris? Negant plures, num. 21. *Sed contrarium defenditur, à num.* 22.

In hac distributione semper est observanda voluntas testatoris, ut si designet certas personas, vel ex loco certo, vel dicat, Detur pauperibus ad portam, *vel* verecundis, *vel* Clericis, *n.* 24. *&* 25.

Potest dari pauperibus factis ex sua culpa, tum pro Animabus Purgatorii, n. 26.

Si testator reliquerit mille pro male ablatis, vel exoneratione conscientiæ, sed postea constet debere tantum quingenta, an ad distributionem trahenda sint mille, resolvitur, num. 27.

Quando distributio est facienda petito consilio, debet peti, sed non sequi, nisi dicat testator, Secundum consilium, *aut* juxta, *n.* 28. *Non tenebitur ad restitutionem, si id omiserit, n.* 29. *Petitio autem consilii semper debet præcedere, num.* 30.

An si exequutor jam elegerit, aut designaverit pauperes, possit alios eligere, prima sententia affirmat, n. 31. *Secunda negat, n.* 32. *Resolvitur, à n.* 33.

Quando testator dicit, Quotannis distribuatur pecunia inter pauperes, *an possit unica vice omnem illam pecuniam expendere, aliqui negant, alteri affirmant, num.* 34. *Resolvitur, à n.* 36.

An uni pauperi possit dari plusquam alteri, negat Gratianus, sed explicatur, n. 37.

Quando uni pauperi certo legatum relinquitur, & ante receptionem decedit, an alteri dandum, cum distinctione resolvitur, n. 38.

Quis dicatur pauper, n. 39. *An dandum pauperibus secundùm statum, negant aliqui, n.* 40. *Sed contrarium dicendum, n.* 41. *& aliis, de quibus, n.* 42. *&* 43.

Sed an hoc legatum pauperibus relictum possit dari Fabricæ Ecclesiæ, negant aliqui, n. 44. *Alteri affirmant, n.* 45. *Admittitur, & explicatur, n.* 46.

Si dicat testator, Distribuatur inter pauperes nobiles, *an possint admitti nobiles ex privilegio, affirmativè respondetur, n.* 47.

Quis pauper sit, & quando præsumatur paupertas, ita ut sit necessario probanda, quando quis in ea se fundat, num. 48. 49. *&* 50.

Paupertas quando probatur per testes, de ea deponere debent, à num. 51. *Traduntur alii modi eam probandi, à n.* 52. *ad fin.*

Caput istud incipiamus eleganti quæstione, an exequutor, vel distributor eleemosynarum inter pauperes, si pauper sit, possit sibi ipsi aliquam eleemosynam applicare. Prima sententia negat, ex decisione textus *in leg. Si mandavero* 22. §. *Si tibi centum* 7. *ff. mandati*, ubi si mandatum fuerit alicui, ut det centum cui voluerit, si consumpserit, & non dederit, reus erit mandati; non enim centum potuit sibi applicare, & consumere. Cæterùm qui tenetur aliis concedere, nequit sibi rem illam applicare, ut patet in patrono, qui non valet seipsum præsentare, *cap. Per nostras* 26. *de jurepatron.* Ratione probatur, nam ex eo quod testator suam paupertatem agnovit, nec exequutori, seu distributori aliquid reliquit, apparet mentem ejus fuisse, ut nihil ex eleemosyna illa perciperet: Ergo nullam partem poterit sibi applicare. Sarmiento *in d. l. Cùm quidam* 24. *ff. de legat.* 2. *num.* 22. Spino *de testam. gloss.* 28. *num.* 28. Mantica *lib.* 8. *conjectur. tit.* 5. *num.* 9. Barbosa *de univers. jur. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 6. Rubeus *pract. cap.* 76. *n.* 270. Sanch. *d. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 58. *n.* 1. Layman *in Sum. lib.* 3. *tract.* 6. *cap.* 11. *n.* 7. 1

Secunda sententia tenet contrarium, nam cùm exequutor, seu distribuens sit verè pauper, paritum est voluntati testatoris præcipienti facere distributionem inter pauperes: nec ex eo quod exequutor sit, debet esse pejoris conditionis, quam sunt alii pauperes. Denique dici non valet, ipsum exequutorem sibi ipsi dare, sed recipere à testatore. Ratio est, nam reverà dat ipse legans, licèt media electione, seu distributione ipsius exequutoris, seu distribuentis, *l. Unum* 67. §. *Si de Falcidia*, *ff. de legat.* 2. Gomez *in leg.* 40. *Tauri*, *n.* 48. *vers. Item adde.* Quare non sibi dat, verùm recipit à testatore, sicut alii pauperes ab eo recipiunt. Tenent plures apud Sanchez *dict. dub.* 58. *n.* 5. Bonacina *de charitat. disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 6. *num.* 27. Suarez *de charitat. disput.* 7. *sect.* 1. *num.* 9. Sanch. *in Select. disp.* 14. *num.* 1. 8. Diana 8. *part. tractat.* 5. *resolut.* 47. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 2. *num.* 56. Azevedo *cons.* 24. *dub.* 6. *num.* 507. Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *part. allegat.* 83. *num.* 22. *&* 23. Velasco *de privileg. paupert.* 2. *par. q.* 62. *a n.* 16. 2

Tertia sententia distinguit, si paupertas exequutoris nota erat testatori; tunc enim exequutor nihil sibi applicare poterit: nam ex eo quod id sciens nihil ei testator reliquit, videtur noluisse, ut aliquid ex eleemosyna illa perciperet, secus verò si ignoraverit. Menoch. *lib.* 4. *præs.* 125. *n.* 7. Sanch. *in Decalog. lib.* 6. *c.* 11. *n.* 25. 3

Quarta sententia hanc distinctionem non admittit, quia sive sciverit, sive ignoraverit, poterit sibi aliquam partem applicare; nam videtur per oblivionem, aut ex alia causa nihil exequutori relictum esse. Sanchez *Select. dict. disput.* 14. *num.* 18. Ledesma *in Summa*, *tom.* 2. *tract.* 4. *cap.* 3. *concl.* 16. Diana 5. *part. tract.* 8. *resolut.* 38. Tapia *lib.* 5. *quæst.* 22. *art.* 15. *n.* 12. 4

In hoc dubio dicendum, quod si testator expressè excluserit exequutorem, aut distribuentem ab eleemosyna illa, illud erit observandum: idem dices, si aliquid ei legaverit, & postea dicat, *Distribuat mille inter pauperes.*; nam tunc videtur exclusus à contributione aliorum pauperum, & legato contentum esse debere, prout si alicui pauperi centum legaverit, & postea jusserit mille inter pauperes distribuere; huic enim pauperi legatario nihil dari poterit, dum 5

videtur illum exclusisse, legato sibi relicto, ut tenet Sanchez *cons. d. lib. 4. c. 1. dub. 54.* quod similiter dices de exequutore, de Lugo *d. sect. 11. n. 282.*

6 Si verò nec expressè, nec ex aliqua conjectura exclusit, cessante fraude, rectè poterit pauper executor sibi aliquam partem eleemosynæ applicare. Ratio est, nam tunc ex eo quod exequutor sit, exclusus non censetur à testatore, quare poterit cum aliis pauperibus ad contributionem eleemosynæ pervenire. Comprobo discursum, nam ex eo quod exequutorem illum nominavit, & de eo confidit quoad suæ voluntatis adimplementum, erga eum affectionem demonstravit, & benevolentiam: ergo ex affectione, & benevolentia illa benè cognoscitur voluisse testatorem simul cum aliis pauperibus ad eleemosynam illum admittere; nam ex amore, & affectione optima fit interpretatio, *leg. Si servus plurium, §. fin. ff. de legat. 1. leg. Aurelius, §. Titius, ff. de lib. legat.* Manrica *conject. lib. 6. tit. 11. num. 12.* Azevedus *cons. 16. n. 14.* Casanate *cons. 10. n. 42.* Idcircò rectè poterit absque fraude sibi aliquam partem applicare, idque etiamsi scierit, aut ignoraverit testator suam paupertatem, de Lugo *d. sect. 11. n. 283.*

7 Hæc verò doctrina ad praxim temerè adducenda non est, quapropter ut meliori judicio exequutor sibi applicet eleemosynam, consulto Confessario, vel aliquo viro docto id fiet, prout quando res incertæ pauperibus applicandæ, deteriori ut pauperi conceduntur. Navarrus *in Man. cap. 17. num. 93.* Segura Davalos *Direct. judic. 2. part. cap. 11. num. 14.* Velasco *dict. quæst. 62. num. 20.* In re enim propria facilè homines falluntur; nam ut dicebat Aristot. *In hoc quasi prava natura videtur, ut in rebus propriis hebetior sit, quàm in alienis.*

8 Ex hac resolutione contra aliquos admitto, posse exequutorem filios suos pauperes ad distributionem admittere, licèt spurios, familiares, & suos consanguineos; quia cùm possit sibi applicare, similiter illis. Gonzalez *d. gloss. 2. n. 54.* Alciatus *de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 29. n. 8.* Castillo *controv. lib. 5. cap. 67. n. 36.* Rubeus *pract. c. 76. n. 274. & cap. 75. num. 168.* Palao *tom. 1. de charit. tract. 6. disp. 2. punct. 14. n. 10.* Barbosa *d. alleg. 83. n. 23.* Velasco *d. quæst. 62. à n. 16.* Tapia *d. art. 15. num. 12.*

9 Filio verò spurio testatoris nihil exequutorem dare posse illius eleemosynæ, asserunt plures; nam non est capax bonorum patris, etiamsi pauper sit. Barbosa, qui alios dat *d. allegat. 83. num. 24.* Carpio *de exequut. lib. 2. cap. 19. num. 18.* quorum sententia admittenda, si spurius à patre alimenta jam perceperit, quia illis contentus, exclusus censetur, aliàs rectè si pauper sit, poterit ad illam eleemosynam admitti. Boerius *decis. 127. num. 24.* Marhienzo *in leg. 7. tit. 8. lib. 5. Recopil. gloss. 5. num. 3.* Rubeus *pract. cap. 73. n. 104.* Palao *d. punct. 14. num. 9.* Diana 8. *part. tract. 5. resol. 48.* Velasco *ubi suprà, n. 31.*

10 Illud verò citra dubium admittitur, quod si plures sint exequutores ad elargiendam eleemosynam, & unus pauper sit, cæteros posse ad eleemosynam illum accipere, & ei aliquid concedere; quia non à se ipso recipit, sed ab aliis. Mathienzo *in leg. 14. tit. 4. lib. 5. Recopil. gloss. 1. n. 11.* Azevedo *in Curia Pis. lib. 2. c. 10. n. 5.* Sanch. *d. cap. 1. dub. 58. n. 4.* de Lugo *d. sect. 11. n. 282.*

11 Quid verò dicendum de Monachis, quando fuerint exequutores causarum piarum, prout possunt esse de licentia Superiorum, *cap. 2. de testam. in 6.* Novarius *de miserab. pers. privileg. 122.* Leoncillus *de privileg. paup. 2. part. privileg. 143.* an possint applicare suo Monasterio aliquam partem eleemosynæ inter pauperes ab eis distribuendæ? In qua difficultate tres sunt sententiæ, una affirmat, alia negat, & altera distinguit, ut refert Sanchez *in Decalog. lib. 6. cap. 11. à n. 58.* Eas tamen non refero, quia ex dictis resolutio descendit, nempe concedere posse, etiamsi Abbas, aut alius superior fuerit exequutor: idque ex fundamento illo, nempe posse exequutorem pauperem sibi aliquam partem eleemosynæ applicare: tum quia hìc adest distincta persona, quæ dat, & recipit; unde non est difficultas, ut possit suo Monasterio aliquam partem eleemosynæ applicare. Peralta *in leg. Unum ex familia, §. Rogo, ff. de legat. 2.* Parisius *vol. 4. cons. 26. num. 24.* Sanchez *dict. lib. 6. cap. 11. num. 59.* Layman *in Sum. lib. 3. tract. 6. c. 11. n. 6.* Diana 2. *part. tract. 1. Misc. resol. 39. vers. Hinc collige, & 8. part. tract. 5. resol. 46.* Velasco *d. q. 62. n. 29.* Gonzalez *d. gloss. 2. n. 55.*

12 Unde colligitur, posse etiam Monachum sibi ipsi aliquam partem applicare, quia reverà perinde est, ac si Monasterio applicasset; quia quidquid acquirit, acquirit Monasterio, & tantum suscipit ad usus necessarios, quos ipsi præstare tenebatur, ut tenet Sanch. *dict. cap. 11. num. 61.* quidquid resistat Rodrig. *tom. 3. quæst. Regul. quæst. 70. art. 4.* Verùm Diana *dict. resol. 46.* probat Sanchez doctrinam, quæ quidem satis probabilis est.

Est tamen elegans dubium, an quando testator Mona- 13
sterio legatum reliquit, & illius Monachum exequutorem ad distribuendam eleemosynam inter pauperes, adhuc possit aliquid Monasterio applicare? Prima sententia negat, *ex leg. 3. tit. 10. part. 6.* quæ id clarè definit: *Si el testador mandare dar à personas ciertas alguna cosa, ò cierta cantidad de maravedis, è todos los otros bienes dexasse à su testamentario, que los distribuyesse entre pobres, segun su alvedrio, el tal no puede dar a ninguna de aquellas personas ciertas, aunque viesse que era pobre; y convenia darle mas de aquello que avia mandado el testador.* Et ratio est, quia generalis facultas data exequutori, non refertur ad easdem personas, de quibus specialiter erat provisum à testatore, *l. Talis scriptura 30. ff. de leg. 1. l. Doli clausula 119. ff. de verb. oblig.* quapropter Monachus testamentarius nequit Monasterio, cui legatum fuit relictum à testatore, ex pauperum distributione aliquid applicare. Gregorius *in d. l. 3. gloss. 1.* Henriquez *de indulg. lib. 7. c. 23. in fin. comment.* Rodriguez *quæst. regul. tom. 2. q. 125. art. 8.* Sanchez *cons. lib. 4. c. 1. dub. 57.*

Secunda sententia affirmat, dare aliquid posse Monaste- 14
rio secundùm ejus necessitatem, etiamsi legatum ei relinqueretur, *ex leg. Titia 19. §. Qui Marco, ff. de ann. legat.* ubi cum Marco octoginta fuissent legata, adhuc ad annuum legatum relictum amicis testatoris admittitur: Ergo non obstante legato facto Monasterio, si pauper sit, poterit admitti ad legatum generale pauperibus factum. Deinde exemplo confirmatur, nam quando Archidiaconus Canonicus etiam est, duplicatas distributiones percipit. Covarruvias *lib. 3. variarum, c. 13. n. 6.* Ergo Monasterium, ut Monasterium, legatum pium sibi factum percipiet, & ut pauper aliam eleemosynam, ut latè probat Ancharranus *cons. 84. à n. 3.* Mantic. *conject. lib. 8. tit. 5. n. 19.*

Tertia sententia distinguit, quando dispositio specialis 15
præcedit ipsius legati, & subsequitur generalis distribuendi inter pauperes; tunc enim generalis non comprehendit specialem, nec poterit legatario aliquid dari, ut *in d. leg. 3. part.* Si verò præcedit generalis, & specialis subsequatur, aliter dicendum: unde si legatum Monasterii præcedat, nequit Monachus exequutor aliquid ei applicare. Aliter verò, si distributio generalis præcedat, quia adhuc comprehendit Monasterium. Bart. *in l. Quæsitum, §. fin. ff. de usufruct. legat.* Menoch. *lib. 4. præsumpt. 128. à n. 11.*

In hoc dubio tota difficultas consistit in investiganda vo- 16
luntate testatoris, prout fecit Consultus *in dict. leg. Titia 19. §. Qui Marco, ff. de Annuis legat.* qui inquit, quod licèt testator octingenta Marco legaverit, adhuc annuum legatum ei deberi, quod in vita ipsi præstabat Marco, uti viro docto: idque depromit ex consuetudine illa, quam habebat præstandi quamdiu vixerit, *l. Sempronio 33. §. fin. ff. de usufr. legat.* Gloss. ibid. *verb. Debeatur.* Quapropter in specie perquirere voluntatem testatoris necessarium erit.

Hinc distinguendum, quando testator sciebat pauperta- 17
tem Monasterii, quod pauper erat tempore testamenti, & ei legatum fecit simpliciter, absque aliquo onere Missarum, vel Anniversarii: & tunc credo, minimè ex generali eleemosyna pauperum, quam testator etiam fecit, posse aliquid percipere, nec à Monacho exequutore dari; nam ex eo quod simpliciter legatum reliquit absque aliquo onere, id videtur fecisse per modum eleemosynæ, ad sublevandam ejus necessitatem, & voluisse illo contento, amplius non dare, sed distributionem fieri inter alios pauperes: quod existimo admittendum, etiamsi scierit, aut ignoraverit paupertatem Monasterii; nam cùm simpliciter legasset, videtur tantùm prospexisse Monasterio succurrere.

Si verò non simpliciter legasset, sed cum aliquo onere, ad- 18
mittendum est Monasterium ad generalem eleemosynam cum aliis pauperibus, idq; rectè fieri poterit à Monacho exequutore. Ratio est, nam legatum relictum est ad dissimilem causam, nempe ratione oneris, non verò ratione sublevandæ necessitatis: quare à generali distributione aliorum pauperum non excluditur, ut benè ratiocinatur Bart. *in d. l. Titia, §. Qui Marco.*

Si

19 Si verò Monasterium pauper non fuerit tempore testamenti, sed posteà ad necessitatem perveniat, idque testator sciverit, cum aliis pauperibus poterit admitti, quia tunc ad dissimilem causam testatorem legasse videtur; nam cùm illud sciebat locupletem, legatum factum existimatur ad majorem ornatum cultus divini, & ad augendum victum Religiosorum, non verò ad sublevandam necessitatem illius: quamobrem poterit superveniente necessitate, simul cum aliis pauperibus ad eleemosynā admitti. Tum quia est casus omissus à testatore, nec videtur ex causa legati Monasterium exclusum à distributione generali aliorum pauperum, de Lugo *d. sect.* 11. *n.* 282.

20 Si ignorabat dives esse Monasterium, & simpliciter legatum reliquerit, in dubio videtur ad sublevandam ejus necessitatem datum esse: & casus erit resolvendus, prout quando sciebat pauperem esse, nec poterit postea admitti ad generalem pauperum contributionem.

21 Rursus alia disquisitio facienda est, an qui distributor, seu exequutor factus est à testatore, ut legatum inter pauperes distribuat, possit inimicos testatoris ad eleemosynam illam admittere. Jurisperiti ex juris regulis hanc decidunt difficultatem dicentes, minimè inimicos admittendos; nam ob inimicitias graves ortas post testamentum, legatum revocatur, *l.* 3. *§. ult. ff. de admend. legat. l. Si inimicitia, ff. de his quibus ut indig.* Alvarado *de conject. ment. defuncti, cap.* 3. *num.* 51. Gomez *variar. tom.* 1. *cap.* 12. *num.* 56. Spino *de testam. gloss.* 18. *à n.* 45. quapropter inimicus nequit admitti ad legatum eleemosynæ; respectu enim illius revocatum censetur. Baldus *in l. Id quod pauperibus* 37. *C. de Episcop. & Cleric. n.* 34. *&* 35. Mantica *conject. lib.* 12. *tit.* 15. *n.* 15. Surdus *de alim. tit.* 9. *q.* 25. *n.* 54. Carpio *de exequut. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 61. quod alii admittunt, nisi libera electio commissa sit exequutori, in quo casu inquiunt posse admittere inimicos. Castrensis *in d. leg. Cùm quidam, ff. de legat.* 2. *num.* 2. Padilla *ibidem, n.* 14.

22 Verùm Jurisperiti non rectè decidunt ex argumento revocandi legatum per inimicitias. Ratio disparitatis est, nam legatum procedit à mera liberalitate: quare si facto legato, inimicitiæ oriantur inter testatorem, & legatarium, ademptum videtur, quia præsumendum non est sese gerere voluisse liberalem cum inimico. Pichard. *in §.* 1. *Institut. de adimend. legat. num.* 39. Donellus *comment. lib.* 8. *cap.* 17. ubi Osuald. *lit. B*, Molina *de justit. tract.* 2. *disp.* 112. *num.* 4. Quod in legato eleemosynæ non ita, cùm procedat à charitate, & Dei amore, quæ quidem non solùm amicos, sed inimicos diligit, & admittit, exemplo Christi Domini, qui hostes suos Fratres vocabat. *Psalm.* 68. *vers.* 9. ibi: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Quæ verba exprimens Mendoza *lib.* 1. *Reg. cap.* 4. *exposit. lit. num.* 10. ait: *Fratres appellabat, quos non immerito appellare posset durissimos carnifices, ac tortores.* Unde cognoscitur quanto amore, & charitate prosequendi sint inimici, *Matth. cap.* 5.

23 Quapropter asserendum, exequutorem ad eleemosynam hanc rectè posse admittere inimicos graves testatoris; nam quando testator legatum pauperibus reliquit, solùm prospexit ad bonum suæ animæ: quod excellentiùs fit non solùm amando inimicos, verùm benefaciendo, ut *ex Matth. c.* 5. rectè percipitur: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos.* Unde communiter deducunt Theologi præceptum esse, ut ad communes eleemosynas nostras eos admittere teneamur, ut ibidem scripsit Maldonatus *vers.* 21. Palao *tom.* 1. *oper. mor. de charit. tract.* 6. *disp.* 1. *punct.* 6. *n.* 4. Suar. *disp.* 5. *de charit. sect.* 5. *n.* 7. quare exequutor rectè poterit inimicos testatoris ad similes eleemosynas admittere, sive conster contritum, aut confessum decessisse, sive non, ut tenent Molina *de primog. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 13. Sanchez *d. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 60. *n.* 16. de Lugo *d. disp.* 24. *sect.* 11. *n.* 288.

24 In distributione tamen observet commissarius, quod si testator certos pauperes designaverit, inter eos necessariò faciendam esse distributionem, quod non solùm observandum, quando certæ sunt personæ, verùm etiam si sint alicujus certi loci, in quibus necessariò facienda est distributio. Unde si testator dicat, *Detur pauperibus ad portam advenientibus,* nequit Hospitalibus conferri, quia id voluit ad memoriam familiæ, vel ad bonum exemplum: quod ita secretè in Hospitalibus non fit. Genuensis *in praxi, trican.* 8. *q.* 214. Barbosa *de offic. Episc.* 3. *part. alleg.* 83. *n.* 20.

25 Quod idem observes, si sic præcipiat testator, *Detur pauperibus verecundis,* (vulgò *Vergoncantes*) nequit enim dari ostiatim mendicantibus. Palao *dict. tract.* 6. *de charitat. disput.* 2. *punct.* 14. *num.* 9. Si verò pauperibus Clericis relinquatur, sufficere tradere tonsurato, quando electio commissa est, dicunt Lopez, & alii sequuti à Trullench *lib.* 7. *Decalog. cap.* 18. *dub.* 12. *num.* 9. *ad finem:* quorum sententiam admitterem, si electio libera sit, secus si regulata, aut simpliciter dicat testator, distribuatur inter pauperes Clericos; tunc enim non sufficeret, sed Presbyteri, aut alii majorum ordinum erunt præferendi. Trullench *d. n.* 9. *in fin.* Sanch. *d. c.* 1. *dub.* 2. *n.* 4.

26 Possunt exequutores pauperibus concedere, quia ex sua culpa ad indigentiam pervenerint, quia revera pauperes sunt. Diana 8. *part. tract.* 5. *resol.* 49. Similiter poterunt quod elargiendum est pauperibus, expendere pro animabus Purgatorii, quia non solùm sunt in gravissima, verùm in extrema necessitate; & ideò quidquid pauperibus est elargiendum, poterit in Missis dicendis pro animabus expendi, prout in Beneficiato omittente Horas Canonicas, tenent Filliucius *tom.* 2. *tract.* 23. *cap.* 10. *n.* 324. Suarez *de Religione, tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 30. *n.* 18. Ergo similiter id poterit facere exequutor ad distribuendum inter pauperes, ut cum Mazuchello tenet Diana 7. *part. tract.* 10. *resol.* 14.

27 Si testator reliquit mille pro malè ablatis, & exoneratione conscientiæ, ut inter pauperes distribuantur, verùm postea conster tantùm quingentos debere, dubitari poterit, an mille sint necessariò distribuenda? Sed sub distinctione resolvitur casus: si enim mens testatoris fuisset, ut tantùm expenderentur quæ debebat, veluti si id expresserit, aut dicat; *Mille distribuantur pro malè ablatis, de quibus ex meis libris constat deberi;* tunc sanè integrè mille non distribuentur, quia constat non voluisse distribui, nisi quæ reverà debebat; secus autem si id non ostenderit, verùm simpliciter dicat, *Distribuantur inter pauperes mille pro malè ablatis;* quia mens ejus est, ut omnis illa quantitas piè inter pauperes distribueretur. Greg. *in l.* 3. *tit.* 10. *part.* 3. *verb. Tuviere.* Vasq. *in opuscul. de testam. cap.* 8. *§.* 5. *dub.* 1. *n.* 99. Sanch. *cons. lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 4. *n.* 9. de Lugo *de justit. disp.* 24. *sect.* 13. *n.* 308. Carpio *de exequut. lib.* 3. *c.* 4. *n. fin.*

28 Solent aliquando testatores hanc distributionem inter pauperes committere exequutoribus, non absolutè, verùm ut faciant de consilio alicujus Prælati, aut Religiosi, quod petere tenentur, sed non necessariò illud sequi, *cap. Cùm in veteri* 52. *de elect. cap. Cùm olim* 7. *de arbitr.* Gutierr. *de tutel.* 1. *p. cap.* 8. *n.* 4. Sanch. *de matr. lib.* 1. *disp.* 34. *n.* 24. Barb. *axiom.* 55. *n.* 2. quod intelligas, nisi testator dicat, *secundùm consilium,* aut *juxta consilium;* tunc enim necessariò est sequendum, *c. Si Capitulo* 5. *de concess. præb. in* 6. ut in terminis docet Fagundez *de contract. lib.* 6. *c.* 5. *n.* 6. Diana 8. *p. tract.* 5. *resol.* 33.

29 Illud tamen observet exequutor, quod si omisso consilio, vel arbitrio alicujus personæ, quod petere debebat, si reverà inter pauperes legatum distribuat à testatore designatos, vel inter alios, si non ab eo designarentur, malè agit, sed non tenetur ad restitutionem; quia licèt formam à testatore dispositam non servaverit, ejus voluntati satisfecit. Sanchez *cons. lib.* 4. *c.* 2. *dub.* 18.

30 Similiter non prætermittat, ut semper consilium petat antequam distributionem expediat, alias semper in jure actus consideratur nullus; voluit enim testator, ut nullatenus absque consilio, & arbitrio illius personæ expediretur: quapropter semper debet præcedere. Gonzalez *ad regul.* 8. *gloss.* 16. *n.* 48. Valenzuela *cons.* 184. *à num.* 61. Barbosa *in cap.* 32. *de elect. n.* 2.

31 Est verò quæstio, an quando exequutor pauperes nominaverit, & elegerit ad percipiendam distributionem, possit variare alios eligendo. Prima sententia affirmat; nam ista electio facta videtur cum hac reservatione, ut possit alios eligere: ergo poterit variare, ut cum Angelo tenet Sanchez *dict. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 64. de Lugo *de justit. disp.* 24. *sect.* 16. *n.* 338. & assentitur Diana 8. *part. tract.* 5. *resol.* 50. *in fin.*

32 Secunda contrarium tenet: & ratio est, quia ex eo quod exequutor nominavit, & elegit, acquisitum est jus pauperibus electis, *l. Hujusmodi* 86. *§. Stichum, ff. de legat.* 1. ubi Gloss. & Bart. *l. Statuliberum, §.* 1. *ff. de legat.* 2. *l. Patrem, ff. qua in fraud.* Ergo nequit variare exequutor; idque demonstratur, nam electio dici non valet ab ipso exequutore, sed eo ipso quod ipse designavit pauperes, electi censentur à

testatore, mediante designatione exequutoris: quare nequeunt variari ab ipso exequutore, Vvadingus *de controv. disput.* 4. *dub.* 13. §. 4. *num*. 6. cujus verba dat Diana *dict. resolut*. 50.

33 In hoc dubio illa distinctio facienda est, quando simpliciter testator committit exequutori, ut legatum distribuat inter pauperes, quos ipse elegerit; quo quidem casu, si cum effectu illos elegerit, nequit variare, ut est aptissimus textus Pomponii *in l. Statuliberum* 11. §. *fin. ff. de legat*. 2. ibi: *Cùm autem semel dixerit hæres, utrum dare velit, mutare sententiam non poterit, leg. Servi electione* 5. *ff. de legat*. 1. *l. Apud Aufidium* 20. *ff. de opt. legat*. Et id duabus rationibus. Prima, nam per talem electionem jus acquisitum est electo, & nominato pauperi: tum secunda, quia exequutor functus est officio suo, cui simpliciter pro una tantùm vice commissa est electio, idcircò variare nequit. Gomez *in l*. 40. *Tauri, n*. 50.

34 Si verò non simpliciter electio exequutori committatur, sed ut eligeret quousque moreretur, vel tempore mortis, aliter est dicendum; nam si pauperes sunt certi, & designati à testatore, si eligeret exequutor, nequit variare, quia juri eligendi videtur renuntiasse, *l. Post mortem* 12. *Cod. de fideicom*. Si verò incerti sunt, poterit, *leg. Unum ex familia* 67. *ff. de legat*. 2. nam cùm toto illo tempore habeat jus eligendi, ex sola prima electione non videtur suo juri renuntiasse, sed reservasse, ut si sibi placuerit, variaret. Gomez *dict. num*. 50. Carpio *de exequut. testam. lib*. 2. *cap*. 14. *a num*. 28.

35 Quid verò dicendum, si testator dicat, quotannis pecunia distribuatur inter pauperes, possintne prævenire tempus exequutor, & totam illam quantitatem expendere: & in hac difficultate duæ sunt sententiæ, alia negans cum Menochio, Covarruvia, & Padilla *in leg. Unum ex familia, ff. de legat*. 2. *n*. 3. alia verò affirmans *ex l. Uxorem* 39. §. *Scævola, ff. de leg*. 3. *l. Stipulatio ista* 38. §. *Inter certam, ff. de verbor. obligat. l. Post mortem* 12. *Cod. de fideicommiss*. tum quia id magis est proficuum animæ testatoris statim inter pauperes expendere, *c. Animæ* 13. *quæst*. 2. *cap. Literis, in fin. de rapt*. Ergo poterit ab exequutore præveniri, & statim totam quantitatem inter pauperes distribuere. Molina *de justit. tract*. 2. *disput*. 249. *n*. 3. Barbosa *de offic. Episcop*. 3. *part. alleg*. 83. *n*. 25. *vers. Verum si testatori*, Ludov. a Concept. *in exam. tom*. 1. *tract*. 2. *casu* 26.

36 In re *cap*. 4. *antecedenti*, *nu*. 39. disseruimus, an exequutor, seu Commissarius possit prævenire tempus ad distributionem inter pauperes faciendam, de quo aliquas distinctiones fecimus: verùm ibi sermo erat, quando distributio unica vice erat agenda, nunc agimus quando quotannis: quo casu existimo tempus prævenire non posse, nam apertè ageretur contra voluntatem testatoris: ex eo enim quod quotannis jussit fieri distributionem, consequenter voluit, ut fieret memoria perpetua illius eleemosynæ: quare principale legati nequit pro unica vice concedi, sed necessariò collocandum est in re immobili fructifera, prout latè scripsimus *lib*. 2. *c*. 9. ex decreto S. Congregationis, ut ex fructibus distributio quotannis fieret: quapropter contra mentem testatoris unica vice expenderetur: tum in his memoriis perpetuis frequenter volunt testatores memoriam familiæ, & fundatorum, cui præjudicium irrogaretur, si tempus præveniretur, & primo expenderetur anno.

37 Cæterùm non obliviscaris, quod si certa pecunia inter pauperes distribuenda relinquatur, plus uni, quàm alteri dari non debet, ut scripsit Gratianus *disceptat. forens. cap*. 120, *num*. 66. cujus doctrinam admitterem, si omnes ejusdem meriti, & indigentiæ fuissent, secus verò si diversæ; cùm illa mens censebatur testatoris, ut secundùm merita, & indigentiam cujuscumque distribuatur, ut cum Bonac. & aliis advertit Carpio *de exequut. lib*. 2. *c*. 19. *n*. 45.

38 Restat breviter disquirendum, an quando legatum certo pauperi relictum fuerit, & priùs obeat, an alteri pauperi sit dandum, vel remanere debeat penes hæredem. Illa enim distinctio communiter est recepta, ut si in bonum tantùm illius pauperis relinqueretur, minimè alteri sit concedendum: secus verò si ob bonum animæ, & in opus pium; quia præsumitur voluisse testatorem, etiamsi priùs pauper ille moriatur, pium opus adimpleri, quod in dubio semper observandum. Mantica *de conject. lib*. 3. *tit*. 5. *n. fin*. Molina *de justit. tract*. 2. *disp*. 249. *n*. 9. Sanchez *lib*. 4. *Decalogi, cap*. 11. *n*. 35.

39 Denique in calce hujus capitis examinare convenit, quis pauper dicatur? Et Barbosa *in l. Si quis* 37. *Cod. de Episcop. & Cleric. num*. 6. asserit, pauperem esse, qui corpore laborare nequit, vel quia ægrotus victum acquirere non valet. Hinc colligitur, pauperes illos esse, qui secundùm statum, nobilitatem, vel per dedecus nequeunt laborare, vel qui idem impedimentum habent propter morbum. Bobadilla *polit. lib*. 2. *c*. 13. *n*. 43.

40 Sed quibus danda est eleemosyna distribuenda, dubium est? Aliqui dicunt, quod si testator aliquid relinquat distribuendum inter pauperes, non esse admittendos pauperes secundùm statum, qui non habent necessaria; sed tantùm concedendum his qui secundùm naturam paupertate premuntur. Angel. *verbo Ornatus, num*. 6. Rosella *ad verb*. 4. *n*. 19.

41 Non est tamen admittenda hæc sententia, quia qui secundùm statum non habent necessaria, nec possunt laborare, pauperes propriè sunt, & pientissimum opus est eis subvenire: quare nobilibus, quibus dedecus grave esset laborare, & necessaria non habent, similis eleemosyna valet concedi. Navarrus *in Apologet. de reddit. quæst*. 1. *monit*. 77. *num*. 4. Mantica *lib*. 8. *conject. tit*. 5. *num*. 3. Carpio *de exequut. lib*. 2. *cap*. 19. *num*. 6. Gironda *de privileg. à num*. 1388. Sanchez *cons. lib*. 4. *cap*. 1. *dub*. 59. *à num*. 1.

42 Quod idem dicendum quando quis haberet matrem, patrem, aut sorores pauperes, quos alere tenetur, licèt sibi habeat alimenta; quia pauper est, quatenus ad alimenta parentum, & sororum non habet necessaria. Idem sentiendum de nobili non habente ad decenter dotandas filias, licèt habeat alimenta; isti enim pauperes reverà sunt, quibus & distributio fieri valet. Mandellus *lib*. 1. *cons*. 67. *n*. 7. Diana 2. *part. tract*. 1. *Miscell. resol*. 8. non tamen dari poterit pauperi ad tempus cum spe proxima habendi, quia dives reputatur. Navarra *de restitut. lib*. 4. *cap*. 2. *n*. 54. Sanchez *dict. lib*. 4. *c*. 1. *dub*. 59. *n*. 3.

43 Sub nomine etiam pauperum intelliguntur Monasteria, Religiosi, omnia loca pia, Ecclesiæ, Hospitalia, quæ quidem reverà indigeant. Diana *d. resol*. 8. de Lugo *dict. sect*. 11. *num*. 279. idem pro aliqua festivitate facienda ad cultum Dei, vel Sanctorum, tenet de Lugo *dict. disput*. 24. *sect*. 13. *num*. 310.

44 Sed est dubium, an quod relictum est pauperibus, dari possit fabricæ Ecclesiæ indigenti? Aliqui negant; nam quoties legatum relinquitur pauperibus, videtur relictum ad sublevandam personarum indigentiam, & necessitatem. Navarrus *in Man. cap*. 17. *num*. 99. *in fin*. quare nequit fabricæ Ecclesiæ applicari, etiam egenæ, cùm persona non sit. Sylvester *verb. Restitutio* 8. *quæst*. 7. Lopez 1. *part. instruct. conscient. cap*. 136. *in fin*. Perus. *de port. canon. quæst*. 7.

45 In contrarium est communis sententia, quia ut diximus *num*. 43. sub nomine pauperum, etiam ad suscipiendum hoc legatum, omnia loca pia intelliguntur, prout est fabrica alicujus Ecclesiæ. Ergo potest admitti ad hoc legatum. Cæterùm, nam legatum concessum fabricæ, licèt immediatè rendat ad bonum illius, mediatè, & secundariò convertitur in utilitatem spiritualem, & temporalem pauperum. De spirituali patet, nam quidquid est fabricæ, expenditur in divino cultu, & administratione Sacramentorum, & in aliis pertinentibus non solum ad bonum spirituale fidelium divitum, sed etiam pauperum. Ad temporale similiter probatur, quia in Ecclesiis petuntur eleemosynæ ad alendos pauperes verecundos, *cap. Habebat* 12. *quæst*. 2. & mendicantes ante fores illarum petunt, ubi ferventius exercetur charitas. Ergo debent fabricæ Ecclesiarum pauperi distributiones istæ fieri, Sà *verb. Legatum, num*. 46. Sanchez *d. dub*. 59. *num*. 5. de Lugo *dict. sect*. 11. *num*. 310. Trullench *lib*. 7. *Decalog. cap*. 18. *dub*. 12. *n*. 29. Diana 8. *part. tract*. 5. *resol*. 58. Baldus *in l. Omnes, C. de Episcop. & Cleric. n*. 7. Mathienzo *in l*. 6. *tit*. 4. *lib*. 5. *Recopil. gloss*. 7. *num*. 2. Leoncillus *de privil. paup*. 2. *part. privileg*. 98. *a n*. 7.

46 Hæc sententia admittenda est, nisi aliud constet de voluntate testatoris expressè, vel tacitè ex conjecturis; quia tunc tantùm illis personis, & pauperibus concedendum est legatum, de quibus in particulari sensit testator. Diana *d*. 2. *part. tract*. 1. *resol*. 8. *in fin*. & alium casum excipio, nempe si hoc legatum relinqueretur pauperibus tempore quo adesset, vel immineret gravis pauperum necessitas;

nam

nam tunc videtur velle testatorem potiùs urgenti necessitati personarum pauperum occurrere, quàm fabricæ Ecclesiarum indigentium; idcircò nisi pauperibus personis non dabitur, ut benè considerat Rosella *verb. Restitutio* 15. *num.* 3.

47 Quid verò si testator dicat, *Distribuatur inter pauperes nobiles?* An nobiles ex privilegio possint admitti, dubitavit Tiraquellus *cap.* 5. *sub n.* 3. quia nobilis semper intelligitur ex sanguine, *leg.* 2. *§. ult. ff. de excusat. tut.* sed tutè contrarium ad praxim adduci valet, quia nobiles ex privilegio nobiles sunt, licèt non ita venerabiles. Tiraquellus *de nobilit. c.* 6. *n.* 2. Guttierrez *practic. lib.* 3. *quæst.* 16. *num.* 35. *& quæst.* 17. *num.* 132. idcircò etiam comprehensi videntur. Tum quia in his eleemosynis, non tam nobilitas suscipientium, quam charitas, & indigentia prospicitur: Ergo nihil interest, an nobiles sint ex sanguine, seu privilegio, ut in facti contingentia tenet Leoo *de offic. Capell. quæst.* 4. *praxi* 6. *num.* 188. cui me subscribo, nisi testator aliud expresserit, ut scripsimus *lib.* 3. *cap.* 10. *à n.* 16.

48 Quis verò sit panper, non facilè cognoscitur, id enim arbitrio boni viri remittendum; in re enim hac nulla regula certa dari valet. Mascard. *de probat. conclus.* 1159. *num.* 8. Escobar *de ratioc. cap.* 22. *num.* 18. Giurba *decis. Sicil.* 18. *nu.* 5. Pareja *de edit. instrum. tom.* 1. *titulo* 3. *resol.* 3. *n.* 51. Diana *dict.* 2. *part. tract.* 1. *resolut.* 8. *in princip.* Præsumptio tamen est, quemlibet pauperem esse, nisi contrarium probetur, *l. Si verò, §. Si pro rei, ff. qui satisdar. cogant.* nam ut dicebat Job *cap.* 1. *vers.* 21. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus illuc revertar.* Et Plinius *lib.* 9. *c.* 35. dixit: *Nos rerum natura nudos excepit.* Quapropter ut accidens divitiæ oon præsumuntur, sed paupertas. Mascardus *d. conclus.* 1159. *n.* 1. Menochius *lib.* 6. *præsumpt.* 25. *per tot.* Sed est levissimæ probationis, quia licèt pauperes nascamur omnes, ut etiam Cato dicebat, *Infantem nudum cùm te natura crearit*; videmus tamen in dies multos pauperes industria, & diligentia divites fieri, *l. Si defunctis* 10. *Cod. arbitrium tutel.* Escobar *dict. c.* 22. *n.* 16. Cyriacus *tom.* 1. *controvers.* 91. *n.* 2. Menochius *d. præsumpt.* 25. *num.* 33. quare præsumptio ista levissimæ probationis est, ut benè considerat Faria *ad Covarr. lib.* 2. *c.* 6. *num.* 19.

49 Unde resolvitur quæstio illa; an quis pauper præsumatur? In qua sunt duæ opiniones, quas expendit Covarr. *dict. cap.* 6. *à n.* 2. verùm dicendum, paupertatis præsumptionem esse, verùm levissimi ponderis: quapropter quoties quis in ea se fundat ad aliquid obtinendum, debet eam probare, quia ex sola illa præsumptione non relevatur. Mascardus *dict. conclus.* 1159. *num.* 5. Menochius *dict. præsumpt.* 25. *num.* 14. Afflictis *decis.* 377. *num.* 4. Velasco *de privilegiis paup. tom.* 1. *part.* 1. *quæst.* 5. *num.* 11. Pacianus *de probat. lib.* 1. *quæst.* 54. *à num.* 10.

50 Unde ad rem, quoties aliquis voluerit admitti ad has Præbendas, seu distributiones, quæ fieri solent, & dari pauperibus, debent in dubio suam paupertatem probare, ut fundamentum suæ intentionis; dum tamen notorium non sit pauperes esse, quia tunc à probatione relevantur. Albericus *in d. leg. Si verò, §. Qui pro rei, ff. qui satisd. cog.* Pacian. *d. q.* 54. *n.* 18. Faria *d. c.* 6. *n.* 17.

51 Modus enim probandi fieri valet per testes asserentes aliquem non bona habere, sed insufficientia ad personæ alimenta; & ejus necessaria ministranda; nec alia ei suppetere; quia si haberet, id scirent ob familiaritatem, seu vicinitatem ipsius. Covarruvias *d. cap.* 6. *n.* 8. *vers. Cæterùm*, Farinacius 2. *part. decis.* 532. *num.* 2. quare familiares, & vicini aptiores testes sunt. Velasco *dict. quæst.* 5. *num.* 13. Leoncillus *de privileg. paup.* 1. *part. quæst.* 6. *n.* 4. Illud verò concludere debent, non habere necessaria secundùm qualitatem personæ; potest enim aliquando accidere, ut patrimonium, quod est sufficiens respectu alicujus infimæ personæ, non sit sufficiens ad alium nobilem, vel honoratum civem: quod quidem maximè prospiciendum, ut inde cognoscatur quis pauper sit, necne. Mascard. *d. ct. conclus.* 1159. *num.* 8. Natta *lib.* 3. *cons.* 105. *num.* 12. Leoncillus *dict.* 1. *part. quæst.* 3. *num.* 10. *& q.* 6. *num.* 19.

52 Probatur etiam paupertas per æstimum, quando ex forma statuti cujuslibet bona describuntur, ut cum aliquibus notat Leoncillus *dict.* 1. *part. quæst.* 6. *n.* 5. Probatur etiam ex decoctione: ipse Leoncillus *n.* 7. Ex cessione bonorum jam facta, Rota apud Seraphin. *decis.* 1098. *n.* 2. Gratianus *tom.* 4. *discept. cap.* 660. *n.* 10. Leoncillus *dict. quæst.* 6. *n.* 8. Velasco *dict. quæst.* 5. *num.* 41. Ex fuga, quia ob æs alienum nequit domi remanere, vel si propter illud in carcerem detrudatur. Velasco *d. quæst.* 5. *num.* 39. *&* 40. Vel ex confiscatione, & publicatione bonorum. Rota apud Seraphin. *decis.* 33. *num.* 2. Leoncillus *dict. quæst.* 6. *num.* 9. Velasco *d. quæst.* 5. *num.* 42. Salgado *in Labyr.* 1. *part. cap.* 44. *à n.* 112. Carleval. *de judic. tit.* 1. *disp.* 2. *à n.* 502.

53 Similiter probatur, quando quis solitus est pro magnis quantitatibus fidejubere, non autem si pro minimis, prout quando probaretur, pecunias ad usuras retinere, ut notatur *in cap. Quanto* 18. *de usuris*, Velascus *dict. quæst.* 5. *à num.* 46. Cæterùm probatur ex communi reputatione & fama, præsertim si testes descendant ad aliqua particularia, quæ scientiam paupertatis concludant. Rota apud Seraphinus *decis.* 58. *n.* 1. *&* 2. & apud Merlinum *decis.* 467. *n.* 5. Leonc. *d. q.* 6. *n.* 11. Novarius *de for. elect. sect.* 1. *quæst.* 34. *n. fin.* Velasco *d. q.* 5. *n.* 30.

54 Comprobatur etiam, si quis in Hospitali degit, non ut administrator, aut Medicus, sed propter indigentiam, vel quia ob æs alienum ad Ecclesiam confugiat. Velasco *dict. quæst.* 5. *num.* 37. vel etiam partis juramento, non per se solum, sed aliis adminiculis intervenientibus, ut probationem certam reddant. Leoncill. *dict. quæst.* 6. *n.* 13. qui *n.* 12. scripsit, probari paupertatem per discussionem bonorum factam mandato judicis: quæ quidem probatio sufficit, etiamsi agatur de magno præjudicio. Cæsar Barz. *cons.* 69. *num.* 36. Velasco *dict. quæst.* 5. *num.* 45. de qua probatione hæc sufficiant: otii enim nostri non est omnia, quæ ad manum veniunt; integerrimè tractare: videndi etiam suprà allegati. Gonzalez *d. gloss.* 2. *n.* 26. Bobadilla *polit. lib.* 3. *c.* 15. *n.* 64. Gregor. *in l.* 2. *tit.* 1. *part.* 7. *gloss.* 11. *&* 12.

CAPUT VI.

De relictis ad maritandas puellas pauperes.

SVMMARIVM.

Legatum ad maritandas puellas celeberrimum, n. 1. *Explicatur Ezechiel* c. 27. vers. 10. *n.* 2. *&* 3.

Legatum hoc etiam non designatis puellis valet, n. 4.

An sit purum, vel conditionale. Prima sententia dicit purum, n. 5. *Secunda contrarium tenet, n.* 6. *Tertia distinguit, n.* 7 *Resolvitur à n.* 8. *cum seqq.*

Quid dicendum quando legatum relinquitur generaliter pro maritandis puellis, aut virginibus pauperibus, an sit purum, vel conditionale, à n. 15. *Observatio circa consuetudinem patriam circa hoc legatum, n.* 19.

Quando legatum purè relinquitur, sed in ordine ad nuptias, & illud puella susceperit, si nuptiæ non sequantur, an teneatur restituere, sicut etiam quando modale est, an cautio sit præstanda: Affirmativè respondet Gomez, n. 20. *Sed cum distinctione resolvitur, n.* 21.

Puella ut eligatur ad hoc legatum, debet esse nubilis ætatis, num. 22.

An possit dari nuptis? Prima sententia negat, n. 23. *Secunda affirmat, n.* 24. *Tertia distinguit, n.* 25. *Quarta aliter distinguit, n.* 26. *Resolvitur, à n.* 27.

An viduis dari possit? Prima sententia negat, num. 35. *Secunda sententia affirmat, num.* 36. *Tertia dicit deberi secundo nubentibus, non ulterius, n.* 37. *Quarta, si primum matrimonium non consummarunt, n.* 38. *Resolvitur, à num.* 39.

Quando orphanæ vocantur, quæ dicatur orphana, referuntur sententiæ, n. 42. *Sed quæ patre caret, pro orphana habetur, n.* 43.

Sed an hoc legatum dari possit puellæ habenti patrem inutilem? Negant aliqui, n. 44. *Affirmant alii, num.* 45. *Resolvitur, à n.* 46.

Quando istæ concurrerent cum verè orphanis, etsi essent pauperiores, poterunt admitti, n. 47. *&* 48.

Si tantùm ad hoc legatum concurrant patres inutiles habentes, admittuntur, n. 49. *Si tantùm matre caret puella, non admittitur, num.* 50.

Quando relinquitur orphanis, admittuntur expositæ: & idem si vocentur naturales, n. 51. *Et quæ est ex patre servo, & matre libera, n.* 52. *Quod tene, si non adsint propriè orbæ, aut naturales, n.* 53.

Quando vocantur puellæ alicujus loci, v. g. Toletanæ, an

sint admittendæ puellæ illius territorii? Aliqui affirmant, n.54. Alii tantum extendunt ad suburbia, num.55. Resolvitur, à n.56.

Si vocentur naturales, possunt admitti, qua per decennium ibidem habitarunt, aut antea, si habuerint animum commorandi, n.58. & 59. Conjectura hujus animi, n.60. Sed explicatur, n.61.

1 HOc legatum ad mulieres maritandas celeberrimum est, dum ex illo non solùm spirituale bonum puellarum oritur, verùm etiam temporale bonum totius Reipublicæ Christianæ, unde tot filii nascuntur, & educantur. Pauperes enim puellæ maritos ex defectu dotis non invenientes, à diversis lenonibus pellectæ, ad maxima luxuriæ vitia prolabuntur. *Auth.de lenonibus, §.1. collat.2.* quare his dotibus maritatæ à tanto vitio vindicantur. Tum matrimoniis Respublica civibus locupletatur, *l.1.ff.solut.matrim. l.1.§.Si plures, ff.de bon.damnat. l.1. §.fin.ff.de vent.inspic.l.2.Cod.de indict.viduit.toll.* D.Salcedo *in l.66. tit.4.lib.2. Recopil.à n.1.* D. Retes *opuscul. lib.1.cap.2. à n.1.* Solorzano *de jur.Indiar. tom.2.lib.2.cap.16.à num.15.* Leoncillus *2. part. privileg. 52. num.10.*

2 Unde nonnulli explicant locum Ezechielis *cap.27. vers. 11.* sic: *Sed & Pigmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum: ipsi compleverunt pulchritudinem tuam.* Unde excipiunt grave ornamentum urbiū esse plurimas turres, & homines habere, ut ostenditur Prov.c.14.v.28. ibi: *Habetur in multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis.* Idq; erat desiderium Plinii Junioris *lib.7.epist.ad Fabatum,* ibi: *Cupio patriam nostram omnibus quidem rebus augeri, maxime tamen civium numero; id enim oppidis firmissimum ornamentum.* Latè Navarrete *conservac. de Mon.discurs.6.* quo in sensu intelligitur à Burgos de Paz *in l.30. Tauri, 1.part. n.154.* Lara *de Anniverſ. lib.1.c.21.n.5.*

3 Hoc quidem interpretamentum non ita certum; naturales enim scriptores ad literam textum illum intelligunt, asserentes ex eo probari, verè Pigmæos adfuisse, non tam homines, quàm bruta significantes, ut explicant Mendoza *in Virid.lib.4.problem.2.* Mayolus *tom.1.prolog.2.* Torreblanca *de jur.spirituali, lib.1.cap.7.* D. autem Hieronymus aliter ibidem locum intelligit; nam inquit illos esse velocissimos bellatores, qui Pigmæi dicebantur respectu turrium urbis Tyri (quam depingebat Ezechiel) & propter earum altitudinem milites illi circa eas quasi Pigmæi existimabantur. Torreblanca nuperrimè relatus, Delrio *de Mag. lib.2. disquisit.c.15. vers. Restat.*

4 Ergo hac suppositione facta, in primis animadvertendum, legatum, aut fundationem relictam ad maritandas puellas, licèt earum numerus non designetur à testatore, validum esse, quia hæc designatio facienda est secundùm arbitrium boni viri, ac facultates legatas, seu à testatore ad id relictas, *l.Si is cui 14.* juncta Glossa *verb. Solvere, ff. de annuis legat.* Lara *de Anniv. lib.1.cap.10.num.97.* Rubeus *pract. cap.78.n.355.* Diana *2.part. tractat. 2. Miscell. resolut. 52. vers. Item si testator,* Delbene *de immunit. tom.1. cap. 8. dub.21.sect.13.*

5 Est verò dubium grave, an legatum relictum ad puellas maritandas, sit conditionale, aut purum. Prima sententia asserit, minimè esse conditionale, sed purum, & statim tradendum; nam plura sunt necessaria puellis antequam in matrimonium collocentur, quibus occurrere convenit, maximè si pauperes sunt: ergo intelligendum est legatum purum, & non conditionale. Et confirmat ex decisiones textus *in l. Firmio Heliodoro 26. §.Cum ab hæredibus, ff. quando dies leg. cedat,* ubi legatum ad certum tempus, non conditionale dicitur, sed purum, *ex l. Ex his verbis 5.C.quando dies legat.cedat,* ubi legatum relictum filiæ, quando ad statum legitimum perveniat, non est conditionale, sed purum: Ergo similiter dicendum quando relinquitur ad maritandas puellas. Immola *in l.Titio 71.§.Titio genero, ff. de condit. & dem.* Joan.Bota *cons.7.& cons.19.n.16.* dicit veriorem Spino *in specul. testam.gloss.14.n.41.*

6 Secunda tenet contrarium *ex dict. leg. Titio 71. §. Titio genero.* Sed textus iste nihil assumpti probat; nam promissio dotis in illa specie non tam fuit facta filiæ, quàm genero; idcircò gener nequit dotem petere, nisi sequutis nuptiis. Ratio est, quia licèt utilitas dotis redundet ad filiam, promissio tamen eo animo fuit genero facta, & ea conditione, ut nuptiæ sequerentur: quod quidem distinctum est à legato facto ipsis puellis ad matrimonium contrahendum. Sed licèt hæc sententia textu illo non probetur, ratione tamen firmatur; nam quoties dos promittitur, seu legatur, illa est tacita conditio, si nuptiæ sequantur, *l.Si ego 9.ff.de jur.dot.l.Publius 36. ff.de cond. & demonst.* idque ex mente legantis, aut promittentis; nam cùm det ad effectum sublevandi onera matrimonii, *cap.Salubriter 16. de usur. l. Pro oneribus 20.Cod. de jur. dot.* inde est, ut habeat illam conditionem, ut sequatur matrimonium ubi onera illa continentur. Covarruv. dicit veriorem *in c.3.de testam.n.14.* Gomez *in l.50.Tauri, num.29.* Acosta *select.lib.2.cap.32.à n.1.* Cevallos *comm. q.138.* Fachineus *controv. lib.5.c.48.* Cancerius *3.part. variarum, cap. 21.à n.335.* Marinis *allegat.17.per tot.* Leoncillus *2.part.privileg.345.à n.1.*

7 Tertia sententia distinguit quando legatum relictum est certæ, aut certis puellis; tunc enim legatum est purum, & quando fuerint nubilis ætatis, peti valet: nam contemplatione personæ relictum videtur, idcircò purum est, dilata solutione usque ad illud tempus. Secus verò si generaliter relinqueretur pro maritandis puellis; tunc enim est conditionale, quia testator tam prospexit matrimonium sequendum, quàm personas. Bartol. *in dict. l.Titio, §.Titio genero, in fine,* Rogerius *de dot.5.part.n.1.* Crassus *de success. verbo Legatum, q.48. num.2.* Lara *dict. lib.1.c.21. à num.15.*

8 In hoc dubio distinctio facienda est quando testator est pater, aut persona, quæ legitimam debet filiæ, vel nepti, & ad nuptias legatum eis relinquit pro sua tota legitima, ita ut appareat nihil aliud legare voluisse, nisi ipsam legitimam, quo quidem casu purum est legatum. Ratio est, quia intentio illius nihil aliud fuit, nisi legitimam persolvere: addere autem, *ad nuptias*, nihil aliud continet, nisi ostendere, velle ut filia, vel nepos nuberent, non per modum gravaminis, aut conditionis. Gomez *in l. 50. Tauri, n.29.* Menochius *lib.4. præsumpt.146.n.3.* Cancer. *d. cap.21. n.337.* Bossius *de dot.c.17.n.90.* Gratian.*dec.4.n.63.*

9 Quod maximè admittendum si filia, aut neptis fuerit tempore testamenti nubilis ætatis; quia tunc pater non consideravit tempus nuptiarum, sed quod statim solveretur, & maritum duceret. Merlinus *de legitim. quæst.8. num.65. in fin.* idque existimandum, etiamsi aliquid ultra legitimam legaverit, vel utatur verbis præteriti temporis; respectu enim legitimæ semper legatum purum est. Novellus *de dote, 6.part.privileg.17.* Galganet. *de condition. & demonstrat. 2.part.cap.6. quæst.1.n.70.* Cancerius *dict. cap. 21. num.338.*

10 Si verò pater, aut alius, satisfacta legitima, aut extraneus simile legatum reliquerit, ita ut non pro illa consideretur, in primis consideranda est ejus voluntas, sive expressa, sive conjecturata, quam insequi debemus, *l.1. C. de Sacros. Eccles. l.Cum quæstio, C.de legat.* idcircò si statim velit deberi, purum erit; aut si nuptiis sequutis, conditionale, ut cum multis ait Castill. *lib.8.controv.c.36.§.10.n.7.*

11 In dubio verò attendenda sunt verba, quomodo concipiat legatum, ant per modum conditionis, modi, aut simpliciter purè, ut statim debeatur, *leg.Ille, aut ille 25.§.Cum in verbis, l.Non aliter 69 ff. de legat.3.* Covarruv. *in c.3.de testam.n.11.* Menochius *dict. præs.146.à num.3.* D. Olea *de cess. tit. 3. q.7.num.36.*

12 Quare si dicat testator, *Lego centum si nupserit, aut cùm Titio nupserit, vel cum nupta erit, aut postquam copuletur, vel quando monachabitur,* legatum erit conditionale, quia ex his verbis benè concipitur, non nisi sequutis nuptiis legatum illud deberi, nec transmitti posse ad hæredes. Mantica *lib.11. conject.tit.18.n.18.* Spino *de test.glossa 10.princip.n.18.* Castil. *d.§.10.n.9. vers. Sane.*

13 Si verò testator dicat, *Lego puellæ centum, ut possit nubere,* dissentiunt DD. Aliqui dicunt conditionale, alii purum, alteri modale: quorum sententias retulit Castillo *dict.§.10. à n.10.* Ast videtur certius modale esse, prout si dicat, *Lego ut nubat.*

14 Quando verò testator dixerit, *Lego pro dote, causa dotis, vel pro matrimonio,* diffidium gravissimum est, an purum, seu conditionale sit: ast illa mihi recipienda sententia videtur, ut conditionale sit; nam dos sine matrimonio non consideratur, *leg.3.ff.de jur. dot.* quare quoties legatur pro dote, necessariò requiritur matrimonium, tanquam conditio illius legati. Cæterùm hæc verba tendunt, ut nuptiæ sequan-

quantur, & effectuentur, itaque in nuptiis debet verificari. Roman. *cons.* 134. *sub n.* 2. Alexand. *lib.* 2. *cons.* 35. *verb. Incertus*: unde quando non constat, aliud sensisse testatorem, semper censebitur conditionale, ut latè prosequuntur Menoc. *lib.* 4. *præs.* 146. Gratianus *dict. decis.* 4. *à n.* 65. Fontan. *de pact. nupt. tom.* 2. *claus.* 6. *gloss.* 3. 1. *part. à num.* 4. Castillo *dict.* §. 10. *à num.* 17. Noalis *de transmiss. casu* 17. *à num.* 4. quod idem dicendum si dicat testator, *Lego in augmentum dotis, aut maritagii*, ob easdem rationes. Marinis *d. alleg.* 17. *à num.* 2.

15 Unde denique resolvendum quid dicere debeamus, quando legatum relinquitur generaliter pro maritandis puellis, aut virginibus pauperibus? Et aliqui censuerunt purum esse, quia ex eo quod generale est, nunquam deficient puellæ, ut certæ censeantur. Bart. *in l. Quibus diebus*, §. *ult. ff. de cond. & demonst.* Castrensis *in dict. l. Titio*, §. *Titio genero*, Menoch. *d. lib.* 4. *præs.* 146. *n.* 25.

16 Verùm in hoc legato pio mens testatoris graviter est consideranda; versatur enim circa puellas pauperes, quæ otplurimùm non habent necessaria ad nuptias contrahendas, veluti vestes, lectum, & alia præcisa rei familiaris: quapropter sæpè sæpiùs volunt testatores, & fundatores, ut non sequutis nuptiis præstetur, sed quando sponsalia contracta sunt; idque si ex mente conjecturata, aut expressa illorum constiterit, erit observandum, ut quando certæ puellæ legatum relinqueretur, tenet Lara *d. c.* 21. *n.* 17.

17 Si verò nihil constet, conditionale considerandum est, quia dotis causa relinquitur, quod conditionale semper censetur. Rota apud Ludovis. *decis.* 301. *num.* 15. nec tunc favor personarum inspicitur, sed nuptiarum, ut tenet ipse Lara *d. cap.* 21. *n.* 20. *vers. Quæro autem*, Mantica *lib.* 8. *conject. tit.* 5. *n.* 23. Castillo *dict.* §. 10. *num.* 27. Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 35. *à n.* 31.

18 Fundamentum contrariorum solidum non est, quatenus dicunt, in legato generali puellarum non posse deficere unam, aut alteram, licèt prima jam electa moriatur, ut sit purum legatum, ut posteà non consequenter Castillo tradidit *d.* §. 10. *n.* 36. quia licèt generaliter loquendo puellæ deficere non possint, possunt tamen deficere in particulari. Ponamus Patronos, seu exequutores certas puellas nominasse ad Præbendas, seu legata pro dote relicta, ut quotidie fit, & aliquam nominatarum decessisse; tunc defuncta non transmittit legatum ad hæredes, quia defuncta est ante nuptias contractas, nec anteà poterat petere: ergo quia conditionale est legatum, aliàs multa damna his memoriis irrogarentur; hoc enim jure quotidie utimur.

19 Ast in hac villa consuetudinem quandam inveni, per quam si mulieres dotatæ contractis nuptiis decesserint absque prole, minimè legata ista transmittunt ad hæredes, si soluta non fuerint: verùm ut incivilis, & injusta à nobis suscepta non est.

20 Quid verò quando legatum relinquitur purum his puellis, ut ante nuptias eis tradatur, verùm in ordine ad nuptias, ita ut si non sequantur, teneantur restituere, sicut etiam quando modale fuerit, an cautio sit tunc præstanda? Et affirmativè respondet Gomez *in l.* 50. *Tauri*, *n.* 29. *ad fin.* estque ad id textus *in d. l. Titio*, §. *Titio genero*, ibi; *Sed cum ante nuptias, quia purum est legatum, peti potest cautio, mulieri pecuniam reddi, cum necessaria erit.*

21 Verùm distinctio facienda est quando legatum relinquitur puellæ purè, ut habeat ornamenta, & alia necessaria ad matrimonium; tunc enim cautio necessaria non est, quia est purum, nec intra substantiam matrimonii; mens enim testatoris fuit, ut ne immunda veste induta à viris sperneretur, totaque ejus voluntas in præparatoriis adimpletur. Secus autem si fuisset in ordine ad matrimonium, ita ut si non sequeretur, legatum fuisset restituendum; tunc enim cautio est necessariò reddenda. Lara *d. cap.* 21. *à n.* 18. Molina *de just. tract.* 2. *disp.* 108. *vers. Multa*, Azev. *cons.* 1. *n.* 46. D. Olea *de cess. tit.* 3. *q.* 7. *n.* 36.

22 Sed ut eligantur hæ puellæ ad dotes istas, seu eleemosynas percipiendas, debent esse nubilis ætatis, quia causa finalis, nempe matrimonii, semper est attendenda, *l. Nec semel*, §. *In habitatione*, *ff. quand. dies legat. cedat*; idcircò debent eligi in illa ætate, in qua nuptias valeant contrahere. Lara *dict. cap.* 21. *n.* 16. Castillo *d.* §. 10. *n.* 27. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 91. *n.* 61.

23 Cæterùm disquirendum, an hæc legata ad maritandas puellas possint jam nuptis dari, quæ dotem non habent, aut non sufficientem? Prima sententia negat esse danda; nam qualitas verbi intelligitur tempore facti testamenti, ut explicetur voluntas testatoris. Castillo *lib.* 5. *controvers. cap.* 90. *num.* 1. Ergo cùm hoc legatum relinquatur ad maritandas mulieres, non loquitur testator de nuptis, sed de nubendis, unde nuptis dari non valet. Tum ex ratione finali comprobatur; nam per hæc legata intendit testator, ut mulieres viros inveniant. Ergo si jam invenerunt, nequeunt illa percipere. Hermosil. *in l.* 6. *tit.* 4. *part.* 5. *glossa* 1. *num.* 13. D. Olea *dict. tit.* 3. *quæst.* 7. *num.* 39. *ad fin.*

Secunda sententia asserit contrarium *ex l. Si jam facta* 11. *l. Publius* 36. *l. Conditionum* 91. *ff. de condit. & demonstr. l. Si quis hæredem* 7. *C. de institut. & substit.* quæ jura probant relictum ad nuptias, etiam nuptis dari posse: & id magis admittendum, quando consanguineæ ad hæc legata vocarentur, quia ex affectione præsumitur, quod jam nuptis pauperibus dare voluerit. Casanate *cons.* 35. *per tot.* Ripol. *in l.* 2. *ff. de condit. & demonstr. num.* 78. Capponi *tom.* 2. *discept.* 101. *num.* 15. Leoncill. 2. *part. privileg.* 342. *num.* 2. 24

Tertia sententia distinguit quando legatum relinquitur pro dote puellarum, & tunc inquit, nuptis dari valere, quia dos, vel ejus augmentum datur nuptis. Secus verò si relinqueretur pro maritandis puellis, quia tunc clara est voluntas testatoris, ut non nuptis, sed nubendis concedatur. Novarius *quæst. for.* 125. Mena *in addit. ad Gammam, decis.* 125. Barbosa *de univ. jur. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 107. Sanchez *de matrim. d. disp.* 91. *n.* 64. Diana 2. *part. tract.* 2. *Misc. resol.* 52. *vers. Nota etiam*, Delbene *de immun. tom.* 1. *c.* 8. *dub.* 21. *sect.* 9. 25

Quarta sententia aliter distinguit, nempe si legatum relinquitur certæ puellæ, tunc nuptæ dari valet; quia conditio illa, ut nuptiæ sequantur, tam longè abest ut sit extincta, quod potiùs est completa. Castrensis *lib.* 2. *cons.* 128. Tiraquellus *tract. cess. causa, limit.* 28. Secus si generaliter relinqueretur pro puellis maritandis, eo quòd voluntas testatoris in aliis possit impleri. Azevedus *cons.* 1. *n.* 20. Lara *d. cap.* 21. *n.* 30. Valenxuela *cons.* 132. *à n.* 12. Castillo *lib.* 5. *controv. cap.* 90. *à n.* 32. Salgado *de recent. Bull.* 1. *part. cap.* 10. *n.* 11. Sanch. *lib.* 1. *de matrim. disp.* 33. *n.* 32. *ad med.* Trull. *lib.* 7. *Decalog. cap.* 18. *dub.* 12. *n.* 15. 26

In hoc dubio aliquæ distinctiones faciendæ sunt, & in primis quando legatum hoc relinquitur certæ puellæ ad ejus matrimonium, & jam nupta est: in hoc casu etiamsi nupta fuerit, legatum ei præstandum est, sufficienter enim paritum est voluntati testatoris per contractum matrimonium, ut depromitur *ex l. Cum vir* 25. *ff. de condition. & demonstr. leg. Quod pupilla* 32. *ff. quand. dies legat.* Tum, nam quando certæ personæ legatur propter specialem affectionem, intelligitur testator similiter legaturus, etiamsi nuptam scisset, ad onera matrimonii sustinenda, ut cum quarta sententia tenet Cancerius 3. *part. variar. c.* 20. *à n.* 175. qui *n.* 179. rectè scripsit, quod si scisset nuptam, & tamen conditionaliter dixerit, *pro illa maritanda*, legatum debebitur pro secundis nuptiis, non autem pro primis, *l. Si ita legatum* 67. *ff. de cond. & demonst.* Sarm. *lib.* 2. *select. c.* 1. *n.* 10. Cevallos *comm. q.* 138. *n.* 6. Spino *de test. gloss.* 14. *n.* 152. 27

Excipit tamen Cancer. *dict. cap.* 20. *num.* 182. quando non conditionaliter, sed causativè poneretur, ut nuptiæ sequerentur; tunc enim si maritata puella inveniretur, extingueretur legatum, nec ei deberetur; nam causa finali deficiente, evanescit, *l. Cum tale*, §. *Causam*, *ff. de condit. & demonstrat.* & communiter Scribentes *in l. Lucius* 22. *ff. de leg.* 2. 28

Verùm hoc assertum quando puella pauper fuerit, & causa pietatis ei relinqueretur legatum, aliter dicendum puto, quia si sciverit testator nuptam esse, & causativè relinqueretur legatum, ita ut nisi nuptiæ sequerentur, legatum extingueretur; tunc pro secundis nuptiis relictum videtur, quando scit nuptam esse mulierem illam, prout dicebamus quando conditionaliter fuisset relictum; non enim aliqua ratione distinguuntur. Si verò ignoraverit, non improbabiliter defenditur legatum statim deberi, ac nuptæ concedi posse, etiamsi testator poneret causativè; quia sumus jam in casu, de quo ipse nihil expressè disposuit, quia ignorabat mulierem nuptam esse: quapropter ex aliis principiis difficultas venit resolvenda. 29

In causa igitur pia dicendum, legatum istud deberi 30

statim, & nuptæ concedendum; quia in causa pia causa finalis est bonum animæ, itaque commodum ipsius legatarii non impulsiva dicitur, sed ipsa finalis causa, ex qua provenit animæ bonum, & utilitas. Tiraquell. *de privil. causa pia, privil.* 167. Nevizanus *conf.* 27. Mascardus *conclus.* 1176. *n.* 57. Cancerius *dict. cap.* 20. *n.* 184. Ergo si puella illa sit pauper, nec habeat dotem, aut non sufficientem, licèt deficiat illa causa finalis expressa à testatore, sustinebitur tamen legatum ex alia causa commodi legatariæ, ex quo resultat bonum animæ legantis: quare jam nuptæ dari poterit, si testator ignorabat jam virum habuisse. Rursus quando testator cautativè petit, ut nuptiæ sequantur, legando certæ puellæ, illam nuptam ignorans, principaliter intendebat effectum, id est ut præcisè nuptiæ contraherentur; & causam finalem non posuit propter se, sed propter finem. Sed quando effectus prætenditur principaliter, & conditio, seu causa finalis non propter se, sufficit ut finis præcedat, *l. Si jam facta* 11. *ff. de cond. & demonstr. l. Servo manumisso, ff. de condict. indeb.* Ergo rectè debetur legatum jam nuptæ, cui legatur.

31 Secunda distinctio facienda est quando ad legatum vocavit personas incertas de certis, veluti puellas, aut virgines de sua familia, vel consanguineas pauperes pro matrimonio earum, aut ut in matrimonio collocentur. In hoc casu asserendum, etiam nuptis dari posse. Ratio est, nam legatum istud consideratur ut factum personis certis, cùm sint ex certo genere, & familia: quare idem asserendum quod de legato facto certæ puellæ. Cæterum, nam est ratio singularis affectionis ad suam familiam, seu genus, potiùs quàm in aliis mulieribus: unde credendum, quod si vidisset consanguineam nuptam indotatam & pauperem, similiter providisset sicut non nuptis. Denique in nuptis non omninò cessat periculum luxuriandi, quando nupta pauperie opprimitur: ergo cùm concurrat affectio sanguinis, nec eesset periculum peccandi, non malè præsumitur velle etiam nuptæ dari legatum, ut in terminis loquitur Casan. *dict. conf.* 35. Castillo *lib.* 5. *controv. cap.* 84. *n.* 48. & *cap.* 90. *n.* 35. Sanchez *lib.* 7. *de matrim. disp.* 91. *n.* 64.

32 Idque à fortiori admittendum, quando in his legatis perpetuis mulier consanguinea protestaretur Patronis, seu exequutoribus, se velle matrimonium contrahere, & suum jus reservare, ut posteà sibi legatum concedatur, ne occasio nubendi deficiat, ut tenent Lara *dict. cap.* 21. *num.* 30. *in fin.* D. Olea *dict. tit.* 3. *quæst.* 8. *num.* 39. Valenzuela *conf.* 132. *à num.* 22.

33 Quid verò si ignorans hanc protestationem non fecerit? Moronius *respons.* 78. *à num.* 1. & 37. asserit dandum nuptæ hoc legatum, si alia consanguinea non concurrat. Consentit D. Olea *dict. num.* 39. *in fin.* Sed in sententia quam sequimur, benè absque aliqua protestatione admittetur, etiamsi non nimia paupertate prematur, ut desiderat D. Olea nuperrimè allegatus.

34 Tertia distinctio est quando legatum pro maritandis puellis pauperibus generaliter relinquitur: & in hoc casu nuptæ admittendæ non sunt, licèt dicat ut dotentur; nam hæc verba testatoris nequeunt verificari in jam nuptis, cùm detur legatum ad matrimonium contrahendum, ut cum aliquibus notat Sanchez *d. disp.* 91. *n.* 64. Denique quia nulla adest conjectura specialis affectionis, ut existimemus velle testatorem etiam nuptis concedi.

35 Consequens est alia difficultas, an viduis dari possit hoc legatum pro maritandis puellis, aut mulieribus? Prima sententia negat, nam quælibet dispositio intelligitur de primo actu, *leg. Boves*, §. *Hoc sermone*, *ff. de verb. signific.* Itaque legatum hoc intelligendum de primis nuptiis, non autem de secundis. Tiraquellus *in dict.* §. *Hoc sermone*, *num.* 111. Benedict. *in cap. Raynutius*, *verbo Qui cum alia*, *n.* 79. Azevedus *conf.* 24. *n.* 49. Genuensis *in praxi, tricen.* 13. *quæst.* 387. *n.* 1. Castillo *lib.* 8. *controv. cap.* 36. §. 8. *n.* 17. Sanchez *d. disp.* 91. *n.* 55.

36 Secunda sententia tenet contrarium, quia quod relinquitur ad puellas maritandas, non solùm verificatur in primis nuptiis, sed etiam in secundis. Lara *dict. cap.* 21. *num.* 88. Rovit. *conf.* 33. & sic decisum scripsit Thoro *in Summa*, *privil.* 84. Delbene *dict. cap.* 8. *dub.* 21. *sect.* 10. Barbosa *de univ. lib.* 3. *c.* 27. *n.* 108. Diana 2. *part. tract.* 2. *resol.* 52. Trullench *d. lib.* 7. *c.* 18. *dub.* 12. *n.* 15.

37 Tertia sententia est Sylvestri *verb. Legatum* 1. *quæst.* 5. *n.* 9. asserentis, ad hoc legatum admittendas esse viduas secundò nubentes, non verò si ad ulteriora procedant, cùm non ita sint favorabilia.

Quartam tenet Ripa *in rub. C. de secundis nuptiis*, *n.* 15. 38
dicens, viduas admittendas esse, si primum matrimonium non consummarunt; nam licèt illæ in rigore viduæ dicantur, non tamen quoad effectum matrimonii, cùm virgines permanserint; quapropter licèt conditio non nubendi admittatur in viduis, *Auth. Cui relictum*, *C. de indict. viduit. toll.* non tamen in his viduis, quæ matrimonium non consummarunt.

In hoc dubio animadvertendum, quæstionem non esse 39
quando legatum relinquitur pro maritandis virginibus; nam tunc viduis neutiqnam dari valet, cùm jam non sint virgines: poterunt tamen admitti, quæ matrimonium non consummarunt, cùm reverà virgines censeantur, sicut & aliæ non nuptæ: quo in casu habebit locum sententia Ripæ, etiam quando virgines vocarentur.

Erit ergo difficultas quando puellæ, aut mulieres voca- 40
rentur ad hoc legatum? Et aliquando vidi viduas similia legata petere, non ad nuptias futuras, sed ex vi præteritarum: quo quidem eventu nequit illis legatum præstari, quia nec petunt ad matrimonium contrahendum, nec adsunt in matrimonio, ad cujus levamen præstari poterat, prout suprà diximus.

Aliter verò si peteretur ad secundas, aut ulteriores nu- 41
ptias contrahendas, quia tunc possunt ad legatum admitti, ob identitatem rationis, cùm sit ad contrahendum matrimonium, *l. Nauta*, §. *fin. ff. naut. caup. & stabul.* Thomasset. *reg.* 299. Itaque mihi videtur verior secunda sententia, quam admitto quando simul cum vidua in eodem gradu non concurrat aliqua virgo, aut quæ nunquam matrimonium contraxerit; quia primæ nuptiæ semper sunt favorabiliores. Lara *d. c.* 21. *n.* 88. *in fin.* Sanchez *d. disp.* 91. *n.* 5. Diana 4. *part. tract.* 4. *resol.* 140. Trullench *d. c.* 18. *dub.* 12. *n.* 16. Bonacina *de contract. disp.* 3. *quæst.* 17. *punct.* 8. §. 4. *n.* 8. Leoncil. 2. *part. privil.* 343. *n.* 1.

Aliquando solent fundationes fieri ad maritandas puel- 42
las, ad quas orphanæ tantùm vocantur. Verùm quæ sub hoc nomine intelligantur, disceptant DD. Aliqui asserunt, orphanum, seu orphanam tantùm intelligendos utroque parente carentes. Rebuffus *tom.* 1. *const. Franc. tract. de miser. person. art.* 3. *gloss. fin.* Perez *in l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 1. *Ord. fol.* 463. Petr. Greg. *syntagm. lib.* 12. *c.* 1. *n.* 5. Alteri dicunt, orphanam esse, quæ patre caret, licèt habeat matrem; mulieres enim propter defectum consilii quasi pro nullis ad hunc effectum habentur: idque observandum inquiunt, quoties orphanus, seu orphana voluerit litem agere coram Auditoribus Regiis, *ex leg. unic. C. quando Imperator inter pupil. & vid.* Greg. *in l.* 5. *tit.* 3. *part.* 3. *gloss.* 4. Covarr. *pract. cap.* 6. *n.* 2. Escobar *de ratioc. c.* 7. *n.* 60. Carrasc. *de casib. Cur. n.* 16. Nec defuere aliqui dicentes, orphanam esse matre tantùm carentem. Castrensis *in rubr. Cod. quando Imperator, &c.*

Ast in re illa communis sententia est, ut quæ patre caret, 43
& est intra pupillarem ætatem, orphana dicatur, ut cum aliquibus docet Sanchez *conf. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 63. *num.* 5. qui loquendo in specie quando legatum relictum est ad maritandas orphanas, asserit admittendas esse puellas patre tantùm carentes, etiamsi pupillarem ætatem excesserint; debent enim esse nubilis ætatis, & præcisè extra ætatem illam, ut ad hoc legatum admittantur, ut etiam tenet Lara *d. c.* 21. *n.* 87. quorum doctrinam admittere libet, nisi quando concurrerent aliæ orphanæ ex utroque parente, cùm istæ sint præferendæ. Gratianus *discept. cap.* 666. *num.* 3. Velasco *de privil. paup. tom.* 1. *q.* 4. *num.* 9. Diana *dict. resolut.* 52. *vers. Quantò legatum*, & 4. *part. tract.* 4. *resolut.* 163. Trullench *dict. dub.* 12. *num.* 15. Delbene *dict. cap.* 8. *dub.* 21. *sect.* 7. *n.* 5. Leoncill. 2. *part. privil.* 303. *n.* 1.

Est verò quæstio ad hæc pia legata, an orphana dicatur, 44
quæ habet patrem inutilem? Et aliqui negarunt, quia ista non propriè dicitur orphana, sed impropriè; itaque non satisfit dispositioni testatoris, quæ propriè, & meliori modo est adimplenda. Mantica *de conjectur. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 15. Menochius *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 76. *num.* 8. Ergo nec præstari valet hoc legatum puellis patres inutiles habentibus. Sanchez *conf. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 13. Trullench. *d. dub.* 12. *num.* 15. *vers. Deinde legatum*, de Lugo *de just. disp.* 24. *sect.* 13. *n.* 303.

Contrarium verò tenent alii; nam illa verè orphana dici- 45
tur, quæ caret præsidio patris, & illius opem desiderat.

Gra-

Gratianus d. cap. 666. n. 1. Velasco d. qu. 4. n. 3. quapropter verè orphana dicenda est habens patrem inutilem, quia revera caret præsidio patris, & illius opem desiderat; unde jus dans viduis privilegia, eadem concedit mulieribus viros inutiles habentibus. Covarruvias practicarum cap. 7. num 2. Scaccia de appellat. quæst. 7. n. 116. Gaillus observat. lib. 1. observat. 1. n. 44. tum Ecclesia viduata censetur, si habeat Prælatum inutilem, cap. Inter corporalia 2. de translat. Episcop. & universitas dicitur non habere Syndicum, si illum habeat inutilem, l. 1. §. Quod si nemo, ff. quod cujusque universitat. Idem dicendum in nostra specie, si puella patrem inutilem habeat, ut tenent Gratian. d. cap. 666. num. 7. Lara d. cap. 21. n. 31. vers. Ibi tamen, Diana d. resol. 52. vers. Non tamen: dicit probabile Delbene d. cap. 8. dub. 21. sect. 7. à à num. 1. Leoncil. d. privil. 303.

46 In hoc dubio dicendum videtur, quod si concurrant propriè orphanæ parentibus orbatæ simul cum illis habentibus patres inutiles, neutiquam istæ admittendæ sunt; nam quoties voluntas testatoris valet propriè, & meliori modo adimpleri, nequit impropriè, & per æquipollens ei satisfieri, ut dicunt DD. primæ sententiæ. Tum quia, ut considerat Sanchez d. dub. 13. n. 2. nequeunt impropriè admitti orphanæ istæ, si id tendat in præjudicium tertii, prout est quando alteræ adessent propriè orphanæ, orbæ parentibus, l. Orphanatrophos, C. de Episcopis, & Clericis, ubi Doctores. Menoch. de arbitr. casu 66. in addit. n. 7. Castillo lib. 1. controv. cap. 25. n. 17. quare concurrentibus aliis propriè orphanis, nequeunt admitti habentes patres inutiles.

47 Tempero tamen, meo videri satis probabiliter, licèt propriè orphanæ concurrerent, quando habentes patres inutiles fuissent pauperiores, & in gravioribus necessitatibus constitutæ; tunc enim cum aliis poterunt admitti ex præsumpta voluntate testatoris; nam quoties major est paupertas, videtur velle testatorem urgentiori necessitati opitulari, quia est major pietas, prout considerat Guttierrez cons. 26. n. 11. ubi scripsit, quod si legatum relinquatur pro maritandis consanguineis pauperibus, prospiciens prius indigentiam, quàm consanguinitatem, remotior pauperior præfertur proximiori pauperi, cùm id petat ratio pietatis: ergo si puella habeat patrem inutilem, & pauperior sit, præferetur propriè orphanis.

48 Cæterum in causis piis larga facienda est interpretatio, si urgeat pietatis causa. Soccinus lib. 1. cons. 124. n. 6. Tiraquellus privil. 23. Surdus de aliment. tit. 8. privileg. 25. n. 6. Cùm ergo in specie urgeat causa majoris pietatis, nempe sublevandi majorem necessitatem, rectè interpretatio fit voluntatis testatoris, voluisse præferri orphanam impropriè orphanis propriè, quia pauperior est. Denique ad effectuandam voluntatem testatoris aliquando decet verba impropriare, & per æquipollens adimplere. Aymun cons. 59. n. 5. Alexand. lib. 4. cons. 100. num. 6. Gratian. March. decis. 155. n. 14. Cùm ergo in his causis piis sit effectuanda ejus voluntas in opitulanda majore necessitate, sufficiet per æquipollens adimplere, & impropriare verba, sumendo impropria pro propriis, & è contra, ut pauperi puellæ succurratur.

49 Si verò ad hoc legatum non concurrant, nisi habentes patres inutiles, rectè recipiuntur, quia nulli fit præjudicium, & rectè admittitur sententia secunda Gratiani, & aliorum.

50 Tandem in re, orphana dicenda non est, quæ matre tantùm caret, prout dicebat Castrensis relatus n. 42. in fin. cujus sententia communiter reprobatur. Sanchez d. lib. 4. cap. 2. dub. 63. num. 4. Delbene dict. sect. 7. in fin. Sed Carleval. de judic. tom. 1. lib. 1. tit. 1. disput. 2. quæst. 6. sect. 7. num. 568. benè scripsit, Castrensem illam doctrinam non habuisse, verùm lecturam Castrensis mendosam existere. Erit tamen orphana existimanda, si matre careat, & insimul habuerit patrem inutilem, vel quia infirmitate corripitur, aut quia dissipator bonorum, in Curia detinetur, ut est intelligendus textus in cap. Admonere 33. quæst. 2. Carleval. opportunè allegatus.

51 Cæterùm quando hoc legatum relinquitur pro puellis orphanis maritandis, expositæ debent etiam admitti; nam licet parentes habeant, eos tamen demonstrare non possunt, nec illorum habent præsidium, l. Vulgò concepti, ff. de stat. homin. quare orphanis comparantur. Novarrius de elect. for. sect. 1. quæst. 10. num. 2. & in terminis Lara dict. cap. 21. n. 66. qui n. 68. id extendit etiamsi relictum sit pro puellis naturalibus alicujus loci; nam ut docet Bart. in l. 1. in fin. ff. ad municip. expositæ præsumuntur illius loci ubi exponuntur, quapropter ut naturales debent admitti ad hæc legata. Gregorius in l. fin. tit. 20. part. 4. verbo Echandolos, Diana dict. 2. part. tract. 2. Miscell. resolut. 52. vers. 4. Trullench d. dub. 12. n. 15. Riccius 7. part. collect. 2555. & alibi Diana tom. 6. tract. 8. resolut. 47.

Similiter admittenda est puella ex patre servo, & matre libera concepta; ista enim civiliter patre caret, quia mortuus existimatur, & ita orphana censetur. Lara dict. cap. 21. num. fin. 52

Illud verò animadvertendum, quod quando expositæ concurrunt cum aliis verè parentibus orbis, quæ orphanæ propriè dicuntur, ut diximus, & tenet etiam Novarius de elect. for. sect. 1. qu. 2. n. 2. & quando adsunt aliæ propriè naturales, & originariæ, istæ expositis præferuntur; nam fictè tantùm sunt orphanæ & naturales, quæ nequeunt concurrere cum propriè orphanis & naturalibus. Valenzuela cons. 73. n. 52. Augustinus Caputus de regimin. Reipub. cap. 3. n. 52. Ergo necessariò propriè orphanæ, & naturales sunt præferendæ. Lara d. cap. 21. n. 82. Trullench d. dub. 12. n. 15. vers. Vide Dianam, Diana 3. part. tract. 6. resol. 63. Riccius d. collectan. 2555. vers. Sed num. 53

Quid verò si legatum relinquatur pro maritandis puellis, v. g. Toletanis, aut Matritensibus? Et in hoc casu illud est expediti juris, ut puellis illius loci concedatur. Sed est dubium, an puellis illius territorii valeat concedi? Et Gratianus March. decis. 96. à num. 1. scripsit id fieri posse; nam hoc legatum favorabile est, itaque non solùm ad puellas cives illorum locorum pertinebit, sed etiam ad alias territorii, l. 2. ff. de Nundinis, l. Quod ex vico, juncta l. Civilibus, ff. ad municip. Valenz. cons. 79. n. 54. Castillo lib. 6. cap. 153. n. 14. Ergo territorii puellæ sunt etiam admittendæ, ut tenet etiam ipse Gratianus discept. cap. 217. à num. 1. Rota apud Merlin. decis. 63. num. 19. 54

Lara verò dict. cap. 21. n. 84. non extendit ad omne territorium, sed tantùm ad suburbia, & vicos proximos civitati, vel villæ unde puellæ vocatæ sunt; nam ex mente testatoris facilè concipitur, voluisse suam voluntatem extendere ad suburbia, & vicos proximos civitati. Gratianus disceptat. 22. n. 7. quare ad istas tantùm, non ad alias totius territorii vocatio ista est extendenda. 55

In hoc dubio magnopere investiganda est voluntas relinquentis, idque perpendendum ex aliquibus qualitatibus, quæ possunt considerari in puellis ipsius villæ, seu civitatis, veluti si essent illæ nobiles, ignobiles verò territorii, aut habuissent majorem indigentiam secundùm statum, vel aliam quamlibet qualitatem, unde cognoscatur voluisse testatorem tantùm illas vocare, non quæ sunt territorii: quo quidem casu extensio non est ad illas facienda, verùm tantùm urbis, aut villæ puellæ legatum illud percipient, ut sentire videtur Gratianus d. decis. 96. num. 7. 56

Si verò æquales sint, nec adsit qualitas unde perpendamus voluisse testatorem magis unas quàm alteras vocare, Laræ sententiam admitto dicentis, tantùm extensionem faciendam ad suburbia, & vicos proximos civitati. Ratio est, nam licèt hæc legata sint favorabiliora, cùm tamen relinquantur puellis de certo loco, extensio facienda non est cum damno tertii, sed tantùm illa, quæ ex verisimiliori testatoris voluntate fieri valet. Castrens. vol. 1. cons. 123. in fin. Bursatus cons. 227. num. 66. Mantica conject. lib. 3. tit. 19. à num. 2. Capponi tom. 1. discept. 55. n. 30. Itaque cùm ex verisimili mente testatoris tantùm valeat fieri extensio ad suburbia & vicos proximos civitati, ut membra proximiora illius; minimè facienda est ad alias puellas territorii in præjudicium aliarum. Denique suburbia, & vici proximi civitati in civitate intelliguntur, non per extensionem, sed per comprehensionem. Barbosa de appellat. verb. Civitas 49. num. 2. Rota apud Merlinum decis. 12. num. 29. quare puellæ istæ sunt admittendæ, non verò territorii, utpote in legato non comprehensæ. 57

Quando enim puellæ naturales alicujus oppidi ad similia legata vocantur, non solùm illius oriundæ admittendæ sunt, sed illæ, quæ per decennium ibidem domicilium habuerint, licèt aliunde originem traxerint, dum tamen habeant animum ibidem commorandi; nam habitatio decennalis cum animo ibidem commorandi, facit quemque naturalem, leg. 2. Cod. de incolis, lib. 10. l. 2. tit. 24. part. 4. Burgos de Paz in leg. 3. Tauri, num. 372. Gregorius in leg. 32. tit. 2. par. 3. gloss. Diez annos. Rota 2. par. diversor. decis. 150. n. 2. 58

San-

Sanchez *de matrim. lib.3. disp.23. n.2.* Unde similes puellæ ad hæc legata vocantia naturales possunt admitti. Sanchez *d. lib.4. cap.2. dub.12.* Diana *4. part. tract.4. resol.140. vers. Nota quinto.*

59 Si tamen constiterit aliunde habere animum permanendi, adhuc si decennium non fuerit adimpletum, poterunt admitti; nam tempus illud à jure desideratur, ut præsumatur animus ibidem perpetuò permanendi, unde naturales censeantur. Ergo si aliunde constet animum illum habere, similes mulieres ut naturales ad legata illa admittentur. Sanchez *dict. cap.2. dub.12. ad finem*, de Lugo *de justit. disp.24. sect.11. num.295.*

60 Sunt tamen aliquæ conjecturæ unde probetur animus perpetuò permanendi, veluti quando consequitur quis privilegium, ut jus civitatis obtineat: tum ex translatione bonorum, & totius familiæ, aut si domum comparat, & bona immobilia. Menochius *lib.6. præsumpt.42.* Rota *2. part. divers. decis.150. n.3.* Carleval. *de jud. lib.1. tit.1. disput.2. qu.1. à n.11.* Barbosa *de offic. Episcop. 2. part. alleg.4. à n.26.* Marchinus *de Ordin. tract.1. part.5. cap.7. à n.7.* Valenzuela *cons.37. à num.19.*

61 Hæ tamen doctrinæ explicatione indigent, potest enim testator naturales vocare puellas, intelligendo non solùm domiciliarias, sed oriundas illius civitatis, vel illæ, prout quando loquimur in naturalibus alicujus Regni, ut in nostro, in quo non domiciliarii tantùm intelliguntur, sed qui ibidem originem habent. Gregorius *in leg.2. tit.24. part.4. gloss.14.* Salcedo *ad Bernard. cap.54. num.23.* Bolaños *in Curia, tom.2. lib.1. cap.1. num.37.* Sanchez *cons. lib.2. cap.1. dub.9.* Aliter potest naturales vocare, nempe quæ sunt tantùm domiciliariæ, licèt originem non habeant, ut sunt quæ per decennium habitarunt, seu constat habere animum permanendi, ut jam diximus: & in his casibus est maxima distinctio, nam si sub nomine naturalium voluerit originarias comprehendere, minimè domiciliatæ admittentur, quia exclusæ censentur. Castrensis *1. part. cons.21. num.3.* Menochius *lib.6. præsumpt.30. n.22.* Gaillus *lib.2. observat.35. num.6.* Barbosa *in leg. Hæres absens, §. Proinde, ff. de judiciis, art. de for. orig. n.58.* quapropter maxima consideratione id est inspiciendum, ne in hujus causæ decisione error subrepat.

CAPUT VII.

Prosequuntur alia ad assumptum pertinentia.

SUMMARIUM.

Quæ originariæ dicantur, num.1. Sed an quis sit originarius loci ubi baptizatur, affirmant plures, n.2. Intelligitur Trullench, num.3.

An originarius dicatur, quando quis nascitur in aliquo loco, ubi parentes non habent domicilium. Prima sententia affirmat, n.4. Secunda negat, n.5. Resolvitur à n.6.

Origo alia est propria, alia paterna, & ideo originarius dicitur loci, ubi pater natus est, n.8.

De origine avi duæ sunt sententiæ, quæ conciliantur, num.9.

Origo matris non attenditur, nisi filius fuerit vulgò quæsitus, n.10. Quando ad legatum vocantur, quomodo & quibus regulis admittendæ, num.10.

Provincialis dicitur, quæ in provincia nata est, num.12.

Legatum relictum pro maritandis virginibus, an possit suscipi ab ea, quæ pro virgine habetur? Respondetur communiter, quod sic, n.14. Sed explicatur, à num.15.

An si legatum relinquatur pro maritanda prima filia Petri, & ante nuptias decedat, præstandum sit secundæ, duæ sunt sententiæ contrariæ, num.16. Sed in legato pio respondetur affirmative, num.17. In profano distinguitur, num.18.

An quando legatum relinquitur pro maritandis puellis, possit dari ingredientibus Religionem. Prima sententia negat, num.19. Secunda distinguit, num.20. Tertia in quolibet casu affirmative respondet, num.21. Resolvitur latè, à num.22. Non tamen dabitur puellæ tertiariæ, num.26.

Quando puellæ legantur mille, si nupserit; & ducenta, si Religionem ingrediatur, an debeat suscipere mille si ingrediatur Religionem. Prima sententia affirmat, num.27. Explicatur lex 99. ff. de condit. & demonstrat. *num.28. Secunda tenet contrarium, num.30. Resolvitur, à num.31.*

Si legentur centum pro dote, dabitur etiam ingredientibus Religionem, num.35. & similiter si legentur viduæ ea conditione, ut viduitatem servet, num.36.

Legatum relictum viduis, dari valet cœlibem vitam agentibus, num.37. & 38.

Legatum pro maritandis puellis quando debeatur, aliqui dicunt sequutis velationibus, num.39. Sed sufficere matrimonium de præsenti asseritur, num.40.

Si certa puella legetur ad matrimonium, & ante nuptias decedat, extinguitur legatum: sed explicatur, num.41.

NOnnunquam ad has puellas maritandas solent fundatores vocare originarias alicujus certi oppidi, aut terminatæ urbis; idcircò explicandum, qui sub hoc nomine intelligatur. Origo enim (ut animadvertit Carleval. *de judiciis, lib.1. tit.1. disput.2. quæst.2. num.84.*) aliquid superaddit ad ipsam civilitatem, ita ut quando originarii nominantur, non alii cives nominati, aut vocati censeantur: & ratio est, nam alienigena facilè fit civis contrahendo domicilium, quod pendet à facto, & ejus voluntate, *l. Non utique 34. l. Domicilium 20. l. Nihil 31. ff. ad municip.* Originarius verò minimè dicitur, nisi natus fuerit in eadem civitate, aut per fictionem, nempe per privilegium Principis. 1

Igitur originarius dicitur alicujus loci, qui ibidem natus est, *leg. Qui ex vico 30. ff. ad municipal.* Glossa *in cap.1. de usur. lib.6. verb. Alienigenas*: quod aliqui extendunt ad locum, ubi quis baptizatus fuerit, *l.2. tit.24. part.4.* quia si nativitas naturalis dat originem, quantò magis spiritualis, qua baptizatus nascitur ad gratiam. Gregorius *in d. leg.2. verb. Christiano.* Gonzalez *in regul.8. gloss.9. §.1. à num.105.* Barbosa *de offic. Episcop. 2. part. allegat.4. n.3.* Carleval. *dict. lib.1. tit.1. disput.2. quæst.2. num.111.* 2

Trullench tamen *de Sacram. Ordin. dub.7. n.3.* id temperat admittendum tantùm quando locus ubi natus est nescitur; tunc enim baptismus facit originarium illius loci puerum baptizatum, aliàs multa incommoda orirentur, dum patres, ut commoda originis filiis pararent, per multum temporis spatium eos baptizare differrent. Verùm DD. contrarium asserentes loquuntur fraude cessante, & absque aliqua malitia, ut scripserunt Gonzal. *d. §.1. n.113.* Gratian. *Discept. Forens. cap.75. num.17.* 3

Est tamen dubium non leve, an originarius dicatur, quando quis natus fuerit in aliquo loco, ubi parentes non habebant domicilium, sed quando ibant peregrini, vel casu ibidem reperiuntur. Prima sententia affirmat, *ex l.1. in princip. ff. ad municipal.* ibi: *Municipium, aut nativitas, l. Cives 7. C. de incolis, lib.10.* Cæterùm ratione ducitur; nam si ex sola nativitate originarius non fieret, sequeretur, quod ex sola voluntate patris penderet filiorum origo, cùm ex ejus voluntate dependeat stabilire domicilium, necne: quod non est dicendum. Ergo asserendum, ex sola nativitate pendere originem, etiamsi pater fuerit peregrinus, aut casu in illo loco reperiatur. Felinus *in cap. Rodulphus 35. de rescript. n.14.* Craveta *vol.3. cons.441. n.3.* Barbosa *in d. l. Hæres absens, §. Proinde, art. de orig. for. n.3.* Riccius *in praxi for. decis.298. n.2.* Gratianus *discept. forens. cap.75. à n.1.* Amaya *in l.7. C. de incol. lib.10. num.43.* Narbona *in l.20. tit.1. lib.4. Recopilat. gloss.2. ex num.138.* 4

Secunda sententia amplius requirit, quàm nativitatem, scilicet quod pater in loco illo habeat domicilium constitutum, ubi filius nascitur, ad hoc quod illius oppidi originarius dicatur: nec sufficiet esse peregrinum, aut casu ibidem inveniri, *ex l. Filios 3. C. de municipib. & incolis, lib.10.* qui textus ad originem supponit domicilium esse necessarium: quapropter si casu alibi filius nascatur, ibidem originem non contrahit, sed patris sequetur, ubi domicilium habet. Rursus licèt aliqua jura dicant originem contrahi ubi quis natus est, non expressè loquuntur ex sola nativitate; idcircò sunt intelligenda quando quis natus fuerit in domicilio patris, non verò alibi casu, aut quando peregrinus fuerit. Cevallos *comm. quæst.458. n.17.* Carleval. *dict. quæst.2. n.93.* Sanchez *de matrim. lib.3. disp.23. num.3.* Trullench *de Ord. d. dub.7. n.3.* Marchinus *eod. tract. 1. part. lib.5. cap.6. num.8.* Barbosa *dict. 3. part. allegat.4. num.7.* 5

In hoc dubio animadverto, nullum jus concludenter probare has sententias ex his, quæ pro utraque traduntur; 6

nam

nam textus *in d. l. 1. ff. ad municipal.* in illis verbis admittit interpretatiooem, ut nativitas intelligatur, supposito patris domicilio. Lex *Cives*, nihil ad rem importat: lex *Filios*, nihil certum concludit, recipit enim plura interpretamenta, quæ latè prosequitur Carleval. *dict. quæst. 2. num. 93.* quapropter nequit ex his juribus aliquid certum decerpi.

7 Præterea dico, mihi semper admittendam videri secundam sententiam ex proprietate verbi; nam origo aliquid ampliùs dicit, qoàm nuda nativitas, hoc est aliquid ab alio proveniens. Ovid. *Fast. 3.*

O quàm de tenui Romanus origine crevit!

Virgil. 2. *Georgic.*

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim.

Idcircò licèt jura non petant longam successionis seriem, saltem patris domicilium erit necessarium, ut antecedat: & confirmatur *ex l. 19. tit. 3. lib. 1. Recopil.* quæ loquens de naturalibus, & originariis hujus Regni ad obtinenda Beneficia, non ex sola nativitate id constituit, sed etiam quod pater in his Regnis domicilium habuerit, ut inde originem trahat. Burgos de Pax *in l. 3. Tauri, n. 374.* Villat *in Sylva Respons. 4. part. resp. 7. ex num. 19.* quare quoties quis originarius dici debet, non solùm ex sola nativitate pensandum, sed simul cum domicilio patris. Denique in jure, quod per accidens est, non consideratur, sed quod est per se, ut io terminis docet Abbas *in d. cap. Rodulphus, de rescr. pt. num. 9.* Ergo cùm sit accidens nasci in alio loco, id non est considerandum, sed attendendum ad originem ipsius patris, prout etiam tenuit Rota 1. *part. divers. decis. 327. n. 3.* Diana 8. *part. tract. 2. resol. 11.*

8 Hæc autem origo dicitur propria, quatenus est ex propria persona. Est tamen alia, quæ dicitur paterna: nam in loco ubi pater natus est, filius licèt alibi nascatur, habet originem; dicitur enim locus originis non solùm ubi quis natus est, sed etiam ubi ejus pater, *l. Assumptio 6. §. 1. ad Municipal. l. Si ut proponis, C. de incolis, lib. 10.* Tum etiam oriundus dicitur à nativitate propria, seu paterna, *l. Hujusmodi, §. Legatum, ff. de legat. 1.* Jason *ibidem, n. 18.* Boerius *decis. 13. num. 13.* Itaque etiam quis originarius dicitur illius loci, ubi pater natus est. Navarrus *cons. 19. de temp. ordin.* Guttierrez *cons. 7. n. 1.* Riccius *in praxi for. decis. 298. num. 4.* Gratianus *d. cap. 75. n. 11.* Barbosa *d. allegat. 4. n. 4.* Carleval. *d. qu. 2. num. 50.*

9 De avi origine, an nepos illam sequatur, disceptatio est? Negarunt aliqui, alteri affirmarunt, quos refert Amaya *in l. 7. C. de incolis, lib. 10. à n. 21.* qui Coocilationem admittunt, ut nepos avi originem contrahat, quando nascitur in ejus potestate; secus verò si extra. Sed de jure nostro Regio id non admittendum; nam quando filius matrimonium contrahit, exit à patris potestate, *l. 47. Tauri, l. 8. tit. 1. lib. 5. Recopilat.* unde nepos nascitur præcisè extra avi potestatem, & consequenter nequit sequi avi originem. Gregorius *in leg. 32. tit. 2. part. 3. gloss. 4.* Carleval. *dict. qu. 2. n. 54.* Riccius 5. *part. collect. 1583. in fin.* Balmaseda *de collect. qu. 60. num. 2.*

10 Origo enim materna nunquam admittitur, cùm mariti domicilium sequatur, quicquid contradicant Guttierrez *d. cons. 6.* Genuensis *in praxi, tricen. 8. quæst. 216. n. 2.* quorum sententiam admittendam censeo, quando filius fuerit vulgò quæsitus, quia aliam originem non habet. Amaya *in d. leg. 7. num. 16.* Diana 8. *part. tract. 2. resol. 18.* aliàs neutiquam suscipienda erit. Barbosa *d. allegat. 4. n. 14.* Trullench *d. dub. 7. n. 6.* Amaya *in d. leg. 7. num. 26.*

11 Unde cognoscendum qnando ad hæc legata puellæ alicujus loci originariæ vocantur, quomodo, & quibus regulis admittendæ, ita ut intelligantur illius loci originariæ, si ibidem natæ fuerint, non caso, sed quando pater domicilium habuerit, aut si sit locus ubi pater natus fuerit, aut de jure communi, ubi avus natus fuerit; & neptæ natæ in ejus potestate.

12 Si verò provinciales vocarentur, illæ dicuntur, quæ in Provincia domicilium habuerint, aut illius fuerint oriundæ, *leg. Provinciales 190. ff. de verb. signif.* Amaya *in d. l. 7. num. 8.*

13 Sæpè hoc legatum pro maritandis virginibus relinquitur, & tunc viduis, aut quæ corruptæ agnoscuntur, minimè concedendum. Lara *d. cap. 21. num. 88.* Trull. *d. dub. 12. n. 15.* Est tamen dubium hinc diluendum, an quæ communiter pro virgine habetur, verùm revera non est, in utroque foro possit hoc legatum percipere; mens enim testatoris illa videtur, ut tantùm virginibus detur: quare contra mentem illius puella ista perciperet legatum, & nec in foro conscientiæ poterit retinere.

Sed in specie communiter tenent contrarium DD. etiam- 14
si ex culpa sua fuerit puella illa corrupta; nam in his legatis piis directè non respiciunt fundatores qualitatem virginitatis, sed quod puellæ illæ inventis maritis ad peccata noo prolabantur, cùm adhuc finis, & intentum testatoris existat in hac corrupta occultè, & communiter pro virgine habita: Ergo poterit in utroqoe foro suscipere, & retinere hoc legatum. Tum nam quisque non tenetur sua peccata propalare, idque gravissimum inconveniens est in mulieribus, quæ amissa verecundia naturali, & suo crimine notorio, facilè ad majora delicta dilabuntur. Turrecrem. *in cap. Si peccaverit 2. qu. 2. n. 28.* adstipulatur illud Jerem. *cap. 3. vers. 3.* dicentis: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* Ergo rectè in utroque foro poterit hoc legatum suscipere, & retinere. Lara *d. cap. 21. num. 90.* Diana 2. *part. tract. 2. resol. 52. vers. Nota etiam.* Trullench *d. dub. 12. n. 15. vers. Quinto legatum.* Delbene *de immun. cap. 8. dub. 21. sect. 8.*

In hoc dubio verba testatoris pensanda sunt; nam si vo- 15
luerit ut virginibus concedatur, & non aliter, tunc nequit puella, ut virgo reputata, quæ revera noo est, legatum illud percipere, nec retinere, quia agere fuisset contra voluntatem testatoris. Verùm si dicat, legatum relinquere pro maritandis virginibus simpliciter, absque aliis verbis, unde corruptæ excludaotur expresse, illorum Doctorum admittenda est doctrina, idque non solùm ex suis fundamentis, sed etiam quia tantùm illis verbis, *puellis virginibus*, voluit puellas communi fama virgines, & honestas vocare: quapropter exequutores, seu patroni tenentur inquirere de honestate puellarum, & illas admittere, quæ virgines, & honestæ communiter reputantur. Lara *d. n. 90.* Ergo rectè similes puellæ poterunt legatum illud percipere, & retinere.

Est verò dubium, quando testator reliquerit legatum pro 16
maritanda prima filia Petri, & ipsa prima ante nuptias decesserit, an secundæ ipsius Petri filiæ debeatur? Romanus *cons. 308.* asseruit non deberi, quia tantùm in personam primæ filiæ dirigebatur: ergo nequit dari secundæ. Immola *cons. 103.* contrarium consuluit, quia in secunda verificatur effectus legati: verùm tandem id totum conjecturis relinquit. Mant. *lib. 8. conject. tit. 9. n. 10.* Azevedus *cons. 1. n. 43.* Diana *d. resol. 52. vers. Cùm legatum,* Trullench *d. n. 15. vers. Deinde legatum.* Delbene *dict. dub. 21. sect. 11.* Leoncillus 2. *part. privil. 345. num. 3.*

Sed loquendo in legato pio, quando relinqueretur pro 17
maritanda prima filia Petri paupere, & ad sublevandam ejus indigentiam, assero legatum deberi secundæ, si prima ante nuptias decedat; nam ex charitate, & pia affectione testatoris sufficienter conjecturatur, voluisse dari secundæ, si prima absque nuptiis decedat; quia secunda simili necessitate, & indigentia premitur, & in ea simile bonum illius animæ consideratur. Cæterùm, nam quando intuitu pietatis relinquitur legatum pro dotanda puella paupere, si ipsa decedat, non extinguitur legatum, quin potiùs alii puellæ pauperi pro dote est concedendum. Mantica *d. lib. 8. tit. 5. n. 23.* Genuensis *in praxi, tricen. 13. qu. 387. n. 4.* Cum ergo in præsentiarum adsit alia filia Petri erga quem, & ejus filias demonstraverat affectionem, inde est, ut secundæ sit concedendum, præcipuè cùm sit magis conforme voluntati testatoris.

Quando verò legatum pium non fuerit, respiciendum 18
est, an favore puellæ relictum fuerit pro servitio, aut alia causa respiciente ipsius personam: quo quidem casu illa decedente ante nuptias, extinguetur legatum, secus si contemplatione patris relinquatur, quia secundæ debebitur, ut explicant Genuensis, & Mantica nuperrimè allegati.

Est in re trita, sed non prætereunda quæstio, an quando 19
legatum relinquitur pro puellis maritandis, possit dari Religionem ingredientibus. Prima sententia negat, nam quoties aliquid relinquitur ad contrahendum matrimonium, semper intelligitur de carnali, non de spirituali, idque diversis nominibus explicatur; quia illud matrimonium dicitur, illud Religionis ingressus: quare cùm testator solùm de matrimonio carnali senserit, extensio non est facienda ad spirituale. Baldus *in Auth. Nisi rogati, C. de Sacros. Eccles. num. 11.*

*num.*11. Natta *cons.*296. *num.*1. Malvetius *cons.*21. *per tot.* Mantica *lib.*8. *conject. tit.*5. *num.*22.

20 Secunda sententia distinguit, ita ut quando legatum hoc certæ personæ relinquitur, ei debeatur, si Religionem ingrediatur; secus verò si generaliter relinqueretur pro maritandis puellis. Ducitur *ex Auth. de Sacros. Episcop. §. Præsenti, collat.*9. *Auth. Nisi rogati, C. ad Trebell.* ubi matrimonium carnale, & spirituale assimilantur quoad effectum adimplendi ultimas voluntates. Cùm ergo legatum relinquitur certæ puellæ propter affectionem ad illam, matrimonium carnale, & spirituale non distinguuntur; secus si generaliter relinqueretur, quia deficiente illa singulari affectione, tantùm dispositio de matrimonio carnali intelligitur. Rota apud Farin. 1. *part. Select. decis.*130. *n.*1. Azevedus *cons.*16. *à n.*21. Lara *d. lib.*1. *cap.*21. *num.*24. Barbosa *de offic. Episc.* 3. *part. allegat.*83. *num.*27. Sanchez *de matrim. lib.*1. *disput.*33. *num.*29. Bonacina *de restit. disput.*3. *quæst.*1. *punct.*4. *n.*20. *vers. Idem judicium*, de Lugo *d. sect.*11. *n.*293. Delbene *d. cap.*8. *dub.*21. *sect.*2. *num.*4.

21 Tertia sententia asserit in utroque casu, sive certæ personæ relinquatur, sive universaliter, deberi legatum puellis ingredientibus Religionem: & est ratio, quia validum est argumentum de matrimonio carnali ad spirituale, *cap. Cum inter Canonicos, de elect. cap. penult. & ult. de translat. Episcop.* Gomez *in l.*29. *Tauri, num.*14. Vincentius de Franchis 1. *part. decis.*46. *n.*2. unde bona fidcicommissi, sicut possunt alienari ad dotādam filiam pauperem ad matrimonium carnale, similiter etiam ad spirituale, ut adnotarunt Scribentes *in Auth. Res quæ, C. comm. de legat.* Quapropter cùm legatum hoc relinquatur ad matrimonium, non solùm in utroque casu intelligendum est de matrimonio carnali, sed etiam de spirituali. Cæterùm, nam ut advertunt communiter DD. *in d. Auth. Nisi rogati*, nihil intelligitur in his casibus cogitasse testatorem de ingressu Religionis, Delbene *dict. sect.*2. *n.*2. quare non exclusus censetur casus iste, quando puella Religionem ingrediatur; sed comprehensus, caso quo de illo cogitaret. Denique licèt in his legatis generalibus ad maritandas puellas non adsit affectio particularis ad illas, quando aliqua Religionem ingrediatur, adest tamen favor, & affectio erga Religionem, quæ semper est præsumenda in homine Christiano, idcircò in utroque casu semper legatum debebitur puellæ Religionem ingredienti. Genuensis *in praxi, tricen.*13. *qu.*387. *n.*3. Valasco *allegat.*52. *n.*7. Castillo *controv. lib.*5. *cap.*90. *à num.*55. *& de aliment. cap.*30. §.8. *à n.*5. Diana 5. *part. tract.*14. *resol.*35.

22 In hoc dubio tota disceptatio est de interpretatione voluntatis testatoris, an de matrimonio carnali tantùm senserit, excludendo spirituale. Potest enim testator facere legatum ad matrimonium carnale tantùm, excludendo spirituale; nam potest facere opus minùs pium, relinquendo majorem pietatem: quare valet relinquere legatum ad matrimonium carnale, excludendo spirituale; unde admittenda non est doctrina Baldi, quam refert Natta *cons.*292. asserentis, conditionem excludentem Religionis ingressum, rejiciendam esse, tanquam impeditivam vitæ contemplativæ: & ita in his legatis ad maritandas puellas non esse admittendam, si ea inde excluderetur matrimonium spirituale: nam licèt legatum relinquatur tantùm ad matrimonium carnale, non est aliquod impedimentum vitæ contemplativæ, quia testator non tenetur præcisè allicere per legatum ad ingressum Religionis, & ad majorem pietatem relinquere; sed tantùm tenetur non impedire, quod est diversum.

23 Unde colligitur, quod quoties testator voluerit, & insimul demonstraverit velle legatum illud relinquere ad matrimonium carnale, & non ad spirituale, id erit observandum, nec quæ Monachatur ipsum percipiet. Idque accidere valet quando legatum relinqueretur puellæ ea conditione, ut Petrum in matrimonium duceret; tunc enim ad matrimonium carnale relictum videtur: quod idem dicendum, si Petro legaretur ea conditione, ut Maria uxorem haberet. *Secundò*, quando jocalia, & vestes sericas legasset ad contrahendum matrimonium, quia intelligeretur tantùm de carnali. *Tertiò*, quando legatum fuerit amplioris dotis, quàm par est ad ingressum Religionis. *Quartò*, quando negativè legasset, nempe: *Lego Titio mille, si non nupserit:* conditio enim illa negativa intelligitur de matrimonio carnali, ut latè prosequuntur Menoch. *lib.*4. *præsumpt.*148. Fontanel. *de pact. nupt. tom.*2. *gloss.*3. *clausul.*6. *part.*6. *ex n.*11. Castillo *d. cap.*90. *n.*59. Gutierrez *de matrim. cap.*20. *n.*27. Gratianus *discept. cap.*533. *à num.*23. Staiban. *cent.*2. *resol.*172. *n.*10. Sanchez *de matrim. d. disp.*33. *num.*30.

Erit ergo concertatio quando sumus in dubio, nec constat quid voluerit testator, an intelligendum legatum de matrimonio carnali tantùm? Et distinguendum censeo, quando legatum hoc est pium, & relinquitur puellis pauperibus intuitu pietatis; aut quando est profanum, veluti si relinqueretur consanguineis, etiam divitibus, inspecta consanguinitate, & sanguinis ratione. Primo enim casu dandum est virginibus, seu puellis ingredientibus Religionem; nam ut benè considerat Genuensis *d. qu.*387. *num.*3. *ad fin.* in similibus legatis piis intentio fundatoris principalis est succurrere indigentiæ pauperum puellarum, ne illecebris carnis implicentur: quod meliori modo fit, si Religionem ingrediantur. Ergo cùm ingrediendo Religionem principalis intentio testatoris adimpleatur, inde est ut legatum istud puellis spirituale matrimonium contrahentibus, id est Religionem ingredientibus, sit concedendum. Cæterùm, nam quando intentio testatoris pia fuit, & prospexit bonum suæ animæ, dummodo expressè non excluserit, præsumitur velle, ut legatum in majorem causam pietatis convertatur, prout est ingressus Religionis. 24

Si verò legatum ad maritandas puellas fuerit profanum, aliter dicendum censeo; quia in his standum est proprietati verbi, quod propriè verificatur in matrimonio carnali, ut tenent Novellus *de dot.* 6. *part. privileg.*72. *n.*2. Menochius *d. lib.*4. *præsumpt.*148. *num.*13. quare exclusus censetur ingressus Religionis. Deinde, nam si legatum hoc divitibus est concedendum, vult testator, ut puella habeat amplissimam dotem ad matrimonium carnale. Tandem, quia si relinquitur consanguineis intuitu consanguinitatis, videtur velle fundatorem ampliationem, & propagationem familiæ, quod est necessariò faciendum per matrimonium carnale: Ergo nequit legatum illud concedi ingredientibus Religionem. 25

Illud verò prætereundum non est, quod si puella, cui relictum est legatum quando maritum duxerit, nec matrimonium contrahat, nec monachetur, verùm vitam cœlibem egerit domi, Tertiario tantùm Ordine admisso, illud non consequenter, cùm minimè per hunc vivendi modum conditionem adimpleat, & sic decisum asserit Castillo *decis. Siciliæ* 88. Thoro *in Summa, privileg.* 74. *ad fin.* 26

Prorsus est alia enucleanda difficultas, an quando puellæ mille legantur, si nupserit; & ducenta, si Religionem ingrediatur, si tamen Monacha fiat, mille debeantur? Prima sententia affirmat, ex decisione textus *in leg. Titiæ* 99. *ff. de condit. & demonstrat.* ubi legatum relictum fuit ad ducenta, si non nupserit; & centum, si nupserit: & asserit Consultus, ducenta si nupserit, deberi; quia id melius est ad procreationem liberorum, & majus bonum Reipublicæ. Ergo cùm melius sit, & opus majoris perfectionis Religionem ingredi, quàm nuptias contrahere, inde est, ut mille debeantur si puella legataria Religionem ingrediatur. 27

Sed textus ille assumptum non probat, quia conditio illa, si non nupserit, imposita puellæ non viduæ, pro non adjecta habetur, *leg. Quoties* 22. *leg. Cum tale* 71. §. *Mævia, ff. de condit. & demonstrat.* Gomez *variar.* 2. *tom. cap.*4. *n.*18. Molina *de primog. lib.*2. *cap.*22. *num.*40. quare legatum ducentorum purum relinquitur, & debentur puellæ, etiamsi matrimonium contraxerit: quod diversum est quando clarè testator disposuit, ut mille darentur, si nupserit; & ducenta, si Religionem ingrediatur, ut benè explicat Covarr. *lib.*1. *variar. cap.*19. *n.*9. *vers. Sed an.* 28

Verùm ratione ducitur hæc sententia, nam in legatis inspicientibus favorem Religionis non est sequenda voluntas testatoris, sed aliquando contra eam de jure disponitur, *Auth. Nisi rogati, Cod. ad Treb. Auth. de Sanctiss. Episcop.* §. *Per venit, coll.*9. Ergo cum adsit favor Religionis, ut mille concedantur, & puella Religionem ingrediatur, inde est, ut mille debeantur quando Monachatur, non verò ducenta. Bart. *in l.*2. *ff. de his, quæ pæn. nomin.* Beroius *in cap. In præsentia, de probat. num.*494. Gabriel. *comm. opin. tom.*2. *lib.*10. *verb. Legatum*. Gomez Baio *in praxi, lib.*2. *qu.*133. *num.*16. Lara *d. cap.*21. *n.*25. Thoro *in Summ. privil.*242. Pellizar. *in Manual. Regul. tom.*2. *sect.*10. *cap.*3. *num.*50. Diana 2. *part. tract.*2. *resol.*52. *vers. Et tandem*. Delbene *d. cap.*8. *dub.*21. *sect.*3. *à num.*1. 29

Secun-

30 Secunda sententia tenet contrarium; nam clara est voluntas testatoris, ad quam aliqua justa ratione potuit moveri; & non in odium Religionis, à qua minimè est discedendum, etiam favore alicujus causæ piæ: Ergo tantùm ducenta debebuntur. Rursus ad matrimonium carnale contrahendum major dos est necessaria, quàm ad spirituale, idcircò legans ducenta, si Monachetur; & mille, si nupserit, nihil aliud voluit, nisi urgentiori necessitati subvenire: ergo id erit observandum, ut dicit veriùs Covarr. *d. cap.19. n.9.* Menochius *lib.4. præsumpt.83. n.26.* Decianus *lib.1. cons.41. n.30.* Cancerius 1. *part. variar. cap.24. n.10.* Guttierr. *can. lib.1. qu.32. n.18.* Sanch. *de matrim. lib.1. cap.34. n.11.* Molina *de justit. tract.2. disp.207. n.15.*

31 In hoc dubio cardo difficultatis consistit, an hæc conditio, *si nupserit*, habita consideratione ad ingressum Religionis, pro non adjecta habeatur, necne? Et Bonacina *de rest. disput.3. quæst.1. punct.4. prop.4. num.20. vers. Idem judicium,* asserit pro non scripta haberi; nam si legentur ducenta, si Religionem ingrediatur; & mille, si nupserit, tunc conditio, *si nupserit*, est impeditiva majoris boni, nempe Religionis ingressus, quia majoris summa legati allicitur ad nuptias, & abstrahitur à Religione: Ergo conditio, *si nupserit*, pro non scripta habebitur. Guttierrez *de matrim. cap.21. à n.1.* Sanchez *dict. disp.34. à n.3.*

32 Sed hæc doctrina admittenda non est, quia legatum hujuscemodi relictum, non valet considerari positum in odium Religionis, nempe illa mille posita fuisse, ut puellam averteret à Religione capessenda; sed quia major dos est necessaria ad nuptias, quàm ad Religionem, vel quia per nuptias vult propagationem familiæ, aut ex alia qualibet causa; Ergo pro scripta habenda est. Cæterùm *Auth. Nisi rogati, Authent. de Sanctiss. Episcop. §. Præsenti*, licèt probent, conditionem, *si nupserit*, adimpleri per ingressum Religionis, non tamen probant contra voluntatem testatoris conditionem, *si nupserit*, pro non scripta haberi, comparatione ingressus Religionis, ut ex eisdem decerpitur: Ergo in præsentiarum pro adjecta est habenda. Menochius *dict. præsumpt. 83. à num.4.* Sanchez *dict. disput. 34. à num.1.* à quo dissentit *num.* 3. Tondutus *tom.1. cap. 45. num.7.*

33 Unde difficultas ista resolvenda est, quod si constiterit claré testatorem mille legasse ad nuptias, & ducenta ad Religionem in odium illius, ut puellam ab illa averteret, tunc mille ingredienti Religionem debeantur; quia conditio, *si non nupserit*, pro non scripta habetur; secus autem si id non constiterit; nam cùm pro scripta habeatur, specificè est adimplenda, & tantùm ducenta deberentur, ut desumitur ex Barbosa *d. alleg.83. n. fin.* Faria *ad Covarr. lib.1. cap.19. n.53.* Castillo *controv. lib.5. cap.90. à n.64.* Tondutus *dict. cap.45. num.8.*

34 Ast illa cautela communiter proponitur, ut opinionum dissidia effugiantur, nempe ut testator dicat, *Lego ducenta Mariæ, si Religionem ingrediatur, & mille ei qui eam uxorem ducat*; tunc enim absque dubio nubens mille percipiet, & tantum ducenta, si Religionem ingrediatur, Lara *d. cap.21, n.25. in fin.* Sanchez *d. disp.34. num.13.*

35 Præterea si legatum relinquatur hoc modo conceptum, *Lego centum pro dote puellarum*, tunc non solùm debetur puellis carnaliter contrahentibus, sed spiritualiter Religionem ingredientibus; nam dos non solum constituitur in matrimonio carnali, sed in spirituali verificatur, Baeza *de melior. filiabus cap.14. num.8.* Ergo debet concedi Religionem ingredientibus. Azevedus *cons.16. num.30.* Cenedo *pract. cap.35. num.11.* Castillo *de aliment. cap.36. §.8. num.16.*

36 Quando enim legatum relinquitur viduæ, si viduitatem servaverit, ei debetur si Religionem ingrediatur; propriè enim voluntatem testatoris adimplet. Sanchez *de matrim. lib.7. disput.91. num.46.* Trullench *in Decalog. lib.7. cap.18. dub.12 num.20.*

37 Dubitari tamen poterit, si legatum relinquatur viduis, an dari possit pauperibus vitam cœlibem agentibus? Et negandum videtur, nam vidua propriè sumpta, est quæ marito caret, quia defunctus est, & in hoc sensu communiter accipitur, *cap. Viduas 16. dist.34.* Ergo hoc legatum nequit nisi viduis maritis carentibus concedi.

38 Verùm probabiliter contrarium est tenendum, *ex leg. Malum 243. §. Viduam 3. ff. de verb. significat.* ubi asseritur, sub hoc nomine etiam vitam cœlibem agentem, & quæ maritum non habuit comprehendi: & ratio est, quia in eisdem eadem fragilitas sexus, & judicii imbecilitas consideratur: Ergo sub eodem nomine comprehenduntur. Tum viduæ non multùm à virginibus vitam cœlibem agentibus distant, ut scripsit Justinianus *in Auth. de non eligend. secund. nupt. §. Optimum, collat.1.* Velasco *de privileg. pauperum, tom.2. quæst.3. num.293.* Ergo quoties viduis aliquid fuerit relictum, etiam vitam cœlibem agentibus valet concedi. Denique licèt vidua in propriissima significatione dicatur, quæ caret marito, Rebuffus *in d. leg. Malum*, Barbosa *de appellat. verb.272. num.1.* tamen quoad favorabiliora etiam vitam cœlibem agentem comprehendit, prout etiam vidua dicitur, quæ habet virum inutilem, eo quòd ejus auxillo careat, ut cum multis docet Barbosa *dict. appellat.272. n.3.* Ergo etiam ad hoc legatum admittetur, ut benè tenet Diana 11. *part. tract.3. resolut.8.*

Denique legatum ad maritandas puellas, quando debeatur, incertum est. In re tamen illud debet considerari, ut si testator sentiat legare ad præparatoria nuptiarum, sufficiet quod nuptiæ sint proximæ, ac de earum necessariis agatur. Si verò ad nuptias legatum fuerit relictum, vel pro maritandis, aut dotandis puellis, Lara *dict. cap.21. à num.49.* dicit non solùm sufficere matrimonium contractum esse de præsenti, sed requiri velationes subsequutas, prout observatur in lucris durante matrimonio acquisitis, quæ non nisi sequutis velationibus debentur, *ex leg.9. tit.9. lib.5. Recopilat.* temperat tamen *num.54.* nisi per conjuges non steterit quo minus receperint; tunc enim ante velationes legatum percipient, utputà si Episcopus, aut Parochus requisitus noluerit eos velare. 39

Ast mihi videtur similia legata deberi, quando matrimonium contractum fuerit de præsenti, & conjuges simul inhabitent. Et ratio est, quia in favorabilibus uxor dicitur, quæ de præsenti contraxit, *leg. Non sine, vers. Quamvis, Cod. de bonis quæ lib.* idcircò matrimonio per verba de præsenti contracto, hoc legatum, quia favorabile est, debebitur. Tum, nam quando simul conjuges habitant, adsunt onera matrimonii, ad quæ sublevanda est legatum relictum: Ergo absque velationibus debebitur, si modò contractum sit matrimonium, & insimul conjuges habitaverint. 40

Si legatum relinquatur certæ puellæ ad nuptias, & ante illas decedat, non debetur, sed extinguitur legatum, de Lugo *de justit. disput.24. sect.13. num.309.* quod intelligas, nisi testator voluerit, ut in aliud pium convertatur, aut expressè, vel tacitè. Si verò certis puellis relinquat ex genere, vel ex aliis qualitatibus, & pro tunc non inveniantur, asservatur legatum, donec adsint. Sanchez *cons. lib.4. cap.2. dub. ult.* 41

CAPUT VIII.

De legatis relictis pro pauperibus incarceratis, & pro redemptione captivorum.

SUMMARIUM.

Legatum ad excarcerandos pauperes est pientissimum, num.1.

Legatum relictum ad pauperes excarcerandos, potest dari ne incarcerentur, num.2. & 3.

Quod est in causis piis expendendum, rectè datur pro excarcerandis pauperibus: & idem de eo quod relinquitur pro redimendis captivis, num.4.

Legatum pro alendis pauperibus incarceratis nequit ad aliud diverti, sed dandum est non habentibus unde alantur, num.5.

Incarceratus pauper in causa civili, alendus est ab actore, & extenditur ad nobilem domi retentum: extenditur etiam ad cessionarium, num.6.

An hoc procedat de jure, affirmativè respondetur, num.7.

An si creditor alimenta non præstet, possit judex illum relaxare, negant aliqui, n.8. Contrarium defenditur, n.9. Explicatur, num.10.

An quando adest legatum ad alendum incarceratum, sit à creditore alendus? Aliqui negant, num.11. alteri affirmant, num.13. resolvitur, à num.14.

Explicatur lex 4. tit.16. lib.5. Recopilat. *num.16. An licita, à num.17. & de alimentis per novem dies, num.19. & 20.*

& 20. In desuetudinem abiit, num.21. Praxis ad hæc alimenta, num.22.

Accusator tenetur alere reum pauperem, & præstare litis expensas, num.23. & 24. Si accusator pauper fuerit, provideat judex, & tandem ad collectas perveniat, n.25.

Advocati, & alii officiales tenentur gratis his pauperibus inservire, & in aliquibus Curiis ita provisum, n.26.

An quando de publico est provisum, accusator teneatur expensas solvere, sunt duæ sententiæ, num.27. Resolvitur, num.28. Judices nec ab eis possunt sportulas recipere, num.29.

Redimere captivos pia est causa, num.30. & æquiparatur causæ alimentorum: an vero divites teneantur redimere captivos, num.31.

Hæres extraneus, si testatorem non redimat, fit indignus, num.32.

Ad redimendos captivos possunt vendi res Ecclesiæ, n.33. Si Ecclesia sit pauper, an id possit fieri, an verò solùm in indigensia extrema, num.34.

Bona fideicommissi possuns alienari ad suos redimendos captivos, num.35.

Filius tenetur redimere patrem, num.36. & poterit ob omissionem exhæredari, & alii consanguinei hæreditate privantur, & id explicatur, num.37. Limita si filius fuerit minor 18. annorum, num.38.

Pater tenetur redimere filium, num.39. uxor maritum, n.40. Etsi ad id obligationem contraxerit, prætextu metus non rescinditur, nec indiget licentia mariti, num.41. Nec juvatur Vellejano, num.42.

An uxor ad id possit obligare totam dotem, communiter negatur, n.43. & 44. Sed contrarium proponitur, à num.46. Extenditur, num.47.

Minor in data libertate non restituitur, n.48. Nec quando aliquid promittit pro redimendo paupere captivo, à num.49. Explicatur, num.51.

Minor negligens in redimendo patre, adversùs amissam hæreditatem non restituitur, num.53.

Minor si stabile alienet ad redimendum pauperem captivum, an indigeat solemnisatibus, aliqui affirmant, num.54. Sed contrarium defenditur, num.55. Quod extenditur ad uxorem, num.56.

Legata relicta ad redimendos pauperes captivos incertos, sustinentur, n.57. & nullo relicto exequutore, pertinet ad Episcopum exequutio, à num.58.

Sed ad quem pertineat Episcopum, aliqui tenent competere originario testatoris, n.60. Sed pro domiciliario tenet melior sententia, num.61. Ratio non est reddenda ab Episcopo coram sæculari, contra aliquos, à n.62. ubi explicantur lex 28. Cod. de Episcop. & Clericis, *& lex* 5. tit. 10. part.6.

An legatum pro redimendis captivis possit expendi pro his apud Christianos detentis. affirmativè respondetur, à num.64.

Sunt ad id legata necessaria, in quibus datur prævensio inter PP. Trinitarios, & Mercenarios, num.67. Ad quos de jure Regio pertinent animalia deperdita, n.68. & hujus rei praxis, num.69.

Lex 9. tit.9. lib.1. Recopilat. *an obliget in conscientia, & sit justa, à n.70. Obligare in conscientia dicunt DD. n.71. Alii contrarium senent, n.72. Resolvitur, à num.73.*

Circa alias res deperditas PP. isti dicunt ad eos pertinere, sed res discutitur, à num. 75.

1 LEgata enim relicta ad pauperes incarceratos, commendat Paulus *ad Hebræos cap.*13. *vers.*3. per hæc verba: *Mementote vinctorum, tanquam simul vincti.* Quem locum licèt Ribera, & alii non de incarceratis intelligant, sed de omnibus, qui in carcere corporis detinentur, de quibus miserendum, ut bonum exitum habeant, cui sensui opitulatur Apostolus ibi, *Tanquam & ipsi in corpore morantes.* Attamen de incarceratis benè intelligitur, de quibus maxima misericordia est habenda, cùm ibidem detenti fame, pœdore, & aliis quampluriminis ærumnis affligantur, ut etiam benè expendit Cornelius à Lapide *ibidem*, *vers.*3. Rubeus *practicar. in Prælud. n.*270. Est ista pientissima causa, *l. Si quis pro redempsione* 36. *vers. Piissima, C. de donat.* Rota coram Cantuccio 2. *part. decis.*63. Leoncillus *de privil. paup.* 2. *part. privileg.*44. *num.*18. Bobadilla *in Polit. lib.*3. *cap.*15. *num.*134. Sandoval *de carcer. cap.*3. & 10.

2 Est dubium, an relictum pro excarcerandis pauperibus, expendi valeat pro illo liberando, qui proximus est, ut incarceretur, verùm adhuc inclusus non est? Et negandum videtur, quia nequit excarcerari, qui adhuc vinculis mancipatus non est, *l.*1. *§. Eum qui*, *ff. de vi, & vi armat.* quapropter nequit legatum pro illo expendi.

3 Sed contrarium tenendum; nam qui certè in carcerem est detrudendus, moraliter incarceratus dicitur; nam qui parum distat, nihil distare videtur, *leg. Quamvis*, *ff. de condit. & demonstrat. cap. Coram delicto* 34. *ff. de offic. delegat.* Mangilius *de imput. quæst.*51. *num.*7. præcipuè cùm non sit dispar ratio, ut in præsentiarum. Surdus *cons.*197. *num.*21. Moronius *de tregua & pace*, *quæst.*175. *per tot.* Itaque idem est moraliter excarcerare, sicut est liberare ne detrudatur? Ergo rectè poterit pro isto liberando legatum expendi pro carceratis expendendum. Gratianus *disceptat. for. cap.*108. *num.*10. Staibanus *cent.*1. *resol.*4. *num.*4. Leoncillus *dict. privileg.*44. *num.*19. Sanchez *cons. lib.*4. *cap.*2. *dub.*9. Trullench *in Decalog. lib.*7. *cap.*18. *dub.*12. de Lugo *de just. disp.*24. *sect.*13. *num.*304.

4 Illud verò non obliviscendum, quod si aliquid relinquatur, ut in causis piis erogetur, rectè exequutores agent, si pro liberandis pauperibus incarceratis expendant; est enim causa ista pientissima, ut diximus *num.*1. Menochius *de arbitrar. lib.*2. *casu* 182. *num.*42. Seraphinus *de privileg. jur. privileg.*32. *num.*21. Quod etiam extenditur etiamsi legatum relinqueretur pro redimendis captivis, quia par est eorum causa. Velasco *de privileg. pauper.* 1. *part. quæst.* 54. *num.*10. cujus doctrinam admitterem, nisi captivi fuerint apud infideles; est enim dispar ratio, cùm in captivis istis adsit periculum perversionis, quod non est in incarceratis apud Christicolas.

5 Reliquuntur etiam legata ad alimenta incarceratorum pauperum, quæ ad istam causam præcisè sunt expendenda, nec ad aliud possunt diverti: illud verò observandum, ne carceratis divitibus concedantur, vel his, qui ex bonis propriis se alere possunt; nam licèt quoad alios effectus miserabiles personæ dicantur, non verò quoad effectum alimentorum, *leg. Quemadmodum*, *§. Magistratus*, *ff. ad leg. Aquil.* Surdus *de aliment. tit.*1. *quæst.*71. *num.*1. Mart. Colerius *eodem tract. lib.*1. *cap.*14. *num.*71. Boerius *decis.*303. *num.*2. Quod ita verum, ut si carceratus bona habuerit sequestrata, quoad alimenta pauper non dicatur; praxis enim admisit, ut pro alendo, arbitrio judicis ex sequestro bona extrahantur, ut in Senatu Pintiano adservatum scripsit Velasco *de privileg. pauper.* 1. *part. quæst.*39. *num.*36. Carleval. *de judic. tit.*3. *disp.*29. *num.*16. Balmaseda *de collect. quæst.*76. *n.*3. qui *n.*4. id extendit ad litis sumptus necessarios, quod nequit Fiscus contradicere, etiamsi bona veniant confiscanda. Cevallos 2. *part. de cognis. quæst.*38. *num.*24.

6 Unde de alimentis incarceratorum pauperum sermonem agere libet, tanquam de causa pientissima: qua in re ut clarè procedamus, in primis agendum est nobis, quando incarceratus est pauper aliquo debito civili, & postea quando ex causa criminali. Quando enim quis est carceratus pro debito civili, si tamen est pauper, nec habet unde se alat, debet ali à creditore, quia illi injuriam irrogavit, quem cùm non haberet unde solveret, carceri mancipavit, & similiter à quærendo alimento impeditum reliquit: quapropter adversùs creditorem datur injuriarum actio, *leg. Victum*, *ff. de re judicat.* Covarruvias *variarum lib.*1. *cap.*6. *num.*5. Guazinus *de defensione reorum*, *defens.*6. *circa pr. vil. carcer. cap.*1. *n.*3. & idcircò debitorem carceratum alere tenetur, si non habet unde alimenta percipiat. Surdus *dict. quæst.*71. *num.*2. Cancerius *variar.* 1. *part. cap.*16. *num.*9. Velasco *de privileg. pauper.* 1. *pars. quæst.*39. *num.*33. Osuald. *ad Donell. lib.*27. *cap.*3. *lit. II*, Riccius 1. *part. collect.* 126. Quod non solùm admittendum in illo, qui carceri præcisè mancipatur, sed etiam de Nobile domi retento ob debitum civile. Velasco *dict. quæst.*39. *num.*35. Balmaseda *dict. qu.*76. *num.*5. nec id tantùm de ipso creditore intelligendum, sed etiam de cessionario, qui si petat pauperem debitorem in carcerem detrudi, ad ejus alimoniam tenetur, concurrente eadem causa in cessionario, prout in cedente. Marescotus *variar. lib.*2. *cap.*83. *num.*28. Cancerius *dict. cap.* 16. *num.*9. Leoncillus *dict. privileg.*44. *num.*2. Castillo *de aliment. lib.*8. *cap.* 37. §. 3. *num.* 2. D. Olea *de cess. titulo* 6. *quæst.*4. *num.*24.

7 Valascus tamen *consult.*1. *num.* 8. scripsit assertum hoc

de

de jure non procedere, sed tantùm ex quadam ratione morali; nam nullus est textus, qui id disponat, quoniam lex *Judices* 10. *C. de Episcop. & Cler.* unde aliqui hanc obligationem deducunt, id non probat, sed tantùm ut judices curent, ne carcerum custodes crudeliter carceratos tractent, & ut eis alimenta necessaria ministrentur, *l.57. tit.4. lib.3. Recopilat.* Sed hanc propositionem de jure procedere sumitur ex ratione decidendi suprà posita, *num.6.* quia injuria ipsa petit, ut creditor præstet alimenta, quæ injustè à debitore abstulit.

8 Unde breviter disquirendum, an si creditor deneget alimenta debitori pauperi carcerato, possit judex eum è carcere relaxare? Et aliqui negarunt, nisi facta cessione bonorum; interim verò cogendum esse creditorem, ut alimenta præstet. Afflictus *decis.7. num.4.* Velasco *dict. quæst.39. num.38.*

9 Sed contrarium tenent communiter DD. quia cùm creditor inferat injuriam debitori pauperi eum incarcerando, quando alimenta non habet, & insimul illa non præstet, poterit à judice relaxari, ut ab injuria sibi illata liberetur. Cancerius *dict. cap.16. n.9.* Surdus *d. quæst.71. n.2.* Costa *de remed. subsidiar. remed.27. num.1. & 6.* Castillo *d. §.3. n.4.* Balmaseda *num.17.*

10 Hæc opinio admittenda est, non tamen simpliciter, sed adhibita cautela, ne detrimentum aliquod sequatur creditori; quapropter si debitor aliqua habuerit bona, licèt non faciat formalem cessionem, necessaria erit bonorum indicatio; qua facta, si judex noluerit illum excarcerare, ipse alimenta præstabit. Leoncillus *dict. privileg.44. num.8. & 9.*

11 Est verò difficultas non oblivíscenda, an quando est legatum ad alimenta incarceratorum, vel Confraternitates, quæ ea præstant, creditor teneatur debitorem incarceratum pauperem alere? Aliqui asserunt non teneri, ex doctrina Bald. *in leg. unic. §. Sed scimus, Cod. de Latin. libert. toll.* ubi scripsit obligatum alimenta præstare, excusari, si effecerit ut illa ab Hospitali præstentur, vel Collegio pauperum adaptetur, ubi alimenta percipiat: quapropter si incarceratus à Collegio, seu Hospitali, aut legato alimenta perciperet, creditor illum alere non teneretur. Joan. Faber *in §. fin. Institut. de act.* Boerius *decis.305. num.2.* Benincasa *de paup. repet.8. num.24.* Leoncill. *dict. privil.44. num.14.*

12 Sed hoc fundamentum solidom non est, quia doctrina Baldi non ab omnibus recipitur, quin potiùs Covarruvias *de sponsal. 2. part. cap.8. §.6. num.13.* contrarium tenet; nam similia legata, Hospitalia, seu Confraternitates, ideò instructæ sunt, ut pauperes alant, qui non habent unde cibentur: quapropter si creditor tenetur alere debitorem, & ipse habet alimenta, nequit à legato, Confraternitate, seu Hospitali illa percipere.

13 Quare alii contrarium tenent, non solùm ob rationem perpensam, sed quia contra voluntatem testatoris illa perciperet alimenta; qui quidem tantùm voluit alere pauperem incarceratum, non habentem unde se alat, nec à creditore, nec ab alio. Valasco *consult.1. num.8. vers. Verumtamen*, Gamma *decis.261. num.2.* Lara *de Anniverf. lib.1. cap.22. num.36.* Valasco *dict. quæst.39. num.40. vers. Cui tamen*, excipit tamen si nomine creditoris Hospitale; Confraternitas, vel legatum alimenta debitori præstaret, quo in sensu intelligit doctrinam Baldi Valasc. *dict. num.8. vers. Verumtamen.*

14 In hoc dubio animadvertendus Curiarum stylus, cùm videamus pauperes incarceratos non à creditoribus ali, sed ex legatis, Confraternitatibus, ac aliis eleemosynis fieri; tum ex condemnationibus aliquibus, quæ ex pietate judicum ad hæc alimenta applicantur, Bobadilla *lib.3. cap.15. num.63.* in his ergo Curiis alere debitores pauperes incarceratos creditores non tenentur: & ratio est, nam hæc alimenta ex stylo nomine eorum, qui ea dare tenentur, & pietate conceduntur, & sic praxi receptum asserunt Castillo *dict. §.3. num.10.* Millius *in addit. ibid. num.8.* Balmaseda *dict. quæst.76. num.12.* qui *num.11.* asserit, hanc obligationem alendi ex eleemosynis pauperes incarceratos, ad Prælatos, & personas Ecclesiasticas specialiter competere, prout docuerat Bobadilla *in Polit. lib.3. cap.15. num.108.*

15 Si verò stylus iste non adsit, sed tantùm aliquæ eleemosynæ incarceratis pauperibus concedantur, existimo creditorem non liberari; mens enim dantium est, ut pauperibus illis concedantur, qui minimè alimenta habent, nec à se, nec ab aliis concedenda, ut tenent DD. relati *num.13.*

16 Adest apud nostrates textus *in l.4. tit.16. lib.5. Recopilat.* ubi decernitur, quod si ad instantiam creditoris debitor incarceretur, teneatur eum alere per novem dies, quibus transactis, si à nullo alio alatur, nec solvendo sit, nec fidejussorem dederit, creditori tradatur, ita ut ex opere suo debitum persolvatur, quam legem durissimam dicit Valasc. *d. consult.1. num.8.*

17 Unde orta est quæstio, an lex ista valida sit, necne? Et nonnulli asseruerunt, minimè admittendam, quia hominem liberum in servitutem redigit; tum quia liber homo pro debito nequit tradi, nec in hypothecam dari, *l. fin. ff. quæ res pig. obligari possunt, l. Ob æs, Cod. de obligat. & act.* ubi Scribentes, *cap. Ex rescripto 9. de jurejur.* quare nequit illa lex subsistere, ut senserat Aretinus, cujus fundamenta refert Suarez *in leg.2. tit. de los Goviernos, lib.2. for. legat. à num.17.*

18 Sed tamen re benè perpensa, rectè illam vindicant Suarez *ibid. num.19.* Avendañ. *respons.8. num.4.* Gomez *tom.2. variar. cap.11. num.52.* Baeza *de inop. debit. cap.2. per tot.* Inquiunt enim DD. isti, minimè legem illam præcipere, ut debitor in servitutem redigatur, sed tantùm tradendum, ut causa famulatus, & servitii creditori serviat; sicut enim cuilibet alii operas suas locare valet, *l. In operis 26. leg. Qui operas 38. ff. locat.* ita similiter authoritate legis fit earum locatio, donec debitum persolvat, quamobrem lex illa rectè procedit.

19 In explicatione tamen hujus legis duo sunt consideranda. In primis de alimentis dandis à creditore per novem dies pauperi debitori incarcerato, antequam illi tradatur, quo quidem casu, Mathienzo *ibidem, gloss.1. num.1.* Azevedus *à num.1.* scripserunt, in lege illa dispositum fuisse quid distinctum à jure communi; nam per illud dispositum erat, ut creditor aleret pauperem debitorem incarceratum, quando aliter alimenta non haberet. Ast lex illa per novem dies concedenda præcipit, etiamsi debitor illa habuerit.

20 Sed hic intellectus admittendus non est, quia lex evidenter loquitur de inope debitore, qui nec habet unde se alat, nec unde solvat, nec fidejussorem quit dare, ut benè considerat Castillo *dict. §.3. num.9.* quare est intelligenda juxta regulam juris communis, ut ne alimenta præstentur habenti unde se alat, de qua Aymon *cons.199.* Romanus *cons.344.* Marta *de jurisd. 2. part. cap.43. num.77.* Salgado *in Labyrint. 1. part. cap.25. à num.39.* quapropter intelligenda est ita, ut creditor per novem dies teneatur alimenta præstare debitori inopi incarcerato, non autem habenti alimenta, ut non rectè existimarunt Mathienzo, & Azevedus.

21 Secunda consideratio facienda est, quatenus præcipit ut illis diebus transactis debitor creditori tradatur; quod licèt defendi valeat in sensu, de quo DD. *num.18.* Attamen in desuetudinem abiit, ut testatur Castillo *dict. §.3. num.9.* Balmaseda *dict. quæst.76. num.8.* prout etiam per non usum abolita est, *l.7. tit.16. lib.5. Recopilat.* Nam inter nostros, quos Christiana Religio tantam pietatem docuit, hominem Christianam coactè ad servitium adigere (quod servitutis specimen est) admissum non est, ut benè notat Baeza *dict. cap.2. num.9.* Tum contra charitatem Christianorum est afflicto afflictionem addere, contra regulam textus *in l. Navis, §. Cùm autem, ff. ad leg. Rhod. l. Divus Marcus, in princip. ff. de offic. Præsid.* Tuschus *lit. A, conclus.240.* Anton. Monach. *decis. Lucensi 34. num.10.* quare similes leges facilè in desuetudinem abiere.

22 Praxim verò ad alendum pauperem debitorem incarceratum adducit Velasco *dict. quæst.39. num. 36.* dicens, creditorem citandum esse ad habendam informationem paupertatis debitoris, de qua cùm summariè constet, datur decretum, ut alimenta debitori subministret intra biduum, aliàs liberetur: quo creditore renuente, decretum secundum decernitur; verùm si adhuc requisitus non alat debitorem, ad tertium pervenitur; & si adhuc renuat, relaxatur: si verò consentiat, alimenta arbitrio judicis taxantur. Castillo *dict. §.3. num.4. vers. Si autem.* Leoncillus *dict. privileg.44. num.10.* scilicet secundùm qualitatem personæ.

23 Cùm de carcerato ex debito civili egerimus, transeamus ad

ad illom, qui ex causa criminali carceri mancipatur: qua in re similiter philosophandum, ot quando non sunt ex stylo Curiæ legata, aut eleemosynæ, quibus alatur, ab accusatore sit alendus, noo solùm ante sententiam, sed post, antequam exequatur. Surdus *de aliment. tit.* 1. *qu.* 72. Velasco *d. qu.* 39. *num.* 41. Millius *ad Castillum, d. cap.* 36. §. 3. *num.* 8. Guazinus *de defens. reorum, defens.* 6. *circa privileg. char. cap.* 1. *n.* 1. qui id extendit ad maritum, qui de adulterio accusavit uxorem pauperem.

24 Idque non solùm intelligendum quoad alimenta tantùm, sed etiam quoad litis expensas, ne reus defensione careat, & injustè puniatur. Boerius *decis.* 325. *per tot.* Covarr. *dict. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 15. Velasco *d. qu.* 39. *num.* 41. Si verò accusator non habeat unde hæc alimenta, & expensas præster, ad Curiam pertinebit, & ejus judicem curare ut illa provideantur, ne reus fame pereat, & indefensus relinquatur, *l. Iudices* 10. *C. de Episcop. & Clericis*, Guazinus *d. cap.* 1. *n.* 1. qui animadvertit pium valde fore, si judex ex proprio suo aliquid similibus pauperibus refunderet. Baiardus ad Clarum *in praxi crimin. quæst.* 46. *num.* 12.

25 Si verò judex nollo modo possit incarceratis pauperibus succurrere, nec alius modus inveniatur pro illis alendis, ad collectam inter vicinos poterit pervenire: & ratio est, nam tali casu pertinet ad ipsam communitatem pauperes istos alere: ergo pro illis alendis poterit judex ipsi communitati gabellam imponere. Guazinus *dict. cap.* 1. *num.* 3. Velasco *dict. quæst.* 39. *num.* 43. Balmaseda *dict. quæst.* 76. *num.* 15. & 16. qui *num.* 17. scripsit, quod si judex inferior propter aliquam justam causam, putà ob timorem carceris, vel propter delicti gravitatem delinquentem ad superiorem remittere decreverit, expensis sui tribunalis est faciendum; si tamen facere non potuerit, nec pœnæ Fiscales sufficiant ad collectam, inter vicinos poterit devenire.

26 Illud verò prætereundum non est, his pauperibus incarceratis, ac aliis similibus teneri Advocatos gratis patrocinari, Procuratores eorum causas agere, Tabelliones causas, & scripturas conficere absque aliquo salario, *l.* 2. *titulo* 18. *lib.* 4. *Recopilat.* Velasco *de privilegiis paup.* 1. *part. quæst.* 28. *num.* 60. Pareja *de edit. instrum. tit.* 3. *resolut.* 3. *num.* 76. & 77. Segura *in direct.* 1. *part. cap.* 14. *num.* 11. Bobadilla *Polit. lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 18. In Coriis verò majoribus, & in nonnulis minoribus salarium de publico est designatum Advocatis, & Procuratoribus pauperum, *leg.* 16. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recopilat.* quod optimè institutum est, aliàs semper Judex his pauperibus de Advocatis, & Procuratoribus providebit, nisi gravissimæ culpæ reus velit inveniri. Velasco *dict. quæst.* 28. *à num.* 49. Guazinus *de defens. reorum, defens.* 24. *cap.* 2. *num.* 8.

27 Est verò dubium breviter resolvendum, an quando salarium de publico est determinatum Advocatis, & Procuratoribus, accusatores horum pauperum incarceratorum debeant similes expensas? Affirmat cum Fontanella, & aliis Velasco *d.* 1. *part. qu.* 39. *n.* 48. negarunt Joan. Bot. *cons.* 64. Costa *de ratione rata, quæst.* 95. *num.* 11.

28 Ast ex stylo Curiæ id resolvendum, ut si non petantur, dari videatur salarium illud nomine accusatorum, quapropter expensas illas tradere non tenentur; si tamen simus in dubio, nec adsit stylus, Velasci admitto sententiam, non enim credendum est salarium ex publico deputari, nisi ad illos pauperes non habentes à quo petant expensas istas, ut in alimentis observant Surdus *tit.* 7. *quæst.* 37. *à n.* 1. Casanat. *cons.* 27. *num.* 9. Sanchez *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 6. quapropter cùm peti possint ab accusatore, præcisè ipse præstare tenebitur.

29 Judices ab his pauperibus oon habentibus expensas, nec à quibus petant, sportulas ab eis nequeunt percipere, *Authent. de mandat. Princip.* §. *Si tibi quoque, collat.* 3. quod aliqui intelligunt etiamsi eis sponte offerantur, *cap. Statutum* 11. §. *Insuper, de rescript. in* 6. ubi *glossa verb. Recipere*, Baeza *de decim. tut. cap.* 10. *num.* 12. Lapus *alleg.* 37. *dub.* 2. Leoncillus *de privileg. pauper.* 2. *part. privil.* 197. *num.* 1. & *num.* 5. & quàm citiùs eorum causæ sunt expediendæ, Velasco *dict.* 1. *part. quæst.* 55. Bobadill. *dict. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 75.

30 Cùm de incarceratis dixerimus, transeamus ad redemptionem captivorum, quæ quidem causa piissima est. Carpio *de exequut. testam. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 41. est enim hominum miserrimus status, ad quem pervenire magna infelicitas est, unde noster Alphonsus *in l.* 1. *tit.* 29. *par.* 2. ait: *Onde por todas estas razones, ò otras muchas que se ofrecen, son llamados con derecho captivos, porque esta os la mayor malandanca que los homes pueden aver en este mundo.* Cicero *Philipp.* 10. dicebat: *Mors est servitute potior:* & servos personam non babere, scripsit Cassiodorus *lib.* 6. *epist.* 8. exornant Covarruvias *in regul. peccatum* 3. *part.* §. 11. *num.* 2. Velasco *de privileg. paupert.* 2. *part. quæst.* 16. *n.* 1. Vela *differt.* 35. *à num.* 113. Peregrinus *de jur. Fisci, lib.* 3. *tit.* 3. quapropter si captivus pauper est, piissima causa est à servitute liberare illum, ut docuerunt Sfort. *de restit. quæst.* 55. *num.* 31. Craveta *cons.* 2. *num.* 10. Novar. *de elect. for. sect.* 1. *quæst.* 35. *num.* 1.

Unde in jure causa alimentorum pauperum, & redem- 31
ptio captivorum æquiparantur, ut *in l. Sancimus* 17. *Cod. de Sacros. Eccles.* tenuerunt Glossa, Baldus, Salicet. & alii. Leoncillus *de privileg. paup.* 2. *part. privil.* 43. *n.* 1. quapropter aliqui scripserunt, divites teneri ad redemptionem captivorum. Azor *Instit. Moral.* 2. *part. lib.* 12. *cap.* 8. *quæst.* 5. cujus doctrina, & aliorum est admittenda, si captivus adsit in aliqua extrema necessitatæ animæ, vel corporis, ut rectè docuerunt cum Hurtado Diana 5. *part. tract.* 8. *resolut.* 6. *vers. Verum Hurtado*, Lara *de Anniversf. lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 10. Leoncill. *dict. privileg.* 43. *num.* 2.

Extraneus tamen, qui nominatus est hæres in testamen- 32
to, si captivum testatorem non redemerit, ut indignus à successione repellitur, ob tam grave ingratitudinis scelus, *Authent. Si captivi, Cod. de Episcop. & Cleric. l.* 6. *tit.* 7. *part.* 6. *l.* 3. *tit.* 29. *part.* 2. ubi Gregor. *gloss.* 1. & 2. Sforcia *de restitut.* 2. *part. quæst.* 82. *art.* 1. Molina *de primogen. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 22.

Bona enim Ecclesiæ, quæ ex juris dispositiooe alienari 33
nequeunt, *cap.* 1. *de pignor. cap. Ad hæc* 4. *de Relig. domibus, cap. Mancipia* 3. *de rerum perm. & tot. tit. de rebus Eccles.* si tamen non sit unde captivi redimantur, ad id vendi possunt, *l. Sancimus* 17. *vers. Excepta videlicet causa, C. de Episcop. & Cleric. cap. Aurum* 70. *cap. Ecclesia* 12. *quæst.* 2. sicut in qualibet urgenti necessitate veodi etiam possunt ad pauperam alimoniam, cùm id ad pietatem Ecclesiæ pertineat. Mantica *de tacit. lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 13. Guttierrez *practicar. lib.* 3. *quæst.* 8. *num.* 2. Lara *dict. cap.* 22. *num.* 9. Novarius *d. sect.* 1. *quæst.* 44. *n.* 5. Vigelius *in Method. Iur. Canon. lib.* 3. *cap.* 12. *reg.* 11. qood admittendum etiamsi culpa sua captivus fuerit effectus, ut cum aliis tenet Velasco *de privil. paup.* 1. *part. qu.* 22. *num.* 41. & 42. Cujacius *in cap.* 1. *de pignor.*

Quid verò si Ecclesia sit in gravi paupertate, & insimul 34
instet gravissima necessitas redimendi captivos? Gregorius *in leg.* 40. *tit.* 15. *part.* 1. *gloss.* 10. scripsit priùs miseris captivis esse succurrendom, proot si pauperes fame premerentur, idque ex loco Scripturæ, *Machab. lib.* 2. *cap.* 5. *vers.* 19. ibi: *Verum non propter locum gentem, sod propter gentem locum Deus elegit.* Unde perpendit in simili necessitate priùs gentem, id est miseros captivos, esse succurrendos, quàm necessitatem Ecclesiæ: quod admittendum, quando captivi fuissent in extrema necessitate, aliàs semper Ecclesia est præferenda, ut ipse Gregorius declaravit *in d. l.* 40. *gloss.* 2. Faria *ad Covarr. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 86.

Est tamen aliqua dubietas, an bona fideicommisso sub- 35
jecta, & alienari prohibita, possiot alienari pro redemptione pauperum captivorum, nempe pro redemptione sui, & suorum? Et abnegavit Gloss. *in Authent. res quæ, Cod. commun. de legat.* verumtameo contrarium est tenendum: & ratio est, nam hæc est urgentissima caosa, quæ non comprehenditur in generali prohibitione alienationis, quin potiùs ex voluntate præsumpta testatoris excepta præsumitur, Surdus *de aliment. titulo* 6. *quæst.* 12. *num.* 11. Molina *de primogen. lib.* 4. *cap.* 6. *numer.* 8. & 9. Gratianus *disceptat. forens. cap.* 108. *num.* 30. Velasco *dict.* 1. *part. quæst.* 22. *num.* 43. Tiraquellus *de causis piis, privileg.* 103. Cyriacus *tom.* 2. *controvers.* 364. *num.* 33.

Filii verò si parentes captivos habuerint, illos redimere 36
tenentur, prout quando sunt incarcerati, debent eos à vinculis relaxare, *Auth. Ut cùm, de appellat.* §. *Si quis de prædictis;* quia maxima ingratitudo, & impietas foret parentes in captivitate relinquere. Franchis *decis.* 190. *per tot.* Gratian. *disceptat. forens. cap.* 108. *num.* 6. Boerius *decis.* 22. *à num.* 2. quod ita receptum, ut si filius pecuniam quæsierit ad redimendos parentes, Macedoniano beneficio non juvatur. Staiban. *cent.* 1. *resolut.* 4. *num.* 24.

Quare

37 Quare si filius negligens fuerit parentum captivorum in redemptione, rectè ob ingratitudinem exhæredatur, Rota 2. *p. diversor. decis.* 63. *n.* 5. Gratianus *d. cap.* 108. *n.* 5. Barb. *in Authent. Si captivi, C. de Episcop. & Cleric. n.* 3. Lara *d. c.* 22. *n.* 8. qui animadvertit, filium non solum exhæredari posse, verùm etiam consanguineos negligentes captivum redimere, successione privari, & hæreditatem Ecclesiæ deferri, ut est decisum *in Authent. Ut cum, de appellat.* §. *Si unum, versic. Sed hæc quidem, collat.* 8. sed Rebuffus *ad leges Galliæ, glossa* 5. *n.* 38. asseruit decisionem illam in parte, quatenus defert hæreditatem Ecclesiæ, susceptam non esse, sed proximo consanguineo deferri; nam ex eo quod pater in vita conquestus non est, videtur ingratitudinem remisisse, quod erit admittendum, si à captivitate liberatus non conquereretur, secùs si in servitute decessisset; tunc enim committitur pęna, ut hæreditate priventur, & applicatur Ecclesiæ, seu Fisco, ut cum Perez tenet Barbosa *in d. Authent. Si captivi, n.* 3.

38 Ab hac tamen pœna excusabitur filius, si non habuerit decimumoctavum annum, idque ex quibusdam juribus assumit Gomez *variar. tom.* 2. *cap.* 13. *num.* 19. attamen si illo anno translacto negligens fuerit, cùm tamen pater antea apud hostes fuerit, exhæredari poterit; cessat enim ratio ætatis, quæ illum à tali pœna excusabat, Tiraquell. *in tract. Cessante causa, in princip. n.* 15. Sforcia *d. q.* 82. *art.* 1. *num.* 8.

39 Pater è converso tenetur de suo expendere pro redimendo filio, etiamsi captivus sit apud Christianos, cùm in eo sit reciproca obligatio, Garcia *de expens. cap.* 4. *n.* 12. Barbosa *in d. Authent. si captivi, n.* 11.

40 Uxor verò si habuerit maritum pauperem captivum, tenetur eum redimere, alias ejus hæreditatis indigna redditur, *l.* 3. *l. Ei qui* 21. *ff. de his quibus ut indig.* Et ratio est, quia cùm vir, & uxor una caro censeantur, inde oritur obligatio gravissima eum redimendi, & liberandi ab hostium captivitate, Bened. *in cap. Raynutius, verb. Nomine Adalesiam, n.* 821.

41 Quod ita certum, ut si ad redimendum maritum obligationem contraxerit, nequeat rescindere metus prætextu, quia cùm ad id faciendum teneretur, metus est justus, qui non relevat, *leg. Sed etsi partum*, §. *Quæri poterit, ff. quod met. causa*, Lara *d. cap.* 22. *n.* 6. Nec de jure Regio ad illam obligationem indigebit consensu mariti, ut petitur *in l.* 55. *Tauri*, nec absente marito, decreto Judicis petito *in l.* 59. *Taur.* est enim causa ista ita necessaria, ut consensus mariti præsumatur, Mieres *de majorat.* 4. *part. q.* 1. *limit.* 4. *num.* 2. Velasco *dict. q.* 16. *num.* 48. Vela *differt.* 6. *n.* 18.

42 Nec enim Vellejano gaudebit, quando ad redimendum maritum, aut excarcerandum se obligaverit, ut est bonus textus *in l. Quamvis* 21. *ff. solut. matrim.* ubi asseritur, mulierem rectè obligari pro excarcerando aliquam ex necessariis personis: ergo multò melius pro redimendo marito. Tum quia illo beneficio non juvatur, quando se obligat pro causa pia, Tiraquellus *privil.* 113. Cavalcanus *cons.* 13. Staibanus *cent.* 1. *resol.* 4. *a n.* 2. Cùm ergo pientissima sit causa maritum à servitute liberare, qui pauper est, Vellejano non juvabitur, Rimin. Senior *lib.* 1. *cons.* 77. *n.* 16. Novarius *de privileg. miser. pers. privil.* 110. Grat. *d. c.* 108. *n.* 23. Velasco *d. q.* 16. *n.* 52. Lara *d. c.* 22. *n.* 5.

43 Est verò dubium, an uxor pro redimendo, seu excarcerando marito paupere possit totam dotem obligare: negant plures DD. quia mulier nequit etiam ex causa necessaria obligare, nisi dimidium dotis, alias indotata remaneret, in gravissimum illius damnum, & totius Reipublicæ, cujus causa in dotibus inspicitur: quod extendunt etiamsi aliæ solemnitates adfuerint; nam ipsæ non tollunt læsionem enormissimam mulieris, quapropter nequit mulier, etiam ob hanc causam alienare totam dotem, verum quoad dimidium rescindetur, Amatus *decis. Marchiæ* 62. *n.* 14. Cyriacus *controv.* 216. *n.* 19. Noguerol *allegat.* 34. *n.* 27. Tondutus *quæstionum Civil.* 1. *p. cap.* 30. *num.* 12. Leoncill. 2. *p. privil.* 424. *n.* 1.

44 Idcircò Cyriacus *d. controv.* 216. *num.* 22. scripsit, quod quando occurrit similis necessitas obligandi totam dotem uxoris ad liberandum maritum, ad Principem recurrendum est, ut dispenset, aliter semper rescindetur contractus per læsionem, quæ fit mulieri.

45 Sed tamen ab his Doctoribus discedo, & assero posse rectè mulierem obligare totam dotem pro redimendo marito paupere captivo, aut vinculis mancipato; nam ut benè animadvertit Mantica *de tacit. lib.* 13. *tit.* 11. *n.* 7. *&* 8. Grat. *d. c.* 108. *n.* 31. hæc est pia donatio uxoris.

46 Ast, ut diximus, donatio pia omnium bonorum sustinetur: ergo poterit mulier omnem dotem obligare pro redimendo marito paupere. Cæterùm in his causis piis nequit considerari aliqua læsio, etiamsi in eis totum patrimonium expendatur, cùm sit via ad actum perfectæ charitatis, & animæ bonum: nec contra eam valet considerari aliqua causa publica; quia major est causa ipsa pietatis, & religionis. ergo debet sustineri hæc obligatio totius dotis. Denique in his causis piis earum favore solum inspicitur, quod justum est secundum naturale jus, explosis juris solemnitatibus, & dispositionibus, prout est non alienare dotem, *ex l.* 1. *& tot. tit. ff. de fund. dot.* ergo sustinenda est totius dotis obligatio ad redimendum maritum pauperem captivum.

47 Cui addendum quod scripsit Cyriacus *d. controvers.* 216. *n.* 10. uxorem habere justam causam expendendi dotem pro redimendis fratribus, parentibus, vel aliis ex propinquioribus consanguineis. Nec prætermittendum quod docuit Baldus *lib.* 5. *cons.* 478. *n.* 2. *vers. Sed si tamen*, posse maritum expendere de bonis dotalibus ad se redimendum, vel ut de carceribus eripiatur, licet mulier reclamet; quia cùm pauper sit, ipsa ad id tenetur, estque illius grave dedecus, ut maritus in captivitate remaneat, Surdus *cons.* 367. *n.* 14. Gratian. *d. cap.* 108. *n.* 26.

48 Prorsus de minoribus aliquid dicamus circa eorum restitutionem in causa redimendi captivos: & in primis, si minor servum suum manumiserit, minimè restituitur, *l.* 1. 2. *&* 3. *C. si advers. libert. l. Si ex causa* 10. §. *fin. ff. de minor. l.* 6. *tit.* 19. *par.* 6. Ratio est, nam quando servus ad libertatem pervenerit, quæ est juris naturalis, nequit ad servitutem redigi nisi ex modis à jure decretis; restitutio enim non est modus, ut noviter fiat mancipium: ergo nequit minor restitui adversus concessam libertatem, Donellus *lib.* 21. *Comment. cap.* 12. ubi Osuald. *lit. A*, Pereyra *in leg. Si curatorem, verb. Læsis, num.* 158. Sforcia *de restitut.* 2. *part. quæst.* 55. *a num.* 25.

49 Sed quid si aliquid promiserit, aut donationem fecerit ad redimendos captivos, an restituendus sit, necne? Et affirmandum videtur, nam licet non restituatur adversus concessam libertatem, attamen adversus competituram restituitur, *l. Si verum* 11. §. *Quod si minor, ff. de minor.* ubi minor restituitur adversus venditionem factam ea lege, ut servus manumitteretur; quia non agitur de revocanda libertate jam concessa, sed concedenda, Osuald. *d. cap.* 12. *lit. A*. Ergo dicendum est, minorem restitui posse in promissione, aut donatione ad redimendum captivum, quia nondum est redemptus.

50 Sed tamen contrarium tenent communiter DD. quia in causa pia redimendi pauperem captivum, etiamsi aliquid promiserit, aut donaverit, læsus dici nequit, ut tenent Bald. Novellus *de dot. p.* 6. *privileg.* 63. *n.* 2. Sforcia *d.* 2. *p. q.* 58. *art.* 3. *n.* 27. Leoncillus 2. *p. privileg.* 258. *n.* 1. Mieres *de majorat.* 4. *p. q.* 1. *n.* 7. Velasco *d. q.* 16. *a n.* 4. Vela *differt.* 6. *n.* 18.

51 Hæc verò doctrina ut expeditè explicetur, animadverto posse minorem promittere, aut donare aliquid ad redimendas aliquas personas, ad quod tenetur, veluti parentes, aut proximiores consanguineos; & tunc minimè restituitur, quia donat, aut promittit quod tenetur, prout si daret ad illos excarcerandos, Gratianus *dict. cap.* 108. *a n.* 48. Palacios Rubios *in cap. Per vestras, de donat. not.* 3. §. 26. Barbosa *in l.* 1. *ff. solut. matr. p.* 4. *n.* 128.

52 Quod idem dicendum cum Velasco *dict. q.* 16. *n.* 45. quoties hæc promissio, aut donatio fieret ad redimendum aliquem captivum pauperem; quod enim pro amore Dei expenditur, lædere dici non valet: ergo nec restitutio competet. Attamen in utroque casu aliquando restituetur, utputa si minor promisit, aut donavit ad redimendum parentem, aut pauperem captivum, cujus redemptio fieri potest centum ducatis, verum ipse amplius promisit, quàm erat necessarium; tunc enim restitutio competet minori ad excessum, cùm in illo, nec causa necessaria, nec pia consideretur, nec negandum in illa quantitate læsum esse.

53 Si tamen captivus bona habuerit, & pro ejus redemptione minor promiserit, aut donaverit, restitutio est ei concedenda, saltem ut captivo redempto, quidquid dederit,

sibi restituatur; est enim realiter læsus, nec adest causa ne restituatur. Illud verò non obliviscendum, quod si minor major octodecim annorum, fuerit negligens in redimendo patre, adversus amissam hæreditatem non restituitur; eam enim propter delictum amittit, in qua causa restitutio non conceditur, *l. Si ex causa 9. §. 2. l. Auxilium 37. §. 1. ff. de minor. l. 1. C. si advers. delict. l. 4. tit. 19. part. 6.* Donell. *lib. 21. Comment. cap. 10. vers. Vel in delictis.* Ergo nec in casu proposito, Boerius *decis. 63. num. 7.* Gregor. *in l. 6. tit. 7. p. 6. verbo Mayores*, Pereyra *in l. Si Curatorem, verbo Lesos, à n. 10.*

54 Rursus disquirere oportet, an quando minor alienat aliqua bona stabilia ad redimendum captivum ex causa pia, decretum Judicis sit necessarium, & aliæ juris solemnitates in alienandis rebus minorum? Et id esse necessarium videtur ex doctrina Baldi *lib. 2. cons. 213.* ubi asserit hæc esse necessaria, quando filius venderet bona pro excarcerando parente paupere; nam licet actus laudabilis sit, ratione tamen modi valet esse imprudens, idcircò solemnitates illæ, & decretum sunt necessaria: tenent etiam Surdus *de aliment. tit. 8. privileg. 45.* Sforcia *d. 2. p. q. 23. n. 56.* Leoncillus *d. privileg. 258. n. 2.* Ergo etiam erunt necessariæ hæ solemnitates ad redimendum pauperem captivum, Rota apud Farinac. *1. par. decis. 177. n. 6.* ubi *n. 7.* idem asserit quando uxor bona stabilia alienaverit ad redimendum, seu liberandum captivum, Consentit Cyriacus *d. controv. 216. à n. 19.*

55 Sed tenenda est contraria sententia, quia in his causis piis nequit aliquo modo læsus contemplari, ut dictum est. Tum quia ex repetita regula, in causis piis non inspicitur, nisi jus naturale, nec juris solemnitates sunt necessariæ: ergo non erunt necessariæ ad redemptionem pauperis captivi, Simoncellus *de decretis, 1. p. inspect. 11. n. 75.* Mieres *de majorat. 4. p. q. 1. n. 9.* Velasco *d. q. 16. n. 46.* Leoncillus *de privileg. paupert. 2. p. privileg. 25. n. 1.* Vela *differt. 6. n. 18.* Cancer. *2. p. cap. 1. n. 115.*

56 Quod idem dicendum quando uxor bona dotalia alienaverit ad redimendum maritum; tunc enim juris solemnitates non sunt necessariæ, Tiraquellus *in l. 16. connub. gloss. 8. n. 28.* Gratianus *d. cap. 108. n. 27.* Cyriacus *d. controv. 216. n. 5. & 6.* qui contrarius non est *n. 19.* nam loquitur quando speciale esset statutum, petens has solemnitates, etiam quando bona dotalia alienarentur ex causa necessaria.

57 Relinquuntur etiam ad redimendos pauperes captivos aliqua pia legata, quæ licet universalia sint, & simpliciter relinquantur pro redimendis captivis, nullis determinatis, sustinentur; quia intelliguntur captivi illius loci, ubi testator vixerit, & domicilium habuerit, *l. Si quis ad declinandum 37. C. de Episcop. & Cleric.* verùm si isti nulli sint, ad redimendos captivos illius Regni applicabuntur, Capra *cons. 160. n. 2.* Barbosa *in l. Nummi 28. C. de Episcop. & Cleric. n. 18.* Distributio tamen facienda est per exequutores ad id designatos, aut per Episcopum, Barbosa *in d. leg. 37. C. de Episcop. & Cleric. n. 2.*

58 Dubium enim est, an quando testator nullum exequutorem reliquerit ad hanc distributionem faciendam inter pauperes captivos, id sit faciendum per hæredem, aut per Episcopum? Et dicendum videtur, ad hæredem pertinere, *ex l. 7. tit. 10. p. 6.* ubi expresè decernitur, in testamento non nominato exequutore, exequutionem ad hæredem pertinere: idem decisum de Jure Canonico *in cap. Qui annos 3. de testament.* & ratio est, nam hæres representat personam defuncti, & est illius immediata persona; idcircò ad illum pertinet adimplere onera testamenti, non verò ad Episcopum, ut latè prosequitur Carpio *de exequut. testam. lib. 1. cap. 22. à n. 6.* Cæterùm, nam exequutio non devolvitur ad Episcopum, nisi data negligentia hæredis, *dict. cap. 3. de testam.* Gregorius *in d. l. 7. glossa fin.* Petrus Gregorius *syntag. lib. 4. cap. 36. num. 8.* ergo in præsentiarum distributio ad pauperes captivos ad hæredem pertinebit, non verò ad Episcopum.

59 Sed contrarium tene in specie ex decisione textus *in Authent. de Eccles. tit. §. Si quis autem, l. 5. tit. 10. part. 6.* ubi decretum est exequutionem pertinere ad Episcopum, sicut etiam distributio inter pauperes facienda: idque speciali ratione, nam cùm captivi sint tam infimæ, & miserabilis sortis, valdè interest ne adsit aliqua dilatio, quare ad Episcopum exequutio competit, non hæredi, qui interesse proprio captus, non ita celeriter legatum exequetur, Molina *de justit. tr. 2. disp. 247. num. 2.* Diana *8. part. tract. 5. resolut. 4.* Barbosa *in dict. leg. Nulli 28. n. 20.* Carpio *d. lib. 1. cap. 22. num. 15.*

60 Sed cui Episcopo competat, sub Judice est; noster enim Alphonsus *in d. l. 5.* asseruit pertinere ad Episcopum, unde testator est oriundus, quod non sine contradictione admittunt alteri, asserentes etiam pertinere ad Episcopum domicilii, ubi habitabat testator: unde ad utrumque Episcopum pertinere asseruit Gregor. *ibid. gloss. 3.* Barbosa *in d. l. Nulli, n. 16.*

61 Verùm inter utrumque credo præferendum esse Episcopum domicilii, si ibidem habeat testator majorem partem bonorum; nam cùm sit proprius Parochianus illius, quoad exequutionem ultimæ voluntatis testatoris alii Episcopo est præferendus; si verò major pars bonorum sit in loco originis, Episcopo illi competit exequutio; nam tunc celerrima erit exequutio facta ab eo, ubi est major pars bonorum, *ut d. l. 5.* Molina *d. disp. 247. num. 2.* Si verò ignoratur unde sit oriundus, aut ubi domicilium habuerit, exequutio pertinebit ad Episcopum, ubi decessit *d. l. 5.* Molina *n. 2.* quod certum credo, si ibi adsint bona, si verò alibi, ad Episcopum pertinebit ubi sunt, ut quamcitiùs per eum exequatur legatum.

62 Præterea *ex d. l. Nulli, & l. 5. Partita*, decisum est Episcopum exequutorem distributionis ad redemptionem captivorum, reddere rationem teneri coram Ordinario: quis verò Ordinarius iste sit, non conveniunt Doctores. Aliqui inquiunt intelligi Judicem Sæcularem, nam cùm ab ipso descenderit administratio, coram ipso est ratio reddenda, Francisc. Marcus *decis. Delph. 1. p. decis. 1057.* Gailius *lib. 1. observat. cap. 37. num. 6.* Bobadilla *in Polit. lib. 2. cap. 18. n. 130.*

63 Attamen admittenda non est hæc interpretatio; nam sub illo nomine *Ordinario*, intelligitur Archiepiscopus, *Authen. de Ecclesiast. titulis, §. Si autem, collat. 9.* nam ipse est Ordinarius Episcopi, qui rationem reddere tenetur, Gregor. *in d. leg. 5. glos. 6. in fin.* Molina *d. disp. 247. n. 2.* Escobar *de ratiocin. cap. 3. num. 19.* Diana *8. p. tract. 5. resolut. 42.* Carpio *de exequut. lib. 4. cap. 2. num. 3.* In praxi tamen usu receptum est, ut Episcopi nulli nisi Deo rationem reddant, ut cum Paulo Castrensi notant Gregorius, & Molina nuperrimè allegati.

64 Cæterùm disquirendum, an hæc legata ad redemptionem captivorum pauperum expendi possint cum pauperibus apud Christicolas captis? Hæc difficultas pendet ab alia, an pretium suscipi valeat pro captivis apud Christianos? Et negandum videtur; nam aut promittitur ab ipso captivo, aut ab alio, & neutro modo valet: Ergo nec recipi pretium. Probatur, nam si promissio fit ab ipso, non sustinetur, quia promissio facta in carcere, non tenet, si tendit præcisè ad libertatem, *leg. Qui in carcerem 22. ff. quod met. caus.* latè Farinacius *in praxi, tom. 2. q. 35. à num. 1.* Itaque si fiat à captivo, nequit sustineri, quia incarcerato comparatur. Si verò fiat ab alio, similiter non sustinetur, quia inter Christianos illa est communis pietas, ut in bello capti pro servis non habeantur, *leg. 1. tit. 22. part. 4.* Hurtado *de justit. disp. 1. difficult. 21.* Diana *7. p. tract. 7. resolut. 5. vers. Et ideo:* ergo pro illis nequit pretium suscipi, ut tenet Cardosus *de servit. personal. n. 54.*

65 Hæc Cardosi sententia de jure communi certa est; verùm de consuetudine contrarium observatur, idque ab omnibus receptum, ut propter interesse milites ad servandas vitas Christianorum allicerentur: tum quia relaxatio illius detentionis ad libertatem pretio æstimabilis est, secundùm qualitatem personarum, Valasco *consult. 30. à num. 6.* Covarruvias *in Regula Peccatum, 2. part. §. 11. num. 6.* Fagundez *de justit. lib. 2. cap. 1. num. 4.* Diana *dict. resolut. 5. versic. Notandum est tamen, & part. 6. tractat. 7. resolut. 16.*

66 Unde resolvendum, ex consuetudine posse simile legatum pro pauperibus captivis apud Christianos expendi. Illud verò animadvertendum, quod si adsint captivi apud infideles, cum periculo perversionis, isti sunt semper præferendi, Giurba *observat. 29.*

67 In calce verò hujus capitis circa redemptionem captivorum duo sunt scribenda. In primis, in omnibus testamentis aliqua esse legata, quæ à fortiori relinquenda dicuntur; illud verò est celebrius, quod Patribus Redem-

demptoribus legatur ad redimendos captivos, quod in hoc Archiepiſcopatu triginta & ſex marapetinis terminatur, qoando defunctus teſtatus deceſſerit; ſi verò abinteſtato decedat teſtator, duplicatur legatum: ſic praxis recepit, alibi tamen conſuetudo erit obſervanda. In recipiendo autem, inter Patres Trinitarios, & S. Mariæ de Mercede datur præventio, Videnda eſt lex 1. *tit.* 9. *lib.* 1. *Recopilat.*

68 Secundò adeſt textus Regius *in l.* 2. *tit.* 9. *lib.* 1. *Recopilat.* ubi ſtatutum eſt, animalia deperdita (vulgò *Moſtrencos*) ad has piiſſimas Religiones de Redemptione captivorum pertinere ad hunc effectum redimendi pauperes captivos apud infideles a quæ quidem animalia deperdita, ad Cameram, ſeu Fiſcum Regium de jure communi attingebant, *ut in rub. C. de bon. vacant. lib.* 10. *l.* 12. *tit.* 1. *part.* 2. niſi alius ex conſuetudine, aut privilegio perceperit, Avendannus *de exequut. mandat. cap.* 1. *num.* 5. Decianus *lib.* 2. *reſp.* 35. *à num.* 63. Bobadilla *in Polit. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 133. Antunnez *de donat. lib.* 1. *part.* 3. *cap.* 13. Solorzan. *in Polit. lib.* 4. *cap.* 25.

69 Obſervatur in his animalibus deperditis, ut per annum ſerventur, & interim banna proclamentur, ut poſſint venire ad notitiam domini: quo non obſervato, jus ad moſtrencum amittitur, *leg.* 7. *tit.* 13. *lib.* 6. *Recopilat.* Si tamen anno tranſacto dominus apparuerit, ſolutis expenſis, animal ſuſcipit, & eſt illi reſtituendum, nec ex aliquo titulo, ſeu præſcriptione illius anni in utroque foro poterit emptor excuſari, Avendannus *in d. verb. Moſtrencos*, Covarr. *in Regul. peccatum*, 3. *p.* §. 1. *n.* 5. *ad finem*, Lara *d. lib.* 1. *de Anniverſ. cap.* 22. *n.* 13. Azevedus *in leg.* 6. *tit.* 15. *lib.* 4. *Recopilat. n.* 55. Quod tenendum, niſi totum tempus præſcriptionis fuerit adimpletum, quia tunc in utroque foro ad reſtitutionem non tenetur, Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 11. *diff.* 14. *n.* 5. *verſ. Ha ſe de limitar.*

70 Sed eſt dubium, an hæ leges obligent in conſcientia, ita ut qui animalia iſta invenerit, teneatur illa reſtituere his Religionibus. Et ut hanc difficultatem capiamus, animadverto Covarruviam *d.* §. 1. *n.* 5. *in fin.* dubitaſſe de juſtitia harum legum. Sed juſtas eſſe aſſeveramus, quia hæc bona incertis perſonis debita, itaut dominus nequeat inveniri, dicuntur vacantia, & ad Fiſcum pertinentia jure occupationis, & poſſeſſoris, *l. fin. C. de bon. vacant. lib.* 10. & ad illum dominium transfertur, ut latè proſequitur Amaya *in leg.* 1. *C. de bon. vacant. lib.* 10. *n.* 11. Itaque Princeps ad quem bona iſta pertinent, rectè poterit aliis applicare, prout Reges Caſtellæ hæc bona piè applicarunt his Religionibus, Amaya *ubi proximè*, *n.* 26. Unde cognoſcitur leges iſtas juſtas eſſe, Molina *de juſtit. tract.* 2. *diſput.* 749. Navarra *de reſtitut. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 82. de Lugo *de juſtit. diſp.* 6. *ſect.* 12. *à num.* 147.

71 Hoc ſuppoſito diſceptatio eſt, an leges iſtæ obligent in conſcientia? Et nonnulli affirmant, quia leges iſtæ juſtæ ſunt, directivæ, & non pœnales, nec aliqua præſumptione nituntur: Ergo obligant in conſcientia, itaut animalia deperdita occupans, ad reſtituendum teneatur his Religionibus, quibus à Principe ſupremo ſunt applicata, Bannez *de juſtit. q.* 66. *art.* 5. *circa quartam concl.* Ledeſma *in Summa*, 2. *p. tr.* 8. *cap.* 20. *poſt* 2. *concluſ.* dicit probabile Navarra *de reſtit. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 65.

72 Alii verò contrarium tenent; nam leges illæ nihil aliud concedunt, niſi actionem, ut Prætor inquirat, & exigat illa animalia ab inventoribus: nec qui invenit, fateri tenetur, niſi inventio ſaltem unico teſte fuerit comprobata, Henriquez *de indulgentiis*, *lib.* 7. *cap.* 36. *n.* 5. quod idem conceſſum eſt Fratribus Reverendiſſimis Sanctiſſimæ Trinitatis, & S. Mariæ à Mercede: quamobrem niſi exigant, & repetant, in conſcientia inventor rectè retinebit animalia illa, ut tenet ipſe Henriquez *ubi proximè*, Aragon 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. Rodriguez *quæſt. Regul. tom.* 1. *q.* 38. *art.* 4. dicit veriorem Villalobos *dict. tr.* 11. *diff.* 15. *n.* 2. Tapia *lib.* 5. *de juſt. car. q.* 30. *art.* 4. §. 3. *n.* 14.

73 In hoc dubio verba legum penſanda ſunt, quomodo diſponant: & revera ſi attentè perlegantur, primam ſententiam probare videntur; non enim ſolam actionem ad exigendum continent, verum obligationem tradendi; nam textus *in leg.* 6. *tit.* 13. *lib.* 6. *Recopilat.* ſic fatur: *Toda la coſa que fuere hallada en qualquiera manera moſtrenca deſamparada, debe ſer entregada a la Juſticia del lugar.* Et infra: *Y ſi dueño no pareciere, debe ſer dada para nueſtra Camara.* Et *in leg.* 7. ita: *Ordenamos, que qualquiera que hallare qualquiera coſa agena, ſea tenudo de la poner luego en mano, y poder del Alcalde de la Ciudad.* Quæ verba apertè indicant inventorem teneri animalia deperdita tradere, idque magis cognoſcitur; nam licet lex 6. loquatur per verbum *debe*, quod licet in meliori ſententia importet obligationem, Caldertnus *conſ. unic. de vit. & honeſt. Clericor.* Rota apud Farinacium 1. *p. deciſ.* 79. *n.* 1. Eſcobar *de ratiocin. cap.* 6. *n.* 22. Menoch. *lib.* 5. *præſumpt.* 47. *n.* 9. & ſecundùm alios tantùm decentiam, ſeu honeſtatem, ut cum Paz, & Thuſco docet Barboſa *d.* 77. *n.* 9. lex tamen 7. apertè explicat hanc obligationem, *ſea tenudo*; unde verba legum apertè ſunt pro prima ſententia: & aſſerendum videtur, teneri inventorem in utroque foro animalia deperdita tradere his Religionibus, quibus applicatum eſt jus illud Fiſci.

Veruntamen conſuetudo Provinciæ eſt attendenda, 74
quæ eſt obſervanda, utpote harum legum optima interpretatio, ut rectè ſcripſit de Lugo *d. ſect.* 12. *n.* 152. Illud tamen animadvertendum, legem 2. *tit.* 9. *lib.* 1. *Recopilat.* confirmatam fuiſſe à Gregorio XIII. nihil tamen de novo addere, Tapia *d.* §. 3. *n.* 15. quare obſervare oportet conſuetudinem, quæ ſi non adſit, utramque ſententiam uti probabilem admittunt Rodriguez, & Villalobos *d. diff.* 15. *n.* 4. Aſt mihi ex verbis legis magis admittendam primam exiſtimo. Religiones tamen iſtæ habent præventionem, Henriquez *d. c.* 36. *n.* 5. Villalobos *d. diff.* 15. *n.* 5.

In aliis rebus præter animalia Patres Reverendiſſimi ha- 75
rum Religionum dicunt idem eſſe aſſerendum, ſi dominus non inveniatur, & ſic promulgatum ſcripſit Henriquez *d. num.* 5. Villalobos *d. diff.* 15. *n.* 3. *in fin.* res quidem incerta, verùm facilè eis concedenda; quia in meliori ſententia, res quælibet deperditæ, quarum domini non inveniuntur, Eccleſiæ, aut pauperibus ſunt concedendæ, *cap. Nemo qui rapit*, 14. *quæſt.* 5. *cap. Cum tu* 5. *de uſur.* quia id eſt magis conforme voluntati perdentis. Navarrus *in Man. cap.* 17. *n.* 93. Azorius *Inſtit. Mor.* 3. *part. lib.* 4. *cap.* 26. *quæſt.* 1. Sayrus *in Clave Regia, lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 2. Trullench *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 14. *dub.* 4. *n.* 2. ſub quo quidem nomine, *pauperibus*, non ſolùm pauperes intelliguntur, ſed quodlibet opus pium. Leſſius *de juſt. lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 6. *n.* 34. quare poterit applicari redemptioni captivorum pauperum, & his Patribus, uti ſecutiùs, concedi.

Immemor tamen non ſum aliquorum aſſerentium in- 76
ventorem rectè, & ſecurè poſſe rem ipſam retinere, de Lugo *d. ſect.* 12. Leſſius *d. dub.* 6. Vaſquez *in opuſc. de reſtit. cap.* 5. §. 4. *dub.* 1. Tamburinus *Oper. Mor. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *à num.* 25. Villalobos *d. tract.* 11. *diff.* 4. Aſt contrarium uti probabilius, & ſecurius eſt tenendum. Layman *in Summa*, *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 9. *n.* 2.

CAPUT IX.

De alimentis quibuſdam pauperibus neceſſariò concedendis.

SUMMARIUM.

Quid ſub nomine alimentorum intelligatur, n. 1. *Patres tenentur alere filios, n.* 2. *Quod extenditur, n.* 3.

Si pater filio dederit prædium ad alimenta, & perdiderit, iterum alere tenetur, n. 4. *Et non ſolùm illum alere tenetur, ſed etiam ejus uxorem, n.* 5.

Pater alimenta, & litis expenſas præſtat filio, durante lite, n. 6. *Et quid ſi lis ſit ſuper filiatione, n.* 7. *Limita ſi lite pendente filius fiat dives, n.* 10.

Hæc obligatio alendi filios pauperes, nec ſtatuto, nec pacto jurato tollitur, num. 11. *Explicatur caput* 12. de jurejur. *num.* 12.

An pater teneatur alere filiam nuptam marito diviti, aliqui negant, n. 13. *Alteri affirmant, n.* 14. *Reſolvitur, explicatur, à n.* 15.

Hæc obligatio non ſolùm ad filios, verùm ad nepotes, & pronepotes tranſit, n. 18. *De jure Regio aliqui tenent contrarium, n.* 19. *Sed adverſus eos reſponſio datur, n.* 20.

An heredes patris teneantur ad alimenta filiorum. Quidam negant, n. 20. *verſ.* Eſt tamen. *Alii affirmant, n.* 22. *Reſolvitur, à n.* 23. *Explicantur lex* 5. §. Item reſcriptum, *lex* 8. ff. de liber. agnoſcendis.

Emptor omnium bonorum patris ad hæc alimenta non tenetur, num. 29. Donatarius tenetur, ut ibi explicatur, num. 40.

Matres non tenentur alere filios pauperes, si habent patres, sed tantum lactare per triennium, n. 31. Sed an alia necessaria ultra lac ministrare teneantur, affirmant aliqui, n. 32. Sed contrarium defenditur, ibid.

Mater inops excusatur ab hac obligatione lactandi, & poterit expensas repetere, n. 33.

Mater, si pater est pauper, tenetur filios alere, & filias dotare, n. 34. & 35.

Filius tenetur alere parentes pauperes, n. 36. Extenditur, num. 37. Et an teneatur alere patrem bannitum, aliqui negant? num. 38. Alteri affirmant, numer. 39. Resolvitur, à num. 40.

An Clericus occultè suspensus possit absque timore irregularitatis celebrare ad alendos parentes pauperes, negat de Lugo, n. 43. Ejus doctrina explicatur, à n. 44.

Filius nequit Religionem ingredi, habens parentes in necessitate, quos nequit sublevare in Religione, n. 46. Non admittitur Alensis, n. 47.

Quæ necessitas parentum erit ad hoc necessaria, extrema sufficit, levis non, n. 48. Sed quid de gravi? Negarunt aliqui, num. 49. Plures tenent contra, num. 50. Defenditur, num. 51.

Limitant aliqui pro præsenti necessitate, sed explicantur, n. 52. Sed quid si dubia sit, n. 53.

Hæc resolutio procedit licet filius voverit Religionem: idem de parentibus dicendum, n. 54. Sed non tam magna necessitas est necessaria, sufficit enim minor, n. 55.

Post factam professionem, si parentes extremè indigeant, valet filius egredi, etiam renuente Prælato, n. 56.

Sed an propter gravem parentum necessitatem possit egredi absque licentia, renuente Prælato? Prima sententia negat, n. 57. Secunda affirmat, n. 58. Tertia distinguit, n. 59. Resolvitur, à n. 60. Limitatur si adsit scandalum, aut indecentia Religionis, n. 62.

Fratres, & sorores tenentur pauperes fratres, aut sorores alere, ex jure naturali, n. 63. Et de jure positivo, n. 64. Et sorores dotare, n. 65. Tenentur etiam si nuptæ fuerint cum vire paupere, n. 66.

An frater teneatur redotare sororem pauperem habentem virum egenum, videtur quod non, à n. 67. Resolvitur, à num. 69. Explicatur lex 8. §. Filius, ff. pro socio, *n. 71.*

An quando frater, aut soror est tantum uterina, id procedat. Prima sententia negat, & intelligitur lex 12. §. fin. ff. de administrat. tut. *n. 73. & 74. Sed contrarium defenditur, à n. 75.*

Patruus an teneatur alere sobrinos pauperes, negant aliqui, num. 76. Alteri contrarium sustinent, & explicatur cap. 1. de cohabit. Clericorum, *num. 77. Defenditur, n. 78.*

Maritus tenetur alere uxorem pauperem, n. 79. Si non habet à quo dotem petat, num. 80. Interim quod petitur, præstabit alimenta, n. 81.

Si uxor casu dotem perdiderit, debet ali à marito, vel si consistetur cum fructibus, n. 82.

Hæres mariti interim quod dotem solvat, tenetur alere mulierem pauperem, n. 83.

Uxor dives tenetur alere maritum pauperem, num. 84. Sed est dubium, an uxor, vel ejus filii divites teneantur solvere debita à marito contracta pro eis alendis. Prima sententia affirmat, à num. 85. Secunda negat, numer. 87. Tertia distinguit, num. 88. Quarta aliter distinguit, n. 89. Resolvitur, à n. 90. ubi intelliguntur leges 60. & 61. Tauri.

1 IN hoc capite de causa pia alimentorum pauperibus quibusdam concedendorum agendum est nobis, sub quorum alimentorum nomine non tantùm cibaria comprehenduntur, sed vestimentum, & habitatio: tum etiamsi ægrotaverit persona, cui sunt concedenda, continentur medicinæ, & curationes necessariæ ad vitæ conservationem, *l. Verbo Victus 43. ff. de verborum significatione, & tot. tit. ff. de cib. & aliment. legat.* Itidem sub nomine alimentorum honestæ artes, quibus filius imbui debet, intelliguntur, *leg. Qui filium 4. ff. ubi pupill. educ. debeat*, Pontanus *de aliment. cap.* 1. Azorius *Instit. Mor. 2. p. lib. 2. cap. 4. q. 1.* Filliucius *in Sum. tract. 28. cap. 2. q. 3. numer. 27.* Trullench *in Decalog. lib. 4. cap. 1. dub. 3. num. 6.* Tamborinus *Oper. Moral. lib. 5. cap. 3. §. 1. num. 2.* Bossius *de alim. cap. 2. §. 4.* Leoncillus *2. p. prsu. 23. num. 24.*

Hæc enim in primis pater tenetur filiis pauperibus præstare, non habentibus unde se alant: quod non solum intelligas quando nutriuntur, sed etiam quando adulti sunt, si tamen se alendi incapaces fuerint, aut necessitate premantur *l. Si quis à liberis 5. §. Si quis ex iis, ff. de lib. agn. l. 6. tit. 19. p. 4.* quæ quidem obligatio non solum est de Jure Civili, verùm etiam de naturali, ut latè prosequuntur Covarr. *de sponsal. p. 3. cap. 8. §. 6. n. 1.* Escobar *de ratioc. cap. 22. n. 28.* Azorius *d. lib. 2. cap. 4. q. 1.* Diana *part. 6. tract. 7. resol. 21.* Gomez *in l. 9. Tauri, n. 37.* Velasco *de privileg. pauper. 1. p. q. 15.* 2

Quod non solum accipias de filiis legitimis, verùm extendendum ad naturales, seu spurios, Guttierrez *practic. lib. 3. q. 94.* idem asserendum si fuerint emancipati, aut edicto Principis proscripti, vel excommunicati, si aliunde non habent unde alantur, cùm naturale jus dictet, filio indigenti in quolibet stato alimenta à suo patre esse præstanda, Surdus *de alim. tit. 1. q. 1. à n. 22.* Cyriac. *controv. 237. à n. 15.* Azor. *d. c. 4. q. 6.* Trullench *d. dub. 3. n. 10.* Bonac. *in Decal. disp. 6. q. 5. punct. 6. §. 1. n. 2.* Bossios *de alim. c. 5. §. 5.* 3

Quid verò si pater prædium ad alimenta filio præstiterit, & casu, seu culpa illius perdatur, an iterum alimenta concedere teneatur? Et asserendum est teneri, quidquid aliqui scripserint; nam cùm filius ad egestatem iterum perveniat, ex jure etiam naturali tenetur alimenta præbere. Et confirmatur à simili dotis; nam si filia dotem à patre concessam perdiderit, iterum dotare tenetur, Baeza *de mel. filiab. c. 16. n. 30.* Molin. *de primog. lib. 2. c. 16. n. 25.* Gozm. *de evict. q. 30. n. 51.* Ergo similiter tenebitur iterum filio alimenta præbere, si prædium perdiderit, ex quo alimenta percipiebat, Pontan. *de alim. cap. 1. n. 6.* Marest. *var. lib. 2. cap. 83. n. 5.* D. Olea *de cess. tit. 3. q. 13. n. 5.* Azor. *d. cap. 4. q. 12. vers. Quæres quid*, Villal. *2. p. tr. 41. diff. 7. n. 6.* 4

Hæc enim patris obligatio alendi filium pauperem, & inopia laborantem, extenditur etiam ad uxorem illius, si sine dote eam receperit, maximè patre consentiente; nam pater non solùm tenetur alimenta filio præstare, sed etiam illius onera subire, *l. Si quis à liberis 5. §. Si vel parentes, ff. de lib. agnoscend.* Cùm ergo filii onus sit alendi uxorem, si non habet unde se alat, necessariò à patre illius id est faciendum, Guttierrez *de matrim. c. 80. n. 13.* Surdus *de alim. tit. 1. q. 38. à n. 1.* Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 26. n. 21.* Bonacina *d. §. 1. n. 2. vers. Addo tertiò*, Bossius *de alim. cap. 4. §. 1.* qui §. 2. idem asserit, si pater contradiceret, ne uxorem indotatam reciperet; non enim excusatur pater ab oneribus filiorum, licet ipsi legum contemptores existant ducendo uxorem patre contradicente, Surdus *d. q. 38. n. 14. & 15.* excusabitur tamen pater quoties filius ab alenda uxore excusaretur; quia ad id tenetur ratione oneris filii, quem si non habeat, etiam pater eo liberabitur, Surdus *dict. q. 38. num. 25.* Bossius *d. cap. 4. §. 3.* 5

Lite enim pendente, quando filius adversus patrem ageret, venia petita, alimenta, & litis expensæ (si pauper sit) sunt illi præstanda, saltem si pro se unicam obtinuerit sententiam, prout etiam illi conceduntur, quando ad bona paterna egerit per querelam inofficiosi, *l. Quod inofficioso, l. Si instituta, §. De inofficioso, ff. de inofficioso testam.* alias enim nec vivere, nec justitiam consequi posset, Covarruv. *practicar. cap. 6. n. 6.* Molina *d. lib. 2. cap. 16. n. 30.* Spino *de testam. gl. 17. n. 115.* Marescotus *d. cap. 83. n. 13.* Gratianus *discept. for. cap. 55. n. 49.* 6

Si verò lis sit super filiatione, & disceptetur, an sit filius illius, necne, quia pater negat, majorem disquisitionem requirit: quapropter dico in primis, quod si filius sit in quasi possessione percipiendi alimenta, lite superveniente de filiatione, necessariò sint à patre præstanda, sive pauper, sive dives sit; quia nequit quis privari sua possessione donec non constiterit titulum fuisse illegitimum, Molina *de justit. tom. 3. disput. 616. num. 15.* Bossius *de aliment. obligat. cap. 17. §. 1. num. 965.* 7

Secundò dico, quod si pauper sit in quasi possessione filiationis, & de paupertate constet, etiamsi pater neget esse filium, alimenta, & litis expensas ei præstare cogendus sit, *l. ult. §. Quod si ei, C. de ordin. cognit.* Et ratio est, quia qui est in quasi possessione filiationis, habet fundatã suam intentionem super alimentis, & litis expensis, nec ex hac causa ul- 8

lum

lum sit præjudicium proprietati, quam pater negat: ergo alimenta, & litis expensæ præstanda sunt filio quasi possessionem habenti, idque ante sententiam, Leoncillus 2. *part. privil.* 27. *n.* 2. *&* 15.

9 Quod idem dicendum est, si non sit in quasi possessione, dummodo summatiè constet de filiatione, non levibus præsumptionibus, sed validis, *d. l.* 5. §. *Si vel parens*, *ff. de lib. agn.* nam hæc summaria probatio inducit gravissimam præsumptionem boni juris actoris, Barbosa *in rubr. ff. sol. matr.* 1. *p. n.* 966. Ergo sufficit ut alimenta, & litis expensæ ministrentur pauperi illa petenti, Rota 1. *p.* apud Verall. *decis.* 150. *n.* 1. *&* 1. *part. recent. decis.* 444. *n.* 9. Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 10. *n.* 10. Gratianus *discept. cap.* 236. *n.* 43. Cancerius *variarum* 1. *part. cap.* 16. *num.* 38. Bossius *de aliment. cap.* 17. *à num.* 966. Marescotus *dict. cap.* 83. *num.* 16. Riccius *collectan.* 962.

10 Ast hæc alimenta, & litis expensæ cessabunt, si lite pendente filius dives fiat, à ratione cessante, Casanate *cons.* 25. Salgado *in Labyr.* 1. *p. cap.* 25. *n.* 49. Leoncillus 2. *p. privileg.* 22. *num.* 48. prout etiam quando filia semel dotata alimenta petierit, quia ex eo quod dotem acceperit, præsumitur eam pauperem non esse, Vivius *decis.* 523. *n.* 15. Cancer. *d. cap.* 16. *n.* 39.

11 Hæc enim obligatio alendi filios pauperes tam stricta est de jure naturali, ut nequeat tolli aliquo statuto, aut renunciari pacto, etiam juramento vallato. Ratio est, nam pactum contineret iniquitatem contra jus naturale, nec juramentum valet esse vinculum peccati, *c. Cum quidam* 2a. *de jurejur.* Surdus *de alim. tit.* 1. *q.* 1. *n.* 18. Ciarlinius *controv.* 202. *n.* 29. D. Olea *de cess. tit.* 3. *q.* 13. *n.* 4.

12 Sed dices, *ex d. c. Cum quidam*, assumptum non probari, quin potiùs contrarium; quia ex simili juramento absolutionem petendam esse asserit. Ergo quia validum est pactum quo filius alimenta reliquit, si juramento valletur. Sed respondetur, pactum esse nullum, etiam juratum, ipso jure, nec sustineri valere ob deformitatem, quam continet contra jus naturæ: nec absolutio illa existimanda est juramenti, sed peccati commissi ob juramentum præstitum ad confirmandum pactum iniquum, ut latè prosequuntur Covar. *in cap. Quamvis pactum*, 2. *part. in princ. num.* 4. Suarez *de Relig. tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 6. Sanchez *in Decal. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 13.

13 Est verò dubium, an pater teneatur alere filiam nuptam cum marito divite? Et aliqui tenuerunt non teneri; nam ex eo quod dives maritus suscepit eam absque dote, se obligavit ad alimenta illi præstanda: ergo pater non tenebitur illam alere, Bart. *in Authent. Res quæ*, *C. commun. de legat.* Castrensis *in l. Si socer*, *ff. solut. matr. n.* 4.

14 Sed tamen contrarium tenent Surdus *de alim. tit.* 7. *q.* 6. *n.* 4. Bossius *de alim. c.* 6. §. 14. *n.* 154. Ratio, nam etiamsi pater dotem non promiserit, non liberatur ab obligatione dotandi filiam, etiamsi maritus dives fuerit, nec debet considerari aliqua renuntiatio à filia facta: Ergo pater tenetur eam dotare, & interim quod non facit, alimenta præbere. Sic tenent communiter Doctores.

15 Hæc autem sententia, quando pater promiserit dotem, & tamen non solvat, interim alere filiam, & alimenta præstare teneri, ab omnibus est recepta: erit tamen dubium, quando non promisit, & gener dives est: quæ quidem difficultas pendet ab alia, an in hoc casu filiam dotare teneatur? Negant quamplures relati à Spino *in speculo testam. gl.* 11. *n.* 18. Cevallos *comm. q.* 5. *n.* 18. Barbosa *in l.* 1. *ff. solut. matr. p.* 4. *n.* 27. Lara *in l. Si quis à liberis*, §. *Sed si filius*, *ff. de lib. agn. n.* 3. idque probant *ex Authent. de nupt.* §. *Si quis itaque*, *vers. Si quis sub potestate*, ubi disponitur, maritum non posse expellere à domo uxorem, quam duxit absque dote: quare tenetur eam alere, & alimenta præbere: Ergo cùm debeat alimentari à marito, pater ab hac obligatione liberatur, & à dote constituenda, cùm loco alimentorum concedatur.

16 Sed tenenda est contraria sententia, quia semper est obligatio naturalis dotandi filiam pauperem, quæ non solùm durat pro inveniendo marito, verum etiam ea jam nupta, ad sufferenda onera matrimonii, *l. Pro oneribus*, *C. de jur. dot.* tum ut benè à viro tractetur, *l. fin. C. ad Vellei.* tum ad procreationem, & educationem liberorum, *l.* 1. *ff. solut. matr.* Ergo etiamsi sine dotis promissione nupserit, pater tenetur eam dotare, nec Authentica *de nuptiis*, §. *Si quis ita*, probat contrarium, sed ne maritus hac occasione mulierem à domo expellat; sed patrem non liberat ab obligatione dotandi, Covarruv. *de sponsalibus*, 2. *p. cap.* 3. §. 8. *n.* 7. Molina *de primog. l.* 2. *c.* 16. *n.* 7. Merlinus *de legitim. lib.* 3. *tit.* 1. *q.* 22. *n.* 9. Paschalis *de viribus patr. potest.* 2. *p. cap.* 6. *n.* 53.

17 Unde pro secunda sententia resolutio sumenda est, ut pater teneatur præbere alimenta filiæ pauperi, etiamsi sit diviti nupta, donec dotem exsolvat.

18 Rursus hæc obligatio alendi filios transit ad nepotes, & pronepotes pauperes; nam sunt similiter sanguine conjuncti, unde ex naturæ jure insurgit talis obligatio, *l.* 4. *&* 5. *tit.* 19. *p.* 4. Covarr. *d.* 2. *p. de spons. cap.* 8. §. 6. *n.* 26. Molina *d. cap.* 16. *n.* 24. Bossius *de aliment. c.* 7. *à* §. 4. Barbosa *in leg.* 1. *ff. solut. matr. n.* 121. *&* 123.

19 Sed de jure Castellæ *in leg.* 47. *Tauri*, est dubium, an avus teneatur alere nepotem pauperem? Aliqui asseruere id ad matrem pertinere, non ad avum; quia filius per matrimonium, & velationes exuitur à patria potestate, unde nepos in ea non nascitur: quapropter avus illum alere non tenetur, sed mater, Lara *in d. l. Si quis a liberis*, §. *Si mater*, *n.* 40. & ejusdem sententię ait esse Gregorium Lopez Petrus Barbosa *in d. l.* 1. 4. *p. n.* 123.

20 Sed contrarium tenendum, quia hæc obligatio non descendit à patria potestate, sed a sanguinis conjunctione: quare licet nepos extra patriam potestatem sit, avus tamen eum alere tenetur, si tamen pauper sit. Petrus Barbosa *in d. l.* 1. 4. *p. n.* 24. Bossius *d. c.* 7. *n.* 298. §. 8. Ludovic. à Concept. *tr.* 1. *de opin.* §. 6. *lit. F*, *à n.* 18.

Est tamen grave dubium, an onus alendi filios, sive legitimos, sive spurios, transeat ad hæredes patris. Prima sententia negat, *ex l. Si quis à liberis* 5. §. *Item rescriptum*, *ff. de liber. agn.* ubi asseritur, hæredes filii non teneri patrem alere, nisi ad summam egestatem perveniat: etenim summa egestas consideratur, non solùm quando non habet bona, verum nec alium conjunctum consanguineum, à quo alimenta petat: quod idem est dicendum de hæredibus patris, qui non tenentur alere filios, nisi quando ad summam egestatem perveniant, nec bona, nec alios conjunctos habeant, à quo petant alimenta. Cæterùm ad id expendunt textum *in l. Non quemadmodum* 8. *ff. de lib. agn.* ubi decisum est, partum filiæ esse oneri avo materno, quando pater non est superstes, vel egenus; unde cognoscitur hæredes patris non teneri ad alimenta filiorum, non enim avus maternus ad hæc alimenta teneretur, si hæredes patris obligarentur.

21 Cæterùm ratione ducitur hæc sententia, nam obligatio alimentorum à patre debita, dependet à sanguinis conjunctione. Cùm ergo illius hæres illam non habeat, nequit ad illum transire talis obligatio, quin personaliter extinguitur cum ipso patre. Denique alimenta debita filius, judicis officio petuntur, quod nullam obligationem, seu actionem supponit, Surdus *de aliment. tit.* 3. *q.* 1. *n.* 1. Ergo defuncto patre, nequit talis obligatio ad hæredes transire, Pontanus *de aliment. cap.* 1. *n.* 19. Ant. Thesaurus *p.* 4. *lib.* 2. *fer. q.* 47. *n.* 21. Gomez *in l.* 40. *Tauri*, *n.* 75. Moron. *controv. jur. tom.* 3. *l.* 13. *c.* 3. *per tot.* Fragosus *de Republ. Christ. p.* 3. *disp.* 2. *n.* 214.

22 Secunda sententia contrarium tenet *ex dict.* §. *Item rescriptum*, *Auth. licet*, *C. de nat. lib.* *Auth. quibus mod. nat. efficiantur sui*, §. *Si quis igitur*, ubi id clarius probatur. Rursus, nam licet jus activum petendi alimenta sit personale, non tamen passivum solvendi; est enim onus ipsius patris, quod transit cum bonis ad hæredes, DD. *in l. Placet*, *C. de Sacrosanct. Ecclesiis*, Vincentius de Franchis *decis.* 87. *n.* 15. Ergo hæredes ad illa alimenta tenentur. Cæterùm obligatio patris ad alimenta filiorum est de jure naturali, quatenus habet bona, & est illorum administrator. Cùm ergo hæc obligatio adsit respectu bonorum, necessariò debet transire ad hæredes, Spino *in specul. testam. gloss.* 16. *n.* 106. Cancerius 3. *p. cap.* 21. *n.* 223. Gratianus *discept. cap.* 366. *n.* 7. Mangilius *de imput. q.* 76. Marescotus *var. lib.* 2. *cap.* 83. *n.* 36. Molina *de just. tract.* 2. *disp.* 168. *n.* 3. Covarr. *de spons.* 2. *p. cap.* 8. §. 6. *n.* 21. Bossius *d. cap.* 7. §. 17. *à n.* 351.

23 Ad resolutionem hujus difficultatis animadverto quęstionem esse, an onus alimentorum sit reale bonorum, necne. Aliqui affirmarunt, *ex leg.* 2. *ff. de cib. & aliment. legat.* Sed textus ille non est ad rem, quia loquitur quando alimenta relinquuntur in aliqua re certa; tunc enim est onus reale illius, cum quo transit ad quemlibet possessorem, ut ibidem scripsit Bart. Sed licet textus iste assumptum non probet, tenent tamen hanc sententiam Decius *cons.* 8. *n.* 7. Castrensis

conf. 8. Gualdensis *de art. testan. caut.* 17. Franchis *decis.* 178. *n.* 6. & alii.

24 Sed in contrarium est communis sententia, quia talis hypotheca, aut onus reale ex nullo contractu efficitur, nec ex aliqua legis dispositione: Ergo nequit concedi, ut latè probat Castillo *de aliment. lib.* 8. *c.* 66. *n.* 8. Salgado *in Labyr.* 1. *p. c.* 24. *n.* 126. Bossius *d.* §. 17. *n.* 354.

25 In prima igitur opinione facilis est resolutio hujus difficultas, in qua necessario asserendum est, onus illud transire ad hæredes, & non solùm ad illum, verùm ad quemlibet possessorem: sed quia sententia illa communiter reprobatur, in altera sententia stando.

26 Adhuc dico hæredes patris teneri alere filios non habentes unde alantur. Ratio est, nam alimenta ista sunt propriè debitum ipsius patris, ad quod tenetur de jure naturali, & civili, unde transit ad hæredes, sicut alia quælibet obligatio per contractum, aut aliam ultimam voluntatem, etiamsi non sit onus reale ipsorum bonorum, *l.* 5. §. 1. *ff. de lib. agn.* Bart. *in l.* 4. §. *Cato*, *ff. de verb. obligat. n.* 32. Gomez *in l.* 9. *Tauri*, *n.* 38. Ergo hæredes Patris alimenta filiis debebunt. Præterea, licet alimenta non sint onera realia bonorum, debentur tamen in ordine ad bona, quæ à patre possidebantur, Azorius *Inst. Mor.* 2. *p. lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 7. Trullench *d. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 35. Villalobos 2. *p. tract.* 41. *diff.* 6. *n.* 14. Cùm ergo in vita illius affecta fuerint ad alimenta filiorum, quatenus ab illo possidebantur, inde est, ut hæres teneatur ad illa, quatenus possidet repræsentando eandem personam, & bona illa, quæ in vita patris aliquo modo erant affecta ad solutionem alimentorum.

27 Denique fundamenta prioris sententiæ debilia sunt, illisque satisdat Bossius *in d.* §. 17. *à num.* 36. textus *in dict. leg. Si quis a liberis*, §. *Item rescriptum*, communiter intelligitur si pater *ad summam egestatem* perveniat, id est ad talem necessitatem, ut non se alere possit secundum qualitatem personæ, ot aliqui explicant apud eundem Bossium *d.* §. 17. *n.* 352. Et lex *Non quemadmodum*, intelligenda est quando pater non est, nec in se, nec repræsentativè in hærede aliquid tenet.

28 Alia verò fundamenta facilè dilabuntur dicendo, debitum esse patris alimenta filiorum, cui obligatur hæres ex quasi contractu adeundo hæreditatem: quare licet debitum fuisset personale, ad id tenetur.

29 Unde asserendum, emptorem omnium bonorum patris ad hæc alimenta non teneri, quia non est onus reale. Tum etiam, quia contra æquitatem fuisset, ut ultra solutum pretium ad alimenta filiis præstanda obligaretur, sicut nec emptor bonorum mariti ad alendam uxorem potest compelli, Covarr. *d.* §. 6. *n.* 21. Surdus *de aliment. tit.* 8. *privileg.* 51. *num.* 3. Castillo *dict. lib.* 8. *cap.* 66. *num.* 28. Trullench *dict. dub.* 3. *num.* 26. Azorius *dict. cap.* 5. *quæst.* 5. *versic. Quacum*.

30 Ad eos verò, ad quos titulo donationis patris bona transierunt, onus alendi transit, non directè, sed quatenus æquitas petit: quapropter officio judicis implorato donatarius ad id compelletur, Covarr. *d.* §. 6. *n.* 21. Bonacina *d. punct.* 6. §. 1. *n.* 8. Azorius *d. c.* 5. *q.* 5. qui id extendit ad Monasterium, quando per professionem bona patris acquisivit, Trullench *d. dub.* 3. *n.* 26. Bossios *c.* 7. §. 26.

31 Matres verò, quando patres habent onde alant filios, alimenta eis præstare non tenentur, quantumvis pauperibus: tenentur tamen lactare per triennium, *l. Nec filium*, *C. de patr. potest. l.* 3. *tit.* 10. *part.* 4. *cap. unic. de infant. exposit.* ubi DD. Canonistæ. Idque conforme est juri naturali, ut matres lactent filios: quod dedecus non est mulieribus, quantumvis illustribus, ut ex bona literatura tenet Covarr. *d.* §. 6. *n.* 19. Azorius *d. lib.* 2. *cap.* 4. *q.* 5. Garcia *de expens. cap.* 3. *n.* 29. Tondutus *quæst. civil. tom.* 1. *cap.* 38. *n.* 13. Tamburinus *d. c.* 7. §. 2. *n.* 2. Villalobos 2. *p. tr.* 41. *diff.* 8. *n.* 1. Leoncillus 2. *p. privil.* 243. *à n.* 1.

32 Explicat tamen Cancerius 1. *p. var. cap.* 16. *n.* 14. ut non solum hæc obligatio triennii intelligatur de filio lactando, verùm etiam de aliis rebus necessariis ad infantis nutrimentum, uti de subuculis, lecto, vestibus laneis, ac lineis. Sed non rectè, quia obligatio illa est tantùm de lacte puero præstando, aliæ verò expensæ ad patrem pertinebunt. Ratio est, nam hæc lactatio, uti parva expensa, imposita est mulieribus; si enim alia necessaria fuissent ejusdem obligationis, non parva, sed magna fieret, ut explicant Molina *tr.* 2. *de just. disp.* 168. Valasco *consult.* 92. *n.* 2. Bossius *d. cap.* 7. §. 12. *n.* 324.

Ab hac obligatione lactandi excusatur mater, si inops fuerit, & pater ad illud tenetur ob matris necessitatem. Valasco *d. consult.* 92. *n.* 1. & 2. Cancerius *d. cap.* 16. *n.* 13. Leoncillus *d. privileg.* 243. *num.* 7. quapropter si paupercula mater per triennium lactaverit, & nutrierit infantem, pater tenetur impensas illas refundere, ut obligatus ad onus illarum, Cancerius *d. cap.* 16. *n.* 14. Valasco *d. consult.* 92. *n.* 7. Cyriacus *controv.* 34. *n.* 20. Trullench *d. cap.* 1. *dub.* 3. *n.* 23. Layman *in Summa*, *lib.* 5. *tract.* 10. 2. *p. cap.* 5. *n.* 6. Si verò mater pauper non fuerit, non repetet, etiamsi protestetur, quia lactat ex propria obligatione, Iranzo *de protestat.* 5. *p. n.* 9. cujus sententiam admitto in sola lactatione, non autem in aliis expensis. 33

Pater si pauper fuerit, nec habeat unde alimenta filiis præstet, tunc mater ad illa concedenda tenetur, *d. leg. Si quis a liberis* 5. §. *Utrum*, *vers. Ergo & mater*, *ff. de lib. agn. Auth. Si pater*, *C. de divort.* ibi: *Nisi pater minus idoneus sit*. Et ratio est, quia patre non habente unde alimenta præstet, nulla persona est magis conjuncta filiis, quàm mater; idcircò ex naturali affectione, & charitate ad id tenetur. Covarr. *d.* §. 6. *n.* 13. Molina *de primog. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 3. Valasco *d. consult.* 92. *num.* 9. Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 14. *num.* 9. Staibanius *cent.* 2. *resol.* 150. *à n.* 1. Bonacina *d.* §. 1. *prop.* 2. *num.* 3. *vers. Dixi insuper*, Layman *d. cap.* 5. *n.* 7. Leoncillus *d. privil.* 243. *n.* 3. 34

Quod non solum de alimentis intelligas, verùm etiam de dotibus filiabus pauperibus præstandis; nam matres eas dare tenentur, si pater inops sit; nam par est ratio dotium, & alimentorum, *l. Nec mater* 14. *C. de jur. dot.* ubi dicitur, matrem non cogi dotare filias, nisi ex probabili causa: quæ quidem probabilissima est, quando pater egestate premeretur, Benioc. *de paupert. q.* 3. *sect.* 3. *n.* 7. Surdus *d. q.* 14. *à num.* 13. Staibanius *d. resol.* 150. *num.* 1. Bossius *de aliment. cap.* 7. §. 14. *num.* 333. Leoncillus *de privileg. paup.* 2. *p. privil.* 115. *num.* 3. 35

Filii econtrà parentes pauperes alere tenentur, *d. leg. Si quis à liberis* 5. *in princ. ff. de lib. agn. l. Filia* 5. *C. de patr. potest. l. fin.* §. *Ipsum autem*, *C. de bon. qualib. cap. Si quis* 14. 30. *dist.* & probatur *Prov. cap.* 28. ubi homicida dicitur, qui parentes pauperes non alit. Tum ex sanguinis conjunctione, unde talis obligatio oritur ex jure naturæ, quod licet aliqui Jurisperitorum jus gentium dicant, alteri verò naturale jus vocent, prout à Theologis vocatur, Azorius *Inst. Mor.* 2. *p. lib.* 2. *c.* 3. *q.* 1. tamen eadem est obligatio alendi pauperes parentes, prout filios pauperes, Surdus *de aliment. tit.* 1. *q.* 17. *à n.* 1. Navarrus *in Man. c.* 14. *n.* 14. Castillo *d. lib.* 8. *c.* 10. *à n.* 1. Villal. *d. tract.* 41. *diff.* 5. *n.* 10. Azor *ubi proximè*, Leoncillus *d. privil.* 243. *n.* 5. 36

Quod ampliandum etiamsi pater sit Paganus, Gentilis, Hæreticus, excommunicatus, aut filium jam emancipaverit, Surd. *d. q.* 17. *à n.* 13. Villal. *d. diff.* 5. *n.* 11. Idem asserendum, si pater fuerit damnatus, ut fame pereat; exceptus enim videtur filius cui onus incumbit alendi parentes, ob tam arctam obligationem naturalem pietatis, & charitatis. Quamobrem Cimena honorificè fuit laudata, quæ patrem ad mortem famis damnatum, & compedibus mancipatum, quasi parvulum, senem lactabat, & alebat, Valer. Maximus *lib.* 5. *c.* 4. qui ad ejusdem pietatis exemplar adducit Romanam puellam matrem ad famis mortem damnatam lactantem, ut similiter scripsit Plinius *lib.* 7. *c.* 36. Ergo tenebitur filius alere patrem damnatum ad mortem famis, Azorius *d. c.* 3. *q.* 2. Bonacina *d. disp.* 6. *quæst. unic. punct.* 5. *n.* 3. Villalobos *d. diff.* 5. *n.* 11. Bossius *cap.* 5. §. 4. 37

Unde resolvenda est quæstio illa, an filius teneatur alere patrem bannitum, quod idem de patre respectu filii banniti disquiritur? Aliqui dicunt non teneri, nec alere posse, quia per sententiam privatus est juribus naturalibus, idcircò filius non tenetur alere patrem, nec econtra, Baldus *in c.* 1. *de pace tuend. in princ. n.* 7. ubi etiam Afflictus *not.* 2. *n.* 22. 38

In contrarium est communis sententia, quia per bannum non privatur quis jure sanguinis, quod nequit tolli per Jus Civile, *l. Ius agnationis* 34. *ff. de pact. l. Iura* 8. *ff. de reg. jur.* & consequenter nec juribus naturalibus alimentorum inde provenientium: tum ex ratione reverentiæ, & obsequii, quod patri, quantumvis scelerato debetur, Duennas *reg.* 68. *lim.* 10. Arcan. Clemens *de vir. patr. potest. effect.* 17. *n.* 3. Surd. *de alim.* 39

tit. 1.

tit. 1. *q.*17. *n.*18. Marr. Colerius *eod. tract. lib.*2. *cap.*5. *à n.*26. Menochius *de arbitr. lib.*1. *q.*90. *num.* 45. Bossius *d. c.* 5. §. 2. *num.* 108.

40 In hoc dubio distinctio facienda est quando pater, aut filius bannitus declaratur ob homicidium, aut aliam causam particularem: & in hoc casu, si egestate prematur, filius tenetur alimenta patri præstare, vel econtra, quia tunc hæc obligatio naturalis excepta videtur, prout dicit secunda sententia.

41 Si verò bannitus declaretur ob causam publicam, veluti ob offensionem patriæ, & illius sit hostis declaratus, subdistinguere oportet. Si enim pater est in actu offensionis, nec velit à tanto damno cessare, minimè à filio est alendus, *ex l. Minimè* 35. *ff. de Relig. & sumpt. fun.* ubi filio permittitur in simili caosa patrem interficere, quo in sensu loquuntur Bart. *in l. Si adulterium* 38. §. *Libertas* 9. *ff. ad leg. Iul. de adult.* Abbas *lib.* 1. *cons.* 108. *ad medium*, Decianus *tr. crim. lib.* 7. *cap.* 39. *num.* 8. Ergo si in hoc casu valet patrem interficere, multo melius alimenta denegare, Surdus *tit.* 7. *q.* 14. *num.* 15.

42 Si verò delictom jam commissum fuerit, ob quod declaratur bannitus, nec offensus sit Reipublicæ, nec ejus offensio timeatur, alimenta patri tenetur præstare; qoia in præsentiarum nequit illum interficere, sed potius illius vitam conservare, ut cum aliquibus docet Diana *p.*8. *tr.*7. *resol.*42. Ergo tenetur alimenta præstare. Tempero tamen, si adhuc pater offensus patriæ remaneret, etiam commisso delicto; nam cùm ob defensionem Reipuplicę possit illum interficere, Hurtado *de justit. disp.* 11. *diff.* 3. Diana *d. resol.* 42. *vers. Sed hæc opinio*, non tenetur ei alimenta præstare, Trullench *l.*4. *Decal. c.*1. *dub.*2. *n.*17. Bossius *c.*5. §. 2.

43 Est tamen casus curiosus apod Reverend. Card. de Lugo *lib.*2. *Resp. Mor. dub.*10. quærens, an Clericus occultè suspensus possit celebrare absq; timore irregularitatis ad alendum seipsum, vel parentes pauperes, & egentes. Negat hoc disertissimus vir, quia inde aperiretur magna via, ut enervaretur censurarum disciplina ex parte, quæ est nervus Ecclesiasticæ correctionis. Tum hic non agitur de damno vitando, sed de lucro captando, nempe stipendiom Missæ, ad quod jus non habebat ante susceptum Sacerdotium: Ergo minimè poterit celebrare ob hanc causam.

44 Hanc sententiam facilè admittendam existimo quando Clericus aliunde posset laborare, aut aliquam honestam artem exercere ad se alendum, & parentes egenos. Sed quando id agere non posset, nec aliunde simili necessitati succurrere, interim quod duret, contrarium improbabile non videtur; nam suspensio, aut aliæ censuræ Ecclesiasticæ sunt præcepta positiva Ecclesiastica, quæ non obligant cum gravi damno personarum, sed mira pietate, *c. Licet* 3. *de feriis*, ubi Scribentes. Ergo in tam gravi casu, quando aliter Clericus nequit indulgere suæ, & parentum necessitati, minimè hæc censurarum præcepta obligabunt. Cæterùm hæc obligatio alendi seipsum, & pauperes parentes nequit tolli aliquo præcepto positivo, nec aliquo statuto, ut diximus *n.* 11. Igneus *in l.* 3. §. *Si quis tabulas, ff. ad Syllan. n.*36. Bossius *d.* §. 2. *n.* 110. Ergo nec media necessaria ad hæc alimenta. Igitur cùm stipendium Missæ in hoc casu sit pręcisè necessarium ad hæc alimenta, nequit aliquo præcepto censuræ tolli.

45 Rursus, quando istud stipendium est medium necessarium ad soccurrendam necessitatem, dici non valet, agi de lucro captando, sed de damno vitando, non levi, sed gravissimo: quo existente, pietas Ecclesiæ nequit obstringere Clericum, ut cum tanto damno pareat censuræ, veluti quando gravis metus, aut damnum ei sequeretur, Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 4. Navarrus *in cap. Inter verba, præl ud.* 3. *n.* 4. Villalobos 1. *p. tr.* 15. *diff.* 11. *à n.* 1. Ergo poterit etiam occultè suspensus dicere Missam, ut eum stipendio se, aut parentes egenos alat. Denique incommodom, quod sequitur ex suspensione occulta, non ita est grave, ut necessarium sit cum tanto damno parere censuræ; est enim occultum à se solo cognitum, nec ita scandalosum, ut si sine sacris paramentis celebraret, vel in aliis exemplis adductis à de Lugo *d. dub.*10. *n.* 2. Ergo in præsentiarum poterit celebrare, quando est necessariom medium ad se, vel parentes egenos alendos, non obstante suspensione.

46 Hæc enim obligatio alendi parentes adeò filios astringit, ut nec occasione divini cultus ab ea liberentur, *cap.* 1. *dist.* 30. *cap. de libellis* 1. *dist.*20. Quapropter nequeunt Religionem ingredi, si patres sint in necessitate, & ipsi in R[eli]gione eos sublevare non possint, nec adsint alteri id facien[te]s. Ratio est, nam Dei præceptum est parentibus subven[ire] qu[a]ndo in similibus necessitatibus existunt, Exod. *cap.*20. Matth. *cap.* 5. quod transgredi non licet ob adimplenda opera consilii, ut est Religionis ingressio, Matth. *cap.* 19. quin potius grave fuisset peccatum, D. Th. *quodlib.* 1. *art.*4. *ad* 4. *& art.* 16. Navarr. *cap.* 14. *n.*14. Trull. *in Decalog. lib.*2. *cap.*2. *dub.* 23. *n.*3. Villal. *in Summa*, 2. *p. tract.* 35. *diff.* 7. *n.* 8. Sanchez *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 20. *n.*9. Bossius *de aliment. cap.* 23. *à n.* 1261. §. 1.

Alensis tamen 3. *p. q.* 33. *memb.* 4. *art.* 2. dicit hanc opinionem piam: ast contrarium magis conforme perfectioni suadere tentat, ex Matth. *cap.* 10. Lucæ *cap.* 14. ubi dicitur eum non posse esse Discipulum Christi Domini, qui parentes non audit. Tum ex Matth. *cap.*8. & Luca *cap.*9. ubi adolescenti volenti patrem sepelire, dixit dominus, deserto patre, ut ipsum sequeretur. Ast hæc testimonia tantùm docent, ne amore sanguinis, ac parentum, à sequendo Christo Domino destineamur, non verò ut deseramus parentes pauperes in gravi necessitate constitutos, ut explicant D. Th. *d. art.* 4. Suar. *de Relig. tom.* 3. *lib.*5. *cap.*5. *n.*5. unde Alensem rectè reiiciunt Velasco *de privileg. paup.* 1. *part. q.* 11. *à num.* 2. Castillo *de aliment. lib.* 8. *cap.* 10. *num.* 7. Sanchez *d. cap.* 20. *à n.* 2. 47

Quare verò necessitas parentum impediat Religionis ingressum respectu filiorum, non ita certum est, ut DD. non variè scripserint: duo tamen certa sunt, ut extrema sufficiat, ne filius Religionem ingrediatur, Bossius *d.* §. 1. *n.*1263. levis verò, aut communis, quæ tantum statum minueret, aut parentes relinqueret parcè, & moderatè vivendo, non impedit Religionis ingressum, Suarez *d. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 3. Bossius *d.* §. 1. *n.* 1264. 48

Est tamen dubium, quando parentum necessitas est gravis, an impediat filios ne Religionem ingrediantur? Et Alensis, Abulensis, Divus Antoninus, & alii apud Bossium *d. c.*23. §.3. *n.*1274. dixerunt, minimè sufficere, quia quisque non tenetur proximum sublevare ex necessariis ad statum, si tantùm gravi necessitate prematur: Ergo nec relinquere statum Religionis ad sublevandos parentes, solùm in gravi necessitate constitutos. 49

Tamen sententia alia est in contrarium, quia filius ob debitum naturalis obligationis tenetur parentes alere in gravi necessitate constitutos, ex Dei præcepto, strictiori obligatione, quàm si fuissent extranei: Ergo in gravi necessitate parentum nequit Religionem ingredi, si aliunde succurri non valeant. Cæterùm fundamentum contrariorum incertum est, quin potius contraria sententia probabilior, nempe in gravi necessitate tenemur succurrere proximo ex necessariis ad statum. Ergo minimè poterit filius Religionem ingredi relinquendo parentes in gravi necessitate, Sanch. *d. cap.*20. *n.* 3. *&* 4. Suarez *d. cap.* 5. *n.* 11. Rodriguez *quæst. Reg. tom.* 3. *q.* 13. *art.*5. Lessius *de just. lib.*2. *cap.*41. *dub.*3. *n.*34. Villal. 2. *p. tr.*35. *diff.*7. *n.*8. *&* 9. Bossius *d. c.*23. §.3. *n.* 1275. 50

Hęc sententia admittenda est, quia obligatio alendi parentes majorem habet latitudinem, quàm cæterorum; procedit enim à maxima sanguinis conjunctione, quæ quidem hanc pietatem induxit in animalibus, prout in ciconiis: tum ab obligatione gravissima gratitudinis, alendo illos, à quibus esse accipitur: quapropter filius obligatur patri succurrere, ne ab statu cadat, & ne cum dedecore mendicet, aut inserviat, vel vilem artem exerceat, Sanchez *d. c.*20. *à n.*5. Suar. *d. cap.*5. *n.* 13. Castillo *d. lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 9. Ideircò si in gravi nenessitate inveniantur, neqoeunt filii Religionem ingredi. Verùm ad inspiciendum quando ista sit geavis necessitas, certa regula dari non valet: totum ergo relinquitur religioni judicantis. 51

Limitant tamen aliqui assertum hoc quoad præsentem necessitatem, non tamen quando parentum timeretur futura; nam filii tantùm tenentur subvenire parentibus pro instante necessitate, non pro totius vitæ curriculo, Rodrig. *in Summa*, *tom.* 2. *cap.* 6. *num.* 4. Clavis Regia *lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 2. Trollenh *d. dub.* 23. *n.* 4. Sed quando probabiliter timetur necessitas gravis parentum, & moraliter est eventura, contrarium teneas; hæc enim quasi præsens censetur, cùm rectè timeatur eventura, & ad illi subveniendum impotens filius redderetur, ut cum aliquibus tenet Sanchez *d. cap.* 20. *num.* 5. Bonacina *d. disp.* 6. *quæst. unic. punct.* 5. *n.* 4. Bossius *d.* §. 3. *n.* 1276. 52

53 Si tamen dubia necessitas sit parentum, nec constet, an gravis sit, necne, Religionem ingredi poterit; cùm sit filius in possessione ingrediendi, Sanchez *d. c.* 20. *n.* 6. Trullench. *d. dub.* 23. *n.* 4. Bossius *d.* §. 3. *n.* 1278. Ast ne peccandi periculo se exponat, rectum erit consilium ingressum differre, donec dubium clarum reddatur, ut animadvertunt recensiti.

54 Assertum verò istud, nempe ob gravem necessitatem parentum non posse filios Religionem ingredi, procedit licet filius Religionem voverit, vel si tempore necessitatis votum emiserit, aut facto voto necessitas illa superveniat; quia est notabilis mutatio, quæ si à principio adesset, ingressum impediret, Sanhez *d. cap.* 20. *n.* 7. Trullench *d. dub.* 23. *n.* 5. Bonacina *d. punct.* 5. *n.* 5. Villalobos *d. diff.* 7. *n.* 8. Bossius *d.* §. 3. *n.* 1276. Animadvertit verò Villalobos *n.* 10. ut quod de filiis dicitur, idem sit dicendum de patribus, qui nequeunt Religionem ingredi, filios egenos relinquendo; cùm deficerent in obligatione eos alendi, & educandi, Leoncillus *de privileg. paup.* 2. *p. privil.* 161. *n.* 16.

55 Ast illud prospiciendum, in patribus respectu filiorum, non tam magnam necessitatem requiri, quia non solùm habent obligationem eos alendi, verùm etiam educandi, ad quam debent thesaurizare, juxta illud Apost. 2. *ad Corinth. c.* 13. *Parentes debent thesaurizare filiis*. Idcircò si ultra alimoniam eis deficiat ad educationem, & honestam disciplinam addiscendam, nequeunt Religionem ingredi: quod non ita consideratur in filiis respectu parentum, Sanch. *d. c.* 20. *à n.* 34. Navarr. *cons.* 3. *de Regular.* Velasco *de privileg. paup.* 1. *p. q.* 11. *n.* 18. Villalobos *d. diff.* 7. *n.* 9.

56 Hæc de filio volente ingredi Religionem, dicta sufficiant. Si tamen professus fuerit, & parentes sint pauperes, & necessitate oppressi, an egredi valeat ad eos succurrendos, quando aliter eis subvenire non valet? In hac re illud est certum, ut si extremè indigeant, rectè egredi, etiam renuente Prælato, possit; nam si id valet facere pro quolibet extraneo, multò melius pro parentibus extremè indigentibus, quos alere strictior est obligatio, Passarellus *de privileg. Minim. c.* 42. Suarez *d. cap.* 5. *n.* 4. Sanchez *d. c.* 20. *n.* 14. Bossius *d. c.* 23. §. 6. *n.* 1293. Navarrus *cap.* 14. *n.* 14. Mendo *benignar. opin. differt.* 3. *q.* 1.

57 Est verò grave dubium, an renuente Prælato, vel absque ejus licentia egredi possit filius in gravi parentum necessitate. Prima sententia asserit, absque licentia egredi non posse, quia Religiosus professus mortuus est seculo, & traditus est Religioni: res enim tradita nequit auferri absque consensu illius, cui tradita est, *l. Perfecta donatio* 4. *C. de donat. quæ sub mod.* ubi Scribentes. Ergo absque licentia Religionis, vel Prælatorum quibus commissa est hæc facultas, nequit Religiosus egredi ob gravem necessitatem parentum. Cæterùm filius nequit parentibus subvenire, nisi secundùm modum conformem statui, in quo existit; quare nequit uxorem relinquere ad parentes subveniendos, juxta illud *Gen. cap.* 5. ibi: *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*. Ergo nec deserere Religionem, nisi eo modo conformi suo statui, nempe recepta superiorum licentia. Dicit veriorem Sanchez *d. c.* 20. *n.* 17. Bonacina *d. punct.* 5. *n.* 7. Lessius *de just. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 3. *n.* 34. Palao *oper. mor. tom.* 3. *tr.* 16. *punct.* 2. §. 6. *n.* 11. Campanil. *in divers. jur. can. rub.* 12. *c.* 2. *n.* 5. Castillo *d. lib.* 8. *c.* 10. *n.* 5.

58 Secunda sententia asserit, etiam invitis Prælatis egredi posse ad sublevandam gravem necessitatem parentum. Ad id adducitur textus *in leg. Qui cum uno* 4. §. *fin. ff. de re milit.* ubi filius excusatur, qui absque licentia Superiorum deseruit militiam ob affectionem parentum; unde sumitur argumentum, absque licentia Prælatorum posse Religiosum deserere Religionem ob levamen parentum in gravi necessitate. Rursus, nam in professione semper intelligitur illa conditio, ne sit impeditiva majoris boni. Cùm ergo majus sit bonum parentibus in gravi necessitate subvenire, quàm remanere in Religione, inde est, ut absque licentia Prælatorum possit egredi ad hanc sublevandam necessitatem. Ita aliqui, quos refert Sanchez *d. c.* 20. *n.* 15. Cajet. 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. Valenz. *cons.* 12. *num.* 7. dicit probabilius Villalobos *dict. diff.* 7. *num.* 9. *versic. Otra opinion.* Leoncillus 2. *par. privileg.* 307. *à num.* 2.

59 Tertia sententia distinguit; si enim necessitas præcessit professionem, tunc absque licentia, & Prælato renuente, egredi valet; quia debitum erat contractum, & cum illo onere ad Religionem transivit, *cap. Ex literis* 5. *de pign.* secus verò si post professionem necessitas parentum superveniat, quia traditus est Religioni, nullo debito contracto: tenent Navarrus *dict. cap.* 14. *num.* 14. Surdus *de aliment. tit.* 8. *privileg.* 68. *n.* 5. Toletus *in Summa*, *lib.* 5. *cap.* 1. *n.* 6. Rodriguez *in Summa*, *tom.* 2. *c.* 6. *n.* 4. & alii relati à Bossio *d. c.* 23. §. 7. *n.* 1294.

In hoc dubio dicendum arbitror, admittendam non esse 60
illorum sententiam asserentem, absque licentia Superiorum egredi posse à Religione: idque ultra fundamenta relata *num.* 57. ab inconvenienti probatur; nam ansa præberetur, ut sub hoc prætextu multi Religiosi ex sua voluntate desererent Religiones absque aliqua licentia Prælatorum, & absque eo quod constaret de gravi necessitate parentum: Ergo absque licentia illorum nequit Religiosus egredi, ob similem necessitatem.

Erit ergo concertatio, quando Religiosus licentiam pe- 61
teret, & constaret de necessitate gravi parentum, & Prælatus eam denegaret. Et in hoc casu assero, rectè absque ea egredi posse, quia tunc habet justam causam deserendi Religionem propter alimoniam parentum, cùm Dei præcepto obligetur; & ipse licentiam petit, & injustè denegatur: Ergo rectè poterit egredi petita, licet non obtenta licentia. Cæterùm obligatio alendi parentes, sive ante, sive post professionem superveniens, nequit derogari à traditione, quæ fit per professionem, *cap. Veniens* 16. *cap. Intellecto* 33. *de jurejur.* Solùm enim agere valet, ne Religiosus ex suo arbitrio deserat Religionem, nulla proposita causa Superiori: Ergo si illam proponat, petat licentiam, & injustè ei denegetur, rectè exibit ad adimplendam illam obligationem alimentandi parentes in gravi necessitate constitutos, Azorius 2. *part. Inst. Mor. lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 5. *vers. Quare in hac sententia*, Suarez *de Relig. tom.* 3. *lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 12. Trulleoch *lib.* 2. *Decalog. c.* 2. *dub.* 24. *n.* 4. Velascus *d.* 1. *p. q.* 11. *n.* 16. Bossius *d. cap.* 23. §. 7. *n.* 1302.

Excipiunt DD. ne Religiosus egredi valeat ad alimoniam 62
parentum egenorum, si adsit scandalum, aut illius Religionis notabilis indecentia; bonum enim publicum Religionis majus est, quàm bonum particulare parentum: aut quando Monasterium eis alimenta præstiterit, quia cessat necessitas, Suarez *ubi proximè*, *à num.* 10. Ex licentia verò Superiorum quando exierit, debet fieri habitu retento, & cum majori decentia Religionis. Si tamen mutatio status sit necessaria ad alendos parentes, & habitu deposito, necessaria est licentia Pontificis, Trullench *d. dub.* 24. *n.* 5. Villalobos *d. diff.* 7. *n.* 9. Sanch. *d. c.* 20. *à n.* 18. Thom. Hurt. *de resident. tom.* 2. *sub resol.* 2. *n.* 4.

De fratribus, & sororibus aliquid dicendum, an tenean- 63
tur, si divites fuerint, alere fratres, aut sorores pauperes, & egenos. Ex jure enim naturali hanc obligationem non esse, sed ex quadam decentia, & honestate adesse obligationem, plures dixerunt. Sed asserendum, ex jure ipso naturali descendere, ob sanguinis conjunctionem, quapropter Paulus ait: *Qui suorum curam non habet, esse infideli deteriorem*, Sà *verb. Alimenta*, *n.* 6. Bossius *d. aliment. cap.* 8. §. 5. *n.* 508.

De Jure tamen Civili certa est hæc obligatio, *leg. Qui fi-* 64
lium 5. *ff. ubi pupill. educ. val. leg. Si quis à liberis* 5. §. *Si rescriptum*, *versic. Iuste*, *ff. de lib. agnoscend. leg.* 1. §. *Sed nonnulles*, *ff. de tut. leg.* 1. *Cod. de alend. lib.* Idque optimè decretum ob sanguinis conjunctionem, & reciprocam curam, quæ inter fratres debet intervenire, Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 25. *à num.* 1. Marchesanus *de commiss. part.* 1. *tit. de commiss. appellat. in causis aliment.* §. 1. *n.* 24. Cancerius *variarum* 1. *part. cap.* 16. *num.* 31. Garcia *de expens. cap.* 3. *num.* 34. Tondutus *quæst. Benefic. tom.* 1. *c.* 13. *num.* 13. Bonacina *in* 4. *præcept. disp.* 6. *quæst. unic. punct.* 6. §. 1. *n.* 2. *vers. Addo* 4. Bossius *d. cap.* 8. §. 1. Riccius *collect.* 1162. *vers. Amplia*.

Hinc colligunt DD. fratrem divitem in subsidium, quan- 65
do nec pater, nec mater adest, teneri dotare pauperem sororem, quæ non habet unde dotetur, *leg. Cum plures* 12. §. *fin. ff. de administrat. tut.* Et ratio est, nam tenetur alere illam: Ergo & dotare, Surdus *d. tit.* 1. *q.* 25. *num.* 9. Garcia *d. cap.* 3. *num.* 34. Franchius *decis.* 26. *num.* 6. Giurba *decis.* 45. *num.* 12. Bossius *de dot. cap.* 5. §. 4. *à num.* 47. Ad quam quidem obligationem frater adstringitur, etiamsi minor, aut pupillus sit, Bossis *de aliment. cap.* 8. §. 16. *n.* 336. *vers. Procedit autem*: & si duo fuerint fratres, & ambo divites, pro rata ad dotandam sororem tenentur, Menochius *lib.* 4. *præsumpt.* 289. *n.* 42. Bossius *de dote*, *d.* §. 4. *n.* 57.

66 Si verò soror nupta fuerit, & maritus non habeat propter paupertatem unde illam alat, frater tenetur ei alimenta concedere, Surdus *d.q.25.n.8.* Bossius *d. c.8. de aliment. §.9.n.518.*

67 Dubium verò non est leve, an quando frater dedit dotem sorori inopi, ast illa constante matrimonio consumpserit, teneatur iterum redotare, si maritus non habet unde illam alat. Et negandum videtur ex duobus fundamentis. Primò, nam quando mulier susceperit dotem constante illo matrimonio, si illam perdiderit, minimè aliam dotem petere poterit, etiam à patre, Romanus *lib.5. cons.* 120.*n.*8. Barbosa *in l.1.ff.solut.matrim. 4.p.n.30. & 141.* Gratianus *discept.forens.c.446.n.2.* redotatio enim semper in alio matrimonio facienda est, ut cum multis docet Bossius *de dot.c.4. §.16. n.314.* Ergo cùm adhuc duret matrimonium, nequit soror novam dotem à fratre petere.

68 Secundò, frater redotare sororem non tenetur, etiam in secundo matrimonio; quia obligatio ista est in subsidium parentum, quam cùm semel adimpleverit, ampliùs non tenetur redotare, *l. Si socius pro filia* 81. *§.Filius, ff. pro soc.* Molina *de primog. lib.2.c.16.n.26.* Barbosa *in d. 4.part. n.140.* Spino *de testam.gloss.11.num.42.* Costa *de remed.subsid.remed.65.n.8.* Ergo multò minùs adhuc durante matrimonio.

69 In re tamen animadvertendum DD. istos non loqui præcisè in specie de qua sermonem agimus, quia loquuntur quando maritus est dives, aut habet unde alere possit uxorem; verùm est necessarium, ut mulier redotetur, ne indotata remaneat, in quo quidem casu benè procedunt doctrinæ suprà relatæ.

70 Inquirimus tamen, quando maritus inops fuisset, & uxor dotem perdiderit. In quo quidem casu assero fratrem, etiam constante matrimonio teneri iterum sorore dotare in illa quantitate necessaria ad ejus alimenta, aut illam alere. Ratio est, nam reverà soror ob amissionem dotis, & quia maritum habet inopem, est in necessitate, & intrat obligatio, ut à fratre alatur: Ergo tenetur dotem dare sufficientem ad alimenta, aut alere sororem. Rursus doctrina illa, ut frater nunquam teneatur redotare sororem, non ab omnibus suscipitur; plures enim tenent contrarium: nam eadem est obligatio fratris, ac patris quoad dotandam egenam sororem, Molina *d.c.16.n.28.* Gratianus *discept.forens. cap.466. num.2. & cap.689. à num.23.* Bossius *de dot.c.5. §.4. num.73.* Ergo si adsit necessitas iterum dotandi, tenebitur frater dotare in quantitate alimentorum, aut sororem alere.

71 Nec obstat textus *in d. l. Si socius pro filia*; nam loquitur quando dos conceditur ex nova conventione, non autem ex juris dispositione, Molina *d.c.16. n.27.* prout est in nostra specie, quia ob gravem necessitatem sororis frater ad alendam sororem obligatur ex jure naturali, & positivo, aut dotem conferre sufficientem ad illius alimoniam.

72 Sed dices: Frater qui semel dotavit sororem, iterum nec alimenta præstare tenetur, ut cum Saliceto, & Lara tenet Barbosa *in d.l.1.4.p. ff.solut.n.141.* Ergo nec iterum tenebitur redotare, aut alimenta præstare, etiamsi maritus inops fuerit. Doctrina tamen horum Doctorum est neganda. Ratio eorum est, quia frater tantùm tenetur dotare sororem inopem in subsidium, ratione alimentorum: Ergo cùm redotare non teneatur, nec etiam tenebitur alimenta præbere, quando semel præstitit. Sed hoc fundamentum solidum non est, quia ut diximus, eadem est obligatio ista fratrum, & parentum, Bossius *de aliment. c.8.n.505.* Itaque sicut pater tenetur alere filiam, seu redotare, quando dotem amiserit, similiter frater.

73 Hæc quæ dicta sunt de fratre, aut sorore, intelliguntur quando fratres sunt utrimque conjuncti, aut saltem ex parte patris, ut cum multis Bossius *d.c.7.§.16.n.536.* Est tamen dubium quando frater, aut soror est uterina, an ad hæc alimenta frater dives teneatur, ut est frater. Prima sententia dicit non teneri, *ex leg.Cum plures 12.§.Fori.ff.de administrat.tut.* ibi: *Sed non dabit dotem sorori pupilli, ex alio patre natæ.* Unde colligitur, nec alimenta esse danda sorori uterinæ, cùm par sit ratio alimentorum, & dotis. Sed textus iste assumptum non probat, recipit enim plura interpretamenta, ut videre est apud Bossium *d. c.8. §.2. à n.* 499. Illud verò accipiendum videtur, ut intelligatur de ampla dote, non verò de alimentis, à qua nequit fieri argumentum, Molina *de primog.lib.2.c.15.n.6.*

Ratione tamen ducitur, quia ultra quod nullo jure sta- 74
tuitur, conjunctio sanguinis ex parte tantùm matris, non ita fortis est, ut fratrem qui ex matre nullam hæreditatem accepit, obliget ad alendam sororem tantùm uterinam, Tiraquellus *de primog.glos.62. à n.1.* Arias Pinellus *in l.1. C. de bon.matern.3.p.n.101.* Padilla *in Auth. Res quæ, C.commun. de legat.n.62.* & alii apud Giurbam *decis.5.n.12.*

Sed tamen admittenda est contraria sententia, quia al- 75
tera non habet solidum fundamentum; nam ut probabimus, eadem est obligatio fratrum divitum alendi fratres, aut sorores pauperes, prout patres, nec minor consideratur sanguinis conjunctio, tam de jure naturali, quàm civili: Ergo ex stricta sanguinis conjunctione tenebitur frater alere sororem uterinam. Et confirmatur, nam hæc conjunctio sanguinis ex matre proveniens semper est certa, quia mater semper certissima est: Ergo ex tali certitudine fortior conjunctio est consideranda, unde ad alimenta præstanda teneatur. Cæterùm frater tenetur alere fratres spurios, & sorores: Ergo multò meliùs sorores uterinas legitimas, Surdus *de aliment.tit.1.q.25.à n.19.* Molina *d.c.15.n.62.* Cancerius *d.c.16.n.31.versic. Fratrum*, Mangilius *de imputat.qu.76.n.9.* Azorius *Inst.mor.2.p.lib.2.c.4.qu.2. vers.Quæ res*, Bossius *d.§.2.n.498.* Riccius *d. collect.1162. in fin.*

De consobrinis pauperibus, an à patruis ali debeant, sub 76
lite est? Aliqui negarunt, quia id nulla lege est decretum: tum quia in his consobrinis conjunctio sanguinis multùm debilitatur, quamobrem patruus ad hæc alimenta non tenetur, Costa *select. lib.2.c.20. à n.2.* Garcia *de expensis, c.3. n.35.* Molina *d.c.15.n.67.* Barb. *in l.1.ff.solut.matrim.4.p.num.142.* Salgado *in labyrinth.1.p.c.24.n.154. & 155.* Larrea *decis.47.à n.20.*

Alteri tenent contrarium *ex c.1. de cohabit. Cleric*or. ubi 77
sobrinus Clericus obligatur ad alendam amitam pauperem: Ergo similiter dicendum de patruo respectu sobrinorum, cùm eadem sit conjunctio. Contrarii verò dicunt, textum istum hanc sententiam non probare, quia ibi obligatur Clericus sobrinus, non ratione sanguinis, sed ratione beneficii, cujus fructus expendere tenebatur ad alimoniam pauperum, prout erat amita illius Clerici. Sed interpretamentum hoc non convenit textui, quia principalis ratio Pontificis nititur in conjunctione sanguinis, nempè sobrini, & amitæ, ut obligaret Clericum ad illa alimenta concedenda, *c.Quæritur 22.q.2.c.Cum quidam 12.§.fin.de jurejur.* Cæterùm licèt hæc obligatio à nulla lege præscribatur, sufficit obligatio naturalis, ex conjunctione sanguinis proveniens, quæ non debilitata, sed cum magnis viribus in patruo, & consobrinis invenitur, Surdus *de aliment. tit.1. q.28.à n.1.* Costa *de remed.subsid.remed.61.n.4.* Rota *7.p. decis.194. n.4.* Azorius *d.c.4.q.10.* Bossius *d.c.8. §.26. n.586.* qui quoad dotem, *c.5.§.5.n.96.* asserit eandem obligationem habere patruum dotandi consobrinam pauperem, non habentem unde dotetur, Castillo *lib.4.controv.c.61.n.53.*

Hanc sententiam admitto non solùm de jure naturali, ut 78
probant DD. illi, sed etiam de Jure Civili, idque per repræsentationem, quam ipsum jus instituit inter patruos, & consobrinos repræsentantes ipsius fratris personam, *§.Cum filius 6. Instit.de hered.quæ ab intestat.defer. Auth.post Fratres, C.de legitim.heredibus,l.3.tit.13.p.6.* Covarr. *pract.cap.38.per tot.* Ergo cùm de Jure Civili consobrini fratris personam repræsentent, inde est, ut sicut frater tenetur alere fratrem inopem, similiter consobrinos egenos, & pauperes, cùm in eadem sanguinis conjunctione inveniantur, ob juris rationem.

Præterea de viro & uxore aliquid dicere oportet: & in 79
primis dico, quod maritus uxorem pauperem, quamvis nullam dotem dederit, si non habet unde petat, alere tenetur, *l.Quod si nulla 28.ff.de Relig.& sumpt.fun. leg.fin.ff.ut in poss.legat.caveatur. Auth. quibus mod.natur.effic. legitimi, §.penult. versic. Quod enim agat.* Indecorum enim fuisse marito uxorem fame perire, aut sinere mendicare, quando ille habet unde alimoniam illi præstaret, Surdus *de aliment. tit.1.q.32.n.11.* Gomez *in l.53.Tauri, num.31.* Petrus Gregorius *syntag.lib.9.c.19.n.4.* Marescottus *variarum lib.2.c.83.n.44.* Sanchez *de matrim. lib.4. disput.26.n.27.* Leoncillus *2.p. privil.249.n.1.*

Animadvertendum autem est, hanc conclusionem ad- 80
mittendam esse, quoties non habet unde dotem petat, aliàs tamen si habuerit, ad hæc alimenta non tenebitur, utpura si mulier bona habuerit, licèt dotem non promittat; tunc

enim

enim maritus ad alimenta non tenetur, nisi bona illa tradiderit. Ratio est, nam quoties mulier bona habuerit, nec dotem promittat, tacitè actum videtor de dote præstanda, & videtur omnia bona illa ad dotem coostituisse, Gomez *in l.50.Tauri,n.17.* Guttierrez *de juram.1.p.c.33.n.4.* Velasco *de privil.paup.1.p.q.14.n.18.* Ergo si renuat tradere, maritus ad alimenta interim non tenetur, Benincas. *de paupert. quæst.8.spec.2.in contr. numer.3. & 4.* Leoncillus *dict. privileg.249.num.2.& 16.* Carleval. *de judic.tit.3. disput.8. num.25.*

81 Idem dicendum si patrem divitem habuerit, à quo dotem petere valet, & petitam date noluerit; ioterim tamen quod petitur, nequit eam à domo expellere, & alimenta præstabit, & similiter si non petierit; impotet enim sibi maritus oegligens in dote petenda, Surdus *d. q.32. num.11.* Sanchez *de matrim.lib.9.disp.5.n.9.* Bonac. *d. disp.6. qu.unic. punct.7.n.9.*

82 Si verò mulier dotem casu perdiderit, & ad inopiam perveniat, maritus eam alere tenetur, ot est elegans textus *in l.Si cum dotem 23.§.Si maritus, ff.solut.matrim.* ubi Consultus rationem præstitit: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse.* Est verò aliqua dubietas, si propter delictum mulieris dos cum fructibus confiscetur, an maritus eam alimentare teneatur? Negavit Rojas *de heretic.2.p.assert.40. n.325.* Ast contrarium tenendum, si non habet patrem à quo alatur; nam cùm illam etiam punitam recipere obligetur ad cohabitationem, & ei inserviat, inde est ut ad illius alimenta teneatur, dote etiam confiscata, Surdus *de aliment. tit.7.q.24.n.7.* Gomez *in leg.78.Tauri,n.6.* Sanchez *d.disp.5.n. 10.* Bonac. *d.disp.6.q.unic.punct.7.n.8.* Trullench *lib.4.Decalog.c.5.dub.4.n.11.* Tamburinus *Oper.Moral. lib.5.in Decalog.c.3.§.3.n.2.*

83 Illud tamen breviter attingendum, ut mulier pauper ab hærede mariti, interim quod dos illi solvitur, alimenta percipiat, idque contra aliquos admittendum; esset enim contra rationem naturalem, ut hæres dotem retineret, & mulier ultra carentiam, cogeretur ad alimenta quærenda, Surdus *d.tit.1.q.44.à n.1.* Carleval. *d.disp.8.num.32.* Cyriacus *to.3. contr.542.* Staib. *de interesse,lib.2.tit.3.q.5.à n.1.* qui *n.17.* asserit hæredem mariti teneri præstare alimenta uxori pauperi intra annum luctus, & durante viduitate, si oolit petere quartam.

84 Uxor dives per contratium tenetur maritum pauperem alere, quia ista obligatio reciproca est, & ejusdem fortunæ vir & oxor debent esse participes, ut scripsit Consultus *in d.l.Si cum dotem, §.Si maritus,l.9.tit.3.lib.5.recopilat.* ubi Mathienzo *glos.4.n.2.* Petrus Gregorius *syntag. lib.9. cap.19. n.5.* Trullench *d. dub.4. n.20.* Tamburinus *d.lib.5.cap.3.§.3. num.1.* Leoncill. *d. 2.part. privileg.423. num.1.* Avendanus *resp.8.n.2.*

85 Dubium est verò grave, an uxor, vel filii teoeantur solvere debita patris inopis, quæ contraxit pro alendis filiis, & uxore. Prima sententia affirmat, nam licèt nec uxor, oec filii ea contraxerint, nec oomine eorum recepta fuerit pecunia, attamen in otilitatem eorum versa est, ex qua quidem causa obligati remanent, & ad illa debita tenentur, *l.Ei qui 7.§.Alioquin, Cod.Quod cum eo,l.His solis 49.de condict. indebit.* Et confirmatur, nam quoties aliquis aliquid receperit, & solvendo oon sit, datur actio contra eum ad quem ea causa lucrativa pervenit, *l.Si cum servum 23.l.Si & me, & Titium 32.ff.si cert.pet.* Cùm ergo utilitas hujus debiti inveniatur in uxore, & filiis alitis ex debito illo, & maritus recipiens non sit solvendo, præcisè recorrendum est contra eos io quorum commodum conversum est debitum.

86 Cæterùm si maritus est inops, obligatio alimentorum transit ad uxorem & filios, ot dictum est: Ergo cùm debitum, aut debita contracta sint ad relevandam illam obligationem, uxor, & filii ad illa solveoda obligabuntur, aliàs locupletiores remanerent cum damno tertii, quod est contra naturale jus, *l.2.ff.ad l.Rhod. l.Planè si filium, §.1.ff. de legat.5.* Ergo ad hæc debita obligabuntur, Surdus *d. tit. 8.privil.48.n.5.* Castillo *in l.61.Tauri, n.24.* Baeza *de inop.debit.c.1.n.53.* Mathienzo *in l.3.tit.9.lib.5.glos.7.n.7.* Azevedus *in leg.9. tit.3. lib.5. Recopilat. à num.30.* Gratiaous *discept. forens. cap.107. num.4.* Calvinus *de aquit. lib.1. cap.38. à num.6.*

87 Secunda sententia tenet contrarium; nam uxor, & filii minimè contraxerunt, nec aliquid receperunt, ut in suis personis aliqua radicaretur obligatio, *leg.Non adversus 15. C.si cert.pet.* Ergo minimè ad similia debita tenentur. Cæterùm actio de *in rem verso* non conceditur, oisi quando qui recipit, erat negotiorum gestor, *leg.3.§.2.ff.de in rem vers.* Pater verò qui debita contraxit, non erat gestor negotiorum uxoris, & filiorum, sed sui ipsios, cùm ipse ex propria sua obligatione illa contraxit ad alendam uxorem, & filios. Ergo nequit concedi adversùs eos actio de in rem verso, etiamsi otilitas ad illos pervenerit. Denique pro hac opinione est textus Regius *in l.61.Tauri, l.9.tit.3.lib.5. recopilat.* ubi decisum est, uxorem minimè obligari pro marito, etiam in his, quæ ad alimenta pertinent, cùm ipsa non recipiat, nisi quod sibi debetur: unde cognoscitur, nec in proposito aliquo modo obligari, nec ipsam, nec filios ad illa debita solvenda, etiamsi ad sui alimoniam converterentur, Gamma *decis.336.n.6.* qui asserit sic decisum, Barbosa *in l.Si constante,ff.solut.matrim.in princip.n.52.* Molina *de justit.tract.2.disp.435.n.8.* Sanchez *d. lib.9. disp.4. à n. 29.* Tamburinus *d.lib.5.decalog.c.2.§.2.n.7.* Trullench *d.dub. 4.n.20.* Fragoso *de Repub.Christ.3.p.lib.2.disp.5.n.6.vers. Nihilominus,* Diana *p.6.tract.7.resol.20.*

88 Tertia sententia distinguit, si maritus, quando debita contraxit, erat dives, minimè uxor, nec filii ad illa tenentur; nam pater erat obligatus ad illorum alimenta. Secus verò si tempore quo contraxit, erat inops; quia non ad patrem, sed ad uxorem, & filios alimenta pertinebant, ut cum Gomez, & aliis tenet Rebellus *de justit.2.p.c.6.q.2.* Villalobos *in Summa,2.p.tract.27. diff.16. à nu.4.* Staibanius *cent.1.resol.64.à n.35.*

89 Quarta sententia est Bonacinæ *d.disp.6.quæst.unic.punct.7. prop.2.n.13.vers.Sed mihi respondendum,* aliter distinguentis, scilicet quod si nomine uxoris, & filiorum debita contracta sint ob alimenta, tunc ab eis debentur; secus si nomine patris, quia creditores solùm cum illo contraxerunt.

90 Io hoc dobio animadvertendum, de jure communi omnes istas sententias nullum jus adducere, nisi ad arguendum; de jure autem Regio sunt duo jura, quæ pro secunda sententia non leviter pugnant. Primum est textus *in l. 61.Tauri,* ubi textus ille postquam decrevit, qood si vir, & uxor tanquam correi obligentur, minimè uxorem obligari, nisi in quantum in ejus utilitatem versum fuerit, postea sobdit: *Pero si lo que se convirtio en provecho de ella, fue en las cosas que el marido le era obligado à dar, assi como en vestirla, è darla de comer, y las otras cosas necessarias, mandamos que por este ella no sea obligada à cosa alguna.* Quæ verba videntur apertè decidere quæstionem. Sed tamen interpretamentum recipiunt, quia loquitur lex quando maritus tempore contractus erat dives, & ad alimenta tenebatur: secus è contrario dicendum, si inops fuisset, quia tunc non ille, sed uxor ad illa teneretur, ut *in d.l.61.* Joan. Lapus *n.11.* Mathienzo *in d.l.9.glos.4.n.2.* Bossius *de aliment. c.24.§.2. n.1341.*

91 Secundus textus est *in l.60.Tauri,* ubi decretum est, quod si uxor lucris acquisitis durante matrimonio renunciaverit, nulla debita contracta à marito constante matrimooio solvere tenetur: ergo nec ista, quæ fuerunt facta ad illius alimenta, ut latè explicant Azevedus *in d.l.9.tit.3.lib.5.recopilat.* Guttierez *lib.2.pract.à q.162.* Ayora *de partit. 1.p.c.8. per tot.* Sed adhuc textus iste assumptum non probat, quia non loquitur de debitis contractis ad utilitatem uxoris, prout sunt illius alimenta, & suorum filiorum, sed de aliis debitis: quin potiùs Ayora *d.c.8. n.4.* scripsit, quod si ex bonis mulieris aliquid vendiderit maritus pauper ad illam alendam, repetere non posse, quia ipsa ad illa debita, & alimenta erat adstricta.

92 Hac animadversione supposita, dico quod si maritus tempore, quo debita contraxit, erat dives, licèt debita fuissent ad alimenta, minimè uxorem, nec ejus filios teneri ad illa solvenda, etiamsi posteà inops efficeretur; quia tunc uxor, nec filii possunt dici fieri locopletiores, cùm pater habuisset unde eos aleret, & ad id teneretur, Sanch. *d.disp.4.n.28.& 29.* Gamma *d. decis.366.n.2.* Costa *de subsid. remed.12.n.5.*

93 Idem dicendum si maritus erat inops tempore quo contraxit, verùm posteà auctis fortunis factus est locupletior; tunc enim nec uxor, oec filii ad solvendum possunt adstringi: nam obligatio illa, quæ erat in marito, propter inopiam

piam cessasset; verùm eo facto locuplete reviviscit, idcircò debet solvere debita, non verò uxor, nec filii, Sanchez *d.disp.4.n.24.* Bossius *d.c.24.§.1.n.1335.*

94 Quibus casibus annectere non desinam alium, nempè quando maritus, licèt bona non haberet, attamen ex fructibus dotis mulieris benè poterat illam, & filios alere; quia tunc nec uxor, nec filii ad alimenta tenentur. Illud tamen citra dubium existimo admittendum, quod si maritus semper inops sit, & debita contrahantur uxoris nomine ad alimoniam ipsius, & filiorum, ad illa obligabuntur uxor, & ejus filii; tunc namque maritus uti negotiorum gestor censebitur, ut in quarta sententia tenet Bonacina, & tradita à Cyriaco *controv.37.à n.19.*

95 Remanet igitur dubium, quando tempore contractus erat maritus inops, & in eadem necessitate decessit, & ipse debita illa contraxerat suo proprio nomine: in quo quidem casu mero jure nullatenus uxor, nec illius filii obligati remanent ad illa debita solvenda, propter fundamenta secundæ sententiæ, *num.87.* tradita. Tum, nam uxor, & filii non recipiunt alimenta ex causa lucrativa, verùm ex debito ipsius mariti, à quo interim non liberatur, quando ex pecunia sibi mutuata, & per id propria, *l.2.§.Mutui datio, ff. Si cert. petat.* illis alimenta præberet: prout si debitor ex pecunia sibi credita creditoribus solvisset, qui non tenentur mutuantibus solvere, licèt debitor, qui mutuum recepit, solvendo non sit; imputent enim sibi mutuantes, qui suas pecunias minùs cautè tradiderunt, ut latè ratiocinatur Sanchez *d.disp.24.à num.29.* & ex eo Bossius *d.cap.24.§.2.n.1338.*

96 Ex æquitate tamen, quando verè debita contracta sunt ad alimenta uxoris & filiorum, possunt cogi ad illa solvenda; quia cùm maritus omni tempore inops fuerit, reverà si illa debita non contraxisset, mulier bona propria alienasset, quia ad id de jure tenebatur, nisi maritus illa contraxisset, Palac. Rubios *in rub.de donat.§.17. num.17.* Molina *de primog.lib.4.cap.4.n.2.* Ergo ex æquitate quadam uxor, & filii ejus obligantur rependere illud, quo non suscepto, necessariò illa erat expensura. Cæterùm, nam cùm totum onus alendi in dicto casu incumberet uxori, Azevedus *in d.l.9.tit.7.lib.5.Recopilat.n.32.& 33.* in rei veritate creditores mutuantes pecunias illas suppeditarunt in locum mulieris, licèt tantùm cum marito contraxerint. Ergo licèt mero jure nec uxor, nec filii obligentur, ex quadam æquitate tenentur debita illa solvere: unde hæ sententiæ sic intellectæ oppositæ non sunt, & conciliantur.

C A P. X.

Explicatur Authentica *Prætereà, C. Unde vir, & uxor:* prosequitur materia antecedens, & tandem de legatis piis alimentorum agitur.

S U M M A R I U M.

Uxor pauper, defuncto marito potest petere quartam maritalem, sive filios habeat, sive non: & extenditur ad maritum, n.1. & 2. Ratio decidendi, n.3.

Si maritus plusquam tres filios habuerit, in portionem admittetur; si minus, quartam habebit solum quoad usumfructum, n.4.

Quando pia causa est hæres instituta, an mulier pleno jure acquirat quartam? Negavit Fontanella, n.5. Affirmavit Marinis, n.6. Defenditur Fontanella, n.7. Sed admittitur Marinis, n.8.

Si uxor tempore contracti matrimonii non habuerit dotem, an quartam percipere possit? Prima sententia negat, n.9. Secunda affirmat, n.10. Explicatur Authentica Prætereà, Cod. unde vir, n.11. & 12. Et resolvitur pro secunda sententia, ibid.

Si uxor habuerit à quo petat alimenta, an possit petere quartam, negant plures, n.13. Affirmant alteri, num.14. Admittitur hæc sententia, num.15. maximè de jure nostro Regio, n.16.

Si vidua de suo labore vivere possit, quartam petere posse affirmant plures, num.17. Explicantur, num.18. Et quando fuerit nupta cum viro nobili, absque dubio admittitur, num.19.

Inopia mulieris inspicienda est tempore mortis mariti, vel si incontinenti evenerit, n.20. & relinquitur arbitrio boni viri, num.21.

Ut quarta ista peti possit, matrimonium debet esse validum, non clandestinum, nisi ex defectu denunciationum, num.22.

Si uxor non fuerit cognita à viro, an quarta debeatur, negant aliqui, n.23. Sed contrarium communiter tenetur, n.24. Defenditur prima sententia, n.25. & 26. Fit instantia, n.27. Et ei respondetur, n.28.

Matrimonium putativum, bona fide contractum, an sufficiat ad quartam percipiendam, num.29. Sed ostenditur, quod si sit sufficiens ad legitimationem, non tamen ad quartam, num.29.

Si maritus leget uxori alimenta, an quarta debeatur. Prima sententia negat, num.30. Secunda affirmat, n.31. An maritus possit uxorem privare quarta, adducuntur variæ sententiæ, num.32. Et resolvitur non deberi quartam, alimentis legatis, num.33. Fit instantia, & ei respondetur, num.34. Intellige hanc doctrinam, si alimenta sint sufficientia, n.35.

Uxor inops potest quarta renunciare absque solemnitatibus, num.36.

Quarta ista nequit excedere centum libras auri, & quomodo intelligatur, n.37. Quando quarta ista deducitur, nulla etiam ex legatis piis potest detrahi, n.38.

Ecclesia tenetur alere patronum pauperem, n.39.

Et non solum patronum, sed etiam ejus filios: Si verò universitas est patrona, Ecclesia tenetur alere solum ejus Rectorem, n.40. Non verò tenetur, si Patronus aliunde vivere possit, n.41.

Sed qua debeat esse necessitas Patroni. Aliqui petunt summam egestatem, n.42. Alteri asserunt sufficere inopiam, n.43. Explicatur caput Quicumque 30.16.qu.7. & lex 2.tit.15. part.1. Et intelligitur si habeat inopiam secundum statum, num.44.

Rector, vel Administrator Ecclesiæ alimenta Patrono præstabit, nisi Patronus ingratus fuerit, & tunc alimenta secundum naturam concedantur, n.45.

Possessores majoratuum tenentur alere fratres, & sorores pauperes, & quomodo intelligendum, n.46. descendentibus, quibus legitima debetur, assignanda sunt alimenta in proprietate, n.47. Alii verò, non sed ex fructibus, dummodo possessor honorificè tractetur, n.48.

An hæc obligatio sit onus reale majoratus? Aliqui affirmant, n.49. Sed alteri negant, num.50. Defenditur distinctione, n.51. & 52.

Alimenta aliquando pauperibus debentur ex contractu, seu legato: si verò debita fuerint cibaria, non debetur vestimentum; secus si alimenta debeantur, n.53.

Si dubitetur an alimenta, seu cibaria debeantur, standum est conjecturis, quæ si deficiunt, pauperi sunt danda alimenta, & non pro unica vice, n.54.

Alimentis pauperè legatis, an heredes insolidum teneantur. Prima sententia asserit proportionibus hæreditariis teneri, num.55. Secunda tenet insolidum obligari, num.56. Tertia distinguit, quando petuntur alimenta præterita, aut futura: quoad præterita negat, & concedit quoad futurum, n.57.

Alimenta aliqui dicunt dividua, alteri individua, & nonnulli mixta, n.58. & 59.

Si alimenta profanè relinquuntur, pro proportionibus debentur, nisi à Prætore fiant individua, numer.60. Si intuitu pietatis, insolidum debentur, & comprobatur, num.61. & 62.

Fit instantia, n.63. Respondetur, n.64. & 65.

Alimenta pauperi relicta, reddenda ante confectionem inventarii, num.66. & extendendum etiam ad alimenta præterita, n.67.

Alimenta pauperi relicta, remota appellatione debentur; & ideo commissio super alimentis conceditur cum clausula, Remota appellatione, *n.68.*

Si alimenta pauperi debeantur, & petat jure actionis, an appellatio sit concedenda quoad utrumque effectum. Prima sententia affirmat, n.69. Secunda negat, n.70. Resolvitur distinctione, n.71.

In pauperibus appellatio denegatur, tam in alimentis præteritis, quàm futuris, n.72.

Alimenta annua pauperi relicta, in principio anni debentur; si menstrua debeantur, initio mensis solvenda sunt.

sunt. Si pauperi mulieri relinquantur alimenta; donec nupserit, & in dimidio anni ducat maritum, integrè alimenta percipiet. Si testator pauperi legavit alimenta, & statim integrè percipiat, & deperdat, hæres non liberatur, num.73.

1 CUm egerimus nbi proximè de obligatione conjugum sibi ipsis alimenta tribuendi, operæpretium duxi agere de quarta maritali, quæ conjungi inopi, defuncto marito, sive econtrà, debetur pientissima quidem causa, Signorolus *cons.*231. *num.*6. Surdus *de alim. tit.*9. *q.*29. *n.*5.

2 Igitur *in Auth. Preterea, C. Vnde vir, & uxor, Auth. liceat matri, & avia, §. Quoniam vero, collat.*8. *l.*7. *tit.*13. *par.*6. illud est decretum, quod si maritus uxorem duxerit absque dote, ob matrimonii honorem, defuncto viro, potest petere quartam partem bonorum illius, ad ipsius alimoniam, & decentem sustentationem; idque sive filios habeat, sive non. Quod verò de uxore decretum est, extenditur ad maritum, ob eandem rationem, ut cum Baldo docet Gregorius *in d. leg.*7. *verb. Paguense*, Tuschus *verb. Vxor, concl.*401. *n.*7. Velasco *de privil. paup.*2. *p. q.*56. *num.*15. Gratianus *discept. c.*120. *n.*17. Jul. Capponi *discept.*186. *n.*47. qui *discept.*347. *n.*16. asserit ad hanc quartam acquirendam tria copulativè requiri, scilicet matrimonium fuisse sine dote, inopiam conjugis superstitis, & copiam decedentis, Cyriacus 2. *tom. controv.*221. *n.*38.

3 Ratio enim fundamentalis hujus decisionis est inopia conjugis superstitis, quæ cederet in grave dedecus matrimonii antecedentis: quapropter hæc quarta concessa est superstiti, ut decenter alatur. Id similiter procedit, licèt aliqua dos intercesserit tempore matrimonii, ita tamen parva ut alimenta uxoris non sufficiat; tunc enim illa dos in quartam computabitur, & adhuc illam suscipiet, Hondedeus *lib.*1. *cons.*93. *in fin.* Gabriel *lib.*2. *cons.*142. *n.*33. Greg. *in d. l.*7. *part. verb. Sin dote.*

4 Cæterùm jura illa continent, quod si maritus plusquam tres filios habuerit, quartam uxorem non esse percepturam, sed ad virilem portionem perveniet; quia quando adsunt filii, in quarta non conceditur proprietas, quin ad filios ejusdem matrimonii reservatur: si verò non sint filii, pleno jure quartam illam acquiret mulier; adhibita tamen animadversione illa, quod si maritus ei legatum reliquerit, in quartam, aut in virilem portionem imputabitur. Quod idem in nostro Regno procedere scripserunt Gregorius *in d. l.*7. *glos.*9. Siguenza *de clausulis, lib.*2. *c.*11. §. 29. *n.*190. Velasco *de privileg. paup. d. qu.*56. *n.*12. Molina *de just. tract.*2. *disp.*164. *num.*16. Sanchez *cons. lib.*4. *cap.*1. *dub.*28.

5 Est verò dubium quando pia causa est hæres istituta, an mulier pleno jure acquirat quartam, Fontanella *de pact. nupt. tom.*2. *clausula* 5. *glos.*8. *part.*12. *n.*14. illam habuit sententiam, ut tantùm quoad usumfructum illam acquireret, proprietatem verò reservari causæ piæ, quia ipsa habetur loco filii: quapropter sicut quando maritus habet filios, tantùm quarta conceditur, reservata proprietate, similiter si causa pia fuerit instituta.

6 Marinis *tom.*1. *resolut. cap.*348. *num.*3. erroneam dicit hanc Fontanellæ doctrinam, quia fundamentum illius solidum non est; nam licèt causa pia loco hæredis habeatur, non tamen habetur loco filii: nec id decisum est *in cap. In præsentia* 8. *de probat.* unde perceperunt aliqui Doctorum, ut latè prosequuntur Cevallos *com. quæst.*192. Matta *de success. legali, part.*3. *qu.*13. *art.*3. *a num.*4. Ergo pleno jure mulier quartam acquirit: tum *ex d. Auth. Preterea*, constat quod si maritus non habuerit filios, tam in usufructu, quàm in proprietate quartam mulieri inopi competere: Ergo decisio ista nequit turbari ex eo quod causa pia fuerit instituta.

7 Hæc fundamenta Marinis doctrinam Fontanellæ non probant erroneam, sed probabilem relinquunt; nam in probabiliori sententia, causa pia loco filii habetur, propter maximam affectionem, quam quis erga eam habere præsumitur ob bonum animæ, de quo latè diximus *lib.*1. *cap.*9. *num.*2. Ergo quando dicta Authentica loquitur de filiis, sub illo nomine etiam causa pia intelligetur. Ergo cùm stantibus filiis uxor quartam non percipiat, nisi in usufructu, similiter si causa pia fuerit instituta. Rursus licèt dicta Authentica *Preterea*, non loquatur nisi de filiis, non tamen excludit filios fictos, ut sunt causæ piæ, ne in illa comprehendantur ex conjecturata mente ipsius legis.

Verùm Marinis sententiam admitto, non ex illis fun- 8
damentis, sed quia hæc quarta est pia causa, ut cum Signorolo, & Surdo diximus suprà *num.*1. quapropter causa altera pia nequit considerari loco filii, nec in ea aliquod privilegium, ut pro tali habeatur, ut dictum est *d. lib.*1. *c.*9. *n.*13. quapropter mulier inops debet pleno jure quartam accipere.

Est etiam aliud elegans dubium, an si mulier tempore 9
contracti matrimonii sufficientem dotem secundùm ejus qualitatem, tempore autem mortis mariti inops sit, quia dos deperdita est, possit hanc quartam percipere? Prima sententia negat, quia dicta Authentica *Preterea*, loquitur quando mulier absque dote ad nuptias perveniat; tunc enim maritus obligatur ad hanc quartam concedendam, si mulier tempore mortis ipsius inops remaneat, ex eo quod absque dote recepit; secus verò si cum dote sufficienti recepetit. Et confirmatur, nam cùm dispositio ista legalis respiciat, ne mulier cum dedecore mariti mendicet, si tempore contracti matrimonii sit inops, & absque dote, tacitè hanc quartam promittit, Tuschus *d. conclus.*401. *num.*6. Petris *lib.*1. *cons.*9. *num.*2. Marta *de success. legal.* 3. *p. qu.*12. *art.*5. *num.*1. Ergo tantùm in hoc casu mulier quartam percipiet, non verò quando dotem ferret, & pauper tempore mortis mariti existeret, Socinus *lib.*4. *cons.*30. *n.*10. Gregorius *in d. leg.*7. *glos.*3. Surdus *lib.*2. *cons.*216. *n.*4. dicit veriorem Gratianus *d. cap.*120. *num.*64. Marta *d. quæst.*12. *art.*5. *n.*41. & 42. Marinis *d. c.*348. *num.*6. ubi ad literam refert Rotam idem tenentem, Carol. Rota *de privileg. mul. cap.*5. *a num.*72.

Secunda sententia tenet contrarium, quia licèt dos tem- 10
pore contracti matrimonii detur, vel congrua, vel incongrua, nihil attinet ad acquirendam hanc quartam; ad hoc enim inspiciendum est præcisè tempus mortis mariti, quo si uxor inops sit, & ad mendicationem compellatur in dedecus matrimonii antecedentis, quarta ei debetur, Valle *lib.*3. *cons.*15. *à num.*24. Surdus *d. tit.*9. *quæst.*35. *num.*7. Ergo licèt dotem afferret tempore contracti matrimonii, si tamen tempore mortis inops, & egena est, quarta debebitur ei. Cæterùm formalis ratio hujus Authenticæ consistit in maxima pietate subveniendi viduæ pauperi, ne fame, aut ex defectu necessariorum pereat, Tuschus *d. conclus.*401. *n.*12. Sed hæc pietas viget, quando tempore mortis inops & miserabilis vidua relinquitur: Ergo sufficiet hoc tempore esse inopem. Denique si dotem mulier perdidit, quam attulit, & miseria prematur, est major causa miserendi, & succurrendi: Ergo quartam suscipiet, Valle *d. cons.*15. Joseph. Ludovis. *conclus.*35. *ampliat.*3. Tuschus *d. conclus.*401. *n.*32. Menochius *lib.*5. *cons.*433. *n.*4. Velasco *d. qu.*56. *n.*76.

Hæc difficultas ansam suscepit ex dicta Authentica *Pre-* 11
terea, ibi: *Si matrimonium fuit absque dote*. DD. enim primæ sententiæ hæc verba intelligunt, quasi dicant, si matrimonium contractum fuerit absque dote, taliter ut inopia simpliciter non sufficiat, sed sit cum qualitate, ut matrimonium absque dote contractum fuerit, ut cum aliquibus decidit Rota apud Marinis *d. c.*348. *n.*9.

Sed hæc interpretatio rigidissima est, & absque sufficien- 12
ti fundamento, quare ab ea recedimus, & tenemus secundam sententiam. Ratio est, nam illa verba tantùm dicunt, quod si nulla dos remaneat ex matrimonio, unde mulier alimentari possit, quarta debeatur; non verò requiri præcisè, ut tempore contracti matrimonii non attulisset dotem; hoc enim gratis dictum videtur: quare à prima sententia recedo.

Quid dicendum, si mulier habuerit patrem, matrem, 13
aut fratres, à quibus possit petere alimenta, an hanc quartam petere possit? Et negant plures, nam inops dici non valet, qui habet à quibus alimenta petat, Lara *in l. Si quis à liberis* 5. *ff. de lib. agn. à num.*8. tum æstimum patris, filii æstimum æstimatur, Socinus *lib.*4. *cons.*30. *num.*6. Ergo hæc mulier quartam petere nequit. Cæterùm probatur, nam pater, filius, & fratres, ut latè suprà dictum est, tenentur ad filiæ, vel matris, aut sororis alimenta, quod est magis consonum rationi, quàm quod mulier alatur ex bonis mariti, qui mortuus ad id non tenetur. Ergo si adsunt personæ à quibus valet petere alimenta, nequibit quartam petere. Ita Bartolus, Cephalus, Menochius,

& alii

& alii apud Toschum *dict. conclus.*401. *num.*15. Gratianus *d. cap.*120. *num.*52. Mangilius *de imputat. quæst.*169. *num.*5. Cesar Barzius *cons.*130. *per tot.* Catol. Rota *dict. cap.*5. *num.*72.

14 Alteri tenent contrarium, *ex d. Auth. Præterea*, ubi hæc quarta mulieri inopi conceditur, etiamsi filios divites habuerit, à quibus alimenta petere posset: Ergo idem dicendum si habuisset patrem, aot fratrem, à quo peteret. Rorsus, nam ut considerat Tuschus *d. conclus.*401. *n.*17. respexit lex, ut mulier pauper quam citiùs succurreretur ex bonis mariti, nec cogenda esset, ut ab aliis illa peteret, interimque mendicare cogeretur. Ergo ei quarta debebitur, licèt habeat personas, à quibus alimenta petat, Tuschus *ubi proximè, n.*13. Gozadin. *in d. Auth. Præterea, n.*2. Gregorius *in d. l.*7. *p. glos.*6. Siguenza *d.* §. 29. *n.*192. Velasco *d. qu.*56. *num.*23. Sanch. *de matr. lib.*7. *disp.*89. *n.*33.

15 Hæc ultima sententia quasi certa mihi videtor ex fundamento desumpto ex dicta Authentica *Præterea*, quæ loquitur de muliere habente filios divites, & hęredes patris, à quibus alimenta petere posset: quod argumentum ad patres, & fratres est extendendum. Cæterum hæc qoarta conceditur ob inopiam præsentem tempore mortis mariti, ut cum aliquibus docet Barbosa *in leg. Maritum* 13. *ff. solut. matrim. num.*99. Nec considerandum, an ab aliis possit de futuro succurri, vel ab aliis petere alimenta: Ergo statim ei debebitur. Et confirmo discursum; nam si mulier est inops tempore mortis matiti, & postea dives fiat, adhuc quartam suscipiet, Fontanella *de pact. nupt. tom.*2. *claus.*5. *glos.*8. *part.*8. *à num.*1. Salgado *in Labyrinth.* 3. *p. c.*4. *n.*29. & 30. Velasco *d. q.*56. *n.*77. Ergo si inops est tempore mortis testatoris, ei quarta debebitur, licèt posteà petere possit ab aliis alimenta. Denique obligatio succurrendi viduæ paupauperi venit, ut oon dehonoretur matrimonium antecedens, & consequenter in honorem mariti defuncti cedit: Ergo ex bonis ejus, nempè quartæ, debet mulier succurri, non ex alimentis patris, aut fratris: incommoda enim debent sequi, quem commoda sequontur. Regula *Qui sentit, de regul. jur. lib.*6. *Clement.*1. *de censibus*, Escobar *de ratiocin. cap.*42. *num.*12. Ferrer. *de constitut. Cath. glos.*3. *num.*85.

16 De jure verò nostro Regio sententia ista est certa; est enim necessariom, quod mulier habeat propria bona, ut quartam non petat, ut *in d. l.* 7. *part.* ibi: *Mas si tal muger, como esta, huviesse de lo suyo, con que pudiesse vivir*, &c. apertissimè enim lex ista requirit, oe quartam petat, ot habeat propria bona; unde non sufficiet, quod ab aliis possit petere alimenta, Gregorius *in d. l.*7. *glos.*6. Velasco *d. q.*56. *n.*26.

17 Si verò mulier vidua de suo labore vivere possit, adhuc quartam deberi asserunt plures *ex d. l.*7. ibi, *Huviesse de lo suyo*; requirit enim lex, ut proprium habeat unde vivere valeat, non autem de suo labore. Deinde, nam alimenta, quæ ex labore percipiuntur, incerta sunt ob infirmitates, aut ob alia accidentia, ob vitæ ærumnas advenientes: quare quarta debebitur mulieri, licèt possit laborare, Decianus *lib.*2. *cons.*70. *num.*17. Gregorius *in leg.*7. *glos.*6. Guttierex *practic. lib.*3. *quæst.*94. *num.*5. Sigoenza *dict.* §. 29. *num.*191.

18 Hæc doctrina indiget explicatione. In molieribus enim nobilibus, quibus indecens est laborare, quia si laborarent, dedecoraretur earum persona, & matrimonium antecedens, benè procedit. Si tamen fuerit mulier ignobilis, senex, aut ita valetudinaria, ut oequeat laborare, idem est dicendum. Ast si sana sit, & quæ absque aliquo dedecore possit laborare, ei qoarta non debetur; quia mulieri ignobili dedecus non est labori vacare, & exinde percipere non solùm alimoniam quotidianam, sed potest rectè adservare ad curandas infirmitates: quod idem est dicendum de viris ignobilibus laborare valentibus, quia isti inopes dici noo valent, Hondedeus *lib.*1. *cons.*39. *num.*33. Tuschus *d. conclus.*401. *à n.*54. Gratianus *d. cap.*120. *n.*57. & 58. Velasco *d. qu.*56. *à num.*35. Rota 2. *part. divers. decis.*202.

19 Tempero tamen quando mulier ignobilis matrimonium contraxit cum viro nobili & honorato; nam tunc matrimonio antecedenti gravis injuria irrogaretur, si mulier ad laborem traheretur, præcipuè cùm vidua illa eisdem viri honoribus potiatur, *l. Filii*, §. *Vidua, ff. ad Municipal. l. fin. C. de bon. mat.* Svelves *tom.*3. *cons.*15. *à n.*1. D. Olea *de cess. tit.* 3. *q.*3. *n.*28. D. Salcedo *in Theat. Gen. l.*16. *tit.*1. *lib.*4. *recopilat. glos.*51. *per tot.* Ergo, &c.

Inopia enim mulieris tempore mortis mariti inspicienda est, licèt enim postea dives fiat, non amittit quartam, ut diximus suprà *n.*14. Rojas *de incompat.* 5. *p. c.*6. *n.*112. Si tamen post mortem incontinenti mulier sua bona amiserit casu fortuito, utpute incendio, & ruina, quartam suscipiet; fundatur enim quarta ista in misericordia, & pietate; idcircò non physicè, sed moraliter tempus mortis respicere oportet: quamobrem si incontinenti post mortem pauper reddatur, rectè suscipiet, sicut si statim dives facta fuerit, nequit illam suscipere, Gratianus *d. c.*120. *n.*61. Mangilius *d. q.*194. 20

Quanta verò, vel qualis debeat esse inopia ista, non facilè designari valet, oec certa præstari regula, sed id totum religioni judicantis relinquitur, Menochius *de arbitr. casu* 65. *num.*7. Tuschus *dict. conclus.*401. *numer.*40. Gratianus *dict. cap.*120. *numer.*80. Velasco *dict. quæst.*56. *num.*43. 21

Matrimonium ad hoc ut quarta ista debeatur, validum debet esse, justè, & ritè celebratum. Quare nonnulli Doctorum asserentium sufficere matrimonium clandestinum, admittendi non sunt, quos refert, & refellit Velasco *dict. quæst.*56. *n.*68. nisi eos intelligas ante Concilium Tridentinum *sess.*24. *de reformat. cap.*1. aut post Concilium intelligendi sunt de clandestino, deficientibus solùm denunciationibus; cùm tamen Parochus, & testes adfuerint, absque aliquo impedimento dirimente; tunc enim validum est matrimonium, licèt punibile, ut declaravit Sacra Congregatio apud Marsil. *lib.*3. *tit.*15. *cap.*2. Rota 2. *p. recent.* apud Farinac. *decis.*390. *n.*5. Sanchez *de matrim. lib.*3. *disp.*5. Basil. Pontius *de matrim. lib.*5. *c.*30. *n.*2. Marta *de jurisdict.* 4. *p. casu* 71. *à n.*11. quapropter in hoc caso mulier inops, ex matrimonio valido, licèt punibili, quartam suscipiet. 22

Potest tamen disceptari, si uxor tantùm de præsenti sit, nec cognita à viro, nec ad domum traducta, ad hanc quartam valeat recipere? Et negarunt aliqui, oam statuta mulieres excludentia à successione virorum, tantùm intelliguntur de mulieribus quæ ab illis cognitæ non sunt, nec ad domum traductæ: Ergo exclusæ debent censeri ab hac quarta, quoties cognitæ non fuerint, nec ad domum traductæ. Tenent Natt. Brunus, & alii apud Velasco *d. quæst.*5. *num.*71. 23

Contrarium tenent communiter DD. nam verba de præsenti matrimonium validum, & ratum conficiunt, cùm ex solo consensu perficiatur, *leg. Cum fueris* 15. *ff. de condit. & demonstrat. leg. Nuptias* 31. *ff. de regul. jur.* Ergo ex solis verbis de præsenti quartam suscipiet. Tum jura loquentia de matrimonio, intelliguntur de illo, quod contractum est verbis de præseoti, *leg. penult. ff. de incest. nupt. leg. penult. ff. de donat. inter.* Guttierrex *de jurament.* 1. *p. c.*51. *n.*2. & in eo sensu est intelligenda dicta Authentica *Præterea*, Gregorius *in d. leg.*7. *glos.*2. Rota 1. *p. divers. decis.*317. *n.*2. Velasco *d. quæst.*56. *à n.*69. D. Olea *de cess. titulo* 4. *quæst.*8. *num.*6. 24

Nihilominus tamen hæc doctrina tuta mihi non videtur, quia licèt valdè controversum sit, quando matrimonium consummatum requiratur, & quando sufficiat de præsenti quoad aliquos legales effectus, ut in causa luctorum constante matrimonio acquisitorum disputant Garcia *de conjugal. ac quæst. à n.*51. Guttierez *de jurament.* 1. *part. cap.*7. *num.*56. & in privilegio tacitæ hypothecæ dotis Merlin. *de pignorib. lib.*3. *qu.*70. & in aliis effectibus activis, & io passivis patriæ potestatis Valenzuela *cons.*66. *n.*9. tom de aliis quæ tractantur *in leg.*47. & 52. *Tauri*, de qua re dat aliqoos D. Olea *d. tit.*4. *q.*28. *n.*2. Attamen in præsentiarum existimo requiri consummatum matrimonium; nam optimum fundamentum hujus quartæ est, oe dedecoretur matrimonium antecedens, & vilipendio illius mulier mendicet: quod quidem eveniret quando per matrimonium consummatum fieret una caro cum viro, *Gen. cap.*1. Tum quia per consummationem transit mulier ad viri familiam. *Genes. c.*3. ibi: *Sub viri potestate eris. Levit. c.*22. *Numer. cap.*20. Osuald. ad Donell. *lib.*13. *comment. c.*21. *Lit. L.* Unde dedecus est viri, ut mulier quæ fuit caro illius, & de illius familia, com infamia mendicet: Ergo si matrimonium non fuerit consummatum, cessat ratio, & consequenter quarta ei non debebitur. 25

Cæte-

26 Cæterùm licèt matrimonium non consummatum, sed ratum validum sit, nec dissolvi valeat; attamen nisi sequuta copula perfectum non est, *cap. Cum societas* 27. *q.*2. Decius *cons.*540. *num.*2. Larrea *Allegat. Fiscal.*49. *numer.* 14. quapropter in re imperfecta, & quæ plenè noo pertinebat ad maritum, parum dedecoris valet considerari, & non tale ut mulier percipere possit quartam partem bonorum mariti.

27 Dices: Io favorabilibus, quando requiritur matrimonium, sufficit si sit de præsenti, nec requiritur quod sit consummatum, & habet omnia favorabilia, quæ competunt consummato, Solorzan. *de jur. Indiar. lib.*2. *cap.*20. *à num.*35. Larrea *d. allegat.*49. *num.*4. D. Olea *dict. quæst.*8. *num.*4. Cùm ergo ista quarta favorabilis sit, utpotè pia, & prospiciens levamen paupertatis mulieris, debet competere, etiamsi matrimonium non fuerit consummatum.

28 Objectio ista respoosum habet; nam propositio illa, ut in favorabilibus matrimonium ratum habeatur pro consummato, plures habet limitationes. Aliqui eam intelligunt in favorabilibus concernentibus ad ipsum matrimonium, non verò ad alia diversa, licèt fundentur in ipso matrimonio, prout est quarta maritalis. Alteri dicunt esse limitandam, quando aliter à lege disponitur, quia consummatum requiritur, ut *in l.*1. *tit.*9. *lib.*5. *recopilat.* D. Olea *d. q.*8. *n.*7. quamvis in ipsa lege expressè id oon ponatur, sed ex ipsius ratione deducatur; quia perinde est, ac si ipsa lex comprehendisset illam decisionem: itaque optimè ajebat Bald. *in c. Dilectus, de rescript. n.*2. dum scripsit: *Sicut sententia, seu statutum inducit dispositionem, ita ratio statuti, quia ratio jus facit*, Mantica *de conject. lib.*6. *titulo* 14. *n.*29. Molina *lib.*1. *c.*5. *n.*9. *&* 10. Surdus *cons.*227. *num.*20. *&* 21. Idcircò cùm in præsentiarum ratio ipsius Authenticæ *Præterea*, requirat matrimonium consummatum, ut dictum est *n.*14. inde est, ut ad quartam suscipiendam matrimonium consummatum requiratur.

29 Matrimonium verò putativum, quod in se nullum est, ast celebratum fuit propter ignorantiam contrahentium, aut saltem unius bona fide, & sana intentione, quæ semper præsumuur, Guttierez *de matrim. c.*71. Peregrinus *de fideicomm. art.*24. *n.*67. *&* 68. Noguerol *allegat.*23. *n.*115. minimè ad hanc quartam prodest; solùm enim deservit ad legitimationem filiorum, *c.*2. *cap. Ex tenore* 14. *qui filii sint legitimi*, Castillo, qui plures dat, *lib.*2. *controv. c.*11. *num.*5. Fajardo *de legitimat. per subseq. matrim. n.*167. vel ad dotem, vel lucra acquisita constante matrimonio: plures refert Olea *d. q.*8. *n.*8. & est ratio, quia quarta ista fundatur in honore matrimonii antecedentis, quod si validum non est, licèt bona fide contrahatur, non dedecoratur. Purpuratus *lib.*2. *cons.*330. *num.*1. Gratianus *d. cap.*120. *num.*77. Velasco *dict. quæst.*56. *num.*67.

30 Est dubium non obliviscendum, an si maritus leget alimenta uxori pauperi, possit adhuc quartam petere. Prima sententia asserit minimè petere posse; nam uxor quæ per legatum acquirit alimenta necessaria secundùm statum, & ejus decentiam, inops dici non valet, quod est unicum fundamentum illius concessionis. Ergo cessante ratione, debet cessare concessio; *c. Cessante, de appellat. leg. Adigere*, §. *Quamvis, ff. de jurepatron.* Cæterùm legatum cedit à morte testatoris, *l. A Titio, ff. de furt. l.*1. §. *Cum igitur*, *&* §. *Novissimo*, *C. de caduc. tollend.* Cùm ergo in ipso instanti mortis mulier per legatum jam habeat necessaria, non est unde ei quarta debeatur, sive in ipso instanti quarta cedat, oecne. Ita tenent Cephalus *cons.*244. *per totum*, Ruin. Senior *cons.*114. Gabriel *lib.*1. *cons.*142. *n.*28.

31 Secunda sententia tenet contrarium, nam maritus nequit uxorem excludere à quarta. Ergo nec per legatum alimentorum; daretur enim hoc modo cautela, qua posset illam excludere. Prætereà lex taxavit ad centum libras auri prædictam quartam, à qua quantitate defraudaretur mulier, ei relinquendo legatum alimentorum: quapropter per hoc legatum non privatur, ut possit eligere quartam, latè Surdus *de aliment. titulo* 9. *q.*35. Gratianus *d. c.*120. *n.*39. Cyriacus *controv.*221. *n.*41.

32 Resolutio hujus difficultatis pendet ab illa, an maritus possit uxorem quarta privare? Aliqui negant, quia hoc est debitum legale independenter à voluntate mariti. Alteri affirmant, quia est debitum contingens, & non necessarium: quare si ei relinquat legatum alimentorum, integrè poterit se à quarta excusare; sin verò minus, in quartam imputabitur, de quibus opinionibus agont Gregorius *in d. leg.*7. *glos.*5. Mangilius *de imputat. quæst.*176. *num.*10. Costa *de rat. rata*, *qu.*84. *n.*18. Gratianus *d. cap.*120. *à num.*35. Velasco *d. quæst.*56. *à num.*48. Cyriacus *d. controv.*221. *num.*45.

33 Unde proveniunt illæ duæ sententiæ recensitæ *à num.*29. Amplector tamen sententiam primam, sicut amplectitur Gregorius *in d. l.*7. *glos.*5. nam hoc debitum quartæ non est nisi causativè debitum, quatenus mulier inopia laborat, ne mendicare cogatur: quapropter si testator providerit mulieri de omnibus necessariis ad ejus alimenta, rectè eam excludit à quarta. Cæterùm si maritus in vita donaret mulieri unde post mortem illius decenter viveret, à quarta excusabitur, Hondedeus *lib.*2. *cons.*79. *n.*24. Surdus *lib.*2. *cons.*250. *n.*2. Fontanella *de pact. nuptial. claus.*5. *glos.*8. *p.*9. *n.*54. Ergo si in testamento id fecerit, quare non repellet mulierem à quarta, & non excusabitur?

34 Dices: Dispar ratio est; nam quando inter vivos providisset, tempore mortis, quando cedit quarta, jam habet bona unde alimenta percipere possit; si tamen id fiat in testamento, legatum, & quarta eodem tempore cedunt: ergo mulier eligere valet quod maluerit, ut ratiocinatur Velasco *d. q.*56. *n.*55. Sed respondetur, quartam non cedere, nisi quando mulier oon habet unde vivat: cùm ergo tempore mortis per legatum alimentorum habeat unde se valeat alimentare, noo cedit quarta, idcircò eligere nequit. Cæterùm in nostra sententia, relictis alimentis, maritus videtur à quarta danda excusatus: ergo nequit mulier eligere, sed præcisè debet esse contenta legato.

35 Hoc tameo intellige, si alimenta legata sint sufficientia secundùm dignitatem & statum, aliàs enim in quartam imputabuntur, Gratianus *d. c.*120. *n.*31. Velasco *d. quæst.*56. *num.*53. Capponi *discept.*186. *numer.*49. Cyriacus *d. controv.* 221. *num.*42.

36 Adverteodum mulierem inopem posse quartæ renunciare, absque dispositione textus *in l. Cum hi* 8. *ff. de transact.* ut contra aliquos tenet Molinus *de ritu nupt. q.*62. *n.*30. *lib.*3. quia in illo textu solùm prohibetur renunciatio alimentorum ex ultima voluntate debitorum, non quæ ex alia causa proveniunt, prout est quarta, quæ etiam absque decreto judicis valet renunciari, Bossius *de aliment. c.*21. §.10. *n.*171.

37 Hæc autem quarta nequit excedere centum libras auri, *d. Auth. ut liceat matri, & aviæ*, §. *Quoniam verò*, *collect.*8. *l.*7. *titulo* 13. *part.*6. quarum quælibet septuaginta, & duo ducata continet, ut cum plurimis tenet Velasco *d. quæst.*56. *num.*79. explicuit Siguenza *dict. cap.*11. §.29. septem millia, & ducentos Castellanos valere, quilibet Castellanus, ad valorem quiogentorum maræpetinorum aureorum valet ad computum oostrorum temporum, ut explicaverat *lib.* 1. *cap.*21. *num.*8. Si tamen quarta bonorum hanc quantitatem excedat, ad ipsam est reducenda, oec amplius percipiet; est enim taxa legis necessariò observanda, ut latè prosequuntur Velasco *dict. quæst.*56. *num.*80. Gratianus *dict. cap.*120. *num.*30. Mangilius *de imputat. quæst.*175. *n.*7. Costa *de rat. rata*, *qu.*84. *num.*9. Cyriacus *controvers.*221. *num.*23.

38 Illud denique in hac quarta observes, ut si maritus aliqua pia legata in testamento relinquat, ex eis nihil deducitur, sed hæres implere tenetur de aliis bonis, donec quarta integrè concedatur, non enim quælibet res hæreditatis gravatæ censentor, sed generaliter bona; quare pia legata integrè sunt præstanda, Martinis *in Annot. ad consuet. Neapolis. fol. mihi* 459. *versic. Quæri consuevit.*

39 Hæc de maritali quarta dicta sufficiant, transeamus ad alia. Ecclesia dives, quæ ultra necessaria ad cultum divinum, reparationem, & cætera, aliquid habet, patronum pauperem alere tenetur, *cap. Quicumque* 30. 16. *quæst.* 7. *cap. Nobis* 25. *de jurepatronatus leg.*2. *tit.*15. *part.*1. idque ob gratitudinem, quia benefacienti benè facere tenemur, *leg. Sed si lege* 25. §. *Consuluit*, *ff. de petit. hæred. cap. Cum in officiis* 7. *de testament.* Quæ ratio licèt in quibuslibet præstans sit, præstantior tamen est in Ecclesia, quæ mater pauperum appellatur, *cap. Ad Romanam* 2. *quæst.*6. & ita concludunt Surdus *de aliment. tit.*1. *quæst.*54. Molina *de primog. lib.*1. *c.*24. *num.*22. Campanillus *in Divers. rub.*11. *cap.*27. *n.*22. Marescotus *variarum lib.*2. *cap.*83. *num.*58. Lotterius *de re beneficiar. lib.*2. *quæst.*5. *num.*1. *&* 18. D. Olea *de cess. jur.*

titulo

titulo 3. *quæst*.8. *num*.28. Leoncillus 2.*part. privileg*.312. *à num*.1.

40 Quod quidem non solùm intelligas de ipso tantùm patrono, verùm de filiis, & de necessariis ejus familiæ, cùm id totum sit onus ipsius patroni, *c.Filiis* 16.*q*.7. Lambertinus *de jure patron. lib*.3. *art*.2.*q*.3. *num*.2. Leoncillus *de privilegiis pauper*.2.*p.privileg*.312.*n*.7. Quando verò Universitas fuerit patrona, Ecclesia non tenetur totam alere Universitatem, licèt pauperem, sed tantùm Rectores, seu administratores illius, Leoncillus *d. privileg*.312. *num*.10. prout Respublica tenetur alere pauperem Decurionem, ut cum Avendano tenet Sanchez *consil. lib*. 1. *capite* 6. *dub*.8. *num*.5.

41 Illud verò non obliviscendum, quod si patronus habet unde alimenta percipiat, vel à quo petat, minimè hæc alimenta sunt ab Ecclesia præstanda, quia pauper non est, Surdus *d*.54.*n*.16. Gratianus *discept.c*.552.*n*.27. Leoncillus *d. privil*.312.*n*.9.

42 Est verò dubium, quam paupertatem patronus probare teneatur, ut Ecclesiæ alimenta percipiat? Aliqui dixerunt, summam egestatem esse necessariam, *d.c.Quicumq*; ubi Gloss. *verb. Ad inopiam*, exprimit summam egestatem: idque ne bona, quæ sunt ad cultum divinum destinata, absque gravissima necessitate ad hæc alimenta divertantur, Surdus *d. quæst*.54. *num*.17. Rota 4.*part. divers. decis*.594. *num*.5.

43 Alteri dicunt hanc summam egestatem probare non teneri, quin sufficere si probet ad inopiam pervenisse, nec se alere posse secundùm status decentiam: id indicat textus *in d. cap. A nobis* 25. *de jurepatron*. ibi: *Ad inopiam vergat*. Et ratione probatur, nam quando est in summa egestate, Ecclesia cuilibet subvenire tenetur: magis ergo tenetur erga patronum, quàm erga alium à quo Beneficium suscepit, Surdus *d.q*.54.*n*.7. Itaque illum alere tenebitur, non solùm quando est in summa egestate, sed etiam quando est in urgenti, nec alimentari potest secundùm dignitatem, & status decentiam, Gratianus *d.c*.552. *num*.26. Covarruvias *variar.lib*.2.*c*.6.*n*.8. Marescottus *d.c*.83.*n*.58. Lotterius *d.lib*.2.*q*.6.*à n*.19. Barbosa *in d. c. A nobis*, *n*.7. *& de univ.jur.lib*.3. *c*.12.*n*.216.

44 Huic difficultati ansam præbuit textus *in d. c. Quicumque*, ibi: *Reducti fuerint ad inopiam*; cui convenit textus *in dict. leg*.2.*tit*.15.*part*.5. *Apremiado siendo algun patron de pobreza*. Ex quibus verbis DD. primæ sententiæ asseruere, patronum debere probare summam egestatem, ut alimenta petat ab Ecclesia; & id significare illud verbum *reducti*, vel *apremiado*. Sed est rigida interpretatio, duæ enim sunt necessitates. Prima est ita gravissima, ut patronus non habeat alimenta secundùm naturam, & in hac certissima est obligatio alendi patronum; unde jura illa aliquid amplius dicunt, quod necessariò debent continere, nempè secundùm indigentiam status, & dignitatis ipsius patroni, ad quam si venerit patronus, rectè ab Ecclesia divite alimenta petet, ut benè tenet secunda sententia *n*.42. quam etiam probant Gregorius *d.l*.2.*glos*.1. Spino *in specul.testament.gloss*.4.*num*.7. Leoncillus *dict. privileg*.312. *numer*.11. *versic. Et quod verior*.

45 Alimenta ista sunt præstanda à Rectore Ecclesiæ, qui bona illius administrat, Marescotus *dict.cap*.83. *num*.60. tum etiam sunt præstanda in domo patroni, Surdus *de aliment.tit*.14. *quæst*.14. *num*.21. Leoncillus *dict.privileg*.312.*num*.3. & quæ alimenta sunt ista, docet Barbosa *in d. cap*.12.*num*.228. qui *in d.cap. Nobis* 25.*num*.8. limitat quando patronus ingratus fuerit, quia licèt pauper fuerit, alimentis privatur, sicut filius ob ingratitudinem privatur alimentis patris, ut argumentatur Surdus *de aliment.tit*.7. *quæst*.32. *num*.6. Verumtamen hoc intellige de alimentis secundùm statum, quia alimenta secundùm naturam non denegantur, nisi ingratitudo sit morte digna, ut cum Covarruvias docet Molina *lib*.2. *de primog. cap*.16.*n*.2. Castillo *lib*.8.*controv.cap*.66.*num*.61. Riccius *coll*.962. *versic. Limita secundo*.

46 Possessores majoratuum tenentur alere fratres, & sorores inopes. Verùm in hoc casu distinguendum, quando sunt filii, vel descendentes institutoris illius, qui quidem debent accipere hæc alimenta, etiamsi divites fuerant, quia intrant in locum legitimæ: & quæ de legitima dicuntur, his alimentis conveniunt, Molina *de primogen. lib*.2. *c*.15. *à n*.1. Molina *de justit. tract*.2. *disp*.616. *num*.6. Mieres *de majorat*. 4.*part. quæst*.28. *à n*.21. Castillo *lib*.8.*controvers. cap*.36. §.1. *à num*.57.

47 Quapropter primogenitus, & majoratum tenens, tenetur aliis fratribus, non solùm ex fructibus alimenta præbere, vel singulis annis assignare, sed etiam constituere proprietatem, quæ ad ipsos pertineat, & quam ad eorum hæredes transmittant; idque ob rationem positam *num. antec*. Molina *d.c*.15.*n*.10. Covarruv. *de sponsalibus*, *part*.2.*c*.8. §.6.*n*.15. Castillo *d.c*.36.§.1.*à n*.76. Bossius *de aliment.cap*.13. §.8.*n*.805.

48 Hæc quidem dicta intelligantur de his descendentibus, quibus legitima debetur: si autem non debeatur, vel sint transversales, majoratus possessor fratres, & sorores inopes alere tenetur, modo de quo infrà; dum tamen possessor honorificè tractetur, & in quantum majoratus permittat, ut *in cap. Licèt*, *de vot*. Abbas *numer*.10. Surdus *de aliment.tit*.1. *quæst*.25. Molina *dict.cap*.15. *à numer*.57. Illud verò observes, quod licèt ad alendos fratres & sorores, vel ad eas dotandas alienari possint bona fideicommissi, seu majoratus, ut latè per Bossium *dict. cap*.13. §.13. in primogeniis tamen Hispaniæ contrarium in praxi observatur, Molina *de primogeniis lib*.4. *cap*.6. *num*.3. *& 6*. P. Molina *dict. tract*.2. *disput*.648. *num*.4. Gomez *in l*.40. *Tauri*, *n*.87. Castillo *de aliment.d.c*.36.*à n*.56.

49 Est verò dubium grave, quomodo onus alendi fratres & sorores transeat ad majoratus possessorem, si modò pauperes sint, & descendentes ab institutore illius? Et nonnulli asserunt esse onus reale, & transire cum ipsis bonis ad quemlibet possessorem: ad quod expendunt textum *in Auth.Res quæ*, *C.comm.de legat*. ubi decernitur, posse bona fideicommissi alienari pro alimentis, & dotibus fratrum, & sororum descendentium à primo illius institutore: quod fieri non posset, si bona illa ad hæc alimenta, seu dotes obligata non fuissent. Cæterùm in qualibet causa alimentorum, sive ea lege, sive ex dispositione hominum debitorum, tacita hypotheca contrahitur ex illorum speciali privilegio, Castrensis *vol.2.cons*.8.*vers.Illud autem*, Matt. Coler. *de aliment.lib*.3.*c*.9.*n*.41. Thesaurus *forens.lib*.2.*qu*.67. *à n*.17. quapropter cùm alimenta debeantur fratribus & sororibus pauperibus à majoratus possessore, inde est, ut bona illa ad hanc obligationem remaneant obligata, & sit eorum onus reale, ut videtur tenere Molina *d.lib*.4.*c*.6.*n*.5. Gratianus *discept.for.c*.832.*à n*.31. Rojas *in epitom. success. cap*.6. *num*.56.

50 Alteri tenent, hanc obligationem non esse onus bonorum majoratus, quin ex obligatione personali teneri possessorem majoratus fratres, & sorores alere, quia pauperes sunt, & ipse dives. Ducuntur, nam ex eo quod institutor majoratus legitimas, & alimenta primis filiis, aut nepotibus persolvisset, nullius rei debitor extitit, & illa bona ex quibus majoratum instituit, libera remanserunt: Ergo non tenetur ad illud onus, tanquam onera realia bonorum. Cæterùm obligatio alimentorum non est onus reale bonorum, nisi quando in speciali, & expresse obligarentur, aut quando res specialiter deputaretur taxativè ad alimenta, ut *in leg*.2. *ff. de cibar. & aliment. legat*. tenent Scribentes, Castillo *dict. lib*.8. *cap*.66. *à num*.27. & suprà *cap*.9. *num*.23. quod quidem deficit in bonis majoratus: Ergo dicendum, possessores majoratus, tantùm ut divites, teneri fratres, & sorores alere, non ratione oneris ipsius majoratus, Garcia *de expens. cap*.3. *num*.34. Molina *dict.lib*.2.*cap*.15.*num*.57. ubi Lima, Castillo *controv. lib*.5.*cap*.62.*à num*.100. Salgado *in Labyrint. credit*. 1.*part. c*.24. *à n*.127.

51 Hanc sententiam admitto, & explico, ut si possessor majoratus sit collateralis, & non descendens ab institutore, fratres, & sorores teneatur alere, non ratione majoratus, sed ratione conjunctionis sanguinis, quatenus ipse est dives, & fratres, & sorores pauperes; nam nulla considerari potest ratio, ut hæc bona vinculata ad hæc alimenta teneantur, quorum institutor non habebat obligationem alendi, Molina *d.c*.15. *n*.59. Si verò fuissent descendentes institutoris, quibus legitima debeatur, adhuc dicendum, possessorem majoratus alere teneri tanquam debitum ipsius institutoris necessariò ex his bonis solvendum, quando non adsunt bona libera unde solvantur, non verò esse onus reale, Molina *dict. cap*.15. *numer*.60. Barbosa *in leg*.1. *ff. solut. matrim*. 4.*part. num*.72. Castillo *dict.cap*.62. *num*.28.

52 Si verò majoratus est antiquus, nec tamen descendentes concepti, aot nati fuot vivo institutore, possessor majoratus, non ratione illius, sed ratione, quia dives est, & frater, illa præstare tenetur: ratio est, nam cùm alimenta ista debita non sint ab institutore majoratus, nec bona obligata sint, neneſſariò debitum hoc debet procedere à naturali obligatione sanguinis, quatenus possessor est dives, & fratres, aut sorores pauperes, Gomez *in leg.* 40. *Tauri,n.*75. Gratianus *discept.forens.c.*359.*n.*22. Castillo *d.c.* 66.*n.*53. Ludovicus à Concept. *tom.*2. *verit. Theol. Mor.*§.6. *lit.E, à n.*1.

53 Præterea alimenta debentur ex aliqua obligatione, qua quis inter vivos, aut in ultima voluntate pauperibus alimenta reliquerit, quæ quidem causa pia est, ut diximus in principio hujus operis, Leoncillus *de privil.paup.*2.*p. privil.* 23.*n.*1. Illud verò in his legatis, aut fundationibus animadvertendum, aliquando tantùm cibaria pauperibus relinqui, in quibus includitur quotidianus victus; non autem vestimentum, seu habitatio, quia de cibo tantùm testator, seu fundator sensit, *l.Diariis* 21.*ff.de cibar. & aliment. legat.* Busembaum *in parat.illius tit.à n.*1. Staibanius *cent.*1.*resolut.* 64.*à n.*38. Si verò alimenta relinquantur, amplius est legatum, continetque omnia, quæ diximus *c.*9.*num.*1. *l.Quod nos* 233.*ff.de verb.signific.*

54 Si verò dubitetur, an in dispositione cibaria, vel alimenta relinquantur, attentè verba illius sunt pensanda, & conjecturis standum est: si tamen nulla conjectura capiatur, unde mens disponentis percipiatur, favore pauperum alimenta relicta esse existimandum, quia ut dictum est, causa pia recipit pleniorem interpretationem, ita ut pauperi meliùs valeat subveniri, Castillo *lib.*8.*controvers.cap.*42. *num.*8. qui *à num.*16. probat legatum alimentorum noo unica vice adimpleri, quin ex sua natura reiterabile esse, & perpetuum, *leg.Cajo* 13. §.*Imperator.ff.de cibar.& aliment. legat.leg.*1.*C.de legat.* Gratianus *discept. forens. cap.*194.*n.*59. Marescotus *lib.*2.*variar.c.*83.*num.*29. Tondutus *quæst. Civil. tom.*1.*c.*38. *n.*4.

55 Est dubium scitu dignum, an quando testator alimeota alicui pauperi reliquit, hæredes insolidum teneantur. Prima sententia asserit, non insolidum, sed pro portionibus hæreditariis teneri: ducitur, nam lege XII. Tabularum id erat statutum, ut actiones hæreditariæ pro portionibus dividerentur, *leg.*1.*Cod. Si unus ex pluribus,leg.Licèt* 14.*C.ad leg. Falcid.* qua ratione si testator insolidum fuerit obligatus, creditore invito, obligatio dividitur, & unusquisque hæres pro rata tenetur, *leg.*2.*C.de hæredit.act.leg.*2.§.*Incertam*, *ff. de Prat. stipulat.* Riccius *collect.*528. Parladorius *quotid.cap.fin.*1.*part.*§.1.*numer.*11. Palao *de justit. commut. disp.*1.*punct.*18.§.3.*n.*5. Ergo in præsentiarum dicendum, quod si alimeota pauperi relinquantur, hæredes noo insolidum, sed pro portionibus tenentur. Cæterùm ooo est ioconveniens ipsi pauperi, ut pro rata debeantur; nam inter cohæredes unum eligere valet, qui ipsa præstet: quod si renuerint, Prætor eliget, *l.*3.*ff. de cibar. & aliment. legat.* Ergo oulla est ratio, ut alimenta pro rata non debeantur, Molina *d.cap.*15.*num.*44. Joseph Ludovisius 1.*p. decis.*92.*n.*14. & 15. Vincentius de Franch. *decis.*203. *d.num.*1. Hermosilla *in l.*1.*tit.*4.*p.*5.*glos.*6.*n.*45. Bossius *de aliment.cap.* 21.§.1.*à n.*1174.

56 Secunda sententia contrarium tenet, *ex l.*4.§.*Lucius Titius*, *ff. de cibar. & aliment.legat.* Sed textus ille assumptum non probat, nam ut ibi exponit Glossa, testator alimenta suis libertis reliquit, duobus filiis hæredibus institutis, & insimul duobus hæredibus extraneis. Filii hæreditatem repudiarunt, unde asserit Consultus, contra alios hæredes alimenta peti posse, cùm purè fueriot relicta. Ex hac specie non probatur, alimenta insolidum peti posse adversùs quemlibet hæredem. Præterea ducitur, nam si Ecclesiæ legatum relinquatur, illud valet petere insolidum adversùs quemlibet hæredem, quia est causa pia, Castrensis *in l.In exequnt.ff.de verb.obligat.* Jason *in l.Stipulationes* 72. *eod. t*1.*n.*72. Alciatus *lib.*2. *Parerg.c.*22. Ergo similiter quando alimenta pauperi, aut alteri relinquuntur, Riccius ad Franchis *decis.*203.*n.*4. Genuensis *in praxi,tricen.*7.*q.*184. Mantica *de conjectur.lib.*8.*tit.*2.*n.*16. Velasco *de privileg.pauper.*3.*part. quæst.*8.*numer.*179. Riccius *collect.*548. *versic. Adde quartam.*

57 Tertia sententia distinguit, quando petuntur alimenta præterita, aut quando futura: si enim præterita petantur, insolidum contra quemlibet hæredem nequeunt peti, quia nullo privilegio coadiuvantur: secus si futura, *leg. de alimentis*, *C.de transact.* tenent Franchis *d.decis.*203. Baldax *in Add. ad Gizarellum decis.*50.*n.*4. Valeton *de transact. tit.*3. *qu.*3.*n.*30.

58 Ut verò hæc difficultas resolvatur, animadverto aliquos Doctores asseruisse, oaturam alimentorum esse dividuam, alii verò individuam asserunt, alteri partim dividuam, partim individuam faciunt, ut latè docet Surdus *de aliment. tit.*9. *quæst.*14. *num.*5. Bossius *dict. cap.*21. §.1. *numer.*1174. Qui eoim inquiunt esse individuam, inter hæredes divisionem non recipiunt, sed insolidum dicunt obligatos, *leg. Stipulationes* 72. *ff. de verborum obligat. leg. Fideicommissa* 11.§. *Si in opere*, *ff. de legat.*3. *leg. Is à quo* 80. §. *Quadam*, *ff. ad leg. Falcid.* Donellus *lib.*7. *comment. cap.*11. Amaya *in leg. Eorum*, *Cod. de jur. Fisci*, *lib.*10. *num.*53. Alteri dicentes dividuam, concedunt dividi inter hæredes, & pro rata teneri, Gomez *tom.*2. *cap.*10. *num.*3. ubi plures adducit Aylion *num.*4.

59 Alii verò dicentes partim dividuam, partim individuam, similiter asserunt hæredes pro rata teneri, quia respectu eorum est dividua; non tamen respectu recipientis, quia est individua, ut cum Pontano, & aliis tenet Bossius *d.*§.1. *n.*1174.

60 Sed relictis bis opinionibus, distinguendum existimo quando alimenta relinquuntur profanè, veluti coosanguineo intuitu consanguinitatis, vel diviti, aut quando piè, sicuti pauperi propter Dei amorem. Primò casu assero, alimenta esse dividua, & pro rata inter hæredes dividenda, *l.*3.*l.Cum unus* 10. *ff. de aliment. legat.* ubi probatur ex natura rei dividenda esse ioter hæredes. Si tamen aliquando facienda sunt individua, id est à Prætore peragendum, ejus officio interveniente, *ex d.leg.*3. Pichard. *in* §. *Si finium* 6. *Institut. de offic. Iudic. cap.*8. *num.*91. quo in sensu intelligendi sunt Surdus *dict. quæst.*14. *num.*5. D. Olea *de cess.tit.*4. *q.*6. *num.*15.

61 Si verò alimenta intuitu pietatis pauperi relinquantur, individua esse existimo, & quod possint peti à quolibet hærede; nam pluribus modis res quæ sua natura divisibilis est, redditur individua, ut explicuit Pichard. *d.c.*8.*n.*91. inter alios unus est, quando per actum tacitum, aut expressum id fieret, ut sunt rei debeodi, §. *Ex hujusmodi*, *Institut. de duobus reis*. Aut ex testamento, quando testator aliquam rem individuam fecisset, & vellet quemlibet hæredem insolidum teneri, ita ut si unus non est solvendo, ab altero peti valeat, *l. Si ex toto* 8. §.1. *ff. de legat.*1. *l.Eandem* 9. *in fin. principii*, *ff. de duobus reis*: quod quidem fit quoties alimenta intuitu pietatis pauperi relinquuntur, aut alii causæ piæ.

62 Et probatur, nam ut considerat Mantica *d.tit.*2. *num.*16. ex conjecturata mente testatoris favore animæ illud dispositum censetur, ut si unus hæres solvendo oon sit, ab altero petatur insolidum, sicut consideratur in hæredibus usurarii, *cap. Tua nos* 9. *de usuris*, Gomez *d.cap.*10. *numer.*4. *versic. Sed attende*. Ergo cùm ex voluntate testatoris ista alimenta pia facta fuerint individua, nequeunt pro rata distribui, sed insolidum à quolibet hærede peti, ut aliud quodlibet pium legatum, quidquid Palao *d. part.*18. §.3. *num.*4. dicat contrarium verius. Rursus comprobatur, nam in bis causis piis intentio est relinqnentis, ut meliori modo valeant, & exequantur, Thoro *privileg.*35. *versic. Quemadmodum*, Menochius *lib.*4. *præsumpt.*31.*n.*18. Ergo semper intelligendum est, voluisse testatorem hæredes insolidum teneri ad hæc alimeota, ut meliori modo valeant, & exequantur.

63 Sed dices, testatorem facere non posse, oe pro portionibus hæreditariis distribuatur, quin potiùs etiamsi contrarium jusserit, adhuc debita, & legata pro rata distribuuntur, *l.Servo legato* 69.§.*Si testator,ff.de legat.*1. *leg.Si cogitat* 21.*C.Famil.ercisc und.* Parladorius *d.c.fin.*4.*p.*§.1.*n.*13. Costa *de rat.Rata,q.*23.*n.*4. Ayllon *ad Gomez.d.c.*10.*n.*4. Palao *dict.* §.3.*n.*9. Ergo oec tacitè, nec expressè potuit testator hæc alimenta facere individua, ne inter hæredes pro rata distribuerentur.

64 Jura verò ista, & Doctorum auctoritates minimè negant, posse testatorem tacitè, vel expresè rem legatam individuam facere, & ut hæredes insolidum teneantur ad solvendom creditori, seo legatario; arbiter enim est rei suæ, & in ea gravamina valet ponere in ultima voluntate,

prout

prout per pacta inter vivos: itaque sicut per hypothecam id facere valet, *leg. Si fundus, §. In vindicatione, ff. de pignorib. l. fin. C. Si unus ex pluribus*, Salgado *in Labyr. 2. part. cap. 12. num. 65.* similiter per ultimam voluntatem, vel tacitam, vel expressam.

65 Igitur jura illa intelligenda sunt in profanis, quando testator præceperit, ut debita, aut legata ab uno, vel ab altero hærede solvantur; tunc enim ab illo sunt solvenda: attamen ex solis istis verbis nequit tollere obligationem pro rata, quæ revera remansit in radice, ut hæres solvens possit ab aliis hæredibus pro rata quantitatem solutam repetere, ut optimè demonstrat Consultus *in d. leg. Servo legato 69. §. Si testator*, quo in sensu admittendi sunt DD. relati *num. 61.*

66 Alimenta verò ista sunt statim pauperibus concedenda, etiam non confecto inventario; nam licèt hæredes nequeant conveniri donec inventarium conficitur, *l. fin. §. 11. C. de jur. delib. l. 7. tit. 6. part. 6.* Paz *in praxi, tom. 1. 5. p. c. 1. n. 44.* Rodriq. *de exequut. c. 4. à n. 5.* Attamen quando alimenta pauperi relinquuntur, statim possunt peti, quia venter non admittit dilationem: tum quia est causa pia, Tiraquellus *privileg. 34.* Surdus *de aliment. titulo 8. privileg. 11.* Castillo *d. lib. 8. c. 28. à n. 1.*

67 Quod verò dictum est in pauperibus, qui non habent unde se alant, extenduntur ad alimenta præterita; quia licèt non habeant privilegia futurorum, Salgado *de Reg. Protect. 3. part. cap. 1. à num. 10.* Giurba *ad consuet. Mess. c. 7. gloss. 15. à num. 12.* Valeron *de transact. tit. 3. quæst. 3. à num. 17.* Cyriacus *controv. 34. num. 26.* attamen respectu pauperis non habentis unde alimenta percipiat, tanquam futura existimantur, idcircò statim sunt solvenda, Leoncillus *2. p. privil. 28. n. 1.*

68 In his alimentis pauperibus debitis si sententia feratur, appellationi non defertur, licèt si divitibus debeantur, sit admittenda, ut benè intelligunt duas opiniones contrarias Surdus *de aliment. tit. 8. quæst. 60.* Genuensis *in praxi, q. 310. num. 2.* Velasco *de privileg. paup. 1. part. qu. 50. num. 4.* Valeron *de transact. tit. 3. qu. 3. num. 19.* Guttierrez *pract. lib. 1. quæst. 106. à num. 1.* idque eisdem rationibus, quia venter non patitur dilationem in eo, qui pauper est. Tum quia est causa pia, quæ celerem exequutionem requirit, & remota appellatione exequitur, Rebuffus *de sent. provis. num. 30.* Gratianus *discept. forens. cap. 100. numer. 16.* Staibanus *cent. 2. resolut. 123. à n. 11.* Tum denique, quia si appellatio deferretur, pauper illusus remaneret indefensus, dum non haberet expensas, & alimenta ad prosequendam litem; quapropter, non obstante appellatione, exequitur, concesso tantùm effectu devolutivo, Surdus *d. q. 60. à num. 19.* Castillo *d. lib. 8. c. 8. n. 14.* Salgado *de Reg. Protect. 3. part. cap. 1. n. 3.* qui *n. 4.* asserit, commissionem super alimentis in appellatione dari cum clausula: *Sine retardatione præstationis alimentorum, vel sine præjudicio legitimæ exequutionis*, Leoncillus *2. p. privil. 27. à n. 1.* Velasco *de privil. paup. 1. part. q. 50. à num. 10.*

69 Est dubium non prætereundum, an quando pauperi debentur alimenta jure actionis, veluti ex contractu, vel quasi, appellatio sit concedenda quoad utrumque effectum, tam devolutivum, quàm suspensivum. Prima sententia asserit concedendam; nam illa distinctio communis est, ut quando alimenta petuntur jure actionis, judicium ordinarium sit, & plenè de causa cognoscatur, quamobrem in utroque effectu est admittenda: secus quando judicis officio petuntur, quia est cognitio summaria, quæ appellationem non admittit, Giurba *ad consuet. Messan. cap. 7. gloss. 15. n. 15.* Salgado *de Reg. protect. 3. p. c. 1. n. 13.* & alii apud Scacc. *de appellat. q. 17. limit. 7. n. 26.* quod idem est observandum etiamsi pauperi debeantur: ergo alimenta si à paupere petantur jure actionis, appellatio concedenda est in utroque effectu, Rota *divers. 1. p. decis. 764. per tot.* Salgado *d. c. 1. à n. 13.* Castillo *d. c. 8. n. 17.*

70 Secunda sententia tenet contrarium, quia quando petens est pauper, instat ratio celeritatis, tam in judicio summario, quàm in ordinario: Ergo sicut in summario appellatio non defertur nisi quoad devolutionem, nec concedenda in ordinario quoad utrumque effectum. Cæterùm illa distinctio judicii ordinarii, & summarii in causa alimentorum non admittitur, quando periculum est in mora, prout est quando pauper petit, & illis alimentis indiget: Ergo licèt pauper petat alimenta jure actionis, appellatio non est concedenda quoad effectum suspensivum, Scaccia *d. limit. 7. n. 17.* Surdus *tit. 8. q. 60. à n. 22.* Velasco *d. qu. 50. à n. 11.* Fachineus *lib. 1. controv. c. 77.* Vela *dissert. 39. n. 41. vers. Ad minorem.*

Hæc difficultas distinctione est resolvenda, considerata paupertate petentis. Si enim non sit ita pauper, ut interim aliunde alimenta percipere valeat, aut ex proprio labore, aut ab aliquo consanguineo, tunc est admittenda prima sententia: secus si ita sit pauperrimus, non habeat à quo interim petat, aut lucretur. Ratio est, quæ ex Seneca percipitur *epist. 21. ad Lucill.* ibi: *Venter præcepta non audit, non est tamen molestus creditor, parvo dimittitur, si das illi quod debes, non quod potes.* Ergo cum venter dilationem non admittat, & pauperrimus sit, etiam in judicio ordinario appellatio quoad effectum suspensivum admittenda non est. Et confirmatur, quia in causis alimentorum pauperibus debitorum, etiam interpretamentum faciendum est contra jus, Gratianus *discept. c. 104. n. 65.* quapropter non ita rigidè judicium ordinarium est sumendum, ne ex causa pietatis, & necessitatis appellatio quoad hunc effectum non denegetur, prout in dote restituenda viduæ inopi tenent Gratianus *decis. March. 214. n. 18.* Leoncillus *decis. 31. n. 8.* Ergo si petens pauperrimus fuerit, etiam quando petit jure actionis, appellationi non defertur, ut distinguit Avendanus *in d. verb. Govierno, versic. Ex eadem ratione*, Mena *var. lib. 1. quæst. 14. num. 11.* 71

Quando verò denegatur appellatio in causa alimentorum, intelligunt DD. de alimentis futuris, Rota *1. part. divers. decis. 764. n. 5.* Vetall. *decis. 20. n. 4.* Salgado *d. c. 1. num. 11.* Valeron *d. tit. 3. q. 3. n. 21.* Sed si pauper adeò necessitate prematur, ut non habeat unde alatur, idem est observandum in præteritis, quia respectu tam urgentis necessitatis ut futura censentur. 72

Si pauperi alimenta annua relinquantur, in principio anni debentur; si menstrua, in initio mensis solvenda sunt, *leg. 4. leg. Singulos 8. leg. Cum in annos 11. ff. de ann. leg.* Surdus *de aliment. tit. 4. q. 17. n. 18.* Lara *de Anniverf. lib. 1. c. 9. n. 11.* Quod idem in aliis personis indistinctè admittunt Molina *de primog. lib. 2. cap. 15. num. 73.* Molina *de just. tract. 2. disput. 616. num. 10.* Francius *decis. 155. n. 3.* Solorzanus *de Iur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 24. num. 19.* Quapropter si pauperi mulieri relinquantur alimenta donec nupserit, & in dimidio anni maritum duxerit, integrè alimenta illius anni percipiet, Cancerius *variar. 1. p. c. 16. n. 32.* Tum si testator per duos annos alimenta pauperi legavit, & statim omnia illa alimenta persolverit, & legatarius illa perdiderit, non liberabitur, *l. Eum qui 15. ff. de ann. legat.* Valeron *d. tit. 3. qu. 3. num. 8.* 73

C A P. XI.

De Hospitalibus, & infantibus expositis.

S V M M A R I V M.

Hospitalitatem exercere est pium, numer. 1. Quis primus hospitalia fundavit, & de variis hospitalibus, à num. 2.

Hospitalia alia sunt Religiosa, alia profana, n. 4. Sed est dubium, an sint profana absque authoritate Episcopi erecta. Prima sententia affirmat, & explicatur caput 4. de Relig. domibus, à n. 5. Secunda sententia asserit pia esse, num. 7. Resolvitur, à n. 8.

Signa ad cognoscendum, an Hospitale sit religiosum, n. 11. & 12. In dubio, an intelligatur sæculare, plures probant, n. 13. Sed non admittuntur, n. 14.

Hospitalia quando sunt beneficia, numer. 15. & 16. Et tunc cadunt sub reservationibus, & Clericis sunt concedenda, num. 17.

Hospitalia Regularium, licèt authoritate Episcopi erigantur, non sunt beneficia, n. 18.

In dubio an sint beneficia, distinguitur, & inspicitur ultimus status, n. 19.

Hospitalia quæ sunt loca pia, non subduntur regulis beneficiorum, de quibus ibi, num. 20. Nec sunt materia simoniæ, num. 21.

An legatum relictum ad causas pias possit dari hospitali, negant aliqui, num. 22. Affirmant alteri, num. 23. Resolvitur, num. 24.

num.24.& poterit dari operibus piis, quae exercentur in hospitali profano, ibid.

An hospitalia gaudeant beneficio restitutionis, aliqui negant, num.25. Alteri affirmant, num.26. Resolvitur, num.27, cum seq.

An bona illorum possint alienari absque solemnitatibus, eodem modo resolvitur, à n.29.

Hospitale pium heres institutum, non tenetur ultra vires hereditatis, non confecto inventario, n.31. Nec tenetur ad gabellas, n.32.

Hospitale authoritate Episcopi erectum ad quartam canonicam tenetur, num.33. Datur cautela, ibi. Si vero pium sit, non ita, num.34. Explicatur ratio, & reiicitur Barbosa, num.35.

Causa hospitalis favorabilior est quàm Ecclesiae, n.36. Unde quidam casus resolvitur, n.37.

Administratores hospitalium non sunt faciendi Religiosi, sed Clerici, aut Saeculares; nec nisi ex legitima causa sunt removendi, n.38.

Hospitalia religiosa, vel pia subsunt jurisdictioni Episcopi, n.39. Valet ea visitare, n.40. Etiamsi Administratores laici à Principe deputentur, num.42. Vel sit exemptum, & non obstante consuetudine, ibid. Et quid in hospitalibus possit facere Episcopus, n.43.

Limita nisi hospitale sit sub immediata Regum protectione, n.44. Nisi esset Ecclesiasticum, aut visitaret pertinentia ad Divinum Cultum, n.45.

An possit visitare, quando testator dixit, Episcopus non se intromittat? *Aliqui dicunt ad id esse necessarium assensum Episcopi, num.46. Alteri negant, num.47. Resolvitur, à num.48.*

Expositos nutrire pientissimum opus, n.50.& 51.

Sed à quibus nutriendi sint expositi, ubi non sunt haec hospitalia. Prima sententia asserit nutriendos esse à Regibus, numer. 52. Secunda sententia, ab Ecclesia, vel ab illius Rectore, num.53. Tertia, à Republica, num.54. Et tandem ad collectas deveniendum, num.55.& 56. Resolvitur, à num.57.

Expositi postquam fuerint majores, ad artes sunt alliciendi, ut ibi exponitur, n.59.

Pater expositum repetere valet, & expensas refundet, n.60. Et explicatur, n.61. Nisi propter pietatem id egerit, ibid. Aut sit nutrix Ecclesia, quod explicatur, n.62.

Sed quid si Ecclesia protestetur, expensas non posse petere, asserunt plures, n.63. Non admittuntur, à n.64.

Si Pater dives exponat filium in hospitali ad id destinato, an possit hospitale repetere expensas. Prima sententia negat, n.67. Secunda dicit ex aequitate teneri, n.68. Tertia absolutè affirmat, n.69. Resolvitur, à n.70.

Is ad cujus januam puer est expositus, quando possit alterius in janua reponere, n.72.

Expositi an legitimi praesumantur, negant plures, n.73. Alteri affirmant, n.74. Resolvitur, à n.75.

De poena exponentium filios, à n.77.

1 HOspitalitatem exercere pientissimum est opus, & in locis sacris saepissimè commendatum. D. Petrus *epist. 1. cap.4.* ibi: *Hospitales invicem, sine murmuratione.* Quare sine murmuratione? Cornelius à Lapide ibidem: *Quia solent hospites tenaces queri de advenarum multitudine, sumptu, diuturnitate, edacitate.* Joan. *epist.3.* Cajum Monachum laudat ob peregrinorum hospitalitatem: *Charissime, fideliter facis, quidquid operaris in fratres, & in hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuae in conspectu Ecclesiae.* Est enim opus hospitalitatis omnibus injunctum, & praecipuè Clericis, *c.Volumus, 89.dist.c.Presbyter, 91.dist. c.fin.16.q.1.c.De Monachis 12. de praeb. cap.1. de celebr. Miss.* Concilium Matisconense 2.*c.11.& 13.* Nannetense *c.3. & 5.* Aquisgranense *c.141.* Trident.*sess.25.de reform.c.8.l.11.tit.5. p.5.* Gratian.*discept.for.c.898.n.20.* Velasco *de privil.paup.1.p. q.15.n.27.*

2 Ex hac quidem causa hospitalia fuerunt erecta, ubi peregrini hospitabantur: primus enim qui hospitalia fundavit, asserunt Imperatores fuisse Zericum, *in l. Omnia privilegia 35.C.de Episc.& Cleric.* P.Gregorius *syntag. lib.15.c.28.n.33.* Quapropter ad ejus exemplum ab aliis alia loca pia fuerunt instituta. Nosocomia, aut Nosconia loca illa dicebantur ubi aegroti curabantur, *l.Sancimus 53. §.Sed Deo nobis, C. de Episcop.& Cleric.*& qui ad aegrotorum curam adhibebantur, Parabolani dicti sunt, *l.Parabolani 18.C.eod.tit.* P.Gregor.*d. c.28.n.18.* Cujac. *novella 3.const. Iustin.* Non tamen isti erant Medici, ut vindicant Paulus Zach. *quaest. Medico leg. lib.6. tit.3.q.4.n.30.*

3 Brephotrophium est locus ubi infantes expositi aluntur, & nutriuntur, *leg.Illud 19.C.de Sacrosanct.Ecclesiis.* Procotrophium, in quo mendici & pauperes aluntur, *d.leg.Sancimus, leg.Illud, C de Episcop.& Clericis,* Gregor. *d.c.28.n.7.* qui *à n.12.* animadvertit, otiosos homines minimè in hoc loco esse recipiendos, sed debiles, mutilos, & qui nullo modo possunt laborare, *leg.Si quis ad declinandum 37. §.Ubi autem, C.de Episc. & Cler.* Orphanotrophium dicitur locus ubi orphani aluntur, *l.Orphanotrophos 30.C.de Episcop.& Cler.* Gerontocomium locus est ubi senes pauperes, & infirmi curantur, *d.l.Sancimus, §.Deo nostro.* Grorophooium, ubi foeminae debilium sustentatrices habitant. Sunt deinde Leprosariae, ubi leprosi ob periculum contagii seorsim habitant, de quibus *in c.2. de Ecclesiis aedificand. Clement.2. de Praebend.* Sunt etiam Eleemosynariae, ubi eleemosynae elargiuntur, de quibus omnibus videndi Bleinianus de Xenodochiis, & aliis locis piis, Anton. Fabric. *Rudiment.Iur. Canon. lib.3. tit.6. §.7.* P.Gregor.*d.c.28.per tot.* Barbosa *in rub. C. de Episcop.& Clericis, & de univers.jur.lib.2.c.11.à n.1.* Moneta *de commut. ult.volunt.c.4.à n.28.* Gonzalez *in regul.8.gloss.5.§.4.n.11.* Robertus *lib.4.rer.judicat.c.2.*

4 Hospitalia enim communiter dividuntur in Ecclesiastica, & religiosa, vel in profana. Ecclesiastica dicuntur, quae authoritate Episcopi construuntur, *c.Ad haec 4.de Relig.domib.* Profana verò, quae absque ejus authoritate, sed solùm ex placito aedificantis eriguntur, ut explicant communiter DD. Ant. Fabricius *d. §.7.* Joseph. Ludovisius *decis.30. num.16.* Guttierrez *can. lib.1. quaest.35. num.29.* Velasco *de privileg. paup. 3.part. quaest.58. num.2.* Thierrius *de beneficiis, sect.4. vers.Sed circa hospitalia,* Tondutus *tom.1.2.part. cap.1. §.7. à num.1.*

5 Ast secundum membrum distinctionis incertum est, quatenus asserit hospitalia absque authoritate Episcopi fundata esse profana, seu saecularia; resque sub judice est. Prima sententia absolutè asserit, saecularia esse, & profana, *ex d. c.Ad haec 4.de Relig.dom.* Sed textus ille assumptum non probat, nam quaestio vertebatur apud Pontificem, an hospitale ad usus profanos possit traduci? Et asserit Pontifex id minimè fieri posse, quia illud de quo disceptatio erat, authoritate Episcopi constructum remanebat: unde percipit haec sententia, quod si Episcopi authoritate non esset constructum, posset ad usus profanos reduci, quia remaneret saeculare, & profanum. Sed non rectè hanc consequentiam deducit, nam à casu expresso ad non expressum incerta fit illatio, nisi adesset identitas rationis, Rota apud Seraph.*decis. 353.n.3.* non enim ex eo quod Pontifex decrevit hospitale authoritate Episcopi erectum, non posse converti ad usus profanos, expressit quod authoritate propria erectum saeculare sit: hoc, inquam, multùm distat à decisione Pontificis. Nec argumentum à contrario sensu semper est validum, quin potiùs debile, Afflictis *decis.222. n.2.* & fallax Gratian. *discept.c.218.n.1.* Franchis *decis.486.n.7.* Coccin. *decis.111.n.4.* & solùm admittendum quando per necesse sequitur; non verò in hac specie, ubi hospitale valet esse, etsi non est Ecclesiasticum, aut pium, aut saeculare: Ergo textus ille assumptum non probat.

6 Rursus ratione probant, quia ex eo quod in erectione hospitalis authoritas Episcopi intervenit, bona illa transeunt ad Ecclesiam, & fiunt illius: Ergo si deficiat, profana, & saecularia relinquuntur, Zabarella *cons.13. num.6.* Abbas 3.*part. cons.3. nu.2.* Rota apud Farinac. 2.*part. decis. 30.num.8.* Valasco *consult.105. n.7.* Lara *de Capellaniis, lib.2. c.1.n.5.* Jul. Capponi *discept.154. à n.10.* Cyriacus *tom.3.controv.530.n.4.*

7 Secunda sententia inquit, non esse saeculare, & profanum, sed locum pium, gaudentem omnibus privilegiis causarum piarum, dummodo teneat perpetuitatem, veluti quando in perpetuum fundatur, aut per ultimam voluntatem, aut per contractum inter vivos. Ratio est, nam per talem perpetuitatem bona Deo optimo Maximo consecrantur, & contradicente fundatione nequeunt bona ad profanos usus adduci, sed in pios necessariò sunt convertenda: Ergo locus pius est, non saecularis, aut profanus, Gabriel *tit. de caus.pia, conclus.2.num.7.* Mascardus *de probat.conclus.869. n.34.* Mena *var.lib.2.q.21.n.179.* Garcia *de Benefic.5.p. cap.1. n.603.*

*n.*603. Barbosa *de univ. jur. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 11. *& in c. Ad hac, n.* 2. Tondutus *de pens. c.* 65. *n.* 17. Palao *Oper. Mor. tom.* 2. *tract.* 13. *qu.* 7. *num.* 2.

8 In hoc dubio dico, hospitale posse duobus modis erigi absque auctoritate Episcopi. In primis quando aliquis privatus sua propria auctoritate hospitale erigat, ibique peregrinos excipiat, aut infirmos curet, absque aliqua deputatione perpetua, sed ex placito misericordiæ id agat; tunc enim certum est, non esse Ecclesiasticum, nec propriè pium, quin potiùs sæculare, & profanum, valetque ad profanos usus converti ex voluntate erigentis, licèt per accidens ibidem opera pia exerceantur: in qua quidem specie intelligi valet prima sententia, & id deduci videtur ex Lara *d. c.* 1. *n.* 5. Valasco *d. consult.* 105. *n.* 8.

9 Est verò dubium, an interim quod ibidem pia opera exercentur, pius locus dici valeat? Et cum Sfortia Garcia *d. c.* 1. *n.* 603. asserit interim pium esse, & omnibus privilegiis causarum piarum gaudere: quod si hospitale sit in domo publica, admittit Lotterius *de re benef. lib.* 3. *q.* 1. *à n.* 26. Sed hoc non placet, quia ut diximus, similia hospitalia sunt sæcularia, & profana ex defectu perpetuæ deputationis: Ergo nequeunt his privilegiis gaudere, quæ solùm competunt Hospitalibus propriè piis, ut cum multis docet Novarius *de elect. for.* 1. *p.* *q.* 54. *n.* 3. Tum, nam utilitas horum privilegiorum non cederet ad utilitatem ipsius causæ piæ, quæ ibidem exercetur; sed illius personæ, quæ illud poterat revocare, & reducere ad usus profanos: Ergo interim non est locus pius, nec aliquibus privilegiis gaudebit, Cyriacus *d. controv.* 530. *à n.* 57.

10 Si verò hospitale sit perpetuum, ut ibidem opera pia exerceantur, proculdubio pium erit, & gaudebit omnibus privilegiis Ecclesiarum, & aliarum causarum piarum; nam sunt perpetuò Deo dicata, & locis sacris, & religiosis comparantur, Menochius *de recup. remed.* 15. *n.* 22. *&* 23. Castillo *lib.* 1. *controv. c.* 54. *n.* 24. Ergo eisdem privilegiis debent gaudere, Castillo *d. n.* 24. Tuscus *conclus.* 158. Menochius *lib.* 4. *præsumpt.* 115. *n.* 4. Gratianus *discept. c.* 34. *n.* 1. Bobadilla *in Polit. lib.* 1. *c.* 18. *n.* 228. Cyriacus *d. controv.* 530. *nu.* 11. Tondutus *d.* 2. *p. c.* 1. §. 7. *n.* 3.

11 In dubio verò quando non constaret, an Ecclesiasticum sit hospitale, necne, aliqua sunt signa probantia Ecclesiasticum esse, & auctoritate Episcopi fundatum. Primum, si hospitale sit erectum in formam Ecclesiæ, & cum campanili; non tamen ad id sufficiet Oratorium, ubi Missa privatim celebretur, nec campanile in loco secreto, vel in publico, si campana non pulsaretur, Mena *d. lib.* 2. *q.* 21. *n.* 176. Zerola *verb. Hospitale, n.* 1. Rota apud Tondutum *de pens. decis.* 58. *n.* 6. Barbosa *d. c.* 11. *à n.* 15.

12 Secundum, si Episcopus confirmaret, aut deputaret Ministrum. Tertium, si haberet nomen Sancti, sibique appropriaret. Quartum, si in eo fuerint sepulturæ, & cœmeterium. Quintum, si ibidem fuisset observata hospitalitas à tempore antiquissimo. Sextum, si non solvisset collectas, & subsidium, quia solùm de Ecclesiasticis debetur, Lassarte *de decim. vendit. cap.* 19. *num.* 34. *&* 35. Lara *de Capell. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 16. Delbene *de immunit. cap.* 2. *dub.* 7. *sect.* 7. *à n.* 38. Denique si in eo infantes baptizarentur. Hæc explicant late Lotterius *de re benef. lib.* 3. *q.* 6. *à n.* 23. Barbosa *d. cap.* 11. *à n.* 15. *& de offic. Episcop.* 3. *part. allegat.* 75. *n.* 5. Ciriacus *d. controv.* 530. *n.* 7.

13 Si verò nulla sint signa unde Ecclesiasticum probetur, in dubio asserunt DD. sæculare, & profanum esse præsumendum; nam qualitas illa est extrinseca, quæ minimè præsumitur, nisi probetur: Ergo hospitale in dubio, quando nulla adsunt signa, præsumendum est sæculare, Ant. Fabric. *d.* §. 7. Riccius 5. *part. collect.* 1886. *vers. Et in dubio*, Rota apud Farinacius *in posth. decis.* 268. *numer.* 5. Mohedanus *decis.* 18. *de caus. poss. & propriet.* Rubeus *practic. resolut. cap.* 65. *num.* 95. Capponi *d. discept.* 154. *num.* 8. Ciriacus *d. controv.* 530. *num.* 14.

14 Sed hæc doctrina mihi non probatur. Ast asserendum, in dubio nunquam præsumendum laicale, quia in dubio quando hospitale erectum est, & ibidem opera pia exercentur, licèt non præsumatur erectum authoritate Episcopi, nec Ecclesiasticum, Garcia *de expensis*, *c.* 8. *n.* 51. Gratianus *discept. c.* 116. *à n.* 1. attamen semper si perpetuum sit, censendum est pium, & quod gaudeat omnibus privilegiis Ecclesiarum. Si verò non constet esse perpetuum, idem est dicendum, quia præsumitur personam pientissimam, & religiosam erigentem hospitale, dum non revocaverit, perpetuò Deo dicasse in bonum suæ animæ; optima enim interpretatio est, quæ pro religione facit, *leg. Sunt personæ, ff. de Relig. & sumpt. funer.* Thoro *privileg.* 4.

Hospitalia authoritate Episcopi erecta, si in titulum perpetuum conferantur, aut per electionem, administrationem, aut commendam, sunt beneficia Ecclesiastica, *Clement. Quia contingit*, §. *Vt autem, de Relig. domib.* quia hi modi conferendi demonstrant, illud esse beneficium Ecclesiasticum, Tuscus *lit. A, conclus.* 59. *n.* 4. *&* 5. Gonzalez *in reg.* 8. *glos.* 5. §. 4. *n.* 14. Garcia *de beneficiis*, 1. *p. c.* 3. *à n.* 2. Rota 1. *p. divers. decis.* 739. & apud Merlinum *decis.* 169. *n.* 5. Tondutus *d. c.* 1. §. 7. *n.* 9. 15

Idem dicendum si unitum sit Hospitale beneficio Ecclesiastico accessoriè, non autem æquè principaliter, Gonzalez *d.* §. 4. *n.* 16. Garcia *d. c.* 3. *n.* 2. qui *num.* 3. idem asserit, etiamsi personis Religiosis conferretur, Lotterius *d. qu.* 6. *n.* 57. vel tantùm ad vitam concederetur, Rota apud Merlinum *decis.* 49. *n.* 6. Marescotus *var. lib.* 1. *c.* 3. *à n.* 8. Barbosa *d. c.* 11. *à num.* 26. 16

In his verò casibus, quando hospitalia sunt beneficia, cadunt sub reservatione, Rota apud Merlin. *d. decis.* 49. *n.* 6. Gonzalez *d.* §. 4. *n.* 14. & necessariò conferendum est Clericis, quando in titulum est conferendum, Lotterius *d. q.* 6. *n.* 50. qui animadvertit *n.* 52. hospitale per erectionem ad beneficium minimè desinere esse hospitale, nec videtur subjectum diversæ naturæ, sed in suo esse relinqui; sed respectu collationis loco beneficii habetur. Verùm hic modus dicendi incivilis videtur; quando enim hospitale in titulum conceditur, non habetur loco beneficii, sed est propriè beneficium; sed quia includit curam pauperum, hospitale dicitur, Palao *d. tract.* 13. *p.* 7. *n.* 4. *vers. Si regulariter*, Barbosa *d. c.* 11. *num.* 26. 17

Regularium hospitalia, licèt authoritate Episcopi erigantur, beneficia non sunt, sed quædam officia religiosæ, & piæ administrationis, quæ etiam laicis concedi valent, tametsi Capellas, aut Ecclesias habeant annexas, & decimas percipiant, ut colligitur *ex Clement. Per litteras* 2. *de Præbend. d. Clement. Quia contingit*, §. *Vt autem*, Palao *d. part.* 7. *num.* 4. Valasco *consult.* 105. *num.* 31. Marescotus *dict. cap.* 3. *num.* 13. Ratio est, nam tantùm dantur ut Rectores, seu administratores curent recipere, nutrire, & pauperes alere, seu curare, secundùm institutiones, & facultates hospitalis, debentque inventarium conficere, & alia, Rota 1. *part. divers. decis.* 714. *n.* 9. Riccius 5. *part. collect.* 1886. *vers. Alter casus*. Ergo licèt concedatur Religiosis, non erit beneficium. 18

Quid verò in dubio, an Hospitale detur in regimen, aut in titulum, an sit beneficium, necne? Et considerandum, an Ecclesia annexa sit hospitali, & tunc in regimen datum censetur, nec erit beneficium; secus si hospitale annexum sit Ecclesiæ, Rota *d. decis.* 714. Riccius *d. collect.* 1886. *vers. Hoc casu*. Erit deinde optima inspectio prospicere ultimum statum, qui quidem si demonstret datum fuisse in titulum, beneficium censebitur, aliter si per regimen, seu administrationem, Rota apud Merlinum *decis.* 49. *à n.* 5. Marescotus *d. c.* 3. *n.* 20. 19

Si tamen hospitalia beneficia non fuerint, sed loca pia, ut dictum est, nec continentur sub appellatione beneficii Ecclesiastici, Riccius *d. collect.* 1886. *d. vers.* nec cadunt sub reservatione, Rota *dict. decis.* 714. *num.* 5. nec comprehenduntur in literis generalibus, quando agitur de provisione alicujus beneficii: quod admittes etiamsi ex ordinatione fundatoris in titulum concederentur, vel per viam electionis Clericis sæcularibus; nam singularitas ista fundationis sub generalitate non comprehenditur, ut cum Rota tenet Garcia *dict. cap.* 3. *à num.* 4. Lotterius *dict. quæst.* 6. *à num.* 54. Marescotus *d. cap.* 3. *num.* 22. Tondutus *d. cap.* 1. §. 7. *num.* 7. 20

Nec hospitalia ista, quæ sunt tantùm pia, materia sunt simoniæ; quia spiritualia non sunt: si verò sint Ecclesiastica, licèt in titulum non conferantur, sed in regimen, seu administrationem, cum cura peregrinorum, seu infirmorum, materia erunt simoniæ de Jure Canonico, quatenus officia Ecclesiastica vendere interdicit, *cap. Salvator* 1. *q.* 3. Barbosa *d. c.* 11. *n.* 34. 21

Est verò dubium, an quando legatum relinquitur ad distributionem inter causas pias, possit hospitali concedi? Negavit Gabr. *tit. de causa pia, conclus.* 1. *n.* 17. *& conclus.* 2. *in fin.* 22

nam si est fundatum absque Episcopi authoritate, nec religiosum, nec pium est, sed sæculare. Ergo nequit legatum hoc ei concedi.

23 In contrarium est communis sententia, quia sunt loca pia: Ergo rectè eis concedi valet, Tiraquellus de privileg. caus. piar. in præfat. n.6. Valasco consult.105. n.38. Novar. var. sect.2. quæst.50. n.8. & in ult. impr. quæst.56. n.3. Barbosa de offic. Episcop.3. part. allegat.75. num.28. Ciriacus controv.530. num.59.

24 Hæc sententia in hospitalibus Ecclesiasticis, aut piis proculdubio admittenda est. Erit verò concertatio, an dari possit hospitali profano, seu sæculari? Abnegavit Gabriel, sed tamen existimo contrarium dicendum, si illa distributio legati ei concedatur, ut fiat in operibus piis, quæ ibidem interim quod revocatur, exercentur; nam licèt locus profanus sit, attamen opera illa pia sunt, ut benè considerat Valasco d. consult.105. n.38. Ergo rectè paritur voluntati relinquentis, dum ipsis operibus piis conceditur; nihil enim interest locus, dum reverà legatum in re pia expenditur.

25 Rursus disceptatio est, an hospitalia gaudeant beneficio restitutionis? Prima sententia negat, hospitale absque authoritate Episcopi fundatum hoc beneficium habere; quia est locus sæcularis, prout confraternitates, quæ privilegiis Ecclesiarum non fruuntur, Valasco dict. consult.105. num.44. Guttierrez can. lib.1. qu.35. à num.14. Marta de jurisdict.4. part. casu 113. num.23. Lara de Capellan. lib.2. cap.1. num.5. in fin. Pereyra in leg. Si curatorem, verb. Minoribus, num.63.

26 Secunda sententia tenet contrarium, ex leg. Privilegia 33. Cod. de Episcop. & Cleric. ubi omnia privilegia Monasteriis, seu Ecclesiis concessa, etiam piis locis conceduntur. Ergo cùm hospitalia sint pia loca, ut dictum est, Barbosa leg.30. num. fin. Cod. de Episc. & Cler. Valenzuela cons. 58. num.9. beneficium restitutionis habebunt, utpotè privilegium Ecclesiis concessum, cap.1. de in integrum restit. Idem probari poterit ex leg. Orphanotrophos 30. Cod. eod. tit. ubi pia loca minoribus comparantur; idcircò prout minoribus hoc beneficium competit, similiter hospitalibus, utpote piis locis, Riccius collect.653. Marta decis.169. Sfortia de in integr. restit.1. part. q.3. à n.37. Barbosa in d. leg.30. num.10. & de offic. Episc.3. part. allegat.75. à num.39. Novar. de elect. for. d. qu.54. num.4.

27 In hoc dubio breviter resolvendum, hospitalia authoritate Episcopi erecta hoc beneficio gaudere restitutionis, quia beneficium istud concessum est Ecclesiis, & rebus Ecclesiasticis, cap. Auditis, de restitut. in integr. cap.1. eod. tit. in 6. ubi Scribentes, Morla in Emporio, tit.5. in prælud. n.9. Molina de just. tract.2. disp.574. à n.1. Cùm ergo hospitalia Episcopi authoritate erecta Ecclesiastica sint, debent hoc beneficio potiri, Barbosa d. allegat.75. à n.32. Marta d. casu 113. à n.25. Sicut etiam gaudent immunitate aliarum Ecclesiarum, Mascard. conclus.869. n.8. Mena variar. lib.2. q.21. n.175. Bolanos in Curia, p.3. §.12. à n.1. Delbene de immunit. tom.2. c.16. sect.10. qui n.4. id extendit etiamsi hospitale non habeat Ecclesiam, aut Altare, dummodo sit auctoritate Episcopi erectum.

28 Si verò sit locus pius, ex eo quod perpetua deputatione ibidem opera pia exercentur, etiam restitutio competet; quia hoc privilegium porrectum est locis piis, in d. l. Omnia privilegia, & in l.30. C. de Episcop. & Cleric. Secus verò si sit hospitale profanum, & sæculare, ut dicebamus n.7. Fontan. decis.110.

29 Eodem enim modo resolvenda est altera quæstio, an bona hospitalis possint alienari absque juris solemnitatibus requisitis ad alienanda bona Ecclesiæ? Et quidquid dicant aliqui Doctorum, dicendum est esse necessarias, si hospitale sit erectum auctoritate Episcopi, quia verè sunt bona Ecclesiastica, Mascardus d. conclus.869. n.11. Marta d. casu 113. n.17. Valasco consult.106. num.34. Rubeus practic. capite 65. num.97.

30 Quod idem dicendum in hospitalibus tantùm piis, absq; Episcopi auctoritate fundatis, Auth. de non alien. §. Nos igitur, ubi fit extensio hujus privilegii usque ad hospitalia, quæ intelligas tantùm pia, ne vim literæ inferamus, Afflictis decis.67. in fin. Riccius d. collect.1886. vers. Quod quartam, & in praxi, tom.1. resol.37. Novarius d. q.54. n.4. refert decisum Naldus in Summa, verb. Hospitale, n.5. Secus verò si hospitale sit sæculare.

31 Illud verò breviter dicendum, quod si hospitale sit pium, aut auctoritate Episcopi erectum, & hæres instituatur, etiamsi inventarium non fecerit, non teneri ultra vires hæreditatis; quia in causa pia non præsumitur fraus, prout in aliis quibuscumque causis piis observatur, Barbosa d.3. p. allegat.75. n.33. Novarius d. q.54. n.8.

De gabellis an sint ab hospitali præstandæ, dimicant DD. 32
sed fœdere distinctionis facilè conciliantur: Si enim hospitale est sæculare, minimè immune est à gabellis; attamen id intelligendum, deducto onere, cui annexum est opus pium, sicut in aliis quibuscumque bonis profanis, quibus annexum est opus pium, Lara d. lib.2. cap.1. num.41. Si verò est auctoritate Episcopi erectum, aut pium, ita ut omnia bona, ac ejus fructus in operibus piis expendantur, à gabellis est immune, cap. Non minus, de immunit. Ecclesiar. Lassarte de decim. cap.18. num.9. Gironda de gabellis, 7. p. in princip. n.42. Valasco consult.105. num.41. Balmaseda de collect. q.26. n.7. Barbosa d. allegat.75. n.34. qui n.55. asserit, similia hospitalia Ecclesiastica, & pia habere privilegium capitis Ad aures 6. capitis Illud 8. capitis De quarta 4. de præscr. ne contra eorum bona præscribatur, nisi per tempus quadraginta annorum, Novarius d. q.54. n.15.

De quarta verò canonica similiter disceptatur, & pro 33
utraque parte aliquos adducit Barbosa dict. allegat.75. à num.43. Ast ipse distinguit, quando hospitale erectum est auctoritate Episcopi, & tunc ex legatis illis relictis canonica portio debetur. Attamen est facilis cautela ne debeatur, veluti relinquendo legatum pauperibus, qui ibi curantur, aluntur, seu nutriuntur; tunc enim portio canonica non debetur, sicut nec parochialis, cap.2. de sepult. Medicis opuscul.4. num.5. Tiraquellus privileg.28. Valasco dict. consult.105. num.13. quo modo à quarta solvenda liberabitur.

Si verò absque auctoritate Episcopi fuerit erectum, 34
quamvis sit locus pius, quartam canonicam non debet, quia non subest jurisdictioni Episcopi; duo enim requiruntur ad hanc quartam, quod locus sit pius, & insimul quod sit de jurisdictione Episcopi, Clement. Dudum, §. Ultra, de sepult. Cochier de jurisd. in Exempt. p.4. q.6. quamsi si non habet Episcopus, quartam non percipiet.

Verùm non admitto hoc ultimum membrum distinctio- 35
nis à Barbosa firmatum; hospitale enim, qui est locus pius, de jurisdictione Episcopi est, prout ipse Barbosa scripsit in c. Ad hæc 4. de relig. domib. n.2. ibi: Licèt hospitale, quod non est erectum, & approbatum authoritate Episcopi, locus religiosus, & sacer non sit, adhuc tamen videtur esse locus pius, & de jurisdictione Ecclesiastica. Quod idem scripsit de univ. jur. lib.2. c.11. n.21. Garcia de Benef.5. p. c.1. n.602. Bobadilla in Polit. lib.2. cap.18. n.228. Castillo lib.1. controv. cap.34. n.24. Sunt enim causæ piæ mixti fori, & ad utramque jurisdictionem pertinent; quare hospitale pium ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinet, ut dicit verius Valasco d. consult.105. num.38. Pax in praxi, tom.2. prælud.2. à num.45. Marta de jurisdict.2. p. cap.10. num.13. quare hospitale istud non solùm quia pium, verùm etiam quia jurisdictioni Ecclesiasticæ subest, quartam canonicam debet, Covarruv. in cap. Officii, de testam. num.14. Gottierrez can. lib.1. q.35. num.7. Azevedus in leg.10. tit.1. lib.4. Recopilat. n.27. Franciscus Leo in thesaur. for.2. par. cap.14. n.21.

Rursus causa hospitalis favorabilior est, quàm causa ali- 36
cujus Ecclesiæ, quia illa respicit bonum pauperum, & miserabilium personarum, pro quibus bona Ecclesiæ alienantur, Ruinus vol.1. cons.126. col.4. Trentacinquius variarum lib.1. cap.4. sub n.2. do rescript. Novarius d. q.54. n.12.

Unde decisio Marinis 284. suscipit majorem lucem, ubi 37
disceptabatur, an possit cogi Monasterium ad vendendam certam partem cujusdam viridarii pro ampliatione hospitalis, ad pauperes infirmos curandos: & decidit, posse. Nam licèt privilegium cogendi ad venditionem una causa pia non habeat contra aliam, quia pariter sunt privilegiatæ, l. Verùm, §. fin. ff. de Min. Auth. Nisi rogati, C. ad Senatusconsult. Trebell. id intelligitur quando ambæ æquale jus habent. Ast in præsentiarum Monasterium volebat retinere ex causa delectationis hospitale ad necessitatem amplioris pauperum curationis, quod est jus inæquale, & favorabilius; quapropter Monasterium cogendum est vendere partem viridarii. Hoc fundamentum solidum est, sed recipit adhuc majus ex doctrina apposita n.36. ubi absolutè dicitur, semper esse causam favorabiliorem hospitalis, quàm Ecclesiæ, unde etiamsi non esset viridarium, posset cogi ad vendendum.

In

38 In his verò hospitalibus minimè Religiosi Rectores, seu Administratores sunt præficiendi, nisi quando annexa sunt hospitalia, aut alia loca pia Monasterio; aliàs enim Clerici, aut Sæculares viri providi sunt nominandi, qui rectè regant jura, & formas decretas ipsius hospitalis, ad instar tutorum, & curatorum Barbosa *d.lib.3. cap.11.à n.39.* Lotterius *d. q. 6.n. 39.* Si verò Rectores sint à fundatore nominati, id erit observandum. *Authent. de Ecclesiast. tit. §. Si quis ædificationem, coll. 9.* nec nisi ex legitima causa sunt removendi: si tamen legitimè removeantur, ad Rectores, seu Administratores dativos est deveniendum, ut in tutoribus observatur, *leg. Non solum 10. §. Si liber, ff. de excusat. tut. l.1. ff. ubi pupill. educ. debeat.* Velasco *d. consult. 105. à n. 19.* Convenit tamen ne isti Rectores, seu Administratores dativi ultra triennium durent. Trid. *sess. 25. de reformat. c. 8.* Garcia *de Beneficiis, 1.p. cap.3. n. 5.* Rubeus *pract. cap. 88. n. 195.* interim tamen salaria, aut alimenta ab hospitali percipient, Lotterius *d. q. 6. à n. 31.*

39 Hæc quidem hospitalia, quæ auctoritate Episcopi fundantur, sunt loca Religiosa, subsuntque directioni Episcoporum, & in eis habent suam intentionem fundatam, *cap. Si quis Episcoporum 16. quæst. 5. cap. de Xenodochiis 3. de Relig. domib.* nisi exemptum fuerit in fundatione, ac in ejus limine, præscriptione, aut privilegio Apostolico, *Clement. Quia contingit, de Relig. domib.* ubi Gloss. *verb. de jure,* Fagnanus *in dict. cap. de Xenodochiis, num. 3.* Jul. Capponi *discept. 134. à n. 2.*

40 Unde sequitur, Episcopum similia hospitalia visitare posse, ut decretum est in Tridentino *sess. 22. de Reform. cap. 8.* ubi id ei etiam conceditur, tanquam delegato Sedis Apostolicæ, optima quidem ratione; nam si hospitale est erectum auctoritate Episcopi, Ecclesiasticum, & religiosum est. Si verò pium sit, profanum non est, quippe habet admiscibilitatem Ecclesiasticam, & spiritualem, quæ quidem per se petit, ut Ecclesiasticus de illo cognoscat, & visitet, ut benè considerat Lotterius *d. lib.3.q.6. nu. 14.* tenent Zerola *verb. Hospitale, n. 2.* Rota *2. par. recent. dec. 30. n. 8.* Hugolinus *de offic. Episcop. cap. 24. §. 1. sub num. 3.* Rubeus *practic. cap. 88. n. 180.* Urrutigoyti *de compet. jurisdict. quæst. 76.* Delbene *de immunit. tom. 2. cap. 10. dub. 11. sect. 11.* Capponi *d. disceptat. 134. à n. 8.*

41 Unde Rota apud Tondutum *de pensionibus, dec. 58. nu. 7.* scripsit minimè probari hospitale esse Ecclesiasticum, si ab Episcopo visitetur; quia etiamsi sine auctoritate illius fundatum sit, si tamen pium sit, sufficit ut Episcopus visitet.

42 Illud verò admittendum, & observandum, Episcopum visitare posse hospitale pium tantùm, etiamsi illius Administratores, seu Rectores laici à Principe deputentur: quod idem dicendum etiamsi hospitale sit sub cura Universitatis. Similiter asserendum, si hospitale pium habeat privilegium exemptionis, *Clement. Quia contingit,* ibi: *Etiamsi pia loca exemptionis privilegio munita consistant.* Trident. *d. sess. 22. cap. 8. & sess. 7. cap. 15.* Fagnanus *in d. c. Ad hæc 4. de Relig. dom. n. 21. & 22.* vel etiam non obstante consuetudine in contrarium. Trident. *d. cap. 8.* Fagnanus *ubi proximè, num. 14.* Capponi *d. disceptat. 134. à n. 24.*

43 Valet etiam Episcopus, si hospitale Ecclesiasticum est, de omnibus inquirere, & providere, & regimen, & modum electionis statuere, prout magis conveniens videbitur. Quando verò est tantùm pium, & absque ejus auctoritate fundatum, valet rationes administrationis petere, & illas exequi, ut libri ei demonstrentur. Potest similiter animadvertere in Rectores hospitalis negligenter versantes circa administrationem, & alia reformare & corripere, quæ non rectè secundùm fundationem, & pauperum curam efficiantur, vel quæ bonorum dilapidationem inducant, ut latè explicant Guttierrez *dict. quæst. 35. n. 37.* Zerola *verb. Hospitale, n. 3.* Marta *de jurisdict. 4. par. casu 113. n. 30.* Barbosa *ad Concilium, dict. sect. 22. cap. 8. num. 7. & dict. allegat. 75. à n. 56.* Capponi *dict. discept. 134. à n. 29.* Rubeus *practic. cap. 88. n. 187.* Palao *dict. tract. 13. disp. 1. punct. 7. n. 3.* Castillo *lib. 8. cap. 7. n. 12.*

44 Excipit tamen Concilium *d. sess. 22. cap. 8.* quando pium hospitale adesset sub immediata Regum protectione, quia considit curam, & Regum solicitudinem maximam esse circa pietatis officia, nec indigere alia Episcopi cura. Valasco *dict. consultat. 105. n. 62.* Marta *de jurisdict. 2. part. cap. 18. n 2.* Lara *de Capellan. lib. 2. cap. 1. n. 49.* Millius *ad Castill. de aliment. lib. 8. cap. 7. nu. 26.* Capponi *d. discept. 124. n. 34.* Valenzuela *cons. 58. n. 12.*

45 Sunt tamen duæ limitationes hujus asserti, nempe quando hospitale est Ecclesiasticum, licèt remaneat sub immediata Regum protectione, adhuc Episcopus illud visitabit; quia simile hospitale non comprehenditur in Tridentini decreto, *dict. cap. 8.* Ciarlinius *controv. lib. 1. cap. 65. num. 4.* Barbosa *ad Concilium dict. cap. 8. num. 28.* Altera etiam est limitatio, quando Episcopus vellet visitare, non quæ pertinerent ad administrationem, & curam hospitalis, sed quæ ad divinum cultum; hoc enim non continetur, licèt hospitale sit tantùm pium, in dicta exceptione Concilii, sed tantùm cura, & administratio hospitalis, ut rectè tenuerunt Pereyra *de Man. Reg. 2. p. cap. 17. num. 12.* Diana *1. part. tract. 1. resolut. 100.*

46 Est dubium, an Episcopus possit visitare Hospitale, quando fundator ita disponat, ne Episcopus se intromittat in ejus cura, & visitatione. Quidam asserunt, fundatorem id disponere non posse, nisi accedente Episcopi consensu; tunc enim non visitabit, quia videtur huic juri renunciasse, quando consensum præstitit: quod quidem licèt acquisitum renuere nequeat, secus tamen acquirendum ex ipsa fundatione. Si verò consensum non præstitisset, adhuc visitabit; quia fundator nequit facere, ne leges habeant locum in suo testamento, *leg. Nemo potest, ff. de legat. 1.* tenet DD. *ex c. Caputa 17. de testament.* Zerola *verb. Hospitale, n. 3.* Lara *de Anniversar. & Capellan. lib. 2. cap. 1. num. 17.* Carpio *de execut. testam. lib. 1. cap. 22. num. 65.* Rota *3. part. recent. decis. 33. in princip.* Barbosa *ad Concilium, dict. cap. 8. num. 3.* Valenzuela *cons. 58. n. 11.* Oliva *de for. Ecclesiæ, 3. part. quæst. 34. n. 42.*

47 Alteri verò inquiunt, quod licèt consensus Episcopi non accedat, si testator visitationem illius interdicat, minimè tamen visitare posse, prout declaravit Sacra Congregatio, quam refert Armendariz *ad leges Navarræ, l. 1. tit. 6. leg. 5. §. 2. n. 66.* Diana *1. part. tract. 1. resol. 83. vers. Sed quidquid.* Rota apud Farinac. *2. p. decis. 33.* Riccius *collect. 1227. & 1228.* Cevallos *de cognit. 2. p. q. 32. n. 5.*

48 Sed in hoc dubio dicendum, si Hospitale Ecclesiasticum, aut religiosum sit, aliquos dixisse esse observandam primam sententiam; secus autem si pium sit. Et ratio est, quia testator in rebus purè Ecclesiasticis nequit tollere curam & visitationem Episcopi, in quibus de jure habet fundatam suam intentionem, ut latè ait Riccius *dict. collect. 1228.* secus vero in pio, quia licèt habeat aliquam admiscibilitatem spiritualem, adhuc tamen majori ex parte remanet temporale, idcircò prohibere poterit, ne ab Episcopo visitetur.

49 Sed in utroque Hospitali, sive Ecclesiastico, sive pio sit, asserendum non posse Episcopum visitare, si in fundatione id ei interdicatur, ut latè de Capellaniis diximus *lib. 3. cap. 2. num. 35.* sicut nec rationes petere, si testator interdicat. Capponi *dict. discept. 134. à num. 41.* quæ omnia intelligas, nisi data negligentia illorum ad quos pertinet visitare, & ratiocinia petere; quia tunc non obstante fundatione contrarium præcipiente, Episcopus visitabit. Rubeus *practic. cap. 88. n. 191.* Capponi *dict. num. 41.*

50 Hæc de Hospitalibus dicta sufficiant: transeamus ad infantes expositos, quos alere, & nutrire pientissimum est, sicut crudele exponere, quapropter Noster Alfonsus *in l. fin. tit. 10. par. 4.* sic aiebat: *Verguenza, ò crueleza, o maldad mueve à las vegadas al padre, ò à la madre en desamparar los fijos pequennos, echandelos a las puertas de las Iglesias, è de los Hospitales, è de los otros lugares; è despues que los han assi desamparado, los hombres buenos, ò las buenas mugieres que los fallan, muevense à piedad, è llevanlos dende, è crianlos, ò danlos à quien los crie, leg. Necare 4. ff. de lib. agnosc. Novell. 153. in fine.* Hanc igitur piam causam commendat Christus Dominus *Matth. c. 18.* ibi: *Qui susceperit unum parvulum in nomine meo, me suscipit:* quod non solùm intelligendum quando domi excipimus, verùm his aliis modis benefaciendu. Maldonatus *ibidem, n. 5.* Valensis *in parat. ad tit. de infant. exposit. n. 1.* Novarius *de lect. for. q. 10. n. 4.* Lara *de Anniverf. lib 1. c. 21. à n. 67.* Velasco *de privileg. paup. 2. p. q. 65. §. 2. à n. 1.* Balmaseda *de collect. quæst. 57. à n. 1.*

51 Pientissimam causam istam præ cæteris designat Leoncillus *de privileg. paup. 1. par. quæst. 3. num. 63.* & non solùm à Christianis, verùm ab Ethnicis exercitam. Romani enim in Foro Olitorio Lacteariam portam habuere, ubi infantes ex-

exponebantur, & petita ab omnibus eleemosyna nutriebantur. Festus *lib.* 1. Alex. ab Alex. *lib.* 1. *cap.* 12. Succedeute verò tempore Imperator Trajanus celebrem domum ædificavit in monte Cœlio, & quamplurimis possessionibus ditavit, ut expositi nutrirentur, opus quidem tanto Imperatore dignum. Escobar *de ratioc. cap.* 25. *nu.*46. Gratian. *discept. cap.* 267.*n.*9. Unde plura Hospitalia ad expositos alendos origioem traxere, quæ *Xenones* dicebantur, *leg. unic.* §. *Sed scimus, C. de Latin. libert. toll.* Petrus Gregorius *lib.* 15. *Syntag. c.* 28.*n.*23. Apud nostrates jam similium hospitalium copia erecta est, nostrorum Hispanorum tantæ religionis, & pietatis opus. Lara *d. cap.* 21.*n.*71. Carranza *de partu, sect.* 2. *cap.* 4. Balmaseda *d. q.* 57. *n.* 2.

52 In urbibus, aut in aliis locis, ubi adsunt similia hospitalia, expensis illorum aluntur, & nutriuntur; & eorum præfecti tenentur eos suscipere, ut cum aliquibus probat Bossius *de aliment. cap.* 9. §. 1. *n.* 597. Sed est gravissima quæstio, quando non adsunt, à quo sunt nutriendi, & alendi. Prima sententia dicit, in defectu hospitalium à Regibus id esse agendum; quia cùm patres non habeant, si expositi ab intestato decedant, sunt illorum hæredes, *leg.* 1. *C. de bon. vacant. lib.* 10. idcircò ab eis sunt nutriendi, & alienandi. Baldus *in l. Si qua illustri, C. ad S.C. Orphician.* quod alteri non ita absolutè recipiunt, sed dicunt pro rata expositorum alimenta esse dividenda inter Regem, & Episcopum. Thesaurus *dec.* 118. Balmaseda *d. quæst.* 57. *n.* 8.

53 Secunda sententia dicit ad Ecclesiam pertinere alimenta ista ubi expositi sunt, quia proprium est pietatis illis infantes expositos alere; vel pertinere ad ejus Rectorem: sed si expensas non babent, ad Principem pertinebit. Abbas *in cap.* 1. *de infant. & lang. exposit. num.* 5. Barbosa *num.* 4. Sola *de capiend. debit. ex caus. civil.* 3. *part. gloss. unic. num.* 8. Escobar *d. cap.* 25, *num.* 45. Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 81. *à num.* 1.

54 Tertia sententia scripsit, ab ipsa Republica, Communitate, seu Universitate esse alendos, & nutriendos ubi exponuntur; his enim qui nullum patrem habent, omnis populus pater est, & ideò ab eo sunt alendi, idque ex bonis ipsius populi, aut communitatis, quorum expensæ in calculo sunt recipiendæ. Avendañus *de exequend. mandat.* 2. *par. cap.* 10. *num.* 19. Bobadilla *in Politic. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 38. Lara *in compend. vit. homin. cap.* 13.*n.*66. Bossius *d.* §. 1. *n.* 600.

55 Si verò deficiant bona publica ipsius Communitatis, ad collectas pervenire concessum est, quia necessitatis ipsa id petit. Carranza *dict. cap.* 4. *sect.* 2. *n.* 137. Phebus *decis.* 34. *n.* 12. Fragosus *de regim. Reipubl.* 3. *par. lib.* 1. *disp.* 2. §. 3. *n.* 29. Balmaseda *dict. quæst.* 57. *à nu.* 10. qui animadvertit ad hanc contributionem non esse necessariam Regiam facultatem; & ad illam etiam Clericos contribuere teneri, quia pro eleemosyna imponitur, ad quam majori ratione tenentur.

56 Non tamen oblivis caris similes collectas non esse imponendas, si expositus major sit septennio, quia saltem alimenta deserviendo percipiet: tum quia pro exposito non babetur, *leg. ult. C. pro derelict.* Carranza *dict. sect.* 2. *nu.* 6. Balmaseda *num.* 12. quorum doctrina non admittenda, si pueri isti languidi, aut infirmi ita sint, ut laborare non possint, quia tunc etiamsi majores, tamen pro expositis habentur. Valensis *in d. rub. n.* 1. *vers. Idem juris est*. Barbosa *n.* 2. *vers. Languidi*.

57 Hucusque DD. inter eas tamen sententias dicendum, hanc obligationem alendi expositos, ad pietatem, & charitatem pertinere, & in nullo potest dari obligatio justitiæ ad illos nutriendos; idcircò illud observandum videtur, ut à Prætore eligantur personæ piæ, & honoratæ, quæ pro populo eleemosynas petant, ex quibus expositi nutriantur; quæ si statim non adsint, aut periculum sit in mora, ne expositi fame pereant, ex bonis communibus, aut ex aliquo divite mutuum est petendum, ut interim alantur; & ad id poterit per judicem compelli. Avendañus *de exeq.* 2. *par. c.* 10. *n.* 19. Lara *d. cap.* 21 *n.* 74. Sanchez *cons. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 8. *n.* 4. In his verò judex non obliviscatur, quod si aliquæ sunt Confraternitates, aut fundationes, ut eleemosynæ pauperibus erogentur, inde extrahat quidquid suo arbitrio magis expedierit ad expositos alendos, ut desumitur *ex leg.* 19. *tit.* 12. *lib...Recopilat.* Escobar *de ratioc. d. cap.* 25. *num.* 46. *vers. Nonnulli*.

58 Si verò eleemosynę non sufficiant, quia oppidum parvum sit, aut vicini parum pii, ad collectam deveniendum; quia judex ex officio valet divites cogere ad præstandas eleemosynas egenis tempore gravis necessitatis, in quorum numero expositi censentur, utpote pauperes, & miserabiles personæ, gravissima necessitate laborantes. Novar. *de elect. for. q.* 10. *n.* 1. Tambur. *de jur. Abbat. tom.* 1. *quæst.* 15. *quæst.* 1. *n.* 12. Ergo poterit collectam ad id imponere loco illius eleemosynæ. Non tamen ad hanc collectam cogendi sunt pauperes, sed tantùm divites, qui eleemosynam præstare tenentur, cùm hi tantùm ad eleemosynam præstandam cogi valeant, inter quos Clerici divites debent contribuere. Lara *dict. cap.* 21. *n.* 74. & contributio ista pro rata est facienda. Surdus *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 71. Gratianus *Discept. For. c.* 267. *n.* 9. & 10. Novarius *dict. quæst.* 10. *n.* 3. *in fin.*

59 Postquam verò expositi isti majores fuerint, non sunt relinquendi, ut multoties contingit; unde ad otia dediti ad maxima vitia prolabuntur, & frequenter vagi, & latrones existunt; sed ad artes mechanicas sunt alliciendi, vel ad rem nauticam, ut latè deducitur *ex leg.* 34. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopilat. leg.* 11. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recopilat.* Navarrete ex nostris Clericis vir apprimè eruditus, & politicus *discurs.* 47. Balmaseda *d. q.* 57. *n.* 13. Nec abs re erit, si pauperi isti ad Oranium mitterentur, & ex his ibi in arte bellica eruditis, & exercitatis militia quædam crearetur ad bonum Reipublicæ, prout ex pueris diversis faciunt Turcarum Imperatores, vulgò Janissariis dictis, tanto illius diaboli Imperii incremento.

60 Pater qui filium exposuit, illum repetere valet; verùm expensas tenetur refundere nutrienti. In his ergo non solum alimenta rependet, sed & quæ facta fuerint ad illius educationem, & disciplinam, *l.* 1. *C. de infantibus exposit. l. fin. tit.* 20. *p.* 4. Ratio est, nam ad hæc omnia pater tenetur, quapropter illas expensas debet refundere. Gregorius *in d. leg. fin. gloss.* 3. Gratianus *Discept. For. cap.* 207. *num.* 41. Barbosa *in cap.* 1. *de infant. exposit. n.* 8. Garcia *de expens. cap.* 2. *n.* 8. & 9. Brocherus *de exposit. n.* 7.

61 Sed in his expensis recuperandis adest diserta lex 2. *tit.* 23. *lib.* 4. *for.* decernens, alimenta expositi non nisi usque ad decem annos petenda esse, ulteriùs compensantur cum ratione servitii, ut in tutoribus animadvertit Montalvus *in d. l.* 2. *for. verb. Fasta dies annos*. Guttiertez *de tut.* 2. *p. cap.* 3. *n.* 46. Velasco *de privileg. paup.* 2. *p. quæst.* 65. §. 2. *n.* 187. Temperat tamen assertum hoc *lex fin. part.* quando qui expositum nutrivit, propter Dei amorem id egerit; idque ex conjecturis probabitur, veluti quando alimentator fuisset valde dives, aut liberalis, quo casu non repetet. Gregorius *in d. l. fin. gloss.* 5. nisi pater fuisset ingratus, *leg. Patrem, C. de nupt.* Abbas *in cap.* 1. *de infant. exposit. n.* 3. Surdus *de aliment. tit.* 6. *q.* 18. *n.* 14. & 32. Velasco *ubi proximè*.

62 Quid vero si Ecclesia sit, quæ expositum aluit? Et Abbas *d. cap.* 1. *nu.* 3. scripsit repetere non posse expensas, quia est obligatio ipsius Ecclesiæ expositos alendi, *cap. Sacrorum* 15. 12. *quæst.* 2. Hanc doctrinam Abbatis non admitto quando adest pater dives, à quo expensæ possunt peti; nam licèt Ecclesia in necessitatibus gravibus teneatur pauperes alere, non tamen tenetur alere illos habentes patres divites ad hæc alimenta obligatos, ut supponimus in præsentiarum, ut illa persolvant.

63 Unde examinanda est doctrina quorumdam Doctorum asserentium, quod si Ecclesia protestetur se animo repetendi alere expositum, adhuc expensas petere non posse rationem dant, quia *ex d. cap. Sacrorum*, tenetur expositum alere: sed ab eo quod quis obligatur concedere, licèt protestationem fecerit, non relevat, *l.* 11. §. 1. *ff. de condict. indebit. l. Qui hominem* 34. §. *fin. ff. de solut.* quia protestatio non liberat ab obligatione, Mangilius *de imput. quæst.* 31. *n.* 17. Bossius *de aliment. cap.* 16. §. 1. *num.* 904. Ergo licèt Ecclesia protestetur, nequit illas expensas repetere. Abbas *d. num.* 3. Surdus *de aliment. tit.* 6. *quæst.* 19. *n.* 13. Velasco *dict. quæst.* 65. §. 2. *nu.* 190. Azorius *Inst. Mor.* 2. *par. lib.* 2. *cap.* 26. *q.* 1. *versic. Sed quæstio est*.

64 Ex scriptis *n.* 62. horum Doctorum doctrinam non recipio, quia si expositus habet patrem divitem obligatum ad has expensas, nullo modo Ecclesia tenetur ex aliqua obligatione illum alere; unde protestatio rectè valebit, ne intelligatur gratis illas præstare, sed animo repetendi, si patrem divitem habuerit ad ipsas adstrictum. Cæterùm licèt concederemus hanc obligationem in Ecclesia, id esset ex charitate, non autem ex justitia; quia protestatio, licèt non cludat obligationem justitiæ, attamen elidit obligationem cha-

charitatis procedentem ex pietate, & liberalitate. Iranzo *de potestat. cap.* 15. *nu.* 9. Ergo in præsentiarum protestatio deserviet, ut Ecclesia repetat expensas, si pater infantis locuples sit, & obligatus illas expendere.

65 Rursus quamvis obligatio fuisset de justitia, ut Ecclesia aleret expositos, nequit infans iste habens patrem divitem, obligatum omni jure ad has expensas, dici pauper; quia licèt interim sit in necessitate, & rectè eleemosynam illam recipiat; tamen habet reverà illud jus, ut à patre alatur & nutriatur, unde reverà non est pauper. Gratianus *discept. d. cap.* 267. *à num.* 42. Barbosa *in dict. cap.* 1. *num.* 8. Ergo etiamsi Ecclesia obligata fuisset ex justitia, adhuc posset illas expensas repetere. Denique per protestationem Ecclesia demonstrat animum non donandi, si patrem habuerit divitem ad alimenta expositi adstrictum. Iranzo *d. cap.* 15. *à num.* 16. Ergo si patrem habuerit divitem, rectè expensas ab eo repetet.

66 Gravior est difficultas quando exponeretur in hospitali instituto ad nutriendos infantes expositos, an expensas possit repetere, & ad eas pater dives obligetur? Et in hoc dubio dico in primis, quod si pater pauper erat quando filium exposuit, nec peccat, nec tenetur ad expensas; quia intentio fundatoris ea fuit, ut ibidem filii parentum pauperum alerentur; quare parentes filios exponentes ob inopiam in hospitali ad id destinato, ad nihil tenentur; id enim ex pietate concessum est similibus infantibus, *l.* 1. §. *Sed scimus, C. de Latin. libertat. toll.* qui textus licèt in servis loquatur, etiam de ingenuis intelligitur. Azorius *d. cap.* 26. *quæst.* 2. *in fin.*

67 Si verò pater fuerit dives tempore quo filium exposuit, est dubium. Prima sententia asserit ad nihil teneri; nam hospitalia ista intuitu pietatis, & misericordiæ hæc alimenta expositis præbent propter Dei amorem, non animo repetendi: Ergo Patres, quantumvis divites, non tenentur restituere, nec refundere expensas. Gloss. *in cap. Expositus, fin.* 87. *dist.* prout communiter intelligitur Acuña *ibidem, nu.* 13. Diana 3. *par. tract.* 6. *resol.* 40. quod alii admittunt, quando parentes divites ob vitandam infamiam filium exponerent. Azorius 2. *p. lib.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 7.

68 Secunda sententia est Henriquez, quem refert Bossius *d. cap.* 9. §. 2. *numer.* 606. dicentis non teneri patres divites has expensas refundere hospitali de justitia, & jure stricto; secus de æquitate, quatenus hospitale absque causa illas expendit, dum expositus patrem habet divitem, licèt eas det, ne patres filios necent, aut aliud malum perpetrent.

69 Tertia sententia communis est, in hac specie teneri parentes divites ad has expensas restituendas, ac posse ab hospitali repeti. Ratio est, quia horum hospitalium institutio est ad nutriendos pauperes expositos, qui non habent parentes; aut si habent, inopia tamen laborant, ita ut nequeant eos alere: Ergo quoties pater dives fuerit, tenetur expensas illas refundere, ac hospitale repetere. Sanchez *d. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 4. *num.* 16. Villalobos *in Summa*, 2. *part. tract.* 41. *diff.* 7. *n.* 10. Bonacina *de contract. disp.* 6. *q. unic. punct.* 6. §. 1. *prop.* 2. *num.* 6. Trull. *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 2. Layman *lib.* 3. *Sum. tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 14. *num.* 4. Bossius *d.* §. 1. *n.* 607. Leoncillus *de privileg. paup.* 1. *p. quæst.* 3. *n.* 67. Carpio *de execut. lib.* 3. *cap.* 12. *n.* 31.

70 In hoc dubio maxima consideratione inspicienda est mens fundatoris hospitalis; nam si simpliciter fundaverit, absque aliqua declaratione, tenenda est hæc ultima sententia, quia præsumitur tantùm fundasse ad sublevandos parentes pauperes, qui nequeunt filios alere, utpote opus magis pium, & Deo gratius. Molina *de just. tract.* 3. *disp.* 103. *numer.* 4. Verùm si fundator expresserit, aut ex verbis ejus concipiatur, voluisse ut redditus illi liberaliter expenderentur in alendis expositis, inspecta solùm eorum præsenti necessitate, absque aliqua consideratione ad parentes, tunc parentes, licèt divites, ad nihil tenentur; quia liberaliter expensæ illæ donatæ fuerunt expositis, ut benè docet Villalobos *d. diff.* 7. *n.* 10.

71 Est enim gravis conjectura donandi liberaliter has expensas expositis, si hospitale ditissimum fuerit, quia compensatione non indiget. Layman *d. cap.* 14. *num.* 4. *vers. Dico tertiò*. Quod facilè admittendum, nisi expressim dicat fundator pro pauperibus fundare. Lessius *de justit. lib.* 2. *cap.* 19. *dub.* 2. *nu.* 69.

72 Is ad cujus januam infans expositus est, valet aliquoties ad alterius januam exponere absque delicto, nempe quando infamiam timeret, v. g. si fuisset Sacerdos, aut altera persona gravis; quia pessimi, & malitiosi dicerent filium ipsius esse. Idem dicendum quando non haberet superfluum naturæ sibi, & suis, aut quando adesset hospitale: ubi facilè reponeretur, ut ibidem nutriretur: nec ideo tenebitur ad aliquam restitutionem, quia non peccat contra justitiam. Sanchez *cons. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *à numer.* 71. Bossius *dict. cap.* 9. §. 3. *per tot.*

73 Est dubium, an expositi legitimi censeantur. Plurimi asseruere illegitimos esse; nam licèt aliqui parentes legitimos filios exponant ob inopiam, aut gravissimam paupertatem, utplurimùm tamen illegitimi sunt, quorum parentes, aut ob vitandam infamiam, aut quia pauperes sunt, eos exponunt; itaque in dubio illegitimi sunt existimandi. Et confirmatur ex Rota *in novis. decis.* 280. *n.* 3. asserente repugnare legitimitati esse expositum; non enim aliqua præsumptio capi valet ex his quæ repugnant, *l. Ubi repugnantia, ff. de reg. jur.* Ergo expositi illegitimi sunt præsumendi. Garcia *de Benefic.* 7. *p. cap.* 2. *à n.* 8. Covarruv. *in Clement. Si furiosus*, 1. *p. in princ. n.* 9. Escobar *de purit. sang.* 1. *p. q.* 4. §. 6. *n.* 6. *&* *q.* 8. §. 3. *à n.* 41. Suarez *cons. tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 4. *n.* 4. Layman *in Summa*, *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. Reginaldus *in praxi for. lib.* 30. *num.* 77. *vers.* 7. Thomas Hurtado *tom.* 2. *Resolut. Mor. tract.* 8. *cap.* 6. *resol.* 51. *n.* 538.

74 Alteri verò contrarium tenent, quia non solùm illegitimi, sed quamplures legitimi exponuntur; idque Ugolinus, dum curam animarum exercuit, testatur apud Garciam *d. c.* 2. *n.* 9. Cæterùm in dubio non est præsumendum delictum, *cap. Estote, de regul. jur. leg. Quoties, ff. pro soc.* Ergo expositi non sunt præsumendi illegitimi. Menochius *de præsumpt. lib.* 6. *præs.* 54. *num.* 29. Mascardus *de probat. conclus.* 799. Gratian. *Discept. For. cap.* 135. *à n.* 31. Barbosa *in rub. de infant. exposit. à n.* 3. *& de offic. Episcop.* 3. *par. allegat.* 51. *n.* 150. Tambur. *Oper. Moral. lib.* 1. *Decalog. cap.* 3. *de Consc.* §. 7. *verbo Legitimus*, & alii apud Leoncillum *dict. q.* 3. *n.* 64.

75 Resolutio hujus quæstionis pendet ab alia, an in dubio quis præsumatur legitimus, de qua Santarellus *tom.* 1. *var. q.* 44. Palao *Oper. Mor. tom.* 1. *de conscientia*, *disp.* 3. *part.* 5. Diana *p.* 4. *tr.* 3. *resol.* 6. Verùm quæstionem illam ita admittenda censeo, ut in dubio semper quis præsumatur legitimus, nisi in casibus, in quibus qualitas legitimitatis necessariò est probanda, veluti quando simul cum legitimis velit aliquis ad hæreditatem venire, ut cum Azevedo tenet Palao *d. p.* 5. *n.* 3. vel voluerit intrare Collegium, vel Ordinibus initiari, aut officia Sanctæ Inquisitionis exercere requirentia qualitatem legitimitatis. Barbosa *in d. rub. n.* 3. Velasco *d. q.* 65. §. 2. *n.* 199. Hurtado *d. resol.* 51. *n.* 546.

76 Unde sequitur expositos, nisi in his casibus, censendos esse legitimos, quia in aliis sufficit legitimitas præsumpta, sicut in relatis verè, & legitimè probanda est. Ad id extat Bulla Gregorii XIV. edita anno 1591. ubi in gratiam Confraternitatum expositorum decernit eos pro legitimis habendos: unde Gallego *de Conscient. dubia*, *dub.* 54. *vers. Notandum*, asseruit expositos ad Ordines promoveri posse. Tambur. *dict.* §. 7. plures Velasco *d. qu.* 65. §. 2. *num.* 198. Quorum sententiam admitterem, quando expositi sint illarum Confraternitatum, quibus Pontifex tale indultum concessit; aliàs semper erit necessaria dispensatio, quæ ab Episcopo fieri valeat, cùm illegitimitas sit dubia. Layman *dict. tract.* 5. *par.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. *vers. Dico secundo*. Illud tamen citra dubium est, ut expositi cives censeantur illius loci ubi exponuntur. Cappout *discept.* 55. *n.* 27. Hurtado *dict. resol.* 51. *n.* 547.

77 Exponentes filios graviter sunt puniendi, *leg.* 3. *tit.* 23. *lib.* 4. *for.* pœna verò erit arbitrio judicis imponenda. Gloss. *in l.* 2. *Cod. de infant. expositis*, Vela *de delict. cap.* 9. Otero *divers. qq.* 3. *par. q.* 11. *n.* 3. Bossius *in praxi*, *tit. de homicid. n.* 7. Velasco *d.* §. 2. *num.* 184. Riccius *in praxi*, 1. *part. resol.* 28. quæ quidem pœna aliquando poterit extendi usque ad mortem, scilicet quando ex expositione sequuta est mors infantis. Decian. *tract. crim. lib.* 9. *cap.* 8. *n.* 9. Valensis *in rub. de infant. n.* 1. Velasco *dict. q.* 65. §. 2. *à n.* 1.

78 Cæterùm Pater filium exponens patria potestate privatur, *cap.* 1. *de infant. exposit. l.* 2. *C. eodem tit. l.* 4. *tit.* 20. *part.* 4. *l.* 4. *tit.* 20. *lib.* 4. *for.* non enim convenit, ut qui crudeliter se gessit cum filio, habeat in eo jura. Azorius 2. *part. lib.* 2. *cap.* 26. *quæst.* 1. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 4. *casu* 396. *num.* 11. Gratianus *dict. cap.* 267. *à num.* 1. Barbosa

bosa *de offic. Episcopi*, 3. *par. allegat.* 51. *n.* 145. qui *n.* 147. scripsit ad hanc pœnam incurrendam tria esse necessaria. Primum, quod pater exposuerit. Secundum, quod haberet unde illum alere posset. Tertium, quod damna non resarciat piis locis, ubi infans expositus fuit. Aliàs si ex necessitate, vel ob timorem infamiæ, vel mortis exposuerit, excusabitur: quod idem dicendum, si ab alio, illo ignorante, exponatur, ut latè explicat Velasco *dict.* §. 2. *n.* 205. Bossius *dict. cap.* 9. §. 4. *per tot.* nec pater ex eo, quod amittat patriam potestatem, ab ejus alimentis liberabitur, nec ab obligatione refundendi expensas. Gratianus *d. cap.* 267. *à n.* 34. Barbosa *dict. allegat.* 51. *n.* 140.

CAPUT XII.

De Confraternitatibus, Collegiis Scholarium, ac de relictis ad studia pauperum.

SUMMARIUM.

Unde Confraternitas dicatur, num. 1. *Aliquæ Confraternitates sunt illicitæ, num.* 2. *Aliæ licitæ, nu.* 3. *Aliæ piæ, & meritoriæ, num.* 4.

An ad has pias confraternitates requiratur authoritas Prælati, negant aliqui, num. 5. *Sed contrarium statuitur, num.* 6.

Si fiant authoritate Episcopi, sunt religiosæ, aliàs tantum piæ, & fruuntur omnibus privilegiis causarum piarum, n. 7.

Confraternitates si non sunt annexæ Ecclesiis inseparabiliter, possunt ab eis recedere, nec manutenentur Ecclesiæ, n. 8. *Confratres possunt Confraternitati renunciare, nisi bona illius retineant, n.* 9.

Confraternitates piæ non tenentur ad subsidium, & excusatum, num. 10. *Nisi aliquod beneficium habuerint annexum, num.* 11.

An subsint jurisdictioni Ecclesiasticæ, negant aliqui, nu. 12. *Affirmant alteri, num.* 13. *Distinguunt alii, nu.* 14. *Resolvitur, nu.* 15. *&* 16. *De visitatione earum idem dicitur, quod de hospitali, licet sint in Ecclesiis Regularium, n.* 17. *Sed quid si sint in aliqua Capella, explicatur, num.* 18.

Si Confraternitas habuerit Ecclesiam, Eucharistia ibidem nequit adesse, nec Capellani percipient jura Parochialia, num. 19.

An possint compelli ab Episcopo, ut eant ad processiones, controversia est, n. 20. *Resolvitur, nu.* 21. *Ibique præcedentia earum observabitur, à n.* 22.

Collegia Scholarium authoritate Episcopi erecta sunt Ecclesiastica; si ad pauperes attineant, sunt pia, aliàs secularia, n. 23.

De piis est sermo, in quibus adest abusus, de quo n. 24. *In quo grave delictum consideratur, n.* 25.

In dubio an sint Ecclesiastica, conjecturis standum, de quibus ibi, n. 26. *Si sint Ecclesiastica, aut pia, ad gabellas non tenentur, n.* 27. *Nec ipsi collegæ ad personales, n.* 28. *Si habuerint tabernas, ab iis non excusantur, nu.* 29. *Nisi ad id habuerint privilegia, n.* 30.

Si Ecclesiastica sint, tenentur ad subsidium, exceptis bonis patrimonialibus: si verò pia, nequaquam, nu. 31. *Gaudent vero privilegio restitutionis, nec eorum bona alienari valent, numer.* 32. *Seminaria secundum Concilium sunt pia, num.* 33. *Sunt mixti fori, nec collectantur, num.* 34.

Ad contributionem Seminarii tenentur omnes habentes redditus Ecclesiasticos, qui enumerantur, n. 35.

Legatum pro Magistro Grammaticæ valet applicari Seminario, num. 36. *Sed an idem de legato ad pias causas, negant aliqui, num.* 37. *Sed contrarium statuitur, nu.* 38. *Possunt etiam applicari aliqua beneficia simplicia, & id explicatur, n.* 39.

An unio beneficii simplicis possit fieri Seminario nondum erecto, negant plures, n. 40. *Affirmant alteri, n.* 41. *Resolvitur, à n.* 42. *Legata facta pauperibus Scholaribus ad studia, sunt valde favorabilia, nu.* 45. *Tripliciter considerantur, & explicantur, à n.* 46.

Legatum ad studia dandum in quantitate, & ipsa danda prout necessitas petierit, & in ipsa Academia, n. 48.

Quis Scholasticus dicatur ad percipiendum hoc legatum, num. 49. *&* 50. *Requiritur ut sit capax tempore electionis, nu.* 51. *&* 52. *An majoribus annorum vigintiquinque præstari possit hoc legatum, negat prima sententia, n.* 53. *Secunda affirmat, nu.* 54. *Resolvitur, n.* 55.

An legatum factum Scholari ad studia, transeat ad Monasterium, si illud ingrediatur, ponitur ratio dubitandi, nu. 67. *Affirmative respondet Ludovicus à Conceptione, nu.* 57. *Resolvitur, & explicatur, à n.* 58.

Legatum hoc non est dandum Scholasticis otiosis, n. 62. *Si relictum fuerit, ut certo tempore præstetur, id observes, nu.* 63. *Et si studiosis relinquatur, secundum merita concedendum, ibid.*

DE confraternitatibus aliqua sunt à nobis differenda, 1
non tamen latè agendum; quia quæ de hospitalibus scripsimus, eadem confraternitatibus, quæ in operibus piis exercentur, utique conveniunt. Unde enim confraternitas sit dicta, ex variis Græcorum verbis autumant DD. quos refert Barbosa *de univ. jur. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 66. Ast verius existimo, confraternitates dictas ab usu antiquo Christianorum, qui inter se communiter fratres dicebantur ad invicem, ut scripsit Minut. *in Octav.* ibi: *Mutuò nos fratres vocamus, ut unius Dei parentis homines, ut consortes fidei, & spei cohæredes.* Tertullianus *in Apolog. cap.* 39. & passim apud Paulum legimus. Seorsim verò mos iste oblitus, tantùm ad Canonicos pervenit, & tandem ad cœtus Religiosorum, Lanemeter. *de vet. Clericor. vit. & discipl.* 2. *p. lib.* 2. *c.* 46. *à princip.* unde Christiani in aliqua sodalitate ad opera pia exercenda coadunati, Confratres dicti sunt, & inde hæ societates Confraternitates, quæ cùm ad opera misericordiæ, pietatis sint institutæ, piæ dicuntur. Gratianus *discept. cap.* 481. *n.* 11. Riccius *in praxi*, 3. *p. resol.* 142. Novarius *de elect. for. q.* 56. *n.* 2. Capponi *discept.* 176. *n.* 12. Durantius *de Rit. Eccles. lib.* 1. *cap.* 26. *n.* 9.

Ad hujus autem materiæ intelligentiam observandum, 2
aliquas esse confraternitates laicales, quarum aliquæ illicitæ sunt, *leg.* 1. *ff. de Collegiis illicit.* & istæ sunt omnes, quæ fiunt absque Principis auctoritate, Ant. Fabric. *Rud. Iur. Can. lib.* 3. *tit.* 6. §. 4. Riccius *collect.* 633. Verùm specialiter loquendo, illæ reprobæ sunt, quæ ad ebrietates, & comessationes fiunt: & pessimæ, quæ adversùs Superiorem congregantur, *leg.* 1. *&* 2. *C. de seditios. leg. Denunciamus, C. de his qui ad Eccles. confug. cap. Si qui Clerici* 23. 11. *q.* 1. *l.* 16. *&* 17. *eit.* 26. *p.* 2. Estque gravissimum scelus, quapropter de Jure Canonico conspiratores excommunicantur, *cap. Conjurationum* 21. 11. *q.* 1. & eorum bona publicantur, *l. Conventicula, C. de Episcop. & Cleric.* & infames redduntur, Marta *de jurisd.* 2. *p. cap.* 23. *à n.* 6. Decianus *tract. crimin. lib.* 7. *cap.* 20. Pancirolus *var. lect. lib.* 1. *cap.* 77. D. Laurentius Matheu *de re crimin. controv.* 15. *à nu.* 20. Quibus addere libet alias sodalitates, seu congregationes mercatorum ad monopolia facienda, bono publico adversantia, scilicet ut omnes uno pretio aut vendant, aut emant: quod reprobatissimum est, Marta *d. cap.* 23. *nu.* 2. Capponi *discept.* 276. *n.* 53. & latissimè *discept.* 262. *per tot.*

Aliæ verò confraternitates laicales licitæ sunt, per se lo- 3
quendo, sicuti mercatorum, & officialium, continentes statuta aliqua necessaria ad mercimonia, unde bonum publicum procedit: hæ quidem si à Principe confirmentur, rectè incedunt, suntq; purè temporales, & earum cognitio tantum ad sæcularem judicem pertinet. Ex his Romę plures instituit Numa Pompilius, de quibus Plutarcus *in ejus vita*, Plinius *lib.* 36. *c.* 12. Verùm postea nimis crescentes ad perniciem Reipublicæ declinarunt: quapropter L. Cæcilio, & Q. Martio Consl. moderniores sodalitates mercatorum fuerunt sublatæ, relictis antiquioribus, quæ magis proficuæ apparuerunt. Cicero *Orat. in Pisonem.* Denique currentibus temporibus, his omnibus à Julio Cæsare deletis, antiquæ tantùm fuerunt restitutæ. Sueton. *in ejus vita*, Petr. Gregor. *Syntag. lib.* 15. *c.* 32. *n.* 3. Marta *d. c.* 23. *n.* 24. Mysingerius *cent.* 6. *observat.* 2. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *cent.* 6. *casu* 597. *à n.* 1. Mendo *de jur. Academ. lib.* 1. *q.* 31. *à n.* 562.

Alteræ sunt Confraternitates, quæ ad bonum animæ ten- 4
dunt, utpote quæ in operibus piis versantur, veluti in dicendis Missis, curandis pauperibus infirmis, in erogandis eleemosynis, & similibus: quæ quidem non solùm licitæ sunt, verùm Sanctæ, & meritoriæ, ubi fideles plurima bona percipiunt, *l.* 1. §. *Si Religionis, ff. de Collegiis illicit.* ubi Bart.

Marta

Marta *dict. cap.* 23. *num.* 18. Azevedus *in leg.* 3. *tit.* 14. *lib.* 8. *Recopilat. à nu.* 14. Est tamen magnopere animadvertendum, ne prætextu Religionis, vel causarum piarum Confraternitates fiant ad damnum publicum, seu proximorum, ut est apud Nostrates optima lex 3. *tit.* 14. *lib.* 8. *Recopilat.* ubi similia perpetrantes capitali pœna,& bonorum confiscatione compescuntur. Paz *in leg. Styli* 8. *num.* 81. Gutierr. *can. lib.* 1. *qu.* 35. *à num.* 1. Durantius *d. cap.* 16. *num.* 9.

5 Est dubium, an quando hæ confraternitates ad causas pias instituuntur, necessaria sit auctoritas Prælati, vel Superioris? Aliqui asserere necessariam non esse, nam similes sodalitates licitæ sunt, & in obsequium Dei, & ipso jure approbantur: Ergo non indigent aliqua auctoritate, seu confirmatione Superioris. Et confirmatur, nam si aliquis in particulari vellet opera pia similia exercere, non indiget auctoritate, seu confirmatione Superioris: ergo nec quando particulares in Confraternitate similia peragunt. Felinus *in cap. Accedentes, de prebend. num.* 6. Abbas *vol.* 1. *consi.* 32. *n.* 104. Azevedus *in dict. leg.* 3. *Recopilat. num.* 21.

6 Contrarium verò hodie tenendum ex Constitutione Clementis VIII. die 6. Decembris 1616. decernentis, minimè has Confraternitates esse instituendas absque Ordinarii licentia, prius Statutis diligenter examinatis, prout etiam declaravit Sacra Congregatio 7. Octobr. 1617. Idque tutissimè statutum; nam præterquam quod quælibet Congregationes sunt periculosæ, illæ sanè quæ circa Religionem versantur sunt periculosissimæ, cùm ibi superstitiosa, aut irreligiosa valeant permisceri, prout quotidie ex conventiculis oriuntur hæreses, *cap. Cum ex injusto* 12. *de hereticis.* Nicolaus III. *Bul.* 2. §. 20. Gregorius IX. *Bull.* 3. §. 7. Scortia *in Summa Const. Apost. epitom.* 6. *theorem.* 12. & *theorem.* 32. Rursus licèt Congregationes, seu Confraternitates istæ per se licitæ sint, & meritoriæ; ratione tamen periculi illicitæ sunt, nisi fiant prævio examine, & licentia Superioris. Mysingerius *cent.* 6. *observ.* 2. *n.* 3. Ergo erit id necessarium. Nec confirmatio pro contrariis posita est alicujus ponderis, quia non adest simile periculum quando opera pia exercentur ab aliquo particulari, prout quando fiunt in sodalitate per modum statuti. Marta *dict. cap.* 23. *n.* 19. Aviles *in cap. Pratorum, verb. Ni confederacion, num.* 10. *fol. mihi* 72. Barbosa *de univ. jur. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 73. Capponi *dict. discept.* 276. *à num.* 55.

7 Hæ Confraternitates, si auctoritate Episcopi fiant, non solum ut licitæ sint, sed ut interveniat ad alios juris effectus, Ecclesiasticæ, & religiosæ remanebunt, alias tantùm erunt piæ, prout alteræ quæ ex longo, & antiquo tempore adsunt absque alicujus Ordinarii auctoritate, quæ omnes funguntur omnibus privilegiis altarum piarum. Benedictus Ægidius *in l.* 1. *Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis,* 1. *par. n.* 54. Lara *de Anniverſ. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 29. Barbosa *d. cap.* 11. *nu.* 78. quapropter quidquid diximus de Hospitali pio, idem tene de his piis Confraternitatibus quoad forum, collectas, restitutionem, alienationem bonorum, &c. Barbosa *d. cap.* 11. & 3. *par. allegat.* 75. Antuñez *de donat. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 31. Cyriacus *controverſ.* 364. Garcia *de Beneficiis*, 5. *part. cap.* 1. *num.* 604. Balmaseda *de collect. quæſt.* 26. *num.* 4. qui plures dat, Thoro *privileg.* 265.

8 Si Confraternitates sunt positæ in aliqua Ecclesia, non ei unitæ inseparabiliter, quando eis placuerit, possunt ab illa recedere, & in alia se constituere; quia non sunt obligatæ, nec insertæ loco illi, quin potiùs per se separatæ: & licèt habeant aliquam conjunctionem, tamen est remota, minimè obligans ad assistentiam. Itaque quando eis placuerit, valent se alibi transferre. Petrus Ubaldus *de Can. Episcop. qu.* 14. *in princip. num.* 9. & 22. Capponi *tom.* 5. *discept.* 345. *num.* 2. Tondutus *quæſt. Benef. tom.* 1. *cap.* 43. *à num.* 3. qui asserit, minimè Ecclesiam, seu Monasterium, ubi sita est Confraternitas, posse in aliqua possessione manuteneri; quia cùm assistentia ibidem sit actus facultativus, non causat aliquam possessionem, aut quasi, ut mandatum de manutenendo obtineat. Rota 4. *part. recent. decis.* 803. apud Farinac. *tom.* 2. *decis.* 565. *n.* 1. Gratianus *discept. for. cap.* 565. *n.* 49. Posthio *de manut. observ.* 53. *per tot.* qui *n.* 2. *in fin.* scripsit hos actus facultativos potiùs destruere possessionem, quàm probare. Capponi *d. num.* 2.

9 Confratres possunt confraternitati renunciare; nam sicut liberum est quemque se confratrem scribere, similiter liberè potest ab ea recedere: quod temperandum, si bona sodalitatis retinuerit, non enim nisi his dimissis valet recedere. Tondutus *d. cap.* 53. *n.* 4. Azevedus *in dict. l.* 3. *tit.* 14. *lib.* 8. *Recopilat. n.* 6. qui *n.* 4. dicit officialem Confraternitatis non posse bona illius alteri sodalitati conferri, nisi adsit omnium Confratrum consensus.

Sed quæritur an ad subsidium, & excusatum Confraternitates istæ teneantur? Et affirmandum videtur, nam cùm ex Constitutione Clementis debeant semper institui cum auctoritate Episcopi, Ecclesiasticæ censentur. Ergo ad subsidium, & excusatum obligantur. Hoc enim fundamentum solidum non est, quia auctoritas ista ex dicto Decreto petitur, ut hæ sodalitates fiant licitæ, unde nequeunt considerari Ecclesiasticæ ex hoc solo requisito. Mendo *dict. lib.* 1. *qu.* 37. *n.* 620. quare dicendum, quod si non fiot propriè Ecclesiasticæ, sed tantùm piæ, ad subsidium, & excusatum non tenebuntur. Azevedus *in dict. leg.* 3. *n.* 7. Barbosa *dict. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 99. Balmaseda *de collect. qu.* 26. *num.* 3. 10

Si verò his sodalitatibus fuerit unitum aliquod Beneficium Ecclesiasticum, pro ratione illius ad subsidium, & excusatum obligantur, prout Seminarium, quod licèt contribuere ad subsidium non teneatur, si tamen habeat annexum Beneficium, seu unitum, pro illius causa ad contributionem obligatur, ut declaravit Sacra Congregatio 5. Jul. 1628. quia revera bona ista sunt Ecclesiastica. Barbosa *collect. decis.* 107. *à num.* 18. 11

Est verò dubium, an confraternitates laicorum sint de foro judicis sæcularis? Et plurimi affirmarunt, quia respectu personarum sunt illius fori: tum respectu sodalitatis sæculares etiam relinquuntur: ergo ad forum sæcularis judicis pertinent. Covarr. *pract. c.* 36. *nu.* 7. Gutierr. *can. lib.* 1. *qu.* 35. *à nu.* 19. Cevallos *comm. qu.* 897. *num.* 98. Parladorius *diff.* 9. §. 1. *num.* 9. Ansaldus *de jurisdict.* 2. *par. tit.* 1. *casu* 14. *num.* 10. & 41. Capponi *discept.* 154. *à num.* 17. qui *num.* 21. id extendit etiamsi tales Confraternitates habuerint statuta confirmata à Pontifice, vel Episcopo. Lara *lib.* 2. *cap.* 1. *à num.* 6. 12

Alteri contrarium tenent: ratio est, nam confraternitates istæ ex decreto Clementis debent fieri, & approbari ab Episcopo, & ejus auctoritate sunt instituendæ, unde remanent Ecclesiasticæ, *cap. de Xenodochiis* 3. *de Relig. domibus, juncto cap. Ad hæc* 4. *eod. tit.* quare nequeunt pertinere ad judicem sæcularem, sed ad Ecclesiasticum, ut cum aliquibus docet Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *par. allegat.* 75. *num.* 30. Urrutigoyti *de compet. qu.* 78. 13

Nec desunt alteri distinguentes, & dicentes has confraternitates in rebus spiritualibus, quas exercent, subesse jurisdictioni Ecclesiasticæ; secus in aliis temporalibus, quæ sunt jurisdictionis sæcularis. Bobadilla *in Polit. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 218. *cap.* 113. Barbosa *allegat.* 78. *num.* 24. 3. *part.* 14

In hoc dubio dicendum, quod si confraternitates auctoritate Episcopi instituantur, Ecclesiasticas esse, & debere frui privilegio fori Ecclesiastici, quia verè sunt Ecclesiasticæ, quo in sensu loquitur Barbosa *d. allegat.* 75. *n.* 31. Si verò auctoritas ista simpliciter interveniat ad approbanda tantùm statuta, ut licita fiant, Ecclesiasticæ censendæ non sunt; relinquentur enim in natura sæcularitatis, si sæculares sunt; & pietatis, si piæ fuerint: quapropter si sæculares, ad judicem sæcularem pertinebunt; si verò piæ, erunt mixti fori, & dabitur locus præventioni. Barbosa *dict. allegat.* 75. *num.* 15. estque optimus textus *in Authent. de Ecclesiast. tit.* §. *Si quis ædificationem*, ibi: *Providentia locorum Episcopi, & civilis Judicis.* 15

Sunt tamen aliquæ sodalitates purè sæculares, in quibus artes exercentur, verùm habent aliqua admixta exercitia spiritualia: & licèt ad judicem sæcularem pertineant, respectu tamen rei spiritualis, & circa ipsam Episcopo subsunt, ut benè notat Bobadilla *d. cap.* 18. *num.* 218. Si tamen aliqua pia exercitia peragant, utrique judici cognitio competit ad præventionem. Illud tamen cum Azevedo non omittas, *in l.* 10. *tit.* 1. *lib.* 8. *Recopilat. nu.* 25. quod si collegium, seu confraternitas componatur majori parte ex Clericis, ad Ecclesiasticum judicem pertinebit; secus si conficiatur ex majori laicorum parte. 16

De harum confraternitatum visitatione idem est dicendum quod de hospitalibus, Azevedus *in l.* 3. *tit.* 14. *lib.* 8. *Recopilat. num.* 9. Sed addendum aliquid de confraternitatibus, quæ sint sitæ in Ecclesiis Regularium, adhuc ab Episcopo visitari possunt, ut declaravit Sacra Congregatio 6. Decemb. 1616. nam exemptio loci confraternitatem non eximit, quæ est corpus separatum, & diversæ qualitatis, 17

Ge-

Genuensis *in praxi Archiepisc. cap.* 21. *in princip.* Riccius 4. *part. dec.* 209. *n.* 8. Gratianus *discept. for. cap.* 481. *num.* 25. Ricciolus *Lucubrat. Ecclesiast. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 3.

18 Sed quoad Capellas ipsarum confraternitatum, quæ sunt in Ecclesiis Regularium, est dubium an eas visitare possit. Et Sacra Congregatio 20. Octobr. 1616. declaravit, minimè visitare posse; nam cùm Capellæ incorporatæ sint in Ecclesiis Regularium, exemptione illarum fruuntur, ne ab Episcopo visitentur. Sed in his Capellis duo sunt consideranda. Primum pro parte respiciente administrationem Regularium: Secundum ex parte quæ ipsam confraternitatem respicit. Pro prima nequit Episcopus visitare: secus pro illa parte concernente ad administrationem ipsius Confraternitatis. Riccius *d. dec.* 209. *n.* 8. Ciarlinus *lib.* 1. *controv.* 65. *n.* 8. Barbosa *in Summa Apost. decis.* 207. *num.* 31. & *de offic. Episcop.* 3. *p. allegat.* 75. *num.* 13.

19 Si verò Confraternitates aliquam Ecclesiam habuerint, nequeunt ibidem adservare SS. Eucharistiam, nisi ex causa, & cum licentia Ordinarii: sicut nec imponere orationem quadraginta horarũ. Si tamen habuerint Capellanos, ipsi jura Parochialia non suscipient, veluti solemniter celebrare, confessiones audire, sepelire, vel alia Sacramenta administrare, absque expressa licentia Ordinarii, ut ex aliquibus decisionibus summavit Barbosa *collect.* 205. *à num.* 16. & *de univ. jur. lib.* 2. *cap.* 11. *num. fin.*

20 Sed confraternitates an compelli possint ab Episcopo, ut eant ad processiones, affirmarunt aliqui, quia in spiritualibus Episcopo subsunt. Cùm ergo actio ista sit spiritualis & pia, possunt ab Episcopo compelli, ut refert decisum Papiæ Marius Anton. *lib.* 1. *resol.* 93. Salgado *de Reg. Protect.* 2. *p. cap.* 9. *nu.* 110. Sed in contrarium est communis sententia, quia licèt in aliquibus subsint Episcopo, Lotterius *de re Benefic. lib.* 2. *qu.* 10. *n.* 52. attamen in aliis liberæ remanent ab ejus jurisdictione; quapropter nequeunt cogi ad eundum ad processiones. Lara *de Anniversf. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 16. Barbosa *d. allegat.* 78. *n.* 24. Capponi *dict. discept.* 154. *n.* 19. possunt tamen ab eo allici, & hortari, ut dicunt ipsi DD. Gratianus *decis.* 232. *num.* 13.

21 Sed in re prospiciendum, an ex statutis ipsius confraternitatis teneantur ire confratres ad processiones, vel votum emiserint confirmatum ab Episcopo, & tunc possunt ab Episcopo cogi; quia hæc obligatio est de re spirituali, aut saltem pia, & subsunt Episcopi jurisdictioni quoad illius adimplementum. Lara *d. cap.* 24. *nu.* 17. aliàs non possunt compelli, ut dicit secunda sententia.

22 In processionibus verò confraternitates præcedentiæ locum observent, ut consuetudo jam admiserit, quæ in honorariis semper attenditur, *cap. Cùm olim* 6. *de consuetud.* & in quasi possessione quæque est manutenenda; alias si non fuerit consuetudo, dignior præcedet; si verò dubitetur, judicium ad Episcopum pertinebit. Gratianus *decis.* 232. *à n.* 3. Lara *d. cap.* 24. *à num.* 18. Capponi *d. discept.* 276. *à nu.* 16. Salgado 2. *part. cap.* 9. *à num.* 48. *de Reg. Protect.*

23 Relictis confraternitatibus, transeamus ad collegia Scholarium, quæ si auctoritate Episcopi eriguntur, Ecclesiastica sunt; si absque ea, ad alendos pauperes Scholares, pia erunt. Unde colligunt DD. ut plurimùm collegia ista pia esse, cùm mens fundatorum sit pauperes Scholasticos ibidem alere, & admittere: quæ autem solent fundari auctoritate Pontificis, ut sunt nonnulla, Ecclesiastica sunt. Gironda *de gabellis*, 7. *part. num.* 42. Garcia *de Benefic.* 5. *part. cap.* 1. *num.* 612. Barbosa *de offic. Episcop.* 3. *part. allegat.* 75. *nu.* 21. Prada *pro Colleg. Major. Ovet. excurs.* 2. Petr. Gregor. *Syntag. lib.* 15. *cap.* 32. *n* 8. Aliter verò si collegia ista fundentur, sæcularia sunt. Mendo *de jur. Academ. lib.* 1. *qu.* 8. *n.* 251. Valenzuela *cons.* 87. *num.* 52. & 53.

24 De his collegiis sæcularibus, quia pia non sunt, non disserimus, sed de piis ad pauperum Scholarium alimoniam, de quibus aliqua notat Balmaseda *de collect. quæst.* 24. *nu.* 7. qui optima ratione conqueritur, prospiciens ad hæc pia collegia, in quibus pauperes tantùm erant admittendi, proceres, nobiles, & divites quotidie admitti, contemptis Scholasticis honoratis, & egenis: ad rem hanc audiamus Claudium Minois ad Alciat. *emblem.* 120. sic disserentem: *Quod cum ita querer, nescio profectò an dicere ausim, quæ mihi nunc in mentem veniunt. Nempe huic inopiæ diligenter magnaque liberalitate fuisse jam olim occursum à nostris majoribus, sapientibus certè, ac piis hominibus, qui tot Scholas hac in nostra Parisiensi Academia (ut de cæteris taceam) à fundamentis excitarunt, legibus, & institutis informarunt, redditibus etiam, ac censibus annuis locupletarunt. Quas opes rebus primum iis quæ ad Religionem pertinent, & pauperibus alendis iis, quibus nimis esset arcta suppellex, assignare voluerunt. Quæ pia certè, & Christianis hominibus digna beneficientia, institutioque liberalis, miror quàm hodie immutata sit. Hunc enim adolescentium studiosorum, & pauperum censum nescio qui scholares malis artibus interdum occupant, ex quo fit, ut quæ justè conferri debebant in usus publicos, misere ab iisdem, & iniquè rapiantur: nec jam inops admittantur, quos solos participes esse par erat hujus munificentiæ, sed ignavi quidem ventres impunè sanctos illos redditus depeculentur.*

Isti enim proceres, nobiles, & divites, à suis majoribus degeneres, qui prætextu studiorum aufugiunt illustrissima bellorum exercitia, & ad pauperum collegia confugiunt, attentè prospicere debent, quanto damno publico, & suarum animarum detrimento pitantiis pauperum Scholarium perfruuntur: quapropter apud Ecclesiasticum *cap.* 34. legitur: *Panis egentium vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est*; eosque necatores pauperum vocat Concilium Turonense II. *can.* 18. D. Hieronym. *in cap. Clericos* 6. 1. *q.* 1. ait: *Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, recipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant, & bibunt: cap. Pastor.* 7. 1. *q.* 2. *c.* 2. 1. *q.* 5. 25

In dubio, quando non constat an collegium sit Ecclesiasticum, sæculare, vel pium, conjecturis standum est; si enim major pars sit Clericorum, Ecclesiasticum existimabitur; si verò major pars sit laicorum, laicale censebitur. Azevedus *in leg.* 10. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopilat. n.* 29. Garcia *d. cap.* 1. *nu.* 612. Idem existimandum, si collegium habuerit unica beneficia; nam licèt Pontifex ex plenitudine potestatis possit Sæcularibus Collegiis Beneficia annectere, Gamma *decis. fin.* Lassarte *de decima vendit. cap.* 19. *num.* 31. Garcia *de Benef.* 1. *p. cap.* 2. *à num.* 28. attamen semper Collegio unita intelliguntur, utpote Ecclesiastico, capaci illius unionis: nec facilè credendum, Summum Præsulem velle evertere Juris regulas, nisi expresserit, *leg. Quoties* 67. *ff. de reg. iur. cap. Quæ iure* 18. *de reg. iur. in* 6. Ergo ex unione Beneficiorum præsumendum est Ecclesiasticum, ut cum Petro Gregorio, & Barbosa tenet Prada *excurs.* 4. *n* 24. aut ad minùs præsumas pium capax illius unionis. Rota apud Merlinum *decis.* 19. *num.* 10. 26

In his Collegiis studentium aliquæ disceptantur difficultates breviter resolvendæ: & in primis asseritur hæc collegia, sive ecclesiastica sint, sive omninò pia, ad collectas non teneri, quia Ecclesiarum privilegiis gaudent. Escobar *de Pontif. & Reg. iurisdict. cap.* 22. *n.* 103. Garcia *d. cap.* 1. *num.* 612. Balmaseda *de collect. quæst.* 24. Molina *de instit. tom.* 3. *disp.* 671. Mendo *de iur. Academic. lib.* 1. *cap.* 38. 27

Collegæ verò dum in collegiis commorantur, immunes sunt à collectis personalibus; nam per incorporationem collegii privilegiis gaudent: quod intelligas etiamsi ultra decennium in collegio duraverint, quia adhuc sunt incorporati. Escobar *de Pontif. & Reg. iurisdict. cap.* 19. *n.* 85. Balmaseda *d. qu.* 24. *n.* 11. nec ingrediens debet pecunia gravari, Valenzuela *d. cons.* 87. *n.* 93. 28

Debent verò collegia ista non habere tabernas, seu officinas ad commercium, *cap. Significante* 69. *de appellat.* si tamen habuerint, à gabellis non excusantur; id enim in Clericis admissum est, ut illas persolvant, si ad mercimonium se immisceant, *cap. fin. de vit. & honest. Clericor.* Tondutus *quæst. Benefic. tom.* 1. *cap.* 30. *per tot.* Delbene *de immunit. tom.* 1. *cap* 5. *dub.* 3. *sect.* 1. Carleval. *de iudic. lib.* 1. *tit.* 2. *disp.* 2. *qu.* 3. *à num.* 159. Salgado *de Reg. Protect.* 4. *part. cap.* 14. *num.* 103. Ergo potiori ratione hæc collegia, si tabernas ad negotiationem habuerint, collectas persolvent. Balmaseda *d. qu.* 24. *n.* 12. 29

Limita verò si collegia privilegium habuerint illas habendi; nam hoc casu licitè negotiatores existunt, nec ad tributa tenebuntur. Molina *de instit. tract.* 2. *disp.* 342. Barbosa *in d. cap. fin. de vit. & honest. Cleric. n.* 3. quod idem in meliori sententia dices, si ter monita fuerint, ut à negotiatione desistant. Straccha *de mercat.* 3. *part. n.* 8. & 9. Borellus *in Summa decis. tit.* 7. *n.* 70. Salcedo *ad Bernard. cap.* 55. *vers. Sed an hoc casu.* Diana 1. *part. tract.* 2. *resolut.* 46. 30

De subsidio, & excusato illud tene, ut si sint Ecclesiastica, ad illud teneantur, exceptis bonis patrimonialibus illo- 31

rum,

rum, sicut excusantur bona patrimonialia beneficiatorum, ut jam sententiatum vidimus: si verò pia fuerint, ad subsidium non tenentur, nisi ratione annexionis alicujus Beneficii. Mendo *d. lib.* 1. *qu.* 37. *n.* 677. qui *n.* 622. resolvit Collegia, seu Universitates, cui annexæ sunt Tertiæ Regales, subsidium, & excusatum debere, ex consuetudine, & concordiis factis inter Reges, Academias, & collegia.

32 Hæc similiter collegia Beneficio restitutionis gaudent, eorum bona non alienantur, absque solemnitatibus, & habent alia privilegia, ut de hospitalibus diximus. Mendo *d. lib.* 1. *qu.* 41. Redoanus *de reddit. Ecclesiæ, tit. de his quæ continent n.* 3. Novarius *de elect. for.* 2. *part. qu.* 59. Valenzuela *cons.* 87. *n.* 97. Tondutus *tom.* 1. *cap.* 74. Hermosilla *in leg.* 3. *tit.* 1. *part.* 5. *gloss.* 4. *num.* 10.

33 His autem collegiis suboectere non desinam Seminaria, quæ construere præcepit Tridentinum *sess.* 23. *de Reformat. cap.* 18. ubi pueri majores duodecim annorum educentur, & Ecclesiasticis dogmatibus instruantur, opus quidem valdè pium, ut declarat ibidem Concilium, & lex 54. *tit.* 4. *lib.* 2. *Recopil.* Solorzanus *lib.* 2. *Polit. cap.* 27. Seminaria ista fuerunt diversis temporibus decreta, tanquam Ecclesiæ Dei valde proficua; inde enim pueri Sanctis moribus imbuti, sacrisque literis edocti, selectissimi Presbyteri creabantur. Concil. Tolet. IV. *cap.* 23. Aquisgranense *cap.* 135. Lateranense sub Leone X. *sess.* 9. *de Reformat.* Priscis verò temporibus apud Hispanos hæc Seminaria invaluerunt, Valdes *in defens. Can. cap.* 4. *num.* 59.

34 Seminaria ista, quia pientissima sunt, gaudent omnibus privilegiis Ecclesiarum. Novarius *d. qu.* 59. *nu.* 1. quapropter habent fori variationem, & subsunt judicibus, tam Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, ad præventionem. Barbosa *de offic. Episcopi*, 3. *part. allegat.* 77. *num.* 1. Pueri verò dum in Seminario permanent, ejusdem fori privilegio perfruuntur, nec ad collectas personales tenentur, sed tantùm ad reales, Balmaseda *de collect. qu.* 58. *num.* 8. & habent alia Beneficia, ut diximus de Collegiis, Novarius *d. qu.* 59. *à num.* 4. Urrutigoyti *qu.* 77. *&* 84.

35 Ad contributionem Seminarii tenentur omnes habentes redditus Ecclesiasticos, & in dicto Decreto Tridentini comprehenduntur S. R. Ecclesiæ Cardinales, Episcopi, & Mensæ Capitulares, Hospitalia, si in titulum, vel in administrationem conferantur in modum Beneficii; aut pro rata, si habeant annexos proventus Ecclesiasticos: quod idem de Confraternitatibus, & Capellis dicendum. Pensionarius pro rata pensionis tenetur, si super fructibus, & redditibus Ecclesiasticis sit pensio imposita. Eximuntur ab hac contributione Seminarii Religiones Mendicantes, Equites S. Joannis: remque hanc latè prosequuntur Barbosa *d. allegat.* 77. *num.* 1. Riccius 4. *part. decis.* 196. *num.* 2. Balmaseda *d. q.* 58. *n.* 9. Urrutigoyti *de Ecclesiis Cathedr. c.* 28. *per tot.*

36 Illud verò prætermittendum non est, legata facta pro Magistro Grammaticæ, qui pueros pauperes doceat, applicari posse Seminario cum onere erudiendi pueros, prout testator disposuerat: unde Sacra Congregatio apud Barbosam *d. allegat.* 77. *n.* 11. censuit, quod si Collegium ad Christianam eruditionem miserabilium puerorum destruatur, bona illius posse Seminario applicari.

37 Si verò aliqua sunt legata in incerto, nec tamen testator dicat ad quem finem dirigantur, sed tantùm quod distribuantur inter pias causas, aliqui dicunt applicari non posse Seminario; nam videtur depromi diversum esse judicium testatoris, quàm erudiendi pueros; nequit enim fieri applicatio, nisi conformis fuerit ejus voluntati. Refert decisum Piasecius *in praxi Episcop.* 2. *part. cap.* 2. *num.* 5. Barbosa ad Concilium *d. sess.* 23. *cap.* 18. *num.* 18.

38 Verùm sententia ista displicet; nam Seminaria ista sunt opera, & causæ piæ, ut decidit Concilium *dict. cap.* 18. quapropter paritum est ejus voluntati, si applicatio fiat Seminario. Rursus quando legatum est in incerto fine, nec constat ad quem dirigatur testatoris voluntas, nequit dici diversum esse finem testatoris, cùm de eo non constet; quin potius ejus fuit mens, ut in quolibet opere pio expenderetur, quod verificatur in Seminario: ergo rectè poterit illi fieri applicatio. Quapropter dicendum, admittendam esse contrariam sententiam, quando de certo fine testatoris appareret, veluti si pro Missis legatum relinqueretur; tunc enim nequit applicari Seminario, ut censuit Sacra Congregatio 8. Martii 1588. Barbosa *in d. cap.* 18. *num.* 15.

39 His itidem Seminariis Beneficia aliqua simplicia possunt uniri ad educandorum alimoniam, ut decrevit Concilium *d. cap.* 18. Non tamen quæ ad inferiorum collationem pertinent, nec quæ sunt juris patronatus, etiam Ecclesiastici, nec vacantia in mense reservato Sedi Apostolicæ, nec unio omnium Beneficiorum simplicium valet fieri, cùm sit de jure interdicta, ut declaravit Sacra Congregatio apud Riccium *in praxi forensi, dec.* 492. *n.* 3. Garcia *de Beneficiis*, 2. *p. cap.* 2. §. 1. *nu.* 61. Barbosa *ad Concilium, dict. cap.* 18. *à num.* 23. *& de offic. Episcop. dict.* 3. *part. allegat.* 77. *à num.* 28.

Dubium est, an unio Beneficii simplicis fieri valeat Seminario nondum erecto? Et communis est sententia, fieri non posse, quia unio Beneficii fit per accessum, qui nequit considerari, nisi accedat rei existenti; quare ut Seminarium dicatur erectum, duo desiderantur. Primum ut domus sit empta: Secundum ut Scholares sint introducti, aliàs unio Beneficii non sustinebitur, ut sunt plures declarationes, quas refert, & sequitur Garcia *d.* 2. *p. cap.* 2. §. 2. *à num.* 193. Rota 2. *part. recent. decis.* 361. *à n.* 3. Rota apud Merlinum *dec.* 837. *à n.* 1. Valenzuela *cons.* 22. *n.* 3. Loterius *de re Benef. lib.* 1. *qu.* 29. *n.* 47. Barbosa *d. allegat.* 77. *à num.* 24. 40

Alteri verò contrarium tenent, si Seminarium sit jam destinatum, & proximè erigendum: & probatur *ex d. cap.* 18. *Concilii*, ubi ad Seminarium erigendum easdem faciendas esse contributiones demonstrat, & subdit de unione Beneficii hæc verba: *Necnon Beneficia aliqua simplicia, &c.* dictio enim, *Necnon* resolvitur in copulativam, & repetitivam antecedentium qualitatum. Gratianus *discept. forens. cap.* 70. *nu.* 32. Barbosa *dict.* 209. Unde sicut contributiones illæ fiunt Seminario de proximo construendo, similiter unio Beneficiorum aliquorum simplicium. Cæterùm contributiones illæ; & alii fructus etiam per accessum conceduntur Seminario erigendo: ergo etiam unio Beneficii. Et confirmatur, quia sicut aliæ contributiones, & fructus sunt necessarii ad erigendum Seminarium, similiter fructus Beneficii uniti: quare sicut accessus illorum sustinetur absque rei existentia, similiter unio Beneficii. Gonzalez *in regul.* 8. *gloss.* 5. §. 7. *à n.* 76. Gratianus *cap.* 358. *n.* 5. & non dissentire videntur Valenzuela *d. cons.* 22. *n.* 4. Rota apud Merlinum *d. decis.* 837. *n.* 4. 41

In hoc dubio difficultas stat in assignando modo, quo valeat fieri unio Seminario nondum erecto? Ratio dubitandi est, nam unio fit per accessum unius ad aliud; quapropter necessarium est, ut existat Seminarium, ut fieri possit unio, aliàs non subsistet, ut considerat subtilis Loterius *d. qu.* 29. *num.* 47. 42

Verùm Gonzalez, & Gratiani doctrinam admitto, & modus sustinendi unionem in Seminario proximè erigendo non difficilis, considerando piam esse causam, & valdè favorabilem, & extensivam. Valenzuela *d. cons.* 22. *num.* 40. Farinacius *frag. crim.* 1. *par. verb. Extensio, à n.* 106. idcircò à jure fingitur jam erectum, & constructum, prout in partu futuro, qui in favorabilibus natus censetur, *leg. Si quis in utero, ff. de stat. hom. leg. Pragnantis, ff. de pæn.* & favore dotis lex Julia de fundo dotali habet locum in prædio fœminæ de proximo nubendæ, *leg.* 4. *ff. de fun. dot.* quamobrem jam est aliud cui fiat accessus, nempe Seminarium fictum, quod in jure pro erecto habetur. Rursus, quæ de proximo sunt, in jure pro præsentibus habentur, *l.* 3. §. *Quid ergo, ff. contrar. iudic. tut.* ad tradita per Jas. *in leg. Divortio*, §. *Interdum, ff. solut. matrim.* Hippolyt. *in rub. de fideiuss. à nu.* 207. idcircò si Seminarium est de proximo erigendum, ut præsens censetur, cui poterit fieri unio Beneficii, ut docuerunt Gratianus, & Gonzalez. 43

Ad has tamen uniones non requiritur consensus Capituli, sed consilium quatuor deputatorum, duorum de Capitolo, & duorum de Clero. Trident. *d. cap.* 18. non tamen tenetur Episcopus consilium præcisè admittere, sed tantùm petere, ut in alia qualibet obligatione petendi consilium. Garcia *d.* 2. *part. cap.* 2. *à n.* 190. Barbosa *d. allegat.* 77. *nu.* 33. 44

Tandem in capite isto discutienda sunt aliqua circa legata, quæ pauperibus Scholasticis relinquuntur ad studia Sacræ Theologiæ, vel Sacrorum Canonum, quæ quidem pia esse scripsimus *lib.* 1. *cap.* 2. *à n.* 21. sunt enim Scholares magnopere patrocinandi, & adjuvandi, præcipuè ii qui literis sacris imbuuntur ad bonum animarum exercendum, *Auth. Habita, Cod. ne filius pro patr.* Afranius Clemens *de virib. patr. potest. effect.* 17. *à nu.* 41. scripserunt latè Rebuffus, qui cumulavit centum & octoginta privilegia Scholasticorum, & Horat. Lucius centum & unum. Mendo *de iur. Academ.* 45

lib. 3.

lib.3. qu.1. Velasco *de privileg. pauper. 3 p.qa.12. per tot.*

46 Legatum Scholaribus factum tribus modis valet considerari. Primò, quando legantur studii expensæ, quo quidem casu Bart. *in leg. 1. §. 1. ff. de condit. & demonstrat.* scribit in eo legato contineri quidquid occasione studii in libris, & matricula expenditur, vel in his similibus: in libris verò intelligendum est, non eorum copia, sed veniunt necessarii ad addiscendam illam facultatem in qua Scholaris versatur: idem Bart. *in leg. His prædiis, §. fin. ff. de legat. 3.* Lara *in leg. Si quis à liberis, §. Non autem. ff. de lib. agnoscend. num.* 38. Rebuffus *de privilegiis Schol. privil.* 133. & decisum refert Surdus *de aliment. tit. 4. quæst. 23. num. 46.*

47 Secundo modo intelligitur, quando alimenta legantur Scholari ad studia; nam tunc nomine alimentorum illa intelliguntur, quæ diximus *hoc lib. cap. 9. n. 1.* & refert in terminis Mendo *de Iur. Academ. lib. 3. quæst. 48. nu.* 570. Illud verò animadvertendum, pinguiora alimenta deberi Scholastico ad Universitatem pergenti, quam si domi remaneret: tum quia major est, & ornatiùs se gerere debet, quàm si domi staret, cùm secundum qualitatem personæ debeantur, *l. Si cui, ff. de legat.* 1. ubi DD. & ibi ut decenter se gerat, majora requiruntur alimenta, ut cum aliquibus tenet Surdus *dict. quæst. 23. num.* 45.

48 Tertiò, quando certa quantitas Scholari relinquitur ad studia, quæ quidem in aliqua specie præstanda non est, sed in quantitate, ut inde aptiùs Scholasticus adjuvetur. Surdus *dict. quæst. 23. num.* 46. Deinde est solvenda, si annualis sit, in initio anni; quia hæc quæ pauperibus Scholasticis relinquuntur, ut alimenta præstantur, quapropter anticipatè sunt solvenda. Rebuffus *privileg.* 136. Lara *de Annivers. lib. 1. cap. 9. num.* 11. quam doctrinam absolutè ad praxim non deducere oportet, sed quod solvatur prout necessitas Scholastici petierit; aliàs si tota solveretur, facilè à juvenibus dissipationem pateretur. Deinde facienda est solutio in ipsa Academia expensis illius, qui præstare tenetur. Thoro ad Tiraquellum *de privil. caus. piar. in præfat. versic. Notandum*, Parladorius *quot. qa. 14. n. 6.* Mendo *d. lib. 3. q. 7. nu. 46.*

49 Verùm quis Scholasticus dicatur, ut possit consequi legatum Scholaribus relictum, incertum est. Aliqui dixerunt concedendum ei, qui in matricula Universitatis fuerit adscriptus, aliàs non dabitur; quia iste proprie Scholasticus dicitur. Parisius *lib. 4. cons.* 149. *in fin.* Menochius *lib. 2. præsumpt. 78. num.* 3. Donell. *in Auth. Habita, C. Ne filius pro patr. num. 6.*

50 Hanc doctrinam admitterem ad effectum, ut Scholasticus privilegia Scholasticorum haberet, & Immunitatem Universitatis; non tamen ad effectum consequendi hoc legatum, ad quod prospiciendum solùm est, ut sit capax eundi ad studia, & habeat facultatem addiscendi, quãdo Grammatica fuerit imbutus; tunc enim quia necessitas urget ad studia, potest ei dari legatum. Parlad. *dict. quæst. 14. nu. 9.*

51 Excitat verò dubium non prætereundum, an necessarium sit, ut tempore quo eligitur Scholasticus ad hoc legatum, debeat esse capax, & Grammaticus sufficiens ad aliquam facultatem addiscendam; an sufficiet, ut lite pendente superveniat ei capacitas? Et asserit esse necessarium hanc qualitatem adesse tempore quo eligitur ad legatum, quia qualitas petita à fundatore debet prospici tempore electionis, nec sufficiet quod postea superveniat, *l. 2. ff. de excusat. tut. cap. Si eo tempore, de rescript. in 6.* Avendañus *de exequend. mand. 2. part. cap. 12. num.* 15. Ergo in præsentiarum non sufficiet, si lite pendente superveniat capacitas, prout in Beneficiis tenet Tondutus *qu. Benef. 2. part. cap. 5. §. 5. n. 2.*

52 Admitto Parladorii doctrinam in electionibus Scholarium ad hoc legatum: quia per electionem, seu nominationem patroni, seu hæredis plenum jus ad illud acquirunt, quapropter tunc temporis debent esse capaces, nec sufficiet superveniens capacitas, lite pendente.

53 Est alia difficultas, an majori vigintiquinque annorum præstari possit hoc legatum ad studia? Et aliqui asserunt, minimè esse concedendum, ex doctrina Bart. *in leg. 1. Cod. qui ætate se excusant, lib.* 10. asserentis majores vigintiquinque annorum esse inhabiles ad studia, Ecclesiast. *cap. 6.* ibi: *Fili à juventute excipe doctrinam, leg. unic. Cod. de Studiis Vrb. Rom. lib.* 11. ubi Gloss. & ad id conducit dictum Joan. Fab. *in proœm. Instit. §. Cupidæ*, Scholaris barbatius, in alio sæculo erit advocatus. Petrus de Leon *de Doctoribus, 1. par. q. 8.* Quamobrem legatũ hoc majoribus vigintiquinq; annorũ non erit pręstandũ. Sic tenet Greg. *in leg. 4 tit. 7. p. 2. gloss* 2.

Sed adhuc contrarium teneo cum Rebuffo *in Authent. Habita, n.* 93. Parlad. *d. q. 14. n. 12.* nam licèt quis major sit vigintiquinque annorum, inhabilis tamen non est ad addiscendum, nec ad id quælibet ætas est. Lucas de Peñas *in l. 1. C. de custodibus, col. 2.* Nevizanus *Sylva nupt. lib. 5. num.* 55. quin potiùs omnem ætatem suscipit Schola, ut eleganter docet Seneca *epist.* 77. ibi: *Omnis ætatis homines hæc Schola admittit, in hac senescamus, hanc ut juventus sequamur. In theatrum senex ibo, & in circum deferar, & nullum par sine me depugnabit, ad philosophum ire erubescam?* Tota enim in epistola hac ille sapientissimus Seneca ad addiscendum in Scholis senem minimè erubescere suadet; omnibus enim, tam juvenibus, quàm majoribus par est ratio addiscendi, ut Servio Sulpitio, Catone, Acursio, & aliis scriptum est. Narbona *de ætat. an. 25. qu. 26.* Mendoza *in Viridario, lib. 4. problem.* 20. Thom. Hurtado *tom. 2. tract. 12. c. 1. §. 3. n.* 454. 54

Hæc tamen doctrina tenenda est in majoribus illis, quorum cognoscitur capacitas; nam licèt juvenes faciliter addiscant, attamen isti majores intellectu decorantur, ut cum Aristot. ait Nevizanus *dict. lib. 5. num.* 56. quare possunt admitti ad hæc legata: secus si hebetes, & rudes appareant; qui enim tanto tempore ab ignorantia non fuerunt excitati, de his desperandum est. 55

Cæterùm disquirendum, an legatum factum Scholari ad studia, si postea Religionem profiteatur capacem bonorum, ad illam transeat. Et negandum videtur; nam hæc legata, quando pauperibus relinquuntur, tunc alimenta quotannis præstanda, prout necessitatẽ Scholaris petierit, *l. Singulos 4. l. In singulos. 8. ff. de ann. legat. l. Si eum 20. ff. quando dies legat. cedat.* ita ut sint diversæ obligationes: ergo si professus fuerit, nequit esse capax habẽdi aliquod jus, & hęredẽ obligatum, ut possit legatum acquirere, & illud ad Monasterium transferre. Cæterùm mens testatoris fuit per legatum Scholari alimenta præstare; cùm tamen hæc obligatio per professionem ad Monasterium transierit, debet cessare legatum, & alteri pauperi Scholari præstari. 56

Sed in terminis contrarium tenet Ludovicus à Conceptione *2. tom. Verit. Theolog. Mor. tract. 1. §. 14. lit. R*, & suam sententiam ex variis doctrinis comprobat; nam quando legatum alicui relinquitur, ut matrimonium contrahat, illud suscipit si Religionem ingrediatur. Tum quia legatum istud valet percipere ad aliquos usus ex licentia Prælati: ergo ad Religionem transibit. 57

In re dico, quod si legatum hoc relinquatur personæ certæ ad studia, & sub illa una obligatione, ad Monasterium capax bonorum perveniet, quando Scholasticus profitebitur; nam cùm sit legatum jam acquisitum ab Scholari, per professionem, ut alia bona illius, ad Monasterium transit, *Authent. ingressi, Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis, cap. In præsentia 8. de probat.* Ergo ad illud transmittetur. Rodrig. *tom. 3. qu. regul. 16. art. 5.* Sanchez *in Decalog. lib. 7. cap. 13. n. 54.* Hieronym. Rodrig. *reg. quæst. resolut. 88. num. 25.* 58

Si enim legatum hoc incertis personis pauperibus relinquatur ad studia, & sub illa una obligatione, si jam applicatus fuerit certo Scholari, qui postea Religionem profiteatur, idem dicendum videtur; nam cùm sit jam applicatum certæ personæ, & sub una obligatione, necessariò debet ad Monasterium transire, ut transeunt Anniversaria, Capellæ, & patronatus acquisiti. Mena *lib. 1. variar. quæst. 16. art. 2. num. 5.* Cenedo *ad Decret. collect. 5. num. 12.* Castillo *controvers. lib. 3. cap. 12. num. 56. in fin.* 59

Sed in hoc casu non admitto hanc sententiam ob repugnantiam mentis testatoris; nam illa fuit, ut pauperi Scholari provideretur ad studia, qui non haberet unde se aleret; & expensas perciperet: quæ ratio cessat si ipse Religionem profiteatur, cùm jam debeat alì à Monasterio, & necessaria ab eo percipere alimenta; hoc enim principium notum est, ut alimenta cessent, aut non debeantur illi, qui aliunde jam habet. Surdus *de aliment. tit. 1. q. 23.* Cevallos *comm. q. 779. n. 78.* Ergo in præsentiarum legatum ad Monasterium non transibit, sed ex mente testatoris est applicandum alteri pauperi Scholastico, ut ei paritum sit. 60

Alio etiam modo relinqui valet hoc legatum, non sub una obligatione, sed sub diversis, ut quando sunt plura legata quotannis præstanda, *ex dict. leg. Si in singulos 4. leg. 8. ff. de annuis legat.* quo quidem casu si certo Scholari fuerit relictum, ad Monasterium transibit, quia licèt in particulari non sit capax illius quia proprium habere nequit, est tamen capax in communi. Sanch. *d. lib. 7. c. 13. n. 54.* quare rectè ad 61

Mona-

Monasterium pervenient legata illa, donec durent studia illius professi. Si Monasterium fuerit capax bonorum, cessabit legatum. Sanchez *dict. num.* 54. Si verò incertis Scholaribus legata illa annua relinquantur, ea mente testatoris cessabunt, professione sequuta, ut diximus *num.* 60.

62 Cæterùm disquirenda doctrina Bartoli *in leg.* 1. *Cod. de Collegiis*, *lib.* 11. quam sequitur Gratianus *discept. forens. c.* 291. *n.* 59. ubi asserit legatum relictum Scholari, etiamsi non exerceat, adhuc deberi; unde probari videtur Scholasticis desidiosis, & non rectè studentibus esse adhuc præstandum. Verùm non credo peritissimos viros tale quid asseruisse; mens enim testatoris illa est, ut concedatur Scholasticis studiosis, & bonæ indolis, de quibus profectus speratur, alias verò eis deneganda sunt similia legata, prout etiam omnia privilegia eis denegantur. Baldus *in d. Authent. habita*, *n.* 12. Gaillus *lib.* 2. *observat.* 118. *n.* 8. quapropter Scholasticis otiosis, & non studentibus, similia legata sunt deneganda, ut cum Jasone, & Barbatia tenet Gaillus *d. n.* 9. & sunt à Collegiis rejiciendi, Barbos. *in leg.* 1. *ff. solut. matr.* 7. *p. n.* 64.

63 Si legatum relinquatur Scholari, ut à certo tempore studeat, ab illo debet studia incipere: si verò impeditus fuerit, opportunum tempus expectabitur, à quo si studere non incipiat, legatum ei denegabitur, Mendo *d. lib.* 3. *q.* 7. *n.* 46. nec prætermittenda est doctrina Carpii *de exequut. testam. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 45. scribentis, commissarium adstrictum ea mandato testatoris ad distribuenda aliqua bona studiosis alicujus collegii, vel pauperibus alicujus communitatis, juxta cujusque eruditionem, teneri pro meritis eruditionis, & indigentiæ, ac si cuilibet in particulari testator legasset, partem distribuere, alias ad restitutionem tenebitur, ut cum Lessio, & Bonacina attestatur.

CAPUT XIII.

De Montibus Pietatis.

SVMMARIVM.

Montes pietatis quomodo construantur, num. 1. *An sint liciti, aliqui negarunt, num.* 2. *Sed contrarium tenendum, à num.* 3. *Sed quomodo fieri possint usurarii, num.* 5.

Ad augmentum montis pietatis nihil dari valet, aliàs ad restitutionem tenebitur, num. 6. *Excipe nisi ad id omnes de populo consenserint, n.* 7. *Vel quando plus valet triticum tempore quo datur, quàm quando redditur, num.* 8. *Aut quando haberet pecunias expositas negotiationi, ratione lucri cessantis, cui exponitur, n.* 9. *&* 10.

Montes isti possunt fundari ab Universitate, vel private: rectè agunt, si ad administrationem censum relinquant, num. 11.

Custodia pignoris pertinet ad mutuatarium, n. 12. *Et periculo ejus perit, num.* 13. *Et si sufficiens non inveniatur, residuum solvet, n.* 14. *Etiamsi pignus, seu hypotheca sit specialis, n.* 15. *Nec est necessaria exequutio, si alii creditores non extant, n.* 16.

Ad hanc hypothecam non requiritur scriptura, & ideò mons pietatis præfertur aliis creditoribus instrumentalibus, num. 17.

Extenditur etiamsi hypotheca sit contenta in instrumento, n. 18. *Explicatur lex* 31. *tit.* 13. *part.* 5. *à n.* 19. *Et quid si mons pietatis demonstraverit schedulam privatam sine testibus, adhuc præferendus videtur, n.* 23. *Sed contrarium defenditur, n.* 24.

Si statutum montis pietatis sit, ut bona mutuatarii remaneant obligata, etiam absque contractu obligantur, n. 26.

Montes pietatis omnibus privilegiis fruuntur causarum piarum, ibid. Nec à quolibet debent administrari, num. 27. *Et ab Episcopo visitantur, n.* 28.

1 Diversos montes institutos esse ad utilitatem percipiendam, scripsit de Lugo *de justit. disp.* 25. *sect.* 11. §. *unic. à num.* 197. Hic verò tantùm agendum est nobis de montibus pietatis institutis ad mutuandam pauperibus pecuniam, aut frumentum ea occasione, ne usuris, ac interesse interveniente depeculentur. Id evenit, quando privatus aliquis, aut Respublica quantitatem pecuniæ, aut frumenti exponit mutuandam pauperibus, ad eorum sublevandas necessitates, sub aliquo pignore, seu hypotheca, ea adjecta conditione, ut si statuto tempore non solvat, pignora, seu hypothecæ venundentur. Verùm quia ad rationes mutui receptores, seu administratores sunt necessarii, tum libri ubi ratiocinia scribantur; injungitur aliquod exiguum interesse ultra sortem ad illas expensas, ne capitale montis depereat, sed servetur illæsum; hi enim montes pietatis valde sunt necessarii ad vitandas usuras, Molina *de justit. tract.* 2. *disp.* 325. *n.* 1. Bonacina *de contract. disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 12. *à num.* 1. & Reipublicæ utiles, Petrus Gregorius *de Republica, lib.* 13. *cap.* 16. *à n.* 5. & est opus pium valdè animabus proficuum, Trid. *sess.* 21. *de Reformat. cap.* 8. *&* 9. Lara *de Anniversf. lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 1. Novarius *de elect. for. sect.* 2. *quæst.* 57.

Olim verò disceptatio fuit, an Montes isti liciti fuerint? 2
Negabant licitos Cajetanus *tom.* 2. *opusc.* 6. Sotus *de justit. lib.* 6. *q.* 1. *art.* 6. quorum præcipuum fundamentum in eo consistit, quod consonum non sit rationi obligare mutuatarium ad solvendas expensas ad conservandam pecuniam mutuantis; nam licet hoc fiat eo animo, ut mutuans habeat pecunias paratas ad mutuum, id tamen non fit ex consensu mutuatarii.

Ast hodie decisum est, montes pietatis licitos esse, prout 3
supra retulimus, ut ex multis Pontificum Decretis constat, præcipuè ex Concilio Lateranensi *sess.* 10. sub Leone X. ubi id est definitum, *Sacro approbante Concilio*, ubi contrarium tenentes excommunicat, & indulgentias concedit porrigentibus manus adjutrices ad similes pietatis montes: sic recenset Palao *de just. disp.* 4. *punct.* 24. *n.* 1.

Idque facilè probatur, nam illud interesse exiguum, quod 4
percipitur, non est ratione mutui, sed laboris, & administrationis in numeranda, & conservanda illa pecunia, aut frumento in bonum ipsorum mutuatariorum, in quorum utilitatem cedit mons pietatis: Ergo rectè recipitur. Cæterùm pignus rectè conceditur ad mutuum assecurandum, & insimul rectè datur, etiam quando interesse suscipitur, *leg. Si usuras* 21. *leg. Pignoribus* 22. *C. de usuris*, Jul. Capponi *discept.* 292. *cap.* 2. *à num.* 1. Unde ea hac parte mons ille non fit illicitus, sicut nec ex illa conditione, quod si statuto tempore non solvat, pignus vendatur, & satisdato monte, reliquum debitori tradatur; id enim jure probatum est, *leg. Si convenerit* 4. *ff. de pignorat. act. leg. Cum solvenda* 4. *leg. Si creditor* 7. *ff. de distract. pignor.* §. *Contra, Instit. quibus alienar. licet, vel non*: & rectè fit, etiamsi tale pactum appositum non fuerit, observata forma textus *in leg. fin. C. de jur. dominii impetr. leg.* 41. *cum duabus seq. tit.* 13. *par.* 5. Negusantius *de pignorib.* 6. *part. memb.* 1. *à num.* 1. Merlinus *de pign. tit. de distract. pign. à n.* 1. Parladorius *lib.* 2. *rerum quot. cap. fin.* 5. *part.* §. 16. Leotardus *de usur. q.* 69. Unde ex nullo capite Montes isti sunt illiciti, Palao *ubi proximè*, Navarrus *de usuris*, *à n.* 59. Lessius *de justit. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 23. *nu.* 191. Molina *d. disp.* 325. *n.* 3. de Lugo *de justit. disp.* 25. *sect.* 10. *n.* 188. Moya *Select. tract.* 6. *disp.* 6. *à n.* 15. Capponi *d. discept.* 292. *cap.* 2. *n.* 10. Novarius *d. q.* 57. *num.* 6. Araujo *de stat. civit. disp.* 1. *q.* 6. *per tot.* Tapia *lib.* 5. *de just. q.* 20. *art.* 4.

Poterit tamen fieri usurarius, & illicitus, si ultra expen- 5
sas necessarias suscipiat; nam tunc ille excessus pro mutuo reciperetur, & non pro labore, & administratione, Lara *d. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 6. Tamburinus *Oper. Moral. tom.* 2. *lib.* 9. *de contractibus*, *tract.* 1. *cap.* 3. §. 9. *à n.* 1. Ast animadvertendum interesse istud montis pietatis posse augeri, seu minui secundum temporum penuriam, sed itant tantùm expensæ necessariæ suscipiantur, nec amplius importet interesse quod petitur, Bonacina *d. q.* 3. *punct.* 12. *n.* 13.

Quid verò sit dicendum, si aliquid amplius petatur, non 6
ad expensas administrationis, sed ad Montis augmentum? In hac disquisitione communiter DD. asserunt, non posse suscipi; nam illud quod datur ultra sortem, est tantùm ad expensas administrationis, ne illo ea capitali detracto, Mons pereat, non verò ad augmentum: ergo nihil amplius valet peti, aut augmentetur, Filiuccius *in Summa*, *tract.* 34. *c.* 9. *n.* 172. Tamburinus *d.* §. 9. *n.* 6. de Lugo *d. sect.* 1. *n.* 192. Si tamen receptum fuerit, tradenti est restituendum: si verò ignoretur, pauperibus, vel ipsi Monti, ut ad pauperum sit utilitatem, Azorius *Instit. Mor.* 3. *p. lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 1. Bonacina *d. punct.* 12. *n.* 7. de Lugo *d. sect.* 11. *n.* 194. Tamburinus *d.* §. 9. *n.* 6.

Sunt

7 Sunt tamen excogitati aliqui modi à DD. unde montes pietatis augmentum percipere valeant, absque eo quod illiciti fiant. Primus, quando omnes de populo conveniunt, ut aliquid ampliùs præstetur ad augmentum montis pietatis; tunc enim licitè ab eo percipitur, quia illud datum videtur ex mera liberalitate concedentium, quia ex eorum consensu processit. Tum quia multa accidere valent, unde Mons diminutionem capiat: quamobrem ratione illius periculi rectè percipit, quod liberaliter à vicinis illius populi ad augmentum conceditur, ut cum Navarro, & aliis tenet Villalobos *in Summa*, 2. *p. tract.* 22. *diff.* 14. *n.* 2. Trullench *lib.* 7. *Decalog. cap.* 19. *dub.* 16. *n.* 4.

8 Secundus modus, si mons non mutuat, sed vendit (verbi gratia) triticum quando plus valet, reddeodum tempore, quo minus valet, ea obligatione, ut major quantitas tritici reddatur; siquidem pretio; quo vendidit, totam illam majorem quantitatem emere potest, quod fieri posse asserunt Palao *d. disp.* 4. *punct.* 24. *n.* 5. de Lugo *d. sect.* 11. *num.* 193. qui rectè scripsit, non omnibus Montibus augmentum illud convenire, nisi illis, qui nullam habent obligationem mutuaodi. Nec augmentum illud certum est, quin potiùs per accidens illa major quantitas tritici minus valet ob pretii diminutionem.

6 Tertius modus, de quo scripsit Salas aqud Palaum *ubi proximè*, est nempe si mons pietatis haberet pecunias negotiationi expositas, & ratione lucri cessantis aliquid acciperet ad sui augmentum. Verùm hoc non admittit Palao, quia Mons nequit habere pecunias negotiationi expositas. Sed de Lugo *d. sect.* 11. *n.* 193. cum aliquibus limitationibus augmentum istud admittit. Salas tamen doctrina clara fit considerando posse montem pietatis habere aliquas pecunias separatas negotiationi expositas, ex quarum lucris augmentum percipiat; tunc enim si ex his pecuniis aliquid mutuatur, ratione lucri cessantis rectè interesse percipiet, cùm in his non sit obligatio mutuandi.

10 Si tamen omnes pecuniæ Montis pietatis sunt ad gratias pauperibus mutuandum, Palai sententia admittenda est, quia in pecunia gratis mutuanda nequit haberi ratio lucri cessantis. Illud verò citra dubium est, quod si mutuatarius statuto tempore non solverit, sed pecuniam retineat, solvet expensas necessarias ad administrationem illius temporis, quo retinuerit; cùm Mons ex retentione pecuniæ illas perdat, Molina *d. tract.* 2. *disp.* 325. *n.* 4. Bonacina *d. punct.* 12. *num.* 6. Trullench *dict. dub.* 16. *num.* 4. Palao *d. punct.* 24. *num.* 4.

11 Montes enim isti possunt fundari non solùm ab aliqua Universitate, seu Republica, verùm à quolibet privato, dum sint in gratiam mutuatariorum, nec sibi aliquod commodum reportent, Azorius *Instit. moral.* 3. *p. lib.* 5. *cap.* 8. *not.* 3. Lessius *de justit. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 23. *n.* 194. Bonacina *d. punct.* 12. *n.* 3. Novarius *d. sect.* 2. *q.* 58. *n.* 2. Illod tamen fundatores debent animadvertere, ut curent relinquere unde administrationes solvantur, ut ad majus pauperum levamen cedat, & securiores sint ipsi Montes, Navarr. *de usur. n.* 63. Lara *d. lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 6. *in fin.* Novarius *d. q.* 58. *in fin.*

12 Quoad pignora dari solita ad securitatem debiti, in primis animadvertendum, expensas custodiæ ad ipsos pauperes pertinere, non ad Montem; nam custodia rei pertinet ad illum, ad cujus commodum, & utilitatem contractus fit, *leg.* 1. *leg. Necessario* 8. *ff. de pericul. & commodo rei vendit.* Cùm in his Montibus tota utilitas sit pignorantis, ille debet pignoris custodiam solvere, Navarrus *de usur. n.* 61. Scortia *in Summa Const. Apostol. const.* 55. *theorem.* 153. Novarius *d. q.* 58. *n.* 3.

13 Si pignus Monti Pietatis traditum amittatur ex casibus positis *in leg. Contractus* 24. *ff. de reg. jur.* vel deterioretur absque culpa Ministrorum, domino perit, *leg. Pignus* 8. *C. de pignorat. act.* Idque certum, si in loco consueto adservaretur; nam qui agit quod fieri consuetum est, culpa caret. Ita tenent Negusantius *de pignor.* 2. *p. membr.* 2. *n.* 28. Mascardus *de probat. concl.* 467. *n.* 2. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 31. *n.* 2. Farinac. *de furt. q.* 169. *n.* 38. Mctlinus *de pignor. lib.* 4. *tit.* 5. *q.* 130.

14 Si pignus tempore solutionis non inveniatur sufficiens, aut deterioretur quo minus sufficiat ad debitum persolvendum monti pietatis, in hoc casu recurrendum est ad alia bona debitoris; nam quando actio pignoratitia non sufficit ad totum debitum, pro residuo datur actio personalis adversus debitorem, ut ex aliis bonis persolvat; *leg. Creditor qui non idoneum* 28. *de rebus credit. leg. Adversus* 10. *C. de obligat. & act.* idcircò mons pietatis poterit petere adversus debitorem, ut residuum persolvat ex aliis bonis, Negusantius *de pignor.* 8. *p. memb.* 1. *n.* 46. Covarr. *lib.* 3. *variarum, c.* 7. *n.* 5. Garcia *de expens. c.* 4. *n.* 43.

15 Idque etiamsi pignus, aut hypotheca sit specialis, quia licet stantibus aliis creditoribus, existente speciali hypotheca, nequeat dari recursus ad alia bona, quia per specialitatem magis ad debitum afficitur, *leg.* 2. *C. de pign. leg.* 33. *tit.* 13. *part.* 5. Rodriguez *de exequut.* 2. *part. art.* 1. *num.* 4. D. Olea *de cess. tit.* 7. *q.* 2. *num.* 11. tamen si illa non sufficiat, aut deterioretur, adhuc recursus est adversus debitorem, & illius bona, quando constat de insufficientia, aut deterioratione, Covarruv. *d. lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 6. Gutierez *practic. lib.* 3. *quæst.* 93. *num.* 13. Parladorius *lib.* 2. *rerum quot. capite fin.* 5. *part.* §. 1. *num. fin.* Castillo *controv. lib.* 4. *cap.* 26. *à num.* 20. Salgado *in Labyr.* 2. *part. cap.* 5. *à num.* 4.

16 Si verò alii creditores non sint, sed tantùm mons pietatis, nulla excussio est necessaria in pignore, vel hypotheca; sed si non sit sufficiens, statim poterit peti adversus debitorem, & ejus bona; quia excussio non est petita à jure favore debitoris, sed aliorum creditorum, qui si non sunt, non est necessaria, Gutierez *d. q.* 93. *num.* 3. Salgado *d. cap.* 5. *n.* 5. quare mons pietatis, non existentibus aliis creditoribus, non tenetur facere excussionem, ut in terminis docet Lara *d. cap.* 23. *à n.* 14.

17 Ad hanc hypothecam, seu pignus contrahendum non requiritur scriptura, sufficit enim testibus probari, *leg. Contrahitur* 4. *ff. de pignor. leg. in re hypothecata* 4. *ff. de fid. instr.* Negusantius *de pignor.* 3. *p. memb.* 1. *num.* 3. Lara *d. cap.* 23. *à num.* 18. Gomez *variarum tom.* 2. *cap.* 3. *num.* 12. Unde ipse Lara *d. cap.* 23. *n.* 20. asserit montem pietatis præferendum esse aliis creditoribus instrumentalibus, quia rectè contrahitur pignus, seu hypotheca ex sola probatione contractus, Surdus *decis. Marchia* 94. *n.* 6. & ideò præferendus est aliis creditoribus instrumentalibus.

18 Quod extendendum etiamsi eadem hypotheca sit in instrumento, dummodo posterior sit; nam quoties concurrunt creditores hypothecarii, ille præfertur, qui prior est tempore, *l. Potior* 11. *ff. qui pot. in pignor. habeant. leg.* 27. & 29. *tit.* 13. *p.* 1. Rodriguez *de concurs.* 2. *p. art.* 1. *num.* 1. Salgado *in Labyrinth.* 1. *p. cap.* 4. *n.* 138. & 3. *p. cap.* 11. *num.* 7. Idcircò mons pietatis semper habebit prælationem ex sola antecedentis hypothecæ, aut pignoris probatione, Lara *d. c.* 23. *n.* 20. Gregor. *in leg.* 31. *tit.* 13. *p.* 5. *glos.* 5. Marescotus *variar. lib.* 1. *c.* 79. *n.* 12.

10 Hæc verò doctrina suscipit difficultatem *ex leg.* 31. *tit.* 13. *p.* 5. ibi, *O prueba de dos testigos*, ubi noster Alphonsus asserit idem esse probare hypothecam per testes, prout si tantùm exhiberetur schedula privata, quæ quidem minimè præfertur secundo creditori habenti hypothecam in instrumento publico, Covarruv. *pract. cap.* 22. *n.* 5. *vers. Tertiò necessariam*: Ergo si mons pietatis per testes suam hypothecam, aut pignus probaverit, non præfertur secundo creditori eam habenti in instrumento publico.

20 Textus verò ille habet responsum, quia in specie illius legis duæ sunt species. Prima, quando hypotheca est in scriptura privata, quo quidem casu creditor qui eandem habet in instrumento publico, præfertur, *leg. Scripturas* 11. *C. qui pot. in pignor. habeantur*; quia habet clariorem probationem, etiamsi schedula privata demonstretur, aut duobus testibus comprobetur; quia tantùm est probatio confessionis illius debiti factæ à debitore, non verò de conventione ipsius debiti, & hypothecæ, ut interpretatur Gregorius *ibid. gl.* 5. Lara *d. cap.* 23. *n.* 20.

21 Secunda quando schedula privata fuisset subscripta à debitore, & ab aliis tribus testibus suis propriis manibus, & ab omnibus subscriptiones essent recognitæ; tunc enim primus creditor præfertur secundo instrumentum habenti, & in eo hypothecam; quia schedula talibus circumstantiis vallata gerit vicem scripturæ instrumentalis, ut latè prosequuntur, Covarruvias *dict. cap.* 22. *num.* 5. Guttierez *practic. lib.* 1. *q.* 125. Gratianus *discept. for. cap.* 94. *per tot.* Rodriguez *de concurs.* 2. *p. art.* 1. *à num.* 12. Marescotus *d. lib.* 1. *cap.* 79. *n.* 11.

22 Unde facilè cognoscitur montem pietatis, qui probaverit duobus, aut tribus testibus suam hypothecam, aut

pignus,

pignus, præferendum ſecundo creditori eadem habenti in inſtrumento publico; quia non probat tantùm confeſſionem debiti, ſed verum factum conventionis illius, quo caſu præfertur. Gregor. *in dict. leg.* 31. *gloſſ.* 5. Lara *dict. cap.* 23. *num.* 20.

23 Sed quæritur ſi mons pietatis tantùm demonſtraverit ſchedulam privatam; ſine teſtibus, an præferri debeat? Et affirmandum videtur, nam ſchedula ſine teſtibus ſuſtinetur favore cauſæ piæ. Tiraquellus *de privil. cauſ. piæ, privil.* 4. ubi plures dant Riccius, & Thorus. Gratianus *March. dec.* 207. *nu.* 7. Rota *diverſ.* 2. *part. dec.* 74. Ergo debet præferri ſecundo creditori hypothecam in inſtrumento habenti.

24 Sed tenendum contrarium cum Cavalcano *conſ.* 121. *n.* 7. Mena *lib.* 1. *q.* 6. §. 3. *num.* 3. Lara *d. cap.* 23. *n.* 23. Ratio eſt, nam cauſa pia nequit habere privilegium in damnum tertii qui cum ea non contraxit: quapropter ſchedula illa non ſupplet defectum teſtium; ſuppleret tamen, ſi ſecundus creditor illam recognoſceret, quia tunc contra ipſum facit probationem ex eo quod illam recognoviſſet. Gutierrez. *dict. quæſt.* 125. *num.* 5. Covarr. *dict. cap.* 22. *num.* 5. D. Olea *tit.* 8. *de ceſſ. quæſt.* 3. *à num.* 29.

25 Illud verò non eſt prætereundum, quod ſi ſtatuta Montis Pietatis ſint, ut bona mutuatarii ſint obligata pro debito, tunc licèt nihil de hypotheca fuerit conventum, remanent obligata, quia ſemper intelligitur contraxiſſe ſecundùm Capitula & Conſtitutiones Montis Pietatis, argumento legis finalis, *Cod. de juriſd. omnium judicum*. Lara *dict. cap.* 23. *num.* 25.

26 Hi enim montes pietatis perfruuntur omnibus privilegiis cauſarum piarum, ut diximus de Hoſpitalibus, & Confraternitatibus piis, Novarius *de elect. for. ſect.* 2. *q.* 57. *per tot.* & aliis competentibus aliis Montibus, qui vulgò *poſitos* dicuntur, de quibus agit Corletos *ſingul.* 120. Borellus *ad Bellugam in Speculo Principum, rub.* 1. *verſ. Præſidere.* Caſtillo *de tertiis, cap.* 9. *à num.* 24.

In eorum tamen adminiſtrationibus non quælibet perſona admittatur; ſunt enim quamplures ex peſſima adminiſtratione deperditi. Erit autem conveniens, ut unus vir tantùm præficiatur, nobilis, prudens, & fidelis, *leg.* 1. *Cod. de cond. in public. horr. lib.* 10. *Gen. cap.* 41. *verſ.* 33. ibi: *Nunc ergo provideat Rex virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum terræ Aegypti, qui conſtituat præpoſitos per cunctas regiones, &c.* quo ordine rectiùs Montes iſti regantur. Azevedus *in leg.* 9. *tit.* 5. *lib.* 7. *Recopil. in proœmio.* Bobadilla *in Politic. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. Capponi *tom.* 5. *diſcept.* 397. *per tot.* 27

Denique pios iſtos montes poteſt Epiſcopus viſitare, ex Trident. *ſeſſ.* 22. *de reformat. cap.* 8. quare poſſunt eorum ſtatuta confirmare, augere, & reformare, non ſolùm in viſitatione, ſed extra; & reſervare jus id faciendi quotieſcumque expedierit, ut declaravit Sacra Congregatio apud Bellerum *diſquiſit. Cleric.* 1. *part. de bon. Clericor.* §. 12. *nu.* 7. Barboſa *de offic. Epiſc.* 3. *part. allegat.* 75. *num.* 14. Capponi *diſcept.* 134. *num.* 48. Non tamen poterit Epiſcopus pecunias, aut frumentum in alios uſus divertere ſine Sedis Apoſtolicæ licentia. Barboſa *in Summa Apoſt. deciſ.* 517. *n.* 4. & *de offic. Epiſcopi* 3. *part. allegat.* 76. *num.* 64. Leoncill. *de privilegiis paup.* 2. *part. privil.* 174. 28

Omnia ſub correctione Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ.

INDEX

INDEX
OMNIUM RERUM
NOTABILIUM.

Quæ in quatuor Libris hujus Tomi primi de Caufis Piis continentur.

In quo prior nota arithmetica Paginam, posterior autem singulorum Capitum numeros designat.

Ali-

A N I M Æ.

A N N I V E R S A R I U M.

ANNIVERSARIUM IN QUIBUS BONIS IMPONENDUM, ET QUOMODO.

ANNIVERSARIUM QUOMODO ADIMPLENDUM, ET DE EJUS SUCCESSIONE, ET SOLUTIONE.

Missæ

APPELLATIO.

ARGUMENTUM.

B

BONA.

C

CAPELLANIA.

Limi-

CAPELLANIÆ ADIMPLEMENTVM.

CAPELLANVS.

CENSURA.

CENSUS.

CLAVSVLA.

CLERICUS.

COLLATIO, ET INSTITVTIO.

solùm

D

D O S.

E

E C C L E S I A.

E D I C T A.

E L E C T I O.

E M PH Y T E U S I S.

E P I S C O P V S.

transfe

FRAUS.

FRATRES MINORITAE.

FRUCTUS.

G

GABELLA.

HORÆ CANONICÆ.

I

IDOLATRIA.

ILLEGITIMI.

IMMUNITAS.

INCARCERATI PAUPERES.

INCOMPATIBILITAS.

INSTITUTIO.

INTERPRETATIO.

INTERPELLATIO.

JUSPATRONATUS.

L

LEGATUM.

LEGATA ECCLESIAE, SEU MONASTERII.

LEGATA RELICTA SCHOLASTICIS.

secus

fuisset

MONTES PIETATIS.

MULIER.

MUTUANS.

MUTUS, ET SURDUS.

N

NECESSITAS.

NEGLIGENTIA.

NOBILIS, ET NOBILITAS.

NUPTIÆ.

O

OBLATIONES.

PRÆLATUS.

PRAESCRIPTIO.

PRAESUMPTIO.

PROTESTATIO.

PUELLARUM LEGATA.

PURITAS SANGUINIS.

PUPILLUS.

Q

QUARTA.

QUARTA MARITALIS.

R

REDEMPTIO CAPTIVORUM.

REDUCTIO MISSARUM.

Redu-

SUBSIDIUM, ET EXCUSATUM.

SUBSTITUTIO.

SUBURBIA.

SUSPENSUS, ET INTERDICTUS.

T

TAXA STIPENDII MISSARUM.

alteri

TESTES.

TESTAMENTUM.

Testa-

Sed

Testa-

Sed

FINIS.

INDEX
LOCORUM UTRIUSQUE JURIS,
Quæ in his quatuor prioribus Libris de Causis Piis explicantur.

Ex Iure Digestorum.

Ex Iure Codicis.

Ex Authenticorum Iure.

Ex Iure Decretorum.

Ex Decretalibus.

Ex Decretalibus in 6.

FINIS.